Universidad de Chile
Biblioteca

TOSTATI
OPERA OMNIA

IN REGVM
2-3

Universidad de Deusto
Biblioteca

IHS
BIBLIOTECA DE LOYOLA.
Sala 1
Estante
Plúteo 8 H

32,5

Universidad de Deusto
Biblioteca

ALPHONSI TOSTATI

HISPANI,


EPISCOPI ABVLENSIS,

PHILOSOPHI, THEOLOGI,
Ac Pontificij Iuris, Cæsareique consultissimi, necnon
linguæ Græcæ, & Hebraicæ peritissimi,

COMMENTARIA IN LIB. II. REGVM:

Mendis nunc sanè quàm plurimis diligenter expurgata.
CVM INDICE COPIOSISSIMO.

Ad PHILIPPVM II. Catholicum & Inuictissimum
Hispaniarum, & Indiarum Regem.



esta espurgᵈᵒ conforme a l
espurgᵒ nuevo de 1632 por
orden de la Sᵗᵃ Inqon
J. Mier
SOCIETATIS JESU PRIVILEGIO

VENETIIS, M D XCVI.

Apud Io. Baptistam, & Io. Bernardum Sessam, fratres.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ALPHONSI TOSTATI EPISCOPI ABVLENSIS COMMENTARIORVM in Secundum Lib. Reg. Præfatio.

HEBRÆORVM traditio iſtum librum cum præcedenti in eodem compingens volumine, eodem nomine cenſet, vtrumque librum Samuelis appellans; noſtrorum autem, ſcilicet, tam Græcorum, quàm Latinorum auctoritas in duos ſecuit libros. Huius autem cauſa in promptu eſt, quoniam ſuperiori libro actum erat de regno, quod per ſolam Dei electionem euenerat; Hic autem de regno, quod per ſucceſſionem eſt, hiſtoria texitur. Nam ſuperiori libro de electione Saulis in Regem dicitur cap. 9. Hoc autem reprobato, electio Dauid ſubiuncta eſt cap. 16. Hic verò de regno per ſucceſſionem deriuato agitur. Nam Isboſeth Sauli patri ſuo paruo tempore in regno ſucceſſit, cuius hiſtoria vſque ad cap. 5. libri huius extenditur, extirpata autem progenie Saulis, regnante Dauid, Salomon filius eius illi ſucceſſit in regno, vt patet ſequenti lib. cap. 1. Alia autem cauſa eſt huius deciſionis, quia precedenti libro de regno modicum duraturo agebatur, ſcilicet de Saulis poteſtate, hic autem de regno ſemper duraturo in poſteritate Dauid hiſtoria ponitur, vt patet infra 7. ſcilicet. Suſcitabo ſemen tuum poſt te, quod egredietur de vtero tuo, & firmabo regnum eius, & ſtabiliam tronum regni eius in ſempiternum: quòd ſi iniquè aliquid egerit, arguam eum in virga virorum, & in plagis filiorum hominum: miſericordiam autem meam non auferam ab eo, ſicut abſtuli a Saul, quem amoui a facie mea. Ideo quamquàm poſtea Salomon filius Dauid duriſſimè deliquerit, ita vt mereretur poſteritas eius perdere regnum, Deus noluit totaliter ei illud auferre, ſed reliquit partem eius, ſcilicet tribum Iuda, & Beniamin; vt infra. cap. 11. & 15. Durauitque regnum in hac poſteritate, licèt ſemper multiplicarentur ſcelera, vſquequo duceretur Iuda in Babilonem. In quo tempore aliqualiter ceſſauit regnum de poſteritate Dauid, ſed non penitus, quia de illa poſtea fuerunt principes, quaſi

Quare iſte liber a Græcis, & Latinis diuiſus eſt.

Secũda cauſa.

Regnum in Iuda non ceſſauit in captiuitate.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Præfatio.

reges vsque ad Christi aduentum, vt impleretur quod dixerat Iacob Gene. 49. Non auferetur sceptrum de Iuda, nec dux de femore eius, donec veniat qui mittendus est, ideſt, Christus. Tertia causa fuit huius diuisionis, quia inter Hebræos erant duæ progenies, de quibus fuerunt Reges super Israel ante diuisionem eius in duo regna, scilicet de tribu Beniamin, & Iuda. Tribui namque Iuda promissa erat potestas regia Gen. 49. sed primus Rex Israel factus est de tribu Beniamin, scilicet Saul; vt præcedenti lib. cap. 9. In hac autem tribu non erat mansurum regnum, ideo superiori libro descriptum est regnum tribus Beniamin in Saule. Hic autem incipit historia de regno tribus Iudæ in Dauid, & posteritate sua. Sed obijciet aliquis, quòd etiam hic agitur de regno tribus Beniamin, nam Isboseth filius Saulis erat de tribu Beniamin, & agitur hic de regno eius. Respondendum, quòd principalis intentio huius libri, & sequentium est describere regnum Dauid, & posteritatis suæ, quia tamen Dauid in principio regni sui bella gessit cum domo Isboseth, agitur de regno Isboseth accidentaliter, vt describantur plenè gesta Dauid. Quarta causa est, quia superiori libro actum est de regno a Deo reprobato, scilicet de Saule, de quo præcedenti lib. cap. 15. & 16. dicitur, quòd Deus abiecerit eum, & iusserit Samueli, ne oraret pro illo. Hic verò de regno approbato, scilicet Dauid, & posteritatis suæ agitur, de quo præced. lib. c. 13. dicitur; sed nequaquàm vltra regnum tuum consurget, quæsiuit enim sibi Dominus virum iuxta cor suum, scilicet Dauid, & præcepit ei, vt esset dux super populum suum, nec dicitur aliquando de Saule, quòd esset vir iuxta cor Dei, sicut dicitur de Dauid prælleg. cap. & Psal. 88. Intentio autem libri huius est historiam Dauid, & posteritatis suæ describere, quomodo per mutationes prosperitatum & calamitatum regna duxerint, & quid tempore principatus eorum actum sit. Primò tamen de regno ipsius Dauid solius agitur in toto hoc libro, deinde de regno posteritatis eius subiungitur seq. lib. & in quarto. Vnde causa sectionis huius libri a duobus sequentibus fuit, vt in hoc gesta ipsius Dauid solius, quæ magnifica fuerunt, describerentur. In alijs autem libris multorum regum simul tempora compinguntur, quia eorum parua, & obscura gesta fuerunt. Continentia autem libri est ipsa historia Dauid. In cuius primordio planctus quiddã pro rege Saule præponitur in ca. 1. deinde regnum parui temporis filij sui Isboseth subiungitur, quid egerit, aut quid patiendo vitam finierit, vsque ad ca. 5. Deinde de Dauid historia incipiens per totum librum extenditur, in quo recensentur magnificę victoriæ, quas temporibus suis habuit. Miscenturque variæ calamitates, quas tam in sẽ, quàm in domo sua, & filijs, & regno ex tempore passus est. Quæret aliquis de ordine libri huius ad præcedentem: an sit continuatus, vel sit aliqua anticipatio, vel recapitulatio: & an ista, quæ hic dicuntur fuerunt immediatè facta post illa, quæ habentur præcedenti libro, vel aliqua tempora intercederint. Ad primum respondetur, quòd hic est continuus ordo, quia præcedenti libro actum est de regno Saulis, hic autem agitur de regno Dauid: Saul tamen prius regnauit, quàm Dauid. Ad secundum dicendum, quòd non fuerunt aliqua tempora intermedia inter ea, quæ habentur præcedenti libro & hic: nisi forte tres vel quatuor dies: quia in fine præcedentis libri de morte Saulis dictum est: hic autem agitur de nunciatione mortis eius, scilicet, quia vir veniens de castris nunciauit Dauid mortem Saulis, quod fuit tribus, vel quatuor diebus post, de quo primo. c. huius libri.

Intentio libri huius.

Ratio diuisionis huius libri a sequẽtibus.

Continentia libri.

De ordine libri.

Ordo ad p̃dicta in primo libro cõtinuus est & immediat⁹.

ALPHONSI

ALPHONSI TOSTATI EPISCOPI ABVLENSIS

IN SECVNDVM LIBRVM REGVM Commentaria.

CAP. I.

FACTVM est autem post quàm mortuus est Saul, vt Dauid reuerteretur a cę de Amalec, & maneret in Siceleg duos dies. In die autem tertia apparuit homo veniens de castris Saul veste consciſſa, & puluere conspersus caput: & vt venit ad Dauid cecidit super faciem suam, & adorauit, dixitque ad eum Dauid. Vnde venis? Qui ait ad eum; De castris Israel fugi. Et dixit ad eum Dauid. Quod est verbum, quod factum est? Indica mihi. Qui ait; Fugit populus ex prælio, & multi corruentes è populo mortui sunt.

Regum 4.

fra 24. ca.

HIC incipit secundus liber Regum, in quo finita historia regni labentis sub Saule, incipit enarratio regni manentis sub Dauid. Admiscentur autem quædam pauca de regno Isboseth filij Saulis: & diuiditur in duo, quia primò agitur de regno Dauid: Secundò de regno posteritatis eius in prine. sequen. li. & 4. Regnum autem Dauid ab exordio suo semper confortabatur, regnum verò Isboseth semper infirmabatur. Et diuiditur in tres partes, quia primò ponitur Dauid, & Isboseth partialis exaltatio. Secundò regni Isboseth totalis ablatio, infra tertio capitulo. Tertiò ipsius Dauid super regnum Israel totaliter sublimatio, infra 5. capit. Prima diuiditur in duas, quia primò agitur de morte regis prioris. Secundò de exaltatione successoris, sequen. cap. Prima in duas, quia primò ponitur annunciatio mortis Saulis, secundò actus lamentationis ibi. *Apprehendens autem Dauid*. Circa primum dicitur. *Factum est autem postquàm mortuus est Saul*, i. accidit hoc, quod sequitur post mortem Saulis: in quo appareret continuatio huius libri ad præcedentes, quia videtur tota eadem historia: præsertim in cap. isto, & lib. præceden. ideo Hebræi inter hunc & præcedentem nullam faciunt diuisionem. *Vt Dauid reuerteretur a cę de Amalec*, ideſt venit de occisione & bello, quod fecerat cõtra Amalecitas, & de pugna Saulis cõtra Philisthinos: cuius ordo est, quia Dauid iuit cum rege Achis in castra Philisthinorum, vt pugnaret contra Israel: Philisthini autem habuerunt Dauid suspectum, & miserunt eum de castris in locum suum ad terram Philisthinorum, vt patet præceden. lib. cap. 29. dum autem Dauid iret in castra cum rege Achis, Amalecitæ prædati sunt vrbem Siceleg, in qua erant omnia, quæ pertinebant ad Dauid, ad quam veniens inuenit succensam: persecutusque est latrunculos Amalec, & egit magnam cædem in eis, vt patet præc. lib. ca. 30. Interim autem Saul manebat in acie contra Philisthinos in monte Gelboe, & inito certamine, fugit Israel, occubuitq; Saul, & filij sui, vt præce. lib. c. vlt.

Hoc autem fuit prius quàm rediret Dauid de cæde Amalecitarum, sed non fuit ei nunciatum quousque redijt in Siceleg. *Et maneret in Siceleg duos dies*, ideſt postquàm redijt de cæde Amalecitarum mansit ibi duobus diebus prius quàm veniret nuncius enarrans mortem Saulis. Sciendum quòd Siceleg est quædam ciuitas, quæ prius fuit in sorte Iudæ, vt patet Iosue 15. deinde quia sors Iudæ erat magna, tradita fuit quædam pars eius tribui Symeon, in qua fuit Ciuitas Siceleg: vt patet Iosue 19. Nunc tamen non possidebatur ista Ciuitas ab Israelitis, sed a Philisthinis, & erat sub potestate Achis regis Geth. Vnde quando Dauid confugit ad eum, dedit illi hanc Ciuitatem in qua habitaret & in suam: vnde ex illa die Siceleg pertinuit ad reges Iudæ speciali titulo, vt patet præceden. lib. cap. 27.

Siceleg quæ ciuitas fuerit.

Quare Dauid post mortem Amalecitarum venit in vrbem Siceleg. Quæstio I.

QVAERET aliquis, quare Dauid post cædem Amalecitarum redijt in vrbem Siceleg. Respondendum est, quòd Dauid habebat vrbem illam ad habitandum, nec habebat aliquem alium locum in tota terra Philisthinorum, & cùm non posset ire ad castra Philisthinorum, quia inde dimissus fuerat, præce. lib. c. 29. non habuit quid ageret, nisi vt maneret in Siceleg. Sed aliquis dicet, quomodo poterat Dauid manere in Siceleg, cùm illa tota esset combusta, quia Amalecitæ succenderant eam, præced. lib. c. 30. Respondendum quòd quamquàm Amalecitę succenderunt eam, vt tota periret incendio, tamen non expectauerunt ibi, quousque tota exusta foret, sed tulerunt prædam, dum cremaretur ciuitas: Dauid autem veniens nondum illa plenè exusta flammas extinxit, vnde mansit ibi locus aliqualis ad habitationem suam, & virorum suorum. Item dato, quòd non potuissent ibi commodè morari Dauid, & viri sui: tamen non auderent ire in alium locum terræ Philisthinorum, quia illam solam ciuitatem assignauerat eis rex Achis ad habitandum: Præsertim quia principes Philisthinorum mittentes Dauid de castris, iusserunt ei specialiter, quòd maneret in vrbe sua, præc. lib. c. 29. scilicet, reuertatur vir & sedeat in loco, in quo constituisti eum, & non descendat nobiscum in prælio. Item quia nimius suspectus esset Dauid, si nunc vellet descendere in aliquem locum Philisthinorum, quia omnes Principes Philisthinorum erant tunc in terra Israel, & putaretur, quòd vellet occupare aliquem locum, dum non esset qui defenderet terram illam: Dauid tamen nimis cauebat esse suspectus Philisthinis, cùm reciperet ab eis multa bona: non ergo declinauit ad aliquē locum, nisi ad Siceleg. Sed aliquis dicet, cur non fuit in terram Israel, cùm iam mortuus esset Saul, & poterat securè redire. Dicendum quòd Dauid fugit de terra Israel, ne incideret in manus Saulis. præced. lib. c. 27. nunc autem semper manebat idem timor, quia putabat Saulem viuere: ideo non habuit, quò iret, nisi in Siceleg: cùm autem nunciata est ei mors Saulis ascendit de Siceleg in Hebron, quę erat ciuitas terræ Iudæ, vt patet sequenti capitulo. *In die autem tertia*, scilicet computando a prima die, qua redijt de cæde Amalecitarum in Siceleg. *Apparuit homo veniens de castris Saul*, ideſt venit ad Dauid in Siceleg quidam vir, qui fuerat in castris Saul.

Dubitatio.

Quis fuit iste iuuenis, qui venit ad Dauid. Quæstio II.

QVAERET aliquis, quis erat iste vir, & ad quid veniebat. Respondendum quòd quidam volunt istum fuisse Doeg Idumæum, sicut refert Ra. Sa. & fuerat iste vnus de principalibus ministris Saulis, vt patet præced. lib. c. 22. Sed Ra. Sa. hoc improbat, nec est verisimile, quòd Doeg auderet venire ad Dauid, quia ipse offenderat eum valde nam accusauerat ipsum, & Sacerdotes apud Saulem, propter quod octuaginta quinque occisi fuerant Sacerdotes Domini, & tota ciuitas Nobe vastata est, vsque ad pecora. præced. lib. cap. 22. timeret autem Doeg, quòd Dauid occideret eum pro his: ideo verisimilius est, quòd ipse fuerit armiger Saulis qui se occidit videns occubuisse Saulem. Et hoc quia timebat quòd si incideret in manus Dauid, per duros cruciatus mori cogeretur. Dicunt autem Andreas, Nicolaus, & historia scholastica, & glossa ordinaria, istum iuuenem fuisse filium Doeg Idumæi: pater autem suus dedit illi armillam regis, & diadema, misitque illum ad Dauid, putans quòd per hæc inueniret magnam misericordiam apud Dauid: ipse autem non ausus est venire, sed occidit seipsum: hoc autem satis verisimile est. Sic namque fecit Cato maior, qui dictus est Vticensis, qui dum foueret partes Pompeianas mortuo Pompeio contra Iulium Cæsarem, & videret se in omnibus Cæsare inferiorem, persuasit filio suo, quòd ad Cæsarem confugeret bona de clementia eius expectans: ipse autem proprio gladio in ciuitate Vtica in Africa se occidit, de quo Augustinus primo de Ciuitate Dei, capi. 18. Sed obijciet aliquis hoc non stare, quia iste iuuenis dixit, quòd erat Amalecites, Doeg tamen erat Idumæus. Respondendum est quòd fortè iste iuuenis mentitus est in hoc occultando originem suam: sic enim mentitus est dicendo, quòd occiderat Saulem, vt patet infra in littera: tamen ipse non occidit illum, sed Saul seipsum interemit. præced. lib. cap. vlt. Causa autem mendacij sui esse poterat, quia Dauid habebat exosum Doeg Idumæum, & si confiteretur se esse filium illius, timebat, quòd propter patrem male tractaret eum: ideo mentitus est occultando originem, & dicendo se Amalecitem. Aliter potest dici, quòd iste vera dixit: nam licèt esset filius Doeg Idumæi erat Amalecites: nam Amalecitæ, & Idumęi non sunt gentes totaliter distinctæ, sed Amalecitæ sunt pars Idumæorum: Idumæi namque dicuntur ab Edon, ideſt, Esau: Amalecitę autem dicuntur ab Amalec, qui fuit nempos Esau, & sic omnes Amalecitę erant Idumęi, sed non è conuerso. Doeg autem erat verè Amalecita, sed vocabatur Idumeus, quia idem sunt: ideo filius eius poterat vocari Amalecites.

Amalec sunt pars Idumęor.

Ad quid venit iste iuuenis ad Dauid. Quæstio III.

QVAERETVR vlterius, ad quid venit iste iuuenis ad Dauid. Aliquis respondebit, quòd a casu transiuit per vrbem, in qua erat Dauid, & uenit ad eum. Sed hoc non stat, quia iste iuuenis erat de castris Saulis, & inde ipse fugerat, vt patet infra in littera: ideo non debebat fugere in terram Philisthinorum, sed in terram Israel: Siceleg tamen est in terra Philisthinorum, ideo non iuit illuc a casu, sed ab intentione, ut aliquid ageret cum Dauid. Dicendum igitur quòd siue iste iuuenis fuerit filius Doeg, siue aliquis alius, iuit ad Dauid ab intentione putans se aliquid magnum lucraturum ab eo: iste. n. erat in castris, quando mortuus est Saul, & rapuit diadema eius, & armillam, quæ erant insignia regalia. Et quia fama erat apud Israelitas, viuente Saule, quòd Dauid regnaturus esset, voluit iste iuuenis referre ei mortem Saulis, & offerre insignia regalia: putabat autem in hoc ei dupliciter complacere. Primò, quia nunciabat mortem Saulis, qui erat hostis Dauid: etiam quia post mortem illius regnaturus erat Dauid. Secundò, quia ferebat ei regalia insignia: ideo quamquàm esset Dauid in terra Philisthinorum, celeriter illuc iuit iste iuuenis veste cōcisa. Hoc patet infra in littera, scilicet. Et tuli diadema, quod erat in capite eius, & armillam de brachio illius, & attuli ad te Dominū meum huc. *Veste concisa*, i. iste iuuenis ruperat vestes suas a summo vsq; deorsum, & hoc erat in signum tristitiæ pro morte Israelitarum: etiam quia veniebat ad nunciandum mala, & nō decebat q̄ vultu hilari, & in habitu ornato veniret. Erat autem consuetudo apud Iudæos, quòd audita aliqua re dolenda, vestes rumperent, & non solum in eis, quæ pertinebant ad homines, sed etiam in pertinentibus ad Deum. Sic fecit Cayphas audito q̄ Christus diceret se Filium Dei: quia hoc reputauit blasphemiam, vt patet Matth. 26. scilicet. Tunc Princeps Sacerdotum scidit vestimenta sua, dicens: blasphemauit. Iudæi etiam quando dolebant de peccatis suis petentes veniam rumpebant vestes. Ioel autem Propheta volens dolorem esse in cordibus, & non in vestibus, dixit: Scindite corda vestra, & non vestimenta vestra, & cōuertimini ad Dominum Deum vestrum. *Et puluere aspersus caput*. Et etiam sparserat puluerē super caput suum. istud est signum magni doloris, & fit quando aliqui sunt in extrema deiectione: nam ponēdo puluerē super caput significant se tm̄ humiliatos, vt iam conculcētur in terram. Sic enim Thamar filia Dauid cùm deflorata esset a fratre suo, putans se perdidisse omne bonum suum, aspersit caput cinere, & scindens vestes clamabat: vt patet infra 13. Alij autem aliter significant istū dolorem. s. non aspergendo cinerem super caput, sed extendēdo se in terra super cinerem. Sic. n. fecerunt Niniuitæ induentes se sacco, & sedentes in cinere, vt patet Ionæ 3. *Et vt venit ad Dauid.* ideſt immediatè vt fuit in conspectu eius. *Cecidit super faciem suam* ideſt, prostrauit se in terram super faciem, & non cecidit quasi non potens se tenere. *Et adorauit* ideſt, exhibuit quandam reuerentiam. Adoratio namque propriè ad Deum pertinet, sed accipitur hic largè adoratio pro qualibet veneratione, & non fuit aliquid aliud ista adoratio, nisi quòd iste iuuenis se prostrauit in terram ad exhibendum magnam reuerentiam. *Dixitque ad eum Dauid*, scilicet, iste iuuenis, quando prostratus fuit coram Dauid nihil locutus est, sed expectauit quòd loqueretur Dauid: & tūc cæpit quærere Dauid. *Vnde venis.* Miratus est Dauid quòd viderit istum iuuenem sic deformatum, & satis nouerat quòd ad aliquod malum nūciandum veniebat, quod indicabat habitus: sed nesciebat quod malum erat, nec quorum: ideo quæsiuit, vnde veniret, vt per hoc sciret quibus malum accideret, quod iste indicabat. *Qui ait ad eum; de castris Israel fugi.* Castra Israel erant in monte Gelboe, vt præced. lib. cap. 28. & 31. vbi etiam stetit iste iuuenis quousque occubuit Saul, & tunc fugit ad Dauid ferens ad eum diadema, & armillam Saulis. *Et dixit ad eum Dauid; quod est verbum quod factum est in castris?* ideſt, quid est quod accidit in castris Israel? satis enim credebat quòd aliquod malum accidisset, quia habitus nuncij illud indicabat, sed voluit particularius scire: ideo dixit: Quod est verbum quod factū est in castris, ideſt res, quæ accidit: ponitur enim verbum pro re. Sic patet præced. lib. ca. 3. scilicet. Faciam

Hebræi in im matristitię lebāt si stimēta sperge caput ere.

Andr.

Alph. Tost. in Secundum Regum.

verbum quod qui audierit tinniant ambæ aures eius. *Indica mihi*, ideſt, nihil abscondas. In hoc hortabatur Dauid iuuenem, vt studiosè diceret quicquid nouerat. *Qui ait: fugit populus de prælio* scilicet populus Israel: non enim vere pugnauerūt, sed fugerunt: nam mox vt fuerunt constitutæ acies Philisthinorū & Hebræorum: vtræque in monte Gelboe, Hebręi pauefacti terga verterunt, mansitq, solus Saul cum filijs suis, & seruis domus suę: vnde illi, qui occisi sunt de Israelitis nō perierunt in bello, sed in fuga. Hoc aūt fuit, quia Deus volebat tradere Saulem in manus Philisthinorum, & perterruit Israelitas, vt fugerent & maneret Saul. De quo præc. li. c. vl. *Et multi corruētes ex populo mortui sunt*, s. quando fugiebant persecuti sunt eos Philisthini per montem Gelboe, & truncauerunt multos: vt patet præc. li. c. vl. s. Et fugerunt viri Israel ante faciem Philisthijm, & ceciderunt interfecti in monte Gelboe. Sed aliquis dicet q̄ iste mētitus est, quia innuit q̄ aliqui de Israelitis occisi sunt in fuga, alij verò euaserunt: & tū præc. li. c. vl. dr: mortuus est Saul, & tres filij eius, & armiger illius, & vniuersi viri eius in die illa pariter. Respondendum est, q̄ non perierunt omnes Israelitæ in bello, sed aliqui & non valde multi in comparatione totius populi. Cùm aūt dr q̄ perierunt oēs viri Saulis: non est intelligendum de oībus viris Israel, qui subiecti erant Sauli, vel de oībus, qui erant in bello, sed solū de illis, qui ministrabant specialiter Sauli, & erant in familia eius. Hoc patet 1. Paral. 10. vbi recitatur ista historia, & dr: Interijt ergo Saul, & tres filij eius, & oīs domus illius pariter concidit. Domus tū solū notat familiam: & sic solū perierūt illi viri, qui erant de domo Saulis, & continuè seruiebant ei: populus aūt non cōprehenditur hic noīe virorum Saulis, vnde multi de populo euaserunt. *Sed, & Saul*, i. etiā Saul mortuus est. *Et Ionathas filius eius interierunt*, i. Saul, & omnes filij sui mortui sunt: populus namq; fugit de bello, & mansit Saul cum tribus filijs suis, qui mortui sunt. præc. li. c. vl. & 1. Paral. c. 19. Sciēdum aūt q̄ filij Saulis mortui sunt prius quàm Saul, & Saul hoc uidens occidit seipsum appropinquantibus Philisthinis. præc. lib. c. vl. Dicitur tamen prius de morte Saulis, quia ipse dignior erat.

Quare iste nuncius dixit solùm de morte Ionathæ, & non aliorum filiorum Saulis. Quæstio IIII.

QVAERET aliquis, cū tres filij Saulis mortui essent, quare iste solū dixit de morte Ionathæ? Aliquis rndebit, q̄ iste nuncius fuit in castris Saulis, & vidit Ionatham mortuum, alios aūt duos filios Saulis, non vidit: ideo solū dixit de Ionatha. Aliter dici pōt, q̄ iste cognouerat mortē oīum trium filiorū Saulis, solùm tm̄ nunciauit de Ionatha: eo q̄ iste erat valde amicus Dauid. Diligebat. n. illum sicut aīam suam, & iniuit cū illo fędus, deditq; ei vestimenta sua, & vsq; ad gladium, & arcum, & balteum. præced. li. c. 18. Liberauit quoq; eum bis à morte. De quo eo. lib. c. 19. & 20. Ideo nuncius iste sciens hoc, solū curauit exprimere mortē Ionathæ. Sed istud non stat, quia nuncius iste intendebat mouere animum Dauid obsequijs, vt beneface-ret ei: scita tamen morte Ionathæ manifestum erat nimis debere dolere Dauid, ad quod nolebat nuncius iste mouere Dauid: ideo non dixit de Ionatha specialiter hac intentione. Sed dicendum est, quòd iste iuuenis desiderabat obsequi Dauid: putabat autem quòd desideraret Dauid regnum, ideo credidit quòd non poterat magis placere Dauid in aliquo, quàm si ei nunciaret illa per quæ signaretur opportunitas Dauid ad regnandum: & quia non poterat Dauid regnare uiuente Saule, nunciauit primò mortem

Saulis, & quia si Ionathas superuiueret mortuo Saule, cùm ille esset primogenitus, quem Saul volebat regnare post se. præced. lib. cap. 20. & ipse erat vir valde strenuus, qui à toto populo diligebatur pro victoria mirabili, quam habuit contra Philisthinos. preced. lib. cap. 14. poterat impedire Dauid, ne regnaret: ideo nuncius specialiter expressit de Ionatha. De alijs autem filijs Saulis non curauit, quia quàmquàm illi superuiuerent, non poterant impedire, ne regnaret Dauid: sicut fuit de Isboseth, qui regnauit post Saulem, & tamen eo viuente regnabat Dauid in tribu Iuda, & prævalebat contra eum, vt patet seq. c. & infra 3. Quòd autem ista esset intentio eius patet, quia tulit ad Dauid diadema regis, & armillam tanquàm ad ipsum pertineret regnum: cùm dicitur infra. Et tuli diadema, quod erat in capite eius, & armillam de brachio illius, & attuli ad te dominum meum huc, idest iam tu es Dominus meus rex, & nullus alius, ideo attuli ista ad te. *Dixitque Dauid ad adolescentem, qui nunciabat ei.* erat enim valde iuuenis, ideo vocatur adolescens. Dauid autem auditis rebus magnis non immediatè credidit: sed voluit certificari, ideo dixit. *Vnde scis, quòd mortuus est Saul, & Ionathas filius eius*, idest quomodo scis, an per auditum, vel per visum? voluit autem nimis certificari Dauid super hac re, quia istæ erant res magnæ, pro quibus Dauid facturus erat planctum, & magnã mutationem, ideo noluit frustra agere, ne argueretur de leuitate, sed certificatus est. *Et ait adolescens, qui narrabat ei*, idest respondit ei certificando ipsum. *Casu veni in montem Gelboe*, idest accidit quòd venirem in montem Gelboe, & ibi vidi ista, quæ narraui. In Hebræo dicitur. Vocatus fui vocatus in montem Gelboe: idest fui vocatus ad veniendum in bellum in montem illum. Magis tamen deberet exponi sicut littera nostra dicit, scilicet, quòd à casu venerit, quia aliter non consonaret litteræ sequenti, scilicet, Saul incumbebat super hastam suam, quasi dicat, quando ego veni iam propinquabat Saul morti: si tamen intelligeretur, ꝙ fuisset vocatus, non vocaretur tunc cum Saul erat moriturus, sed intelligendum est, ꝙ iste iuuenis voluerit dicere, quòd à casu venit in montem Gelboe, & vidit ibi Saulem propinquum morti. Non tamen est intelligendum quòd ipse veniret de aliquo loco extra castra Saulis, & accideret, quòd trãsiret per montem Gelboe, quia ipse dixit supra in litera, de castris Israel fugi, ergo erat cum cæteris pugnantibus in acie: erat tamen fortè iste in aliqua parte aciei extra montem Gelboe, & cùm fugit accidit, quòd transiret per locum, in quo erat Saul. *Et Saul incumbebat super hastam suam*, scilicet quando iste venit, Saul, non poterat se tenere, quia vulneratus fuerat nimis a sagittarijs præcede. lib. c. vlt. ideo quamquam non occidisset seipsum, non poterat iam viuere. *Porrò currus, & equites appropinquabant ei.* currus vocantur quadrigæ habentes quatuor equos armatos, & ipse rotæ habent infixos gladios curuatos in modum falcis, ideo vocabãtur isti currus falcati, idest habẽtes falces. Iudi. 4. in his erant homines armati, & pugnabant inde mittentes tela, & lanceas, & lapides: magis tamen currus pugnabant ex impetu cursus, quàm pugnarent milites armati super currus: nam cũ essent currus falcati, quicquid obuium habebant, aut propinquum lacerabant. Vnde omnes bellatores videntes currus dimittebant loca cedentes eis. Equites erant, qui sine curribus solis equis insidentes pugnabant. Philisthini autem abundabant in curribus, & equitibus: nam semel congregauerunt contra iudæos triginta millia curruum, & sexcenta millia equitum. præcede. lib. c. 13. Dixit autem iste nuncius, ꝙ equites, & currus appropinquabant Sauli propter duo. Primò ad excusandum se, quia iste volebat dicere, quod occiderat Saulem, & quia posset Dauid eum increpare de hoc, voluit habere excusationem. s. quod currus, & equites appropinquabãt Sauli, idest nullo modo poterat euadere Saul propter Philisthinos in curribus, & equis appropinquantes: ideo melius fuit, quod iste occideret illum, quàm quòd occideretur a Philisthinis: & in hoc verum dicebat iste nuncius, quia præcedenti lib. cap. vlt. dicitur quòd totum pondus prælij versum est in Saul, & vulneratus est vehementer a sagittarijs: dixitque ad armigerum suum: euagina gladium tuum, & percute me, ne forte veniant incircumcisi isti, & interficiant me illudentes mihi. Secundò dixit hoc ad reddendum narrationem suam verisimilem, quia non posset credere Dauid, quòd Saul potens mortem euadere peteret occidi: ideo dixit quòd appropinquabant ei currus, & equites, & iam non poterat euadere, & ob hoc petiuit ab isto, quod occideret eum. *Et conuersus post tergum suum*, scilicet Saul conuertit oculos suos in circuitu, vt videret si aliquis erat de viris suis apud eum, qui posset ipsum occidere. *Vidensque me vocauit*, idest accidit quod ego essem apud eum, ideo vocauit me. *Qui cùm respondissem adsum*, idest respondi ei, præsto sum domine. *Dixit mihi quis nam es tu?* quæsiuit Saul de origine istius, vt sciret an esset de suis, vel de Philistinis, quoniam nolebat perire gladio Philisthinorum, sed suorum. *Et aio ad eum*, idest respondi ei. *Amalecites sum*, idest de terra Amalecitarum. Amalecitæ enim habitant in desertis Arabiæ in latere meridiano terræ Israel, vt colligitur præceden. lib. cap. 15. & erant coniuncti Philisthinis, & Iudæis. Vnde aliquando faciebant prædas in terra Philisthinorum, & Israelitarum, vt patet præceden. lib. cap. 30. Ipsi namque succenderunt Siceleg, in qua habitabat Dauid. Iste iuuenis non natus fuerat in terra Amalec, sed in terra Israel. Pater tamen suus fuerat Amalecita, & postea cõuersus ad indaismum morabatur in terra Israel. Sic patet infra cùm iste dixit ad Dauid, filius hominis aduenæ Amalecitæ ego sum. *Et locutus est mihi*, idest precepit. *Sta super me, & interfice me*. idest incumbe gladio super me, & occide me.

Currus qd.

Excusatio nuncij.

An mentitus fuerit iste iuuenis, qui dixit, quòd occiderit Saulem. Quæst. V.

QVAERET aliquis, an mẽtitus fuerit iste. Respondent communiter omnes, ꝙ mentitus fuit, quia ipse non occidit Saulem, nec locutus fuit ei quicquam Saul, sed solũ armigero suo, vt patet præced. lib. cap. vlt. scilicet. Dixit Saul ad armigerũ suum: euagina gladium tuum, & percute me, ne forte veniant incircũcisi, & noluit armiger eius, arripuitque Saul gladium suum, & irruit super eum. Iste tamen dixit ꝙ occiderat Saulem, quia putabat in hoc se placere Dauid, cũ esset Saul hostis eius, sed non occiderat illum. Aliqui autem dicunt, ꝙ iste verum dixit: & quando dicitur, ꝙ Saul occidit seipsum: respondent ꝙ ipse incubuit gladio suo, & præ debilitate non potuit se occidere, tunc iste iuuenis occidit eum: & hoc videtur tenere Iosephus. 7. antiquitatum. Sed non potest stare, quia tunc oportebat, ꝙ iste iuuenis vocatus fuisset a Saule postquam incubuerat gladio, quod falsum est, quia mox, vt incumberet gladio, moreretur, quia perforarentur viscera eius, & caderet in terram: iste tamen iuuenis dixit, ꝙ quando vocauit eum Saul incumbebat super hastam suam, & nondum erat vulneratus gladio suo. Item præcedenti libro, capit. vltim. dicitur, quòd Saul iussit armigero suo, quòd occideret eum, & quia ille noluit, occidit seipsum, quod videns armiger eius etiam

etiam occidit seipsum, & sic non occidit se armiger Saulis quousque mortuus est Saul: non ergo permitteret, quòd eo viuente aliquis occideret Saulem. Vnde iste mentitus est dicendo, quòd illum occiderat. *Quoniam tenent me angustiæ* idest sum in amaritudine, quia appropinquant mihi currus, & equites, & non possum mortem euadere. Istud autem dixit ille iuuenis ad reddendum dictum suum verisimile, scilicet, quia non poterat occidi si posset mortem euadere. In hebræo habetur *Sauas* quod interprætatur angustia, vel ora vestimenti habens colores varios: & exponunt aliqui istud de sacerdotibus, qui habebant vestes cum oris variorum colorum, de quo Exo. 28. & ponitur ibi ista dictio, scilicet sauas, pro ora vestimenti: & est sensus ꝙ ora vestimenti tenebat Saulem, idest sacerdotes: ipse enim occiderat Sacerdotes domini, & deleuerat vrbem eorum, præceden. lib. cap. 22. & hoc iniustissimè: ideo videbatur sibi ꝙ propinquus morti videret sacerdotes domini accusantes eum in iudicio coram Deo, & ipse cõpellebatur respondere, ideo petiuit ab illo iuuene, ꝙ occideret eum, vt iret ad respondendum Sacerdotibus. Istud aũt non est contra verisimilitudinem, quia multis hominibus morti propinquis solent similia apparere: de quo latè Gregor. in 4. Dialog. non tamen fuit hoc, quia Saul non petiuit occidi, nisi vt Philisthini non occiderent eum illudentes illi. præce. lib. cap. vlt.

An Saul peccauerit, ab isto iuueni petendo, quòd occideret eum. Quæst. VI.

QVAERET aliquis an Saul peccauit petẽdo ab isto iuuene, ꝙ occideret eum. Respondendum est, ꝙ ista quæstio est inanis, scilicet quia præsupponit falsum, quasi verũ fuerit, ꝙ Saul petiuit occidi ab isto iuuene, sed falsum est, vt supra declaratum fuit. Semper tamen manet virtus quæstionis, quia licèt non petiuit Saul occidi ab isto iuuene, petiuit occidi ab armigero suo, præce. lib. cap. vlt. & primo Paralip. 10. Dicendum est, quòd Saul peccauit grauiter petendo occidi, nam in hoc desperauit, cùm debuisset potius sustinere mortem ab hostibus, quàm quòd peteret ab aliquo occidi, vel seipsum occidere: potissimè quia hoc proueniebat ex defectu cordis: nam reputabat durissimam mortem sustinere ab hostibus, & illusiones, quas ei infligerent. Et sicut est aliquis pusillanimis, & timidus, qui cedit doloribus, ita est pusillanimis, qui cedit angustijs, & non potest sustinere dedecus: & sic ex defectu virtutis se occidi petebat Saul.

Seipsum occidere grauius peccatum est quàm ab alio facere se occidere, licèt vtrumque grauissimum. Quæst. VII.

QVAERET aliquis, quid sit maius peccatum, quòd Saul occideret seipsum, vel ꝙ faceret, quòd alius eum occideret. Respondendum quòd vtrumque est peccatum graue, & quasi simile: quia sicut ille, qui seipsum occidit, præstat causalitatem morti suæ illam efficiendo: ita qui facit, quòd alius eum occidat, præstat causalitatem ei mouendo, & in vtroque ipse qui moritur, reducitur ad causam efficientem. Est tamen extensiuè maius peccatum, quòd quis faciat se occidi ab alio, eo quòd ipse peccat per iniquam voluntatem, volens vitam suam perdere: peccat etiam inducendo alium ad peccatum graue, scilicet, vt occidat eum sine causa. Videtur tamen maius peccatum intensiuè, quòd quis seipsum occidat, quàm quòd petat occidi, quia quanto aliquis magis agit contra naturam, tanto grauius peccat: scilicet, magis est contra naturam, quòd quis seipsum occidat, cùm sit naturale cuilibet animali potissimè curam habere de conseruanda vita, quàm si occidatur ab alio, quia tunc non ingerit sibi mortem ipsemet, sed alius: ideo magis horrendum, & grauius videbitur, quòd aliquis seipsum occidat, quàm quòd faciat occidi se ab alio. Hoc autem patuit in Saule: nam prius ipse petiuit ab armigero, quòd occideret eũ, & quia ille recusauit, ipsemet sibi manus ingessit. *Et adhuc tota anima mea in me est* idest, quamquàm sum in angustia, quòd non possum euadere mortem propter currus, & equites appropinquantes, & propter vulnera inflicta à sagittarijs ex quibus oportebat me aliquando mori, tamen tota anima mea in me est, idest adhuc non sum valde propinquus morti, ideo expedit, quòd me occidas, alioquin Philistini venientes occident me. Hoc autem dixit iuuenis Dauid ad se excusandum, quia posset dicere Dauid, cur occidisti Saulem, quia etiam ipse mortuus fuisset, si tu non occidisses eum antequàm venirent Philistini propter grauia vulnera sagittariorum. Ideo iste dixit, dixisse Saulem: tota anima mea in me est, idest, adhuc non sum nimis propinquus morti, quia nondum incepi emittere animam, sed tota in me est: ideo oportet ꝙ tu me occidas, alioquin occidar à Philistinis. Sciendum quòd iste modus loquendi est vulgaris, & grossus: putant enim quòd mors non sit in instanti, sed per successionem, quia experiuntur, quòd cùm aliquis est moriturus, prius infrigidantur partes extremæ corporis, scilicet pedes, & manus, & sic paulisper quousque moriatur, cùm autem incipiunt fieri istæ mutationes, dicunt quòd non est anima tota in corpore, quia iam à quibusdam partibus emissa est, scilicet ab illis, quæ infrigidatæ sunt, quia iam non habent sensum, nec calorem vitalem, nec motum, quę ad animam pertinẽt. cùm vero nulla istarum mutationum fit, dicitur tota anima esse in corpore: & sic dixit Saul, quòd non erat in eo propinquitas mortis, sed tota anima in corpore. *Stansque super eum occidi illum* idest steti altior illo, quia ipse incumbebat super hastam. *Et transfixi ipsum cum gladio*. In hoc mentitus est iuuenis, & causa mendacij supra posita est. *Sciebam enim quòd viuere non poterat post ruinam*. idest, occidi ipsum quia sciebam quòd iam non poterat viuere. Et dicitur post ruinam, idest postquam transfixerat se, vel ceciderat in terram, scilicet, quòd ipse ex vulnere suo moriturus erat, quamquàm ego non occiderem eũ: sed non ita velociter mortuus fuisset. Sic exponit Ra. Da. Kimhi. Sed falsum est, quia in hoc præsupponitur, quòd Saul iam se transfixerat gladio suo, & corruerat in terram, quando ista locutus est: sed falsum est, quia non potuisset loqui, si iam transuerberatus fuisset; præsertim quia iste iuuenis oppositum asserit, dicens, quòd Saul incumbebat super hastam suam. Ergo nondum corruerat in terram, sed exponendum est, quòd non poterat viuere post ruinam, idest post vulnera inflicta à sagittarijs: nam vulneratus fuerat ab eis vehementer, præced. lib. cap. vlt. Et vocatur ista vulneratio ruina, quia per eam cogebatur ad cadendum, & iam incipiebat cadere cùm incumberet super hastam suam. Posuit autem nuncius ad excusationem suam, quia poterat dicere Dauid, quòd iste malè occiderat Saulem: nam poterat viuere aliquo modo, si iste non occidisset eum: ideo iste respondet: sciebam enim quòd viuere non poterat post ruinam, & ob hoc occidi eum tanquam faciens ei gratiam, ne occideretur à Philisthinis. *Et tuli diadema quod erat in capite eius* idest quod esse consueuerat: nam tunc non habebat Saul diadema in capite, cùm non esset in

Contra nullgates credẽtes mortem non esse in instantia.

Universidad de Deusto
Biblioteca

apparatu regio, sed in pugna, & diadema caderet de capite, nec expediebat, quòd teneret illud, quia sic facilius occideretur, cùm cognosceretur ab hostibus. Sic enim fuit de rege Iosaphat, & Achab pugnãtibus contra Syros: nam Achab mutauit habitum, & ingressus est præsium. Iosaphat autem tenuit insignia regalia. Vnde Syri putantes eum regem Israel conuerterunt totum bellum in ipsum quousque ipse clamauit, quòd non erat rex Israel: vt patet sequ. lib. cap. vlt. *Et armillam de brachio illius.* idest accepi armillam, quæ consueuerat esse in brachio illius, vel quæ tunc erat. Facilius enim, & vtilius armillam portare poterat, quàm diadema. Erat enim armilla quoddam ornamentum dependens super brachium & armum, ideo dicitur armilla ab armo, idest spatula: portabatur tamen in brachio. Hoc ornamento vtebatur Saul tanquam regali insignio, sicut diademate: antiqui tamẽ, qui non erant reges vtebantur etiam armilla. Sic patet de Iuda filio Iacob: Gene. 38. ad quem dixit Thamar: anulum tuum, & armillam, & baculum, quem manu tenes da mihi.

Armilla qd

Quomodo iste iuuenis potuit accipere diadema, & armillam Saulis. Quæstio VIII.

QVAERET aliquis, quomodo iste iuuenis potuit accipere diadema, & armillam? Respondẽdum, quòd iste erat filius Doeg Idumæi, ille autem erat acceptissimus, & valde familiaris regis Sauli, scilicet primus inter seruos eius. præced. lib. cap. 22. & erat armiger illius, qui cùm videret occubuisse Saulem, vocauit istum iuuenem filium suum, & dedit ei diadema Saulis, & armillam iubens quòd ferret ea ad Dauid, & sic mereretur apud illum misericordiam. Habebat autẽ ista Doeg, quia erat familiaris Saulis: ipse autem non ausus est ire ad Dauid timens durissimos cruciatus: ideo videns occubuisse Saulem occidit se. præced. lib. cap. vlt. Si autem dicere velimus, quòd iste iuuenis nõ erat filius Doeg, dicetur quòd à casu venit in montẽ Gelboe, & reperiens mortuum Saulem, accepit diadema, & armillam, quæ habebat. *Et attuli ad te Dominum meum huc,* idest veni ad te in vrbem istam, quasi dicat: non credas, quòd ista insignia regalia ego pro me rapuerim, & à casu venerim in locum istum, sed accepi illa, vt ferrem ad te, quia non putaui alium dignum esse regalibus insignijs, nisi te dñm meum. *Apprehendens autem.* Hic ponitur secundum huius capitulum, scilicet actus lamentationis: & diuiditur in duo, quia primò ponitur planctus in generali, scilicet quędam cærimonię doloris, secundò planctus in speciali exprimendo verba luctuosa, ibi *Planxit autem.* Circa primum dicitur *Apprehendens autem Dauid vestimenta sua scidit,* idest, immediatè vt certificatus est Dauid de morte Saulis, scidit vestimenta sua in signum magni doloris, sicut supra declaratum est. *Omnesque viri, qui cum eo erant* idest, non solùm Dauid scidit vestes, sed etiam omnes viri eius, vt plangerent populum Dei, qui perierat in bello. Scindebantur autem istæ vestes per partem anteriorem à summo vsque ad deorsum. *Et planxerunt, & fleuerunt.* idest, manserunt in planctu, & fletu vsque ad vesperum. Ista duo idem videntur, sed ponuntur pro diuersis, nam flere solùm signat lachrymas emittere: plangere autem est dicere aliqua carmina super mortuos ad laudem ipsorum, vel ad signandum calamitatem ex morte eorum: sicut consueuit apud multas gentes esse, præsertim in funeribus virorum honorabilium: sic autem fuit planctus editus à Dauid de Saule, & Ionatha, qui infra habetur. *Et ieiunauerunt*

Plãctus Dauid pro morte Saulis, & Ionathæ.

vsque ad vesperam .i. non comederunt quicquam vsq; ad solis occasum. Iste. n. modus ieiunandi erat Iudæorum, quòd in die illa, qua ieiunabant, nihil comederẽt: vnde à vespera in vesperam. s. per 24. horas ieiunabãt. Dauid autem & viri sui non ieiunauerunt hic tanto tempore, sed solùm ieiunauerunt à tempore, quo nũciata est eis mors Saulis vsq; ad solis occasum, in quo incipiebat alia dies. *Super Saul, & super Ionatham filium eius* idest ieiunauerunt, & fleuerunt pro morte Saulis, & Ionathæ. *Et super populum Domini* idest super Israelitas qui corruerant in bello. *Et super domum Israel* idest super Israelitas manentes, qui infelices videbantur ex morte Saulis, & Ionathæ, & populi: vel aliter vocatur populus Domini ipsi sacerdotes, & domus Israel vocantur populares. De his omnibus perierunt aliqui in bello. Nam in veteri testamẽto sacerdotes ibant ad bella, & non incurrebant aliquàm irregularitatem propter effusionem sanguinis, vnde apud Iudæos sacerdotes fuerunt maximi bellatores, sicut patet in Iuda Machabæo, & fratribus suis, qui fuerunt Sacerdotes magni: vt patet per discursũ primi & secũdi libri Machab. Vocantur autem sacerdotes populus Dei, quia quamquàm totus Israel esset populus peculiaris Dei, vt patet Exo. 19. tamẽ sacerdotes specialiter pertinebant ad Deum, quia ipse elegerat eos in sortẽ suam. Nume. 18. & Deuter. 18. Et iste sensus est melior quàm primus, quia Dauid non plangebat pro viuentibus, sed pro mortuis. Etiam quia in littera dicitur, eo quòd corruissent gladio, idest propter hoc plangebãt quia occisi fuerant. Oportet igitur quòd tam populus Dei, quam domus Israel intelligatur de occisis in bello, scilicet de sacerdotibus, & popularibus. *Eo quòd corruissent gladio* idest propter hoc planxit Dauid, quia occisi fuerant ab hostibus defendendo terram suam.

Modus nãdi Iudæorum.

Quare Dauid, & amici sui ieiunauerunt pro mortuis. Quæstio IX.

QVAERET aliquis, quare Dauid, & viri sui ieiunauerunt pro occisis. Aliquis respõdebit, quòd ieiunauerunt ad remissionem peccatorum illorum, quia sicut consueuimus pro mortuis orationes fundere, & eleemosynas erogare, & quæcumque alia bona opera, ita Dauid, & viri sui ieiunauerunt pro remissione peccatorum istorũ. Sic enim fecit Iudas Machabæus, qui misit duodecim millia drachmas offerri in Hierusalem pro peccatis mortuorum in bello, cogitans q̃ per hoc alleuiarentur pœnæ illorum. Sic patet 2. Machab. ca. 12. Sed hoc non stat, quia in littera dicitur eo quòd corruissent gladio, idest non ieiunauerunt pro peccatis mortuorum, sed quia corruerant gladio, quasi dicat, si mortui fuissent morte naturali non tantum doluisset pro eis Dauid, vt ieiunaret: sed quia amara morte perierant, scilicet gladio, ad ostendendũ magnum dolorem, ieiunauit: patet etiam hoc, quia dicitur hic: & planxerunt, & fleuerũt, & ieiunauerunt. Ponuntur enim ista tria simul quasi similia sint, & ad eundem finem, sed planctus, & fletus erant ad indicandum dolorem: ideo ieiunium etiam erat solùm ad expressionem doloris. Vnde dicendum est, quòd quamquàm ieiunium secundùm se sit bonum opus, tamen non profuit ieiunium Dauid, & virorum suorum mortuis in bello, quia non fiebat ad hunc finem,

Quare

Quare ieiunauerunt vna die tantum. Quæst. X.

QVAERET aliquis, quare Dauid, & viri sui solùm ieiunauerunt vna die pro morte Saulis: nam viri Iabes Galaad pro ista eadem causa ieiunauerũt 7. diebus, præc. lib. cap. vlt. & 1. Paralip. 10. Respondendum est, quòd quando accidebat inter Iudæos aliqua similis calamitas ieiunabant, & flebant ad signandum nimium dolorem, solùm tamen ieiunabant vna die: quia illud ieiunium non erat ad hoc quòd per illud aliquid boni obtinerent, sed ad indicandum dolorem, ad quod ieiunium vnius diei sufficiebat. Sic enim Dauid ieiunauit pro morte Abner vsq; ad solis occasum, ad signandum dolorem, & vt non putaretur ipse conscius fuisse mortis eius, vt patet infra 3. Cùm autem dicitur de viris Iabes: dicendum quòd illi ieiunauerunt septem diebus: quod fuit speciale, quia voluerunt speciale dolorem exprimere pro morte Saulis: & hoc vt redderent vicem beneficio recepto à Saule. Viri quippe Iabes speciale beneficium receperant à Saule: nam in principio regni eius Rex Ammon obsederat viros Iabes, & volebat eis eruere oculos dextros, ipsi autem petierunt inducias septem dierum ad quærendum aliquem, qui defenderet eos. Saul vero vadens contra Ammonitas abstulit obsidionem vrbis, & egit stragem in illis. præced. lib. cap. 11. ad reddendum ergo vicem pro beneficio liberationis ieiunauerunt. 7. diebus pro morte eius, sicut petiuerãt inducias. 7. dierum ad liberationem factam per Saulem: nec solùm hoc fecerunt pro Saule, sed etiam exposuerunt se ad mortem, & introeuntes in terram Philisthinorum per noctem furati sunt corpora Saulis, & filiorum suorum, quæ suspensa erant in muro vrbis Bethsan, & ducentes illa in Iabes sepelierunt ibi. præced. lib. cap. vlt. & 1. Paralipom. 10. Danid autem non habebat aliquid, pro quo deberet specialem dolorem ostendere pro Saule, sicut viri Iabes, ideo solùm ieiunauit vna die. *Dixitque Dauid ad iuuenem, qui nunciabat ei.* Audierat Dauid à iuuene, quòd ipse occidisset Saulem, & pro hoc volebat occidere eum: ideo redijt nunc ad quærendum de morte Saulis, vt condemnaret iuuenẽ. *Vnde es tu?* Iam nouerat Dauid originem iuuenis, quia ipse supra dixerat, Amalecites sum: quæsiuit tamen nunc tanquam perturbatus, quia iam non recordabatur eorũ, quæ audierat præ amaritudine cordis. *Qui respondit, filius hominis aduenę Amalecitæ ego sum.* Aduenę vocabantur inter Hebræos illi, qui conuertebantur ad Iudaismum de Gentilitate: & dicuntur aduenæ quasi ad aliud venientes, scilicet, quia relicta gentilitate ad ritum Iudaicum veniebant: pater autem huius iuuenis origine Amalecita erat, sed postea conuersus est ad Iudaismum, & forte iste iuuenis natus fuit patre existente Iudæo: vnde iam melius vocabatur filius aduenæ Amalecitæ quàm Amalecita. Ra. Dauid Kimhi dixit, quòd iste iuuenis non vocauit se Amalecitam, sed filium aduenæ Amalecitæ; quia Dauid egerat stragem magnam in Amalecitis, qui succenderant Sicelegh. præceden. lib. capit. 30. Ideo timeret iste, quòd Dauid eum haberet exosum, si diceret se Amalecitam, & iuberet illum occidi. Sed hoc non stat, quia iste confessus est coram Dauid se esse Amalecitam, vt patet. §. s. Amalecites sum. Item quia si hoc intendisset iuuenis, non vocasset se filium aduenæ Amalecitæ, sed negasset originem suam dicens se filium alterius viri. Item quia si Dauid haberet exosum istum iuuenem, si diceret se Amalecitam, ita etiam haberet exosum eum si vocaret se filium Amalecitæ. Ideo dicendum quòd iste iuuenis non fecit differentiam, quòd vocaret se Amalecitam, vel filium aduenæ Amalecitæ, quia ista duo idem sunt. *Et ait ad eum Dauid.* Hic increpat eum, quia occidit Saulem. *Quare non timuisti mittere manum tuam, vt occideres Christum Domini?* Idest debueras timere occidere eum, quia illicitum valde erat, quòd aliquis occideret eum, præsertim cùm esset rex. Vocatur autem Christus Domini idest vnctus à Deo in regem: sic patet præced. lib. cap. 9. scilicet: hac ipsa hora, quæ nunc est, cras mittam ad te virum de terra Beniamin, idest Saulem, & vnges eum in ducẽ super populum meum Israel. & eo. li. c. 10. dicitur. Ecce vnxit te Dominus super hæreditatem suam in principem. Dauid autem hãbebat in magnam reuerentiam, quòd aliquis vnctus esset in regem à Deo, & ex hac causa putabat nimis illicitum esse, si quis mitteret manũ suam in eum, præced. li. c. 24. cùm viri Dauid orabant eum, vt occideret Saulem, & ipse dixit: non extendam manum meam in Dominum meum, quia Christus Domini est. & eo. li. c. 26. dicitur: Quis extendet manum suam in Christum Domini, & innocens erit? q. d. nullus potest licitè mittere manũ in eum: & hoc solùm quia Christus est: de quo latè declaratum est eo. li. c. 24. *Vocansque Dauid vnum de pueris suis.* Scilicet ad hoc, quòd occideret illum iuuenẽ interfectorem Saulis. *Ait, accedens irrue in eum.* Idest accede ad eum, & occide ipsum. *Qui percussit illum.* Scilicet durissimè ex mandato Dauid. *Et mortuus est.* Scilicet ex vulnere inflicto.

Viri Iabes iuare ieiunauerunt. 7. iebus pro aulis morte.

Iduenę qui icantur.

Impugnatio. R. Dauid.

An Dauid peccauerit occidendo iuuenem, qui dixit se occidisse Saulem. Quæstio. XI.

QVAERET aliquis, an peccauit Dauid iubendo occidi illum iuuenem. Aliquis respondebit quòd peccauit. Primò quia egit contra naturam. est enim inhumanum quòd benefactoribus noceamus. Dauid tamen nocuit benefactori, quia ille iuuenis desiderauerat seruire ei, & ob hoc attulit ei Diadema Saulis, & Armillam, quæ erant insignia regalia. Secundò peccauit, quia occidit eum, quem non poterat de iure. Aliquis dicet in contrarium, quòd licuit Dauid occidere illum iuuenem, quia cuilibet de regno Israel licitum erat pugnare pro rege suo, & occidere quemcumque volentem ei nocere: ideo quamquam iste iuuenis non occidisset Saulem, quia tamen ipse confessus fuit hoc, Dauid ipsum iustè occidit. Sed hoc non stat, quia non poterat Dauid ad vindicandã mortem Saulis quemquam occidere, vel vilnerare: nam vindicta non est permissa de iure, sed repulsio iniurię: & hoc quando repellitur incontinenti, quia postea intercedente mora, non vocatur repulsio iniuriæ, sed vindicta: ideo si in homine pro seipso illicita est vindicta, à fortiori erit illicita pro alterius iniuria. Respondendum est quòd Dauid non peccauit occidendo istum iuuenem, quia de iure potuit: erat enim Dauid habens iurisdictionem, quia post mortem Saulis sciebat regnum ad se pertinere ex dispositione Dei: regnum autem continet iurisdictionem, ideo poterat ex officio suo punire delinquentes: sed iste iuuenis grauiter se peccasse cõfessus fuerat, ideo poterat eum iustè occidere. Sed aliquis dicet, quòd Dauid non egit istud, vt iudex, alioquin seruasset ordinem iuris, sed nihil seruauit, solùm iubens occidi illum iuuenem, ideo non egit vt iudex, sed magis vt persona priuata in vindictam mortis Saulis. Respondendum est, quòd Dauid egit hoc vt iudex. Et cùm dicitur quòd non seruauit ordinem iuris. Dicendum quòd seruauit, quoniam istud delictum erat notorium per confessionem

Prima ratio.

Secunda ratio.

Decisio quæstiõis.

sionem spontaneam partis: ideo nullo alio præcedente poterat sententiare. Et si obijciatur, quòd in notorijs requiritur citatio ad sententiam. Respondendum, quòd in hoc non fuit necessaria, quia citatio in notorijs est ad hoc, quòd delinquens veniat ad audiendum sententiam, sed iste inuenis erat coram iudice, coram quo confessus est delictum, ideo non oportebat eum citari. Ad rationes in contrarium respondetur. Ad primam cùm dicitur, quòd Dauid egit contra naturam, quia nocuit benefacienti. Dicendum quòd nocere benefacienti peccatum est, si nulla causa subsit: si tamen aliquid subest propter quod ei nocere debeamus, non solùm non est peccatum nocere ei, sed etiam est virtutis actus: sicut in iudice, cui quamquam aliqui benefecerint, & amici eius sint, si tamen delinquerint, debet eos punire, alioquin peccat. Sic fuit in Dauid: nam ipse susceperat in gratiam insignia regalia, quæ attulit ei ille iuuenis, & benefecisset ei, nisi confessus fuisset illud delictum: audito tamen eo non poterat Dauid, nisi contra conscientiam donare vitam ei: occidit ergo ipsum, quamquam de hoc doleret. Aliter potest dici, quòd Dauid non nocuit illi iuueni, quia nocere est alicui damnum, vel iniuriam inferre. Dauid autem non intulit damnum vel iniuriam illi, quia nemini agit iniuriam, qui vtitur iure suo. Dauid autem vtebatur iure suo condemnando delinquentem cùm esset iudex, ideo non nocuit illi iuueni. Ad secundam rationem, cùm dicitur quòd Dauid nō poterat de iure occidere istum. Dicendum quòd est falsum, quia licèt non posset occidere illum prosequendo iniuriam Saulis, vt persona priuata, poterat illum occidere vt iudex, & sic egit. *Et ait ad eum Dauid.* ideſt ad iuuenem. Hoc intelligitur antequam occideretur: est tamen in littera recapitulatio verborum, sicut sæpe sit in scriptura. *Sanguis tuus super caput tuum.* Ideſt pœna pro effusione sanguis tui solùm sit super te. Est sensus quòd quando aliquis iniustè occiditur, pro morte illius infligitur pœna alicui, siue per Deum siue per homines: cùm verò iustè occiditur, in ipso est pœna solùm, & nemo alius punitur, quòd autem aliquis puniatur pro morte alterius, est quòd veniat sanguis illius super eum: & isto modo locutus est Christus Matth. 23. scilicet: Vt veniat sup vos omnis sanguis iustus, qui effusus est super terram, ideſt, vt veniat super vos pœna pro omni sanguine iusto iniustè effuso. sic etiam Iudei dixerunt Matth. 27. Sāguis eius super nos, & super filios nostros, ideſt si aliqua pœna debet venire pro effusione sanguinis huius, veniat super nos, & super filios nostros. Cùm autem pro morte alicuius nulli alteri pœna infligitur, sanguis illius venit super eum solum, siue super caput suum, & quia Dauid iustè occiderat istum iuuenem, dixit quòd sanguis illius veniret super caput eius. *Os enim tuum locutum est aduersum te.* Ideſt, iustè te occido, quia tu confessus es contra te, ideo sanguis tuus solùm veniet super caput tuum, & non super nos. *Dicens, ego interfeci Christum Domini.* Ideſt interfeci regem vnctum à Deo, pro quo tibi mors iustè inflicta est. *Planxit autem.* Hic ponitur planctus in speciali, scilicet verba, quæ Dauid expressit in carmine, & dicitur. *Planxit autem Dauid planctum huiusce modi.* Ideſt protulit ista verba planctus, quæ sequuntur. *Super Saul, & super Ionatham filium eius.* Non solùm fuit planctus iste pro Saule, & Ionatha, sed etiam pro populo. Sic patet supra, scilicet, & planxerunt, & fleuerunt super Saul, & Ionatham filium eius, & super populum Domini, & domum Israel. Dicitur tamen special ter super Saulem, & Ionatham propter duo. Primò quia isti erant principales. Secūdo quia quamquam planctus pro omnibus fiat, tamen verba planctus magis dirigūtur ad Saulem, & Ionatham, quàm ad populum: & magis ad Ionatham, quàm ad Saulem, quia Dauid magis diligebat Ionatham, quàm Saulem.

Citatio quare debetur in notorijs.

Ad primam rationem.

Ad secundam.

Quomodo Dauid fecit istum planctum, an per artem oratoriam, vel spiritum propheticum. Quæstio. XII.

QVAERET aliquis, quomodo Dauid fecit istum planctum. Respondendum est, q̄ Dauid erat peritus in arte dicendi, quæ est oratoris, & sciebat cōponere Psalmos, & Hymnos. Habuerat namq; per Dei infusionem spiritum propheticum in compositione Psalmorum: vnde non solùm quantum ad laudem Dei eloquenter dicere sciebat, sed etiam quantum ad secularia, habens in omnibus copiam, & ornatum dicendi cum pondere sententiarum: & ita fecit istum planctum pulchrum, qui lege metrica factus creditur: quamquam in sermone Latino non potuit plenas mensuras seruare metrorum: sicut fit in lamentationibus Ieremiæ, quæ vario metrorum pede procedūt, vt ait Hieron. in prologo galeato: apud nos tamen nulla lex metrorum in eis est. Fecit quoque Dauid alium planctum quamquam minorem super Abner, de quo infra tertio. *Et præcepit, vt docerent filios Iuda arcum.* Ideſt, præcepit, vt erudirent filios Iuda in arte sagittaria. Dicit Rabanus, q̄ quia Philisthini sagittarij sunt, & hac arte Saulem interfecerunt: eandem artem vult Israelitas discere. Vel præcepit, vt reges Iuda docerent fortitudinem, scilicet vt fortes, & intenti essent in timore Domini, ne perirēt sicut Saul. Sensus autem est quòd cū Dauid sciuit Saulem mortuum, vidit quòd tota spes Israelitarum defendendi eos à Philisthinis pendebat in filijs Iuda, quia iam non manebat aliquis de stirpe regia in tribu Beniamin, qui posset liberare Israelitas de manu Philisthinorū: ideo filij Iuda debebant erudiri in arte sagittaria, & omni exercitatione armorum, vt possent resistere Philisthinis. In quibusdam libris nostris habetur. *Præcepit, vt erudirent filios Iuda planctum.* Sed corrupta litera est, quia in Hebræo habetur arcus: ratio autem mutationis fuit, quia hic agebatur de planctu. *Sicut scriptum est in libro iustorum.* Ideſt in libro illo, qui sic vocatur scriptum est, quòd filij Iuda deberent erudiri in arcu.

Liber iustorum quis dicatur. Quæstio. XIII.

QVAERET aliquis, quis est liber iustorū. Quidam dicunt, quòd est liber regum: & vocatur liber iustorum, quia in eo scribuntur prophetæ iusti. scilicet Natham, Samuel, & Gad. Sed hoc non stat, quia tunc idem liber allegaret seipsum, quod est absurdum. Alij dicunt quòd liber iustorum est liber Gen. eo quòd ibi agitur de viris iustis, scilicet de Abraham, Isaac, & Iacob, & in eo ponitur de arte sagittaria, q̄ vtilis sit: quia dicitur Gen. 48. quòd Iacob abstulit agrū de manu Amorrei in gladio, & arcu suo. Sed etiam hoc non stat, quamquam illud teneat Ra. Sa. quia hic dicitur quòd in libro iustorum scriptum est, q̄ præcepit Dauid quòd docerent filios Iuda arcum: & tunc ea non habetur hoc in Gen. Dicendum igitur quòd iste liber iustorum fuit quidam liber cōtinens bella Israelitarum, & multa de his, quæ habentur in sacra scriptura: & iste liber fuit propheticè scriptus, & nimiæ auctoritatis: quod patet, quia aliàs sacra scriptura non allegaret eum, cùm contineat irrefragabilem auctoritatem: allegatur tamen hic, & Iosue. 10. vnde creditur liber

Respō auctoris

liber iste scriptus à Moyse, & quòd propheticè prænunciauit in illo multos de principalibus euentibus futuris tempore Iudæorum. vnde ibi scriptum erat de statione solis tempore Iosue, quamquam nondum accidisset, de quo Iosue. 10. Erat quoque scriptū istud quod iussit Dauid, scilicet, quòd filij Iuda erudirentur in arcum, & multa alia, quæ non allegarentur in scriptura, nisi fuissent scripta ab aliquo propheta viro magnæ auctoritatis. Erant autē in isto lib. descripti euentus temporum obscurè, ita vt non intelligerentur vt in plurimum quousq; acciderent, & tunc cognoscebatur, quòd illud significaret scriptura. Sic enim est liber Apocalypsis apud nos, quæ principalissimas mutationes futuras in Ecclesia vsq; ad finem sęculi prænunciauit, sed ita obscurus est, vt multa nō intelligantur, nisi postquam acciderint, nos voluerimus applicare scripturā ad illa facta. Iste autem liber iustorum non habetur nunc apud Iudęos, nec vnquam fuit post Christi passionem: quòd accidit, quia fortè cōbustus est cum alijs libris, quos combusserunt Caldæi, quando vastauerūt Ierosolymam: sic enim dicit Rabanus, & Glo. ordinaria, scilicet, librum iustorum nunquam reperiri asseuerant, sicut librum bellorum Domini, cuius in libro Numerorum mētio fit, & carmina Salomonis, & disputatio eius de natura lignorum, herbarum, & iumentorum, volucrum, reptiliū, piscium. Et quòd in libro verborum dierum dicitur: reliqua verò operum Salomonis primorū, & nouissimorum scripta sunt in libris Nathan prophetę, & Ahię Silonitis. In visione quoq; Abdo vidētis contra Hieroboam filium Nabat: & multa volumina huiusmodi, quæ scriptura fuisse probat, sed nō esse hodie constat. Alio modo dici potest, quòd iste liber quamquam fuerit magnæ auctoritatis, tamen Iudæi eum de suo Canone amputauerunt: eo quòd fortè hæreticorum prauitate corruptus erat: sic enim patet de libro iusti Henoch qui fuit valde magnæ auctoritatis: vnde allegatur in Epistola Iudæ: dicit tamen Aug. 14. de Ciui. Dei: quòd iste liber erat prius in Canone Iudæorum, sed quia hæretici eum deprauauerant, Iudæi eum de libris authenticis expulerunt. Alij autem volunt quòd liber iustorum non sit aliquis liber, sed dicunt quòd accipitur iustorum neutraliter ideſt liber iurium: & est sensus quòd Dauid præcepit quòd docerent filios Iuda arcum, sicut scriptum est in libro iustorum, ideſt ita præcepit obseruari quòd erudirentur filij Iuda in arcu, sicut obseruari debent ea, quæ scripta sunt in libro iustorum, ideſt in libro iuris: sed iste sensus est nimis alienus, ideo tenēdum est id quod supra diximus.

Quid de libro iustorū istum sit.

Planctus Dauid.

Et ait, cōsidera Israel. Istud est principium planctus Dauid, in quo primò inducit populum Israel ad dolendum pro occisis in bello, & est sensus. *Considera Israel pro ijs, qui mortui sunt.* Ideſt considera, & dole pro ijs, qui mortui sunt pro te. Rabanus, & Glo. ordina. dicunt: considera Israel, qui remansisti pro qua culpa interfecti sunt, & præcaue, ne & tu in eorum scelere pereas. Vel considera quam glorioſi fuerunt, qui pro tua libertate interfecti sunt. *Vulnerati super excelsa tua.* Ideſt vulnerati sunt filij tui super excelsa, ideſt super montes: nam in monte Gelboe fuit ista pugna. præced. lib. c. vlt. In Hebræo est ista littera decurtata, & dicitur. *O pulchritudo Israel super ex. Isa tua occisus.* Et istud est totum, quod cōtinet litera nostra ab illo loco: considera Israel, vsque ad illum locum: quomodo ceciderunt. Litera tamen Hebraica est decurtata, & barbara, ideo litera nostra magis eam hic exposuit, quàm transtulit: nam quia dicitur in Hebræo. O. quod est aduerbium vocatiuum & incitatiuum: dixit litera nostra, considera Israel, quia istud inducit attentionem, & excitationem: & quia ista excitatio erat ad aliquid, de quo agitur in proposito, scilicet de mortuis in bello. dixit litera nostra, considera Israel pro ijs, qui mortui sunt, & quia dicitur in Hebræo: Pulchritudo Israel super excelsa tua occisus. dixit litera nostra: Inclyti Israel super montes tuos interfecti sunt, quia Inclyti sunt glorioſi, & isti vocantur pulchritudo. Vnde si litera Hebraica non esset barbara, quamquam esset detruncata, deberet dici. O pulchritudo Israel super excelsa tua occisa est, ideſt. O Israel attende, quia pulchritudo tua, ideſt viri excellentes occisi sunt super montes tuos. *Inclyti Israel super montes tuos interfecti sunt.* Ideſt Saul & Ionathas, qui erāt Inclyti, occisi sunt super montes Gelboe: cum eis quoque alij viri Inclyti de Israel. Nam illi, qui fortiores animo erant, manētes occisi sunt à Philisthinis: q̄ vero timidi: in primo belli strepitu fugerant, & saluati sunt. *Quomodo ceciderunt fortes.* Potest legi admiratiuè, scilicet, quomodo illi, qui erant fortes potuerūt cadere in bello. Dicit hoc pro Saule, & Ionatha principaliter, qui erant fortissimi: nam dicitur infra, quòd erant Aquilis velociores, & Leonibus fortiores. Vel potest legi per modum planctus, & doloris scilicet, ò quomodo ceciderunt fortes, ideſt quanta calamitas fuit in morte fortium, & quantum nobis pro illis dolendum est. *Nolite annunciare in Geth.* Ideſt non annuncietis calamitatē istam, quæ nobis euenit, in ciuitate Geth; quia ex hoc gaudebunt hostes nostri, & erit nobis fortior tribulatio. *Nec annuncietis in compitis Ascalonis.* Ideſt, etiam non annuncietis aduersitatem nostram in callibus vrbis Ascalonis, quia eodem modo gaudebunt hostes nostri. Sciendum autem quòd hic tangit Dauid duas Ciuitates Metropolitanas terræ Philisthinorum: sunt enim in terra illa multæ vrbes, sed solæ quinque sunt præcipuæ, quæ vocantur vrbes prouinciales, ideſt, capita prouinciarum, scilicet Acharon, Gaza, Azotus, Geth, Aschalon: vt patet præced. lib. cap. 6. Istæ quinq; habebant quinque reges, per quos diuiditur tota terra Philisthinorum, vt patet Iosue 13. & isti vocantur aliquando Satrapæ Philisthinorum: præced. lib. cap. 5. Istæ quinque ciuitates obtulerunt quinque aureos anos, & mures quando reduxerunt arcam Domini in terram Israel. præceden. lib. cap. 6. Omnes habitatores harum quinque ciuitatum erant hostes Israelitarum, ideo nolebat Dauid aduersitatem suam annunciari in aliqua harum vrbium: dixit tamen solùm de vrbe Geth, & de Ascalone, per quas intelligit reliquas. Est enim Geth Ciuitas, in qua dominabatur Achis Rex, qui susceperat Dauid fugitiuum de terra Israel ad se venientem, & dederat ei Siceleg ad habitandum, præceden. lib. c. 27. Aschalon est alia de his quinque Ciuitatibus. Et dicitur in compitis Ascalonis, ideſt in concursu callium. Solent enim homines magis conuenire in concursu callium, quàm in alijs locis, & ibi referunt temporum accidentia. In his compitis nolebat Dauid enarrari aduersitatem Israel, quia sic nimis publicaretur. *Ne fortè lętentur filiæ Philisthiim.* Ideſt non annuncientur ista in vrbibus Philisthinorum, ne lætentur de aduersitate nostra filiæ eorum. Non solùm autem filiæ Philisthinorum lætarentur audiendo ista, sed etiam Philisthini. Dixit tamen specialiter de filiabus propter duo. Primò quia mulleres maiora gaudia exterius ostendere solent pro his rebus, quàm viri, & facere choreas, & cantilenas de his. Sic enim fuit quando prævalentibus Israelitis contra Philistinos occubuit Goliath; nam cùm ferretur caput eius in Ierusalem, fœminæ egressæ obuiam Sauli ducebant choros, & canebant, dicentes: percussit Saul mille, & Dauid decem millia. præceden. lib. c. 18. Secundò dicitur de gaudio mulierum, quia ex annunciatione ista facta in terra Philisthinorum, gaudium videbatur pertinere ad

Dauid dixit, ne filiæ Philistinorū lætentur, & non nominauit filios propter duo.

Universidad de Deusto
Biblioteca

re ad solas fœminas, eo quòd nouiter peruenieba[t] ad earum notitiam: viri autem iuerant ad bellum, & ibi ista videntes lætati fuerant, ita vt iam ex annunciationibus non videretur eis nouum euenire gaudium. *Ne exultent filię incircunciſorum.* Ista est repetitio sententiæ superioris ad modum carminum, & operum rhetoricorum, in quibus eadem sententia sæpe per diuersa verba iteratur, & maximè conuenit hoc in operibus passionalibus, quia ista exaggeratio sententiarum nimis potenter mouet animos. Vocantur autem filiæ incircunciſorum filiæ Philisthinorum, quia Philisthini incircunciſi sunt.

Quare Dauid dixit, quòd mors Saulis non reuelaretur in Geth: hoc enim notum erat omnibus Philisthinis.
Queſtio. XIIII.

QVAERET aliquis, quomodo Dauid dixit: nolite annunciare in Geth: quoniam iam ista annunciata erant in tota terra Philisthinorum, nec poterat istud celari Philisthinis, quia ipsimet fecerãt istam stragem in Israelitas: potissimè quia ad magnificandũ victoriam suam, fecerũt duci caput Saulis per totam terram Philistinorum, posueruntq; arma eius in templo Astaroth, corpus autem eius, & filiorum suorum suspenderunt de muro Bethsan. præceden. li. c. vlti. & 1. Parali. 10. Respondendum est, quòd Dauid satis sciebat impossibile esse celari Philisthinis, nec dicebat istud, vt iubens, vel consulens, sed solùm loquebatur ex affectione, scilicet, nolite annunciare in Geth. i. O vtinam nunquam annunciaretur calamitas nostra in Geth, nec in alijs Philisthinorum vrbibus, ne gauderent super malo Iudæorum. Vel dicta fuerũt ista verba per modum hominis dolentis, & plangentis: nam huiusmodi solent petere ea, quæ sunt irrationabilia, & impossibilia.

Quomodo Dauid ausus est facere planctum pro Saule in terra Philistinorum. Quæstio. XV.

QVAERET aliquis, quomodo Dauid ausus est facere planctum istum in terra Philistinorum: nam ipse erat tunc in Siceleg, quando planxit, in quo videbatur præiudicare Philisthinis dupliciter. Primò quia ipse faciebat publicum planctum de eo, de quo tota terra Philisthinorum lætabatur: qui autẽ sic agit videtur hostis publicus. Secundò Dauid ostendebat fictionem suam: nam ipse iuerat in bellum cum Philisthinis contra Israel, inuens, quòd multa facturus esset contra Israelitas. præceden. lib. c. 28. cùm autem nunc plangeret casum Israelitarum, videtur q̃ magis gauisus fuisset, si, vincentibus Israelitis, corruissent Philisthini. Item ostẽdebat se falsa dixisse regi Achis: nam toto tempore, quo fuit cum eo, dicebat quòd agebat prædas, & cædes in Israelitas. præceden. li. c. 27. Non stabat autem verisimile, quòd quis in illos gaudenter prædas, & strages exerceat, quos prostratos ab hostibus amarissimo luctu deflet. Apparebat igitur in hoc fictio Dauid, quam hactenus tenuerat: ex quo suspectus esset Philisthinis, & nimis timere deberet, q̃ aliquid malum pateretur ab eis. Respondendum est, quòd Dauid non ausus fuisset facere istum planctum præsentibus regibus Philisthinorum: nunc tamẽ egit propter duo. Primò quia nullus Philisthinus hoc videbat, cùm ipse & viri sui soli manerent in vrbe Siceleg, quam Dauid sibi elegerat, vt posset facere quicquid vellet, ignorantibus Philisthinis. Secundò ausus est, quia quando Dauid fecit istum planctum, non-

dum redierant Philisthini de bello: vnde non poterãt occidere eum, quamquàm istud nossent, cum ipse recessurus esset immediatè in terram Israel, sicut fecit seq. c. Ideo iam nec timuit, nec erubuit apparere contrarius Philisthinis, quia non erat mansurus amplius in terra eorum. *Montes Gelboe.* Hic conuertitur Dauid ad plangendum super montes Gelboe, quia in ipsis fuit bellum, in quo perierunt Israelitæ: & vocantur aliquando montes pluraliter, & aliquando vocatur mons Gelboe, vt patet supra in litera. ſ. Casu veni in montẽ Gelboe: & fortè vocantur mõtes propter multas partes, & colles illius montis. Est autem mons Gelboe in sorte Iudæ apud vrbem Iezrael distans vno milliario, & duobus milliarijs ab hoc monte distat ciuitas Bethsan, quæ postea Nicopolis appellata est, in qua suspenderunt Philisthini corpora Saulis, & filiorum eius, vt patet in libro de Situ terræ sanctæ. *Neque ros, neq; pluuia veniant super vos.* Videtur imprecari Dauid mala istis montibus, quia ibi corruerunt Israelitæ: maximum autem malum, quòd potest alicui terræ euenire est sterilitas, & ista erit si nũquam in terra pluat, ideo petiuit Dauid quòd ros, & pluuia non venirent super montem Gelboe. *Nec sint agri primitiarum.* Idest, nunquam ibi possint esse agri, de quibus colligantur primitiæ fructuum: vocantur autem primitiæ primi fructus, & isti offerebantur domino in terra Israel: orat autem Dauid, quòd nunquam amplius sint ibi fructus, de quibus Deo proueniant primitiæ: vel vocãtur primitiæ fructuum, idest fructus electi, & optimi: nam secundùm modum loquendi Hebraicum, omnia illa, quæ meliora, & electa sunt primitiæ appellantur, & sic vocantur primitiæ de auro, & argento, purpura, & bisso, & pilis caprarum. Exo. 25. & 35. Et est sensus, non sint ibi agri primitiarum, idest non nascantur ibi fructus pulchri, qui vocantur primitiæ. *Quia ibi abiectus est clypeus fortium.* Idest in monte isto succubuerunt illi, qui fortes erãt, non potentes se defendere. Et dicitur clypeus, & non ensis, vel lancea, quia clypeus pertinet ad arma defensiua: & fortes Israel ibi non solùm non potuerunt prævalere contra Philisthinos, sed etiam nequiuerũt se ab eis defendere: nominatur autem clypeus propter Saulem, quia ipse excellens erant in pugna, quæ fit in clypeo, & hasta.

An peccauerit Dauid maledicendo montibus Gelboe.
Quæſt. XVI.

QVAERET aliquis, an peccauit Dauid maledicendo montibus Gelboe. Aliquis respondebit, quòd non: quia similiter fecit Christus de quadam Ficulnea, ad quã ipse iuit, vt colligeret inde ficus, in qua nihil reperijt, nisi folia & maledixit ei dicens: nũquam nascantur fructus ex te in æternum: & continuò arefacta est Ficulnea. Matth. 21. In contrarium videtur quòd peccauerit, quia omnis creatura Dei bona est. Gen. 1. qui tamen maledicit bono, dicit bonum esse malum, vel vult bonum esse malum, & hoc peccatum est, & magna pœna pro hoc infligitur: vt patet Isa. 5. ſ. Væ qui dicitis bonum malum, & malum bonum; ponentes lucem tenebras, & tenebras lucem: ergo Dauid peccauit maledicendo montibus. Respondendum est, quòd maledicere est mala imprecari, siue per imprecationem illam efficaciter malum infligatur, siue solùm per modum orationis, siue nullo modo. Primum est in maledictione Dei, quia cùm Deus alicui maledicit: non solùm malum dicit, sed etiam malum infligit, sicut fuit in Christo maledicẽte Ficulneam, quæ mox arefacta est. Secundus, & tertius

tius modus ad homines pertinent, quos maledicentes Deus interdum exaudit, infligendo quod imprecantur, & interdum exaudire non vult. Circa hoc est vna conclusio, quòd non licet alicui homini maledicere vlli rei animatæ, vel inanimatæ, si nulla causa subsit, quoniam maledicere de se actus malus est, & pœnam inducens, ideo nulli licet sine causa, sed peccabit mortaliter quicumque maledixerit alicui rei nõ subsistente causa; nisi hoc iocosè dicat, vel ex læuitate quadam & assuetudine non habens animum maledicendi: & est istud malum in duobus: primò quia maledicendo actum malum exercemus, secũdò quia sine causa alicui rei nocere desideramus. Secũda conclusio sit, quòd quando causa subest ad maledicendum, non licet maledicere, nisi fortè hoc in iure cautum sit, vel Deus aliquem ad hoc mouerit. De primo patet in excõmunicationibus, quoniam Ecclesia imprecatur maledictionem super eos, qui persistunt in contumacia nolentes obedire Ecclesiasticis præceptis: vnde prælati imprecantur super eos nomine totius Ecclesiæ maledictionem, sicut super ciuitates Sodomorum, & multa alia genera malorum. De secundo patet exemplum: vt si in aliqua terra præiudicetur alicui viro sancto, & Deus incitet illum ad maledicẽdum illi genti, vt aliquid in pœuam eis eueniat, licet illi maledicere, & Deus illum exaudiet. Sic enim legitur de aliquibus gentibus, qui vsque hodie patiuntur aliquam ignominiam, & damna propter maledictiones sanctorum virorum super eos. Si tamen aliquis suscipiat iniuriam ab aliquo viro, vel populo, non licet ei maledicere illi, nisi Deus eũ ad hoc mouerit, alioquin mortaliter peccat vindictam quærens contra Apostolum ad Ro. 12. Benedicite persequentibus vos, benedicite, & nolite maledicere. Et iterum ibidem: Non vosmetipsos defendẽtes, sed dantes locum iræ. Quia autem maledicere sit illicitum, etiam causa subeunte patet in Epistola Iudæ, qui nimis increpat maledicos, & subdit ibi, quòd cùm Michael Archangelus cum Diabolo disputans altercaretur de Moysi corpore, non est ausus iudicium inferre blasphemiæ, sed dixit: Imperet tibi Dominus Satan: & tamen Michael habebat causam maledicendi Satan cùm repugnaret ei contra voluntatem Dei. Nunc autem de Dauid dicendum est, quòd non licebat ei maledicere mõtibus Gelboe. Primò, quia non habebat aliquam causam, nam montes nihil peccauerunt, vt maledicerentur: ipsi enim non fuerunt causa mortis Israelitarum, sed scelera sua, & quia Deus voluit tradere eos in manus Philisthinorum. Secundò non licebat maledicere montibus, quia in hoc præiudicabat habitatoribus terræ illius, qui habebant agros in monte Gelboe, & sine culpa sua non erant puniendi. Dauid tamen non peccauit, quia non maledixit montibus: non enim habuit intentionem, quòd sic eueniret montibus, vt ipse loquebatur, sed ex amaritudine cordis, & ad exprimendum dolorem ista dicebat: huiusmodi autem dolentes multa dicunt, quæ nollent euenire, sed dolor impellit ad loquendum. Cùm autem arguitur de Christo, quòd maledixerit Ficulneæ, & arefacta est. Dicendum quòd non est simile, quia Christus Deus erat, & licebat ei quidquid vellet in creaturis suis. Aliter dici potest, quòd non est simile, quia Christus maledixit Ficulneæ habens causam: Dauid autem nõ habebat aliquam causam maledicendi montibus. Causa autem ad maledicẽdum Ficulneæ duplex fuit. Prima ad signandum infructuositatem Phariſæorũ: nam Christus vtebatur parabolis in eis, quæ loquebatur, & similitudinibus quibusdam in eis, quæ faciebat, sicut faciebant Prophetæ: nam Isaias ambulauit nudus, & discalciatus tribus diebus per Ierusalem, ad si-

gnificandum captiuitatem trium annorum. Isa. 20. Ieremias quoque prophetans captiuitatem Iudæorũ, & aliarum gentium posuit catenas ligneas in collo suo portans per vrbem Ierusalem, Iere. 27. Ita Christus volens significare infructuositatem Phariſæorum iuit ad Ficulneam, quæ sola folia habebat, & maledixit ei, signans quomodo maledicẽdi essent Iudæi pro incredulitate. Causa secunda maledictionis Ficulneæ fuit ad erudiendum discipulos in fide: volebat enim Christus eos firmare in fide, & spe, vt confidenter peterent quidquid peterent, vt patet Matth. 21. cũ subditur, quòd discipuli admirati sunt, dicentes; quomodo continuo aruit? Quibus Christus ait: Amen dico vobis, si habueritis fidem, & non hæsitaueritis, non solùm de Ficulnea facietis, sed & si dixeritis huic monti, tolle, & iacta te in mare, fiet: Christus igitur iustè maledixit, sed non Dauid. Sciendum autem, quòd quamquàm Dauid non habuit intentionem maledicendi montibus Gelboe, tamen quidam asserunt maledictionem fuisse completam. Vnde Rabanus, & Glosa ordinaria dicunt: montes Gelboe vberrimi ante maledictionem fuerunt: quos hactenus maledictioni subiectos fuerunt, nec vnquã pluere ibi testantur. Historia quoque scholastica, & Andreas dicunt quosdam dicere prophetiam istam fuisse impletam tempore Eliæ. Alij dicunt: in cacumine montis Gelboe, nec ante, nec post pluisse: Dauid tamen hoc per maledictionem confirmauit. Sed non est verum, quia scimus homines esse, super quos in eodem monte pluit. *Clypeus Saul quaſi non eſſet vnctus oleo.* Ista litera potest dupliciter legi. Vno modo continuando cum seq. ſ. à sanguine interfectorum: & est sensus clypeus Saul abiectus fuit in monte Gelboe, tamen ille erat famosus, quia Saul habens illum occiderat multos viros fortes, de quorum sanguine, & adipibus erat ita impinguatus, quasi non esset vnctus oleo, idest non apparebat, quòd vnctus fuisset oleo propter pinguedinem adipum, & sanguinem superfusum in alijs bellis, in quibus vicerat Saul: & iste sensus est secundum literam nostram, in qua incipit versus ibi: Sagitta Ionathæ. Aliter potest exponi non continuando istud literæ sequenti, scilicet, Clypeus Saul tanquam non esset vnctus oleo, idest ita turpiter abiectus fuit in bello cum clypeis aliorum seruorum suorum, quasi non esset vnctus oleo, idest quasi non haberet aliquam excellentiam inter cæteros propter vnctionem olei: & iste sensus est secundùm literam hebraicam, in qua incipit uersus ibi: A sanguine interfectorum: & iste sensus est melior, quia litera nostra non est hic bene punctuata, quod fortè accidit imperitia librariorum.

Clypeus Saulis quomodo dicitur vnctus oleo.
Quæſtio XVII.

QVAERET aliquis, quomodo Clypeus Saulis dicitur unctus oleo. Respondet Ra. Sa. quòd consueuerant Iudæi ungere Clypeos oleo ad bellum, ut sic facilius eliderent ictus hostiles: nam oleum, & quæcumque pinguedo elabi res facit. Sed istud non conuenit, quia tunc non magis diceretur de Clypeo Saulis, quòd erat unctus oleo, quam de Clypeis aliorum Israelitarum: specialiter tamen dicitur de Clypeo Saulis tanquam nullus alius esset unctus oleo. Item accipiendo sic unctionem non conuenit literæ, quia intendit ista litera dicere, quòd quamquàm clypeus Saulis oleo unctus esset, uiliter abiectus est tanquam nihil profuerit ei unctio, si tamen ungerentur clypei ad bellum, multi alij uncti essent, & non haberet in hoc aliquam excellentiam clypeus Saulis. Di-

R. Salomõ impugnatur.

cendum

Universidad de Deusto
Biblioteca

cendum igitur, quòd ista vnctio clypei erat aliquid speciale, & nullus clypeus in toto Israel erat vnctus oleo, nisi clypeus Saulis, & istud erat ad significādum regiam excellentiam. Nam sicut ipse Saul factus est Rex per effusionem olei super caput. præced. li. c. 10. & nullus de populo sic vngebatur, ita clypeus suus vnctus est oleo isto, & nullus alius de toto populo, in quo notabatur magna excellentia: & quia ille ita turpiter abiectus est in bello, ac si nullam haberet excellentiam, plangit Dauid quòd abiectus est, quasi non esset vnctus oleo, ideſt quasi non haberet aliquam dignitatem. *A sanguine fortium.* Secundùm literam nostram debet intelligi in præcedenti, scilicet, quòd clypeus Saul erat ita intinctus sanguine interfectorum, quòd non videbatur vnctus oleo: sed tunc non consonat, quod sequitur, scilicet, ab adipe fortium, ideſt q erat impinguatus adipe virorum fortium interfectorum, quod non stat: quia quamquàm contingat clypeos bellatorum aduersariorum sanguine pollui, nunquam tamen contingit ipsorum adipibus impinguari; ideo non debet sic exponi, sed secundùm punctuationem Hebraicam, quòd incipiat hic versus: & continuabitur litera sic, *A sanguine interfectorum, & adipe fortium sagitta Ionathæ nunquam abijt retrorsum.* Et continuetur hic laus Ionathæ, scilicet, Ionathas vigebat in arte sagittaria: vnde quandocunque in bello sagittas iaciebat nunquam erant inanes, sed infigebantur in adipibus fortium, & nunquam redibant retrorsum, scilicet, arma non resistebant ei, sed transibat vsque ad sanguinem, & adipes, Ionathas autem erat excellens in arte ista, quia semper ea vtebatur, & diligebat nimis arcum; vt declaratum est præced. li. c. 18. *Et gladius Saul non est reuersus inanis.* Ideſt, quandocunque Saul vtebatur gladio contra aliquem in bello, nunquam inaniter agebat: sed semper vulnerabat: Saul enim vigebat in arte gladiatoria, sicut Ionathas in arte sagittaria: & præcipuè florebat Saul in arte pugnandi cum lancea, & clypeo: vnde diligebat nimis lanceam, habebatque eam semper apud se, vel tenebat in manu, siue quiesceret, siue comederet, siue dormiret: vt patet præced. lib. c. 18. & 20. & 26. *Saul & Ionathas amabiles, & decori.* Ideſt, isti duo erant amabiles à toto populo, quia benefaciebant ei: Saul namq; liberabat Israelem de manu Philisthinorum. Ionathas etiam liberauit Israelitas in quodam bello durissimo: de quo præced. li. 14. In cæteris autem strenuè se habebat. Vocantur decori, quia ambo erāt pulchri aspectu, & corpore excellentes. De Saule maximè patet præced. lib. cap. 9. scilicet, quòd non erat in toto Israel vir melior illo, sed ipse erat electus, & bonus, & ab humero & sursum eminebat super omnem populum. De Ionatha autem simile credendum est: cùm ipse esset primogenitus Saulis, & primogenitus est robur patris, vt patet Gen. 49. scilicet, Rubem primogenitus meus; tu fortitudo mea & principium doloris mei. *In vita sua.* Ideſt, fuerunt amabiles, & decori in vita sua. *In morte quoque non sunt diuisi.* Ideſt, sicut in vita nunquam diuisi fuerunt, sed nimis se amabant; ita in morte non sunt diuisi, sed eadem die mortui sunt. Nam Ionathas, & duo fratres eius prius mortui sunt: deinde Saul hoc videns occidit se, præced. li. cap. vlti. *Aquilis velociores.* Ideſt Saul & Ionathas erāt velociores aquilis ad persequendum hostes, & capiendum spolia. *Leonibus fortiores.* Scilicet, ad inuadendum, & destruendum hostes. Hic est Hyperbole, secundùm quam ex modo loquendi aliquando transcendimus veritatem; & tamen verba accipiuntur in bono sensu ex communi intelligentia: nam manifestum est, quòd Saul & Ionathas, nec erāt aliquis velociores, nec leonibus fortiores, sed ad significandum magnam eorum promptitudinem ad bellum, dicuntur ista. Sic etiam seq. c. dicitur qđ Assael fuit cursor velocissimus quasi vnus ex capreis, quæ morantur in montibus: & tamen non fuit ita velox, sicut caprea. Ista etiam figura est vsitata apud historiographos, & poetas: nam dicitur in Alexandreide,

Aurea fœmineus pertingit sydera clamor.

Ideſt, quòd clamor fœminarum pertingebat vsq; ad sydera: sed falsum est. *Filię Israel super Saul flete.* Hic inducit mulieres Israel ad plangendum pro Saule, & Ionatha, quia per mortem eorum multis bonis caruerunt, quæ prius habebant, vt subditur immediatè. *Qui vestiebat vos coccino.* Ideſt, panno rubeo precioso: coccus enim significat vermen, de cuius sanguine purpura tingitur, & inde vocātur panni coccinei omnes habentes colorem illum rubeum precioſum: de hoc autem induebat Saul filias Israel, quia pugnando contra Philisthinos, & alias gentes obtinebat pannos pulchros, & alia iocalia quibus vestiebātur filiæ Israel. De hoc coccino patet Isa. 1. c. *Si fuerint peccata vestra, vt coccinum, quasi nix dealbabuntur:* & si fuerint rubea, quasi vermiculus, sicut lana alba erunt. *In delicijs.* scilicet, vestium: deliciæ enim propriè signant delectationes in tactu, & gustu, hic tamen accipiuntur pro ornamentis, sic patet ex litera Hebraica, in qua ponitur nomen ornamenti: patet etiam quia infrà dicitur, qui præbebat ornamenta aurea, & tamen in Hebræo idem nomen ponitur, vbi nos dicimus ornamenta, & vbi dicimus delicias. *Qui præbebat ornamenta aurea cultui vestiro.* Ideſt ad vestitum vel exornationem vestram: quia Saul pugnans contra multas gentes, non solùm inde vestes, sed etiam ornamenta aurea, & argentea, & varia suppellectilia offerebat. *Quomodo ceciderunt fortes in prœlio.* Ista verba sæpe repetuntur ad modum cantilenarum: in quibus exordia repetuntur finito quolibet versu. Apud poetas quoque interdum iste modus est in quibusdam versibus, quos ipsi intercalares vocant, quorum conditio est, quòd ponantur in principio sententiarum, & deinde finita sententia repetantur, & hoc sæpe fiat, vt ait Hebrardus in Græcismo in cap. 1. de figuris, de hoc ponit vnum versum Virgilius in Bucolicis in Egloga quæ incipit. Quo te Meri pedes, scilicet.

Incipe menalios mecum mea tibia cantus.

Similem ponit versum Ouidius in libro Heroidum in Epistola Deianiræ ad Herculem, quæ incipit.

Gratulor Etholiam titulis succedere nostris.

Et est versus.

Impia quid dubitas Deianira mori?

Similis versus ponitur in Theodoso, scilicet.

Cede dies cælo, quia nescit cedere virgo.

Ionathas in excelsis tuis occisus est. Hic Dauid specialiter plangit Ionatham, quia specialius eum diligebat, ideo dicit. O Israel Ionathas occisus est in excelsis tuis, ideſt in montibus tuis, scilicet, super montem Gelboe. *Doleo super te frater mi Ionatha.* Vocauit Dauid Ionatham fratrē suum, quia diligebat eum sicut fratrem; sed adhuc magis diligebatur Dauid à Ionatha, quia diligebat eum sicut animam suam, & spoliabat se omnibus vestibus, dabatque illas Dauid, quia conglutinata erat anima sua animæ Dauid, præceden. lib. cap. 18. *Decore nimis.* Ideſt, Ionathas erat nimis decorus, & ob hoc amabilis erat ab omnibus: in Hebræo dicitur. *Decore mihi.* Ideſt, tu eras decorus in conspectu meo. *Et amabilis super amorem mulierum.* Ideſt, ego te amabam intensissime, sicut est amor mulierum. In Chaldæo habetur amabilis superamorem duarum mulierum, scilicet, Abigail, & Achinoem. q. d. ego nimis diligo duas uxores, quas habeo, sed magis te diligebam. Potest autem accipi amor mulierum actiuè, & passiuè, Si

Laus Ionathæ, & Saulis.

Si accipiatur passiuè, est sensus, quòd ardentior erat amor Dauid ad Ionatham, quàm amor virorum ad mulieres, quamquàm iste amor nimis intensus sit, & posuit Dauid de isto amore, quia quamquàm sit libidinosus, & parum durans; eo tamē tempore quo manet omni amore feruentior est. Accipiendo actiuè est sensus, maior erat amor meus ad te, quàm est amor mulierum ad eos, quos diligunt, scilicet, ad filios suos, quos maximè diligunt: & iste est sensus, quem litera nostra intendit. Quod patet, quia immediatè subditur, sicut mater vnicum amat filium, ita ego te diligebam. Posuit autem Dauid de amore mulierum, quia amor parentū ad filios est maximus, & tamen in hoc maior est amor matris ad filios quàm patris, vt probat Aristo. Ethi. lib. 8. *Sicut mater amat vnicum filiū suum, ita ego te diligebam.* Ideſt amor meus ad te erat maximus, sicut est matris ad filios, & potissimè quādo vnicum filium habet, quia tunc totum amorem suum in illum colligit. Istud non habetur in Hebræo, sed fortè fuit additum per modum expositionis in aliqua Glosa interlineari: & imperitia librariorum textui adiunctum est. *Quomodo ceciderunt robusti.* Istud verbum sæpe repetitur in hoc carmine ex consuetudine aliorum carminum: causa autem supra posita est. Robusti vocantur hic Saul & Ionathas, & aliqui alij inclyti viri de populo, qui cum eis mortui sunt. *Et perierunt arma bellica.* Ideſt, non potuerunt se defendere ab hostibus suis cum illis, vel perierūt, ideſt capta sunt, quia Philisthini venerunt sequenti die post bellum, & spoliauerunt interfectos, præceden. libro cap. vlti. & tunc Philisthini acceperunt arma Saulis, & posuerunt ea in templo Astaroth, vt patet præalleg. cap. & primo Paralipo. 10.

CAP. II.

IGITVR post hæc consuluit Dauid Dominum, dicens: Num ascendam in vnam de ciuitatibus Iuda? Et ait Dominus ad eum: Ascende. Dixitque Dauid: quò ascendam? Et respondit ei: In Hebron.

IN præcedentibus descripta est mors Regis prioris, hic consequenter subiungitur institutio successoris. Sciendum autem, quòd Saul primus Rex Iudæorum habuit duos successores, vnum de iure, alium de facto: de iure quippe successit ei Dauid, quia Deus vnxerat eum, vt regnaret post Saulem. præced. lib. c. 16. alius fuit successor de facto, scilicet, Isboseth filius Saulis, quem Abner princeps militiæ unxit in regem. Et diuiditur in tres partes. Primò ponitur Dauid unctio. Secūdò Isboseth in regē institutio. Tertiò utriusque regni successio. Secunda ibi. *Abner autem.* Tertia ibi. *Egressusque est.*

ul duos cessores buit in re o.

An ordo historiæ continuus sit & immediatus.
Quæstio. I.

QVAERITVR circa primum, an ea, quæ habentur hic, habeant continuatum ordinem ad præcedentia, & an fuerint facta immediatè, uel magno tempore post. Ad primum dicendum, quòd hic est ordo continuatus, quia hic agitur de regno Dauid, & Isboseth: isti tamen nunquam regnauerunt usq; ad mortem Saulis, de qua habetur præced. c. Ad secundum dicendum, quòd istud, quod habetur hic factum fuit immediatè post præcedentia; & hoc tam quantum ad partem Dauid: quàm ad partē Isboseth: nam Dauid ascēdit in Hebron, in qua regnauit, & hoc fuit immediatè post præcedentia. Sic patet in litera, scilicet: Post hæc Dauid consuluit Dominum. Quantum ad Isboseth apparet, nā uerisimile est, quòd post mortem Saulis immediatè Abner, qui erat princeps exercitus, instituerat filium eius Isboseth in regem, ne populo manente sine rege, aliquis Tyrannus insurgere vellet, vel hostes haberent occasionem ad subijciendum sibi faciliter totam terram Hæbreorum, quia vbi non est rector, corruet populus: immediatè ergo post præcedentia facta sunt quæ habentur in hoc. c. Sciendum autem quòd in hoc cap. describūtur duo regna, scilicet, regnum Dauid super tribum Iuda, & regnum Isboseth super reliquum Israel, scilicet, super vndecim tribus: principaliter tamen scriptura intēdit enarrare regnum Dauid. Regnum autem Isboseth non describit, nisi inquantum mentio eius necessaria erat ad plenè describendum gesta sub regno Dauid: nam domus Dauid bella egit cum viris Isboseth, vt patet hic. *Igitur post hęc consuluit Dauid Dominum.* Ideſt postquam egit planctum pro Saule & Ionatha, consuluit Dominum super statu suo. Istud autem fuit in Siceleg, & inde ascendit in terram Israel.

Quare Dauid consuluit nunc Dominum, & per quem, & qualiter. Quæstio. II.

QVAERET aliquis quare Dauid consuluit hic Dominum, & per quem, & qualiter. Respondendum, quòd causa consultationis fuit, quia Dauid nolebat in rebus magnis iudicio suo agere, sed Dei consilio, cùm illud faciliter habere posset. motiuum autē erat, quia Dauid fugerat de terra Israel in terram Philisthinorum timens incidere in manum Saulis, nunc autem quia mortuus erat Saul, volebat redire in terram Israel, & quia istud erat aliquid magnum, scilicet negotium de regnando, noluit sine Dei cōsilio quicquam agere, vt ab illo sciret, an deberet manere in terra Philisthinorum, vel ire in terram Israel: & si eundum esset, ad quam ciuitatem ire deberet. Ad secundum respondendum, quòd Dauid consulebat dominum per Abiatar Sacerdotem. Iste enim confugerat ad Dauid dum esset in Ceila. præced. lib. c. 23. Iste autem erat Sacerdos magnus habens secum Ephod: vnde per illum poterat de quibuscumque dubijs consulere dominum Dauid: & sic consuluit, quando erat in Ceila. præced. lib. c. 23. & iterum quando persequi volebat latrunculos Amalech. eo. li. c. 30. Ad tertium respondetur, quòd modus consulendi dominū erat, quòd Abiatar indueretur rationali, & Ephod, quæ erant ornamenta summi Sacerdotis, & præsente Dauid quærebat Sacerdos à domino de dubio Dauid, & respondebatur ei: de quo magis dictum est præced. li. cap. 23. & 30. *Num ascendam in vnam de ciuitatibus Iudæ?* ideſt, nunquid bonum est, quòd recedam de terra Philistinorum vadens ad vnam de ciuitatibus Iudæ? Videbatur enim Dauid, quòd rationabile erat, & securum sibi redire iam in terram Israel: nam mortuus erat Saul, qui quærebat animam eius: noluit tamē aliquid sine Dei consilio agere, quia fortè Deus aliud iudicabat expedire. Sciendum autem quòd Dauid solùm dixit hic, an deberet ascendere in aliquam de ciuitatibus Iuda, ideſt sortis Iuda: quoniam de ciuitatibus terræ Israel, ideſt vndecim tribuum non putabat sibi

Universidad de Deusto
Biblioteca

sibi esse securum: quia illi, qui erãt de tribu Beniamin, F
vellent constituere aliquem filium Saulis in regem;
ideo persequerẽtur Dauid, ne vsurparet sibi regnum:
quoniam viuente Saule opinio de illo habebatur, q̃
regnaturus esset. De alijs autem tribubus credidit, q̃
fauere vellent tribui Beniamin, ideo quòd aduersaren
tur ei, de sola autem tribu Iudæ putauit, quòd eum fi-
deliter adiuuaret: ideo de illa solùm quæsiuit, an ascẽ-
dere deberet ad aliquam de ciuitatibus Iuda. Sed obij-
cietur, quòd Dauid nõ deberet confidere de viris tri-
bus Iuda, quia ante hoc viuente Saule non adiuuerãt
eum: quin potius Ziphæi, qui erant de tribu Iuda ad-
iuuabant Saulem ad inuestigandum Dauid. præced. li.
c. 23. & 26. Respondendum, quòd Dauid poterat cõ-
fidere, quòd viri tribus Iuda adiuuarent eum: nec ob- G
stat, q̃ prius non adiuuerint, quia viuente Saule non
audebant, eo quòd Saul erat potens nimis, & domi-
nabatur pro libito suo toti Israel; nunc autem nullus
adhuc Rex constitutus erat, ideo poterant viri de tri-
bu Iudæ adiuuare Dauid nullum timentes: si tamen
adhuc aliqua suspitio erat, istam Dauid excluderet cõ-
sulendo dominum. *Et ait Dominus ad eum.* Scilicet, re-
spondit sibi per Abiatar Sacerdotem. *Ascende.* Idest
bonum est, quòd ascendas in aliquam de vrbibus Iu-
da. *Dixitque Dauid, quò ascendam.* Quamquàm certifica-
tus esset Dauid, quòd ascendere deberet: tamẽ nesciẽ-
bat ad quam vrbem: nam in aliqua poterat prosperari,
& in alia poterat habere viros suspectos, & infide-
les. *Et respondit ei, in Hebron.* Idest, dixit quòd ascende-
ret in Hebron. Ista est ciuitas famosissima in sorte Iu- H
dæ, & Metropolis, in qua primò regnauit Dauid: fuit
autem data ista vrbs in possessionem Caleb, vt patet
Iosue. 10. & 15. postea verò fuit assignata in sortem Sa-
cerdotum, & facta est ciuitas fugitiuorum, vt patet Io-
sue. 20. & 21. de hoc Rabanus, & Glosa ordinaria dicit:
Hebron ciuitas in tribu Iuda, quæ quondam vocaba-
tur Arbe, idest quatuor, quia Abraham, Isaac, & Iacob
Vbi Adam sepultus. ibi sepulti sunt, & magnus Adam: licèt eum in locõ
Caluariæ quidam esse suspicentur. Hæc fuit olim Me-
tropolis Philisthinorum, & habitaculum gigantũ: post
ciuitas Sacerdotalis, & fugitiuorum. Distat autem à
meridiana plaga ab Helya, idest Ierusalem miliaribus
circiter. 22. vbi quercus Abraham, quæ etiam terebin- I
tus Mambre vsque ad Constantini Regis Imperium
monstrabatur, & Mausoleum eius in præsentiarum
cernitur: cumque à nostris ibidem iam Ecclesia con-
stituta sit, in circuitu à cunctis gentibus terebinti lo-
cus superstitione colitur, quia sub ea Abraham An-
gelos hospitio susceperit: hæc septem annis ante quàm
Tanis ciuitas Aegypti condita est, de hac vrbe multa
in libro de situ terræ sanctæ. *Ascendit ergo Dauid.* Scili-
cet in ciuitatem Hebron, iam securus de prospero
euentu post Dei responsionem. *Et duæ vxores eius.* Has
duas solùm habebat tunc, postea verò plures accepit
in Hebron: de quo seq. c. & plures alias in Ierusalem,
de quo infra quinto: & primo Paralipo. 3. Fit autem
mentio hic solùm de vxoribus Dauid, & non de filijs, K
quia nullum adhuc filium susceperat, sed postea ge-
nuit sex filios in Hebron seq. c. & postea alios in Ieru-
salem. j. quinto. *Achinoam Iezrahelitis* Istud est nomen
primæ vxoris: & vocat Iezrahelitis, i. de vrbe Iezrahel:
est. n. Iezrahel ciuitas in sorte Iudæ: Iosue. 15. & distat
vno milliario à mõte Gelboe, ĩ quo mortuus est Saul,
vt patet in li. de situ terræ sanctæ. *Et Abigail vxor Na-
bal Carmelli.* Ista erat secunda vxor Dauid: & vocatur
vxor Nabal Carmelli, quia prius fuerat vxor Nabal ha
bitantis in Carmello, quo mortuo accepit eã Dauid
in vxorem, præced. li. cap. 25. Achinoam non vocatur
vxor alicuius, quia Dauid acceperat eam à virginitate
sua. *Sed & viros, qui erant cum eo duxit Dauid.* Idest, non

solùm Dauid ascendit, sed etiam omnes viri, qui erãt F
cum illo in Siceleg: fuerunt autem cum Dauid toto
tempore, quo fuit in terra Philisthinorum sexcenti
viri, quorum quadringenti cõuenerunt ad eum cum
esset in spelunca Odolan. præced. lib. c. 22. Alij ducen-
ti conuenerunt deinde: vnde quando introiuit Dau-
id in Ceilam sexcentos viros habebat, præced. li. cap.
23. Isti fuerunt semper cum illo in terra Philisthino-
rum: deinde autem conuenerunt ad Dauid Principes
de alijs tribubus, & fuerunt cum eo in bello, quod egit
contra latrunculos Amalec: vt patet primo Parali. c.
12. isti enam ascenderunt cum Dauid de Siceleg: scri-
ptura tamen facit mentionẽ principaliter de illis sex-
cent. viris: nam & Dauid habuit curam specialẽ sem-
per de illis, & habuit eos apud se familiariter: sic patet G
infra. 15. nam dicitur, quòd præcedebant Dauid sex-
centi viri, qui secuti fuerant eum de Geth. *Singulos cum
domo sua.* Idest quilibet illorum habebat domũ suam,
idest familiam suam, scilicet vxorem, & filios in Sice-
leg: nam quãdo Dauid fugit in terram Philisthinorũ,
duxit secum vxores suas. præced. li. c. 27. Ita omnes viri,
qui cum eo descenderunt, duxerũt secum vxores suas
& filios, quia putabãt se mansuros multo tempore in
terra Philisthinorum, scilicet quamdiu viueret Saul;
vnde quando latrunculi Amalecitarum succẽderunt
Siceleg: dicitur q̃ vnusquisque de viris Dauid mæstus
erat pro filijs, & filiabus suis, & vxoribus. præce. li. c. 30.
Et manserunt in oppidis Hebron. Idest Dauid cum domo
sua mansit in vrbe Hebron: viri autem sui habitaue- H
runt in ruribus, & viculis apud Hebron.

An Dauid licuerit habitare in Hebron. Quæstio III.

QVAERET aliquis, quomodo Dauid po-
tuit licitè habitare in Hebron, quia videba-
tur præiudicare Sacerdotibus, fuerat nam-
que Hebron tradita Sacerdotibus in
sortem ad habitandum. Iosue. 21. Da-
uid autem non erat de Sacerdotibus: ideo præiudica-
bãt eis si habitaret in vrbe, patet hoc de Caleb: nam
ipsi tradita fuit prius Hebron iussu Dei: Iosue. 14. quia
tamen postea in diuisione vrbium Sacerdotalium as-
signata fuit eis Hebron, cessauit possidere eam Caleb, I
& habuit solùm agros illius, & rura: Iosue. 21. A for-
tiori ergo Dauid, cui nullum ius habebat in vrbe He-
bron, non poterat habitare ibi. Respondendum, quòd
Dauid habitauit in Hebron sex annis, & dimidio, vt
patet infra in litera, & infra quinto; nec peccauit in
hoc, nec præiudicauit Sacerdotibus: nam non erat
peccatum, quòd aliquis de laicis habitaret in Hebron,
cùm non esset locus Sacer. Quod apparet, quia erat
vrbs fugitiuorum, ad quam occisores fugientes ma-
nebant vsque ad mortem summi Sacerdotis: Iosue.
20. Isti tamen laici erant: solùm autem præiudicaretur
Sacerdotibus, si aliquis vellet vsurpare titulum vrbis,
& excluderet eos à possessione: sic autem erat de Ca-
leb, qui erat Dominus vrbis Hebron, & quia duo non
possunt esse Domini in solidum eiusdem rei, cùm da-
retur ciuitas Sacerdotibus, oportebat, quòd Caleb
desineret possidere Hebron: & cœpit tunc esse Do-
minus agrorum solùm, & viculorum vrbis Hebron.
Dauid autem non accipiebat Hebron in titulum, nec
habitabat in ea iure suo, sed ex permissione Sacerdo-
tum, ideo nullo modo præiudicabatur illis in hoc.
Veneruntque viri Iuda. Scilicet, postquam Dauid ve-
nit de Siceleg in Hebron congregati sunt viri de tri-
bu Iuda, vt acciperent sibi Dauid in Dominum. *Et
vnxerunt ibi Dauid.* Fundendo oleum super caput eius,
quia sic consecrabantur reges, & accipiebant titulum
regni. *Vt regnaret super domum Iuda.* Idest, solùm vn-
xerunt

xerunt eum tunc in regem super tribum Iuda, quia A
aliæ tribus non conuenerunt ad hanc vnctionem, nec
consenserunt habere eum regem.

*Quare viri Iuda acceperunt Dauid in regem.
Quæstio IIII.*

QVAERET aliquis, quid mouit viros de
tribu Iuda ad accipiendum Dauid in regẽ,
& an peccauerunt in hoc. Ad primùm di-
cendum, quòd viri Iuda moti sunt ad
accipiendum Dauid in regem propter
duo. Primò ex affectione, quia cùm esset de tribu sua,
esseq; vir bonus regno dignus, magis volebant eum
sibi præesse, quàm virum alterius tribus. Secundum B
motiuum, & principale erat, vt implerẽt voluntatem
Dei: prædixerat enim Samuel Propheta regnum esse
scindendum de domo Saulis, & transferẽdum in Da-
uid. præced. lib. c. 15. vnde & ipse Samuel iam vnxerat
Dauid in regem. e. lib. c. 16. Viri igitur Iuda hoc scien-
tes pro parte sua voluerunt implere voluntatem Dei
vngentes Dauid in regem: moti fuerunt autem ipsi
ex seipsis, Dauid ignorante, quia Deus mouebat eos
ad hoc faciendum: ideo manente eo in Hebron, om-
nes congregati sunt, & vnxerunt eum. Ad secundum
dicendum, quòd viri Iuda non peccauerunt accipien
do Dauid in regem: nam si ipsi habuissent aliquem
dominũ, ad quem de iure pertineret regnum Israel, & C
in præiudicium illius viri Iuda vellent accipere alium
regem, peccarent. Tunc tñ non erat aliquis, ad quem
de iure pertineret regnum Israel, ideo poterant viri
Iuda accipere sibi regem. Hoc autẽ patet ex duobus.
Primò quia apud Israelitas nondum erat cantum ius
accipiendi regnum per successionem: primus quippe
rex Saul fuerat per electionem assumptus, cui nullus
adhuc successerat de progenie sua, ideo in potestate
Israelitarum erat eligere sibi quemcunque principa-
tum vellent, vnde filij Iuda pro parte sua volebant eli-
gere Dauid, & poterant etiam, si Deus hoc non iussis-
set, quia non præiudicabant iuri alicuius de filijs Sau-
lis, eo quòd nullum ius causatum fuerat adhuc in eis.
Secundò hoc patet ex dispositione Dei, quia Deus re-
probauerat Saulem, & elegerat Dauid: ideo non pec- D
cabant accipientes eum in regem: sed magis mere-
bantur.

Quare Iuda vnxit Dauid. Quæstio V.

QVAERETVR vlterius, quare viri Iuda
vnxerunt nunc Dauid in regem, quia iam
vnctus erat a Samuele. præceden. lib. ca. 16.
Respondẽdum est quòd de Dauid fuit
factum, sicut de Saule: Saul quippe pri-
mo unctus fuit in regem a Samuele in secreto, dein-
de fuit vnctus a toto populo in publico. præceden. lib.
cap. 10. ita Dauid hic. Causa autem iterationis fuit,
quia vnctio prima facta per Samuelem fuit occulta, E
& quamquàm per illam fuit sibi traditum ius regnan
di aliquando, tamen non fuit actualiter sibi traditum
aliquod ius: nunc autem volebant viri Iuda tradere
Dauid exercitium iurisdictionis regnatiuæ, ideo de-
nuo vnxerunt eum. Secunda causa fuit, quia prima
vnctio Dauid non fuit specialiter super aliquam tri-
buum Israel, sed magis super totum Israel, sicut Saul
rex erat. Nunc autem viri Iuda non constituebant
eum regem super totum Israel, sed solùm super vnam
tribum, ideo vnxerunt eum specialiter sibi in regem.

*An Dauid vnctus fuerit oleo sancto, an communi.
Quæstio VI.*

QVAERETVR vlterius, an Dauid fuerit
hic vnctus oleo sancto, vel communi: est
enim oleum sanctum factum ex diuersis
speciebus in certo pondere, de cuius cõ
positione habetur Exod. 30. Nulli au-
tem homini licebat facere talem cõpositionem olei Oleum san-
sub pœna mortis, sed solùm fiebat in sanctuario a Sa- ctum quod
cerdotibus: & de hoc oleo vngebantur summi Sacer- erat.
dotes, & vestes eorum, & vasa templi: de quo Exo. 30.
& 31. Reges quoque inter Hebræos vngebantur hoc
oleo: sic patet de Salomone. seq. lib. ca. 1. cum dicitur:
Sumpsitque Sadoc Sacerdos cornu olei de taberna-
culo, & vnxit Salomonem: oleum tamen quod erat
in tabernaculo sanctum erat, alioquin non iuissẽt Sa-
cerdos pro illo ad sanctuarium, quia oleum commu-
ne in quacunq; domo reperiret. Sciendum tamen est, Reges aliqñ
quòd reges interdum oleo communi, & interdum vngebantur
oleo sancto vngebantur, vt declaratum est præced. lib. oleo sancto
cap. 10. Dauid quoque prima vice, qua vnctus est a Sa- aliquãdo cõ
muele non fuit vnctus oleo sancto, ut declaratum est muni.
præced. lib. cap. 16. Nunc autem dubium est, an oleo
sancto, uel communi unctus fuerit: nam forte dici po-
terit, q̃ de loco sanctuarij viri Iuda tulerint oleũ, quo
unxerint Dauid. Si autem uelimus dicere cõtrarium,
satis est facile, cùm locus sanctuarij non esset nunc in
sorte Iudæ, sed in sorte Beniamin, scilicet in urbe Ga-
baon: nam post destructam urbem Nobe translatũ
est sanctuarium in Gabaon: est autem Gabaon in sor
te Beniamin: ut patet Iosue 18. Sed adhuc dici posset,
quòd Sacerdotes, & Prophetæ qui erant cum Dauid
scientes componere oleum sanctum confecerunt il-
lud, & de eo unctus est Dauid. Si autem obijcias
quòd peccarent facientes talem unctionem, dicen-
dum quòd non peccabant, quia Deus uolebat quòd
reges ungerentur isto oleo in coronatione sua sicut
Sacerdotes, postea tamen non poterant uti illo ad de-
lectationem ungendo carnem suam, quia tunc inci-
derent in pœnam legis. Exod. 30.

*Per quem fuit hic Dauid vnctus, an per laicos, vel
per Sacerdotes. Quæstio VII.*

QVAERETVR ulterius, per quem fuit
Dauid hic unctus. Aliquis respondebit
quòd uiri de tribu Iuda unxerunt eum:
nam dicitur hic: uenerunt uiri Iuda &
unxerunt ibi Dauid, ut regnaret: sic e-
tiam fuit quando unctus est in regem super Israel:
nam dicitur quòd senes Israel unxerunt Dauid in re-
gem super omnem Israel, infra quinto capitulo. Sed
dicendum est, quòd Dauid non fuit unctus a uiris tri-
bus suæ: sed Sacerdotes & Prophetæ fuderunt oleum
super caput eius, & fecerunt omnes cæremonias un-
ctionis. Ratio huius est, quia unctio regum erat ali-
quid sacrum sicut unctio Sacerdotum: ideo per sa-
cros ministros fieri debebat: huiusmodi sunt Sacer-
dotes & Prophetæ. Sic etiam patet in unctione Sa-
lomonis in regem, nam non unxit populus eum,
sed Sacerdos magnus & Propheta: sic patet sequen-
ti libro capit. 1. scilicet. Dixitque rex Dauid: Vocate
mihi Sadoc Sacerdotem, & Nathan Prophetam,
dixitque ad eos: imponite Salomonem filium meũ
super mulam meam, & ducite eum in Gion, & ungat

Universidad de Deusto
Biblioteca

ibi eùm Sadoc Sacerdos, & Propheta Nathan. Sed tunc aliquis dicet, quòd non habebat Dauid secum Sacerdotes,aut Prophetas,qui vngerent eum,quia Sacerdotes erant in loco sanctuarij: sanctuarium autem tunc erat in Gabaon,quæ est ciuitas sortis Beniamin: Iosue 18. Ideo non posset eos habere in tribu Iuda. Respondendum quòd Dauid habebat secum Sacerdotes, & Prophetas qui eum possent vngere, erat namq; cum illo Propheta Gad, qui reuelauit ei dum esset in terra Moab,quòd deberet redire in terram Iuda: præceden.lib.capitu.22.Creditur quoque cum eo fuisse tunc Propheta Nathan, qui fuit semper familiaris illi: de Sacerdotibus autem apparet,quòd essent ibi: nam erat ibi Abiathar summus Sacerdos,qui fuit omni tempore cum Dauid sicut dixit Salomon ad eum sequen.li.c.2.Es quidem vir mortis, sed hodie te non interficiam, quia portasti arcam Domini coram Dauid patre meo:& sustinuisti laborem in omnibus, in quibus sustinuit pater meus. Erant quoque multi Sacerdotes in Hebron: nam Hebron erat Sacerdotũ, vt patet Iosue 21. ideo quamquàm aliqui illorum iuissent ad sanctuarium,nunquàm ibant omnes simul,& sic poterant isti tam Sacerdotes quàm Prophetæ vngere Dauid.Cùm autem dicitur ꝙ viri Iuda vnxerunt Dauid,non est intelligendum, ꝙ ipsi fuderint oleum super caput eius, & fecerint alias cæremonias vnctionis,quia has fecerunt Sacerdotes, sed dicuntur vnxisse eum viri Iuda, quia ex eorum auctoritate & mandato Sacerdotes,& Prophetæ vnxerunt eũ. Sic enim fuit in Salomone:nam Dauid iussit eum vngi,& aliàs non vnxissent eum Sacerdotes: ipse tamen non vnxit eum,sed Sadoc Sacerdos seq.lib.cap.1. eodem modo intelligitur de senibus Israel quòd vnxerunt Dauid super totum Israel, ideſt, quòd mandato illorum Sacerdotes vnxerunt eum:dicuntur tamen ipsi vnxisse, quia ille aliquid agere dicitur cuius nomine illud fit.

Quis fecit cerimonias vnctionis. Quæst. VIII.

QVAERETVR vlterius, cùm Sacerdotes, & Prophetæ vngerent Dauid,qui istorum exercebant ceremonias fundendi oleum & alia, quæ fiunt in regis vnctione. Respondendum est quòd vnctio regum erat aliquid sacrum, ideo fiebat per sacros ministros, cuiusmodi sunt Sacerdotes, & Prophetæ: istud tamen magis pertinet ad Sacerdotes quàm ad Prophetas,quia Prophetæ pertinebant ad Deum specialiter solùm inquantum reuelabat eis aliqua occulta,quæ alijs non reuelabat: non tamen habebant aliquam ministrationem circa Deum in sacrificijs, vel alijs cerimonijs,quia vt communiter Prophetę erant de genere laicorum,& non Sacerdotum,ad laicos autem non pertinet aliqua ministratio Dei. Sacerdotes verò pertinent ad Deum specialiter inquantum sunt ministri omnium, quæ pertinent ad cultum Dei: vnctio autem regũ erat quædam ceremonia sacra: ideo pertinebat illa ad Sacerdotes, & non ad Prophetas. Patet hoc in vnctione Salomonis, quia quamquàm Dauid iussit, ꝙ Sadoc Sacerdos, & Nathan Propheta vngerent Salomonem: tamen Sadoc Sacerdos fudit oleum,& non Nathan, seq.lib.c.1.scilicet. Sumpsitq; Sadoc Sacerdos cornu olei de tabernaculo, & vnxit Salomonem. Sic etiam patet in vnctione regis Ioas: nam Ioiada summus Sacerdos fudit oleum super caput regis,& Sacerdotes filij sui subseruiebãt ei in hoc, vt patet 2.Paralipom.23. scilicet,Vnxitq; eum Ioiada Pontifex & filij eius. Prophetæ autem dicuntur vngere reges, non quidem quòd ipsi facerent cerimonias vnctionis: sed quia assistebant Sacerdotibus vngentibus auctoritatem conferendo ex parte Dei, & propter hoc dixit Dauid,quòd Nathan Propheta, & Sadoc Sacerdos vngerent Salomonem, non quòd Nathan faceret aliquam cerimoniam vnctionis, sed quòd auctoritatem præstaret assistendo. Sed aliquis obijciet ꝙ Prophetæ vngebant reges potius quàm Sacerdotes,nam Samuel vnxit Saulem præce.li.c.10. idẽ quoque vnxit Dauid.eo.lib.ca.16. Elias quoque Propheta vnxit in regem Azael super Damascum: sequ. lib.c.19.quidam quoq; de filijs Prophetarum vnxit in regem Iheu super Israel,infra 4.lib.c.9. Respondendũ ꝙ vnctio regum nõ pertinebat directe ad Prophetas, sed ad Sacerdotes, cùm esset quoddam ministerium, quia tamẽ interdum occultum erat quẽ Deus vellet ungere in regem:& istud non reuelabat nisi Prophetis, mittebantur Prophetæ ad vngendum regem: qñ tñ notum esset quis erat vngendus in regem,non vngebatur per Prophetas,sed per Sacerdotes. Sic.n.fuit in Salomone,de quo cõstabat, ꝙ vngendus erat, ideo vnxit eum Sadoc Sacerdos,& non Nathan Propheta seq.lib.cap.1.de Ioas quoq; constabat eodem modo ꝙ vngendus esset,ideo summus Sacerdos vnxit eum, & non Prophetæ.2.Paralip.23.Vnctio autem Saulis, Dauid, Azael, Iheu, de quibus obijciebatur, erat occulta, quia nesciebatur an isti vngendi essent in reges: ideo mittebantur Prophetæ, & non Sacerdotes ad vngendum eos.Nunc autem de Dauid constabat, ꝙ vngendus esset,cum viri Iuda vellent eũ sibi in regem: ideo per Sacerdotes vngi debebat. Vnde dicendũ ꝙ Abiatar summus Sacerdos,qui tunc cũ eo erat,vnxerit illũ. Si aũt quæras,quæ cerimonię obseruabantur in coronatione, & vnctione regum, declaratum est præc.lib. cap.10. *Et nunciatum est Dauid.* Hic ostendit Dauid affectionem suam bonam erga domum Saulis,quamquã fuisset hostis eius: quod partim apparuit, eo ꝙ fecit magnum planctum,& ieiunauit audita morte Saulis, occiditq; illum iuuenem, qui confessus fuerat se occidisse Saulem præc.c.Nunc aũt ostendit affectionem suam mittens ad referendum gratias viris Iabes de bono,ꝙ fecerunt erga Saulẽ,& promisit se pro hoc redditurum vicem tanquàm sibimet hoc beneficiũ collatum foret. *Quòd viri Iabes Galaad sepelissent Saul.* Hoc nunciatum fuit Dauid postquàm fuit in Hebron: quod patet, quia ipse misit ad dicendum viris Iabes, ꝙ vnctus erat in regem super domum Iuda:& tamen istud fuit postquàm Dauid venit in Hebron. Vocatur autem Iabes Galaad,quia ista ciuitas Iabes erat in terra Galaad. *Misit ergo Dauid nuncios ad viros Iabes Galaad.* scilicet ad agendum gratias eis pro beneficio impenso in Saulem: erant autem viri Iabes de tribu Gad habitantes vltra Iordanem in terra duarum tribuum & dimidiæ: vnde Dauid non vngebatur nunc in regem super illos. *Dixitque ad eos, benedicti vos a Domino*, ideſt Deus benedicat uobis conferendo bona multa pro bono, quod egistis. *Qui fecistis misericordiam hanc cum Domino vestro Saul*, ideſt, tulistis cadauer illius de terra Philisthinorum de muro vrbis Bethsan, & cadauera filiorum eius: erat autem ista magna misericordia tam ex parte uirorum Iabes, quàm ex parte Saulis:ex parte illorum patet, quia exposuerunt se ad mortem introeundo in terram Philisthinorũ, ut inde educerent cadauera Saulis, & filiorum eius: ex parte quoq; Saulis fuit magna misericordia, quia erat magnum uituperiũ, ꝙ cadauer eius & filiorũ suorũ corpora suspensa essent in terra hostili, nunquã habitura sepulturam; isti aũt tulerunt ea,& honorificè sepelierunt, & ieiunauerunt septem diebus: præceden.lib. capitulo ultimo. *Et sepelistis eum*, ideſt, non solùm duxistis eum de terra hostili, sed etiam honorificè sepelistis. Sciendum quòd uiri Iabes non solùm fecerunt misericordiam cum Saule,sed etiam cũ filijs eius:quia corpora illorum tulerunt de muro Bethsan, & sepelierunt. Dauid tamen solùm dixit de misericordia facta in Saulem, eo quòd bona facta filijs censentur facta patri suo, quia filius est pars patris,vt patet.5. & 8. Ethic. præcipuè autem, quia viri Iabes tulerunt corpora filiorum Saulis de terra Philisthinorum propter honorem Saulis,& quia erant simul cum corpore Saulis, & fortè si non fuisset ibi corpus Saulis, sed sola cadauera filiorum eius, viri Iabes non iuissent illuc,vnde totum beneficium istud Sauli collatum est, & rectè Dauid de illo solo fecit mentionem.

Quare Dauid misit nuntios ad viros Galaad agendo gratias eis,quòd sepelissent Saulem. Quæstio. IX.

QVAERET aliquis,quare Dauid misit nũtios ad viros Iabes gratias agendo eis pro bono quod egerant Sauli. Respõdendum, quòd Dauid voluit se ostendere innocentem in morte Saulis, & quòd illa nõ placuisset ei:nam dum viueret Saul erat hostis Dauid quærens eum ad mortem,propter quod aliqui de populo putabant, quòd Dauid desideraret mortem Saulis, vel procuraret quantum posset, aut saltem lætaretur in ea, quando eueniret, quod esset in eo quædam macula ad regnandũ,ideo voluit se Dauid quantum potuit immunem ostendere ab hoc crimine. Et primò dum Saul viueret: nam bis incidit Saul in manus Dauid, & potuisset eum occidere, sed noluit præced.li.cap.24.& 26.nunc quoque in morte eius ostendit innocentiam suam, nimis dolens,& plangens pro eo.præce. c. Et vt magis hoc pateret,misit nuncios ad viros Iabes referendo gratias pro honore impenso Sauli tanquam sibi impensus foret, vt per hoc totus Israel,& illi qui restiterant de stirpe Saulis cognoscentes affectionem Dauid erga Saulem magis placarentur ei. Sic enim fecit,quando occisus fuit Abner,quia ne aliqui putarent eum occisum de consilio Dauid, planxit eum nimis,& sequebatur feretrum illius:ieiunauitque die illa,seq. c. Et dicitur ibi, quòd omnis populus audiuit,& placuerunt eis cuncta,quæ fecit Rex: & cognouit omnis Israel in die illa, ꝙ non actũ fuisset à rege, ꝙ occideretur Abner. *Et nunc retribuet quidem vobis Dominus.* Ideſt non putetis, quòd bonum opus vestrum manebit irremuneratum:nam Dominus vobis retribuet, qui pro singulis bonis retribuit,quæ fiũt causa eius. *Misericordiam,& veritatem.* Misericordia retribuitur alicui, quando præter merita sua aliquid ei confertur ex mera gratia: veritas autem retribuitur, quando iuxta merita alicuius recompensatur ei. Ista duo dicebat Dauid retribuenda esse viris Iabes: nam licèt Deus non teneatur nobis ad aliquid,quamquàm eum colamus, est tamen iustum, ideſt condecens, vt aliquid nobis boni tribuat,si eum coluerimus,& quia viri Iabes fecerant magnum bonum, pro quo iustum erat, quòd Deus eis aliquid conferret: quando istud ageret, retribueret eis veritatem, & quia Deus liberalissimus est, & confert semper hoc bonum supra merita sua, agit hoc ex misericordia: & quia non solùm Deus benefacturus erat viris Iabes secundum quantitatem meriti, sed supra illud,diceretur eis retribuere misericordiam. *Sed & ego reddam gratiam.* Ideſt, etiã ego retribuam vobis pro hoc bono quod feciſtis. *Eo quòd feciſtis verbum istud.* Ideſt, rem istã: verbum enim accipitur pro re.sic patet præced.cap.scilicet, quòd est verbum quod factum est in castris? ideſt quid accidit in castris? *Confortentur manus vestræ.* Hic inducit Dauid viros Iabes ad repugnandum Philisthinis:perdiderant enim Israelitæ regem: ex quo Dauid credebat, quòd deficerent animo,& succumberent hostibus: ideo dixit,confortentur manus vestræ, scilicet ad resistẽdum hostibus, & pugnandum, sicut si Saul Rex vester viueret. *Et estote viri fortitudinis.* Ideſt, ostendentes fortitudinem in vobis,vt sicut fuistis fortes educendo Dominum vestrum de terra hostili,ita sitis fortes ad resistẽdum hostibus,quamquàm Saul mortuus sit. Hortabatur autem Dauid viros Iabes ad fortitudinẽ, quia isti erant de viris fortissimis totius Israel,sic enim prędixit de eis Iacob in benedictione filiorum suorum. Gen.49.s.Gad accinctus præliabitur ante eum,& ipse accingetur retrorsum. Moyses quoq; laudauit nimis tribum Gad de fortitudine Deute. 33.s.Benedictus in latitudine Gad,quasi leo requieuit cępitq; brachiũ,& verticem,ideſt, ex vno ictu gladij amputauit caput, & brachium: viri autem Iabes erant de tribu Gad. *Licèt enim mortuus sit Dominus vester Saul.* Dicit hoc Dauid ad confortandum viros Iabes, quia cùm iam non haberent regem, deficerent animo,& non resisterent hostibus,ideo dixit,ꝙ propter mortem Saulis non cõsternarentur animo,quia ipse defenderet eos,sicut defendebat Saul. *Iamẽ me vnxit domus Iuda in regem sibi.* Ideſt, iam sum vnctus in regem à domo Iuda, ideo non putetis vos esse sine rege, quia quamquàm ego non sim Rex vester tamen pugnabo contra hostes vestros, velut si essem Rex vester. *Abner autem.* Hic ponitur secundum huius. c.s.Isboseth in regem institutio', quæ fuit quasi eodem tempore cum vnctione Dauid. Sciẽ dum autem ꝙ mortuo Saule,dispersus fuit totus exercitus. Abner tamẽ princeps militiæ Saulis,qui relictus fuerat de bello,congregauit exercitum, & accepit Isboseth filium Saulis:vnxitq; eum in regem,& dicitur. *Abner autem filius Ner.* Iste erat patruelis Saulis.s.filius fratris patris Saulis,ambo enim erant filij duorum fratrum,præced.li.c.14. *Princeps exercitus Saul.* Hunc Abner accepit Saul in principem militiæ à principio regni sui. præced. li.c.14.& fuit semper princeps,quamdiu vixit Saul: mortuo quoque illo fuit princeps exercitus Isboseth. *Tulit Isboseth filium Saul.* Iste solus relictus fuerat de filijs Saulis,tres enim mortui fuerant in bello cum Saule.præce.li.cap.vltì. Iste autem non iuit ad bellum, quia fortè ineptus erat ad illud, non quidem ex ætate,quia 40.annorum erat nunc cùm factus est Rex, vt patet in litera, sed ex pusillanimitate,quod satis apparet, quia toto tempore, quo regnauit, nihil dignũ rege egit. *Et circũduxit eum per castra.* Ideſt duxit Abner Isboseth ꝑ castra ad hoc, ꝙ faceret eũ regem.

Quomodo Abner duxit Isboseth per castra, cùm essent dispersa. Quæstio. X.

QVAERET aliquis, quomodo Abner potuit ducere Isboseth per castra,quia iam dispersa fuerant castra Saulis. prius.n.quàm ipse moreretur,Israelitæ fugerant. præced.lib. c.vlti. Andreas respondet,quòd vocantur hic castra aliqua loca, ad quæ conuenerunt Israelitæ, vt habitarent simul, quia iam non audebant habitare dispersi timore Philisthinorum. Hoc autem habet aliquam probabilitatem, quia præc.lib.c.vlt.dr, ꝙ videntes Israelitæ, qui erant trans Iordanem mortuum Saulem,& filios eius,reliquerunt ciuitates suas, & fugerunt: veneruntque Philisthini, & habitauerũt ibi. Aliter tamen dici potest,quòd litera nostra posuit castra ex æquiuocatione literæ Hebraicæ, quia in Hebræo ponitur. *Mahanaim.* Vbi nos habemus castra, & est æquiuocum ad significandum castra, vel ad significandum nomen loci cuiusdam,vel terræ.De hoc patet Gen.32.cùm dicitur,ꝙ Iacob obuios habuit Angelos Dei,qũ introiuit in terram Chanaan: & appellauit

Viri Iabes fortissimi erant totius Israel.

Universidad de Deusto
Biblioteca

nomen loci illius Manaim, ideſt caſtra. De hoc loco eriam patet Ioſue 13. fuit enim datus in ſortem dimidiæ tribui Manaſſe, nunc autem poteſt intelligi litera Hebraica dupliciter. Vno modo ꝙ Abner circumduxit Iſboſeth per Mahanaim, ideſt per terram illã, quæ ſic vocatur, & ibi cõſtituit eum regem. Iſtum ſenſum ſequũtur omnes Hebræi, & multi de doctoribus noſtris: vt Andreas, & hiſtoria ſcholaſtica. Alio modo poteſt dici ꝙ circumduxit eum Abner per caſtra, ideſt, per multitudinem militum congregatorum: & ibi conſtituit regem illum. Iſtum ſenſum ſecutus eſt Hieronymus in tranſlatione noſtra, & eſt rationabilior: nã ad hoc ꝙ conſtitueretur aliquis in regem, oportebat ꝙ fieret de conſenſu populi: ideo credendum ꝙ Abner, qui erat princeps militiæ, cum quo aliqui milites manſerant fugientes de bello, congregauerit exercitũ Iſraelitarum, vt de conſenſu illorum inſtitueretur Iſboſeth in regem: & tunc circumduxit eum Abner per caſtra, ideſt, per multitudinem exercitus congregati ad inſtituendum regem. *Regemqúe conſtituit ſuper Galaad*, ideſt, Abner conſtituit Iſboſeth in regem, non quòd ipſe ei regnum traderet, quia totus populus illud tradidit, quia tamen Abner tanquàm princeps militiæ induxit exercitum, & totum populum ad conſentiendum in Iſboſeth, vt in regem, dicitur conſtituiſſe eum regem, dicitur autem conſtitutus ſuper Galaad, quia Galaad erat vna prouincia in terra Iſrael, quę partim pertinebat ad tribum Ruben, & partim ad tribũ Gad: de quo Deuteron. 3. & Ioſue 13. *Et ſuper Gieſſuri*, ideſt, conſtitutus eſt rex ſuper terram Gieſſuri. Sciendum ꝙ habitatores terræ Gieſſuri non erant Iſraelitæ, ſed Gentiles, habitantes intra terminos terrę Chanaã, quos poterant Iſraelitæ iuſtè occidere, & occupare terram, ſed noluerunt, vt patet Ioſue 13. ſcilicet, noluerunt; diſperdere filij Iſrael Gieſſuri, & Machati, & habitauerunt in medio Iſrael vſque ad præſentem diem. Contra iſtos populos Gieſſuri Dauid agebat prędam, & pugnam quando erat in terra Philiſthinorum: vt patet præced. lib. c. 27.

Gieſſuri gẽtiles habitãtes intra terminos Chanaan.

Quomodo Iſboſeth potuit conſtitui rex ſuper Gieſſuri, cùm Gieſſuritæ non eſſent Hebræi. Quæſt. XI.

QVAERET aliquis, quomodo Iſboſeth potuit conſtitui rex ſuper terram Gieſſuri, quia Gieſſuritæ non erant Hebræi, & ipſi per ſe habebant regem de ſtirpe ſua. Quod patet, quia Dauid accepit vxorẽ filiam Tholmai regis Gieſſuri: vt patet ſequen. capit. & infra 13. dicitur quòd fugit Abſalon ad regem Gieſſuri, ergo non poterat Iſboſeth rex fieri ſuper Gieſſuri. Aliquis autem reſpondebit, quòd iſta fuerunt diuerſis temporibus, ideo potuit vtrumq; ſtare. Dicendum ꝙ non ſtat, quia idem tempus fuit: nam Iſboſeth vnctus eſt in regem eo tẽpore, quo Dauid regnabat in Hebron, vt patet hic: & tamen eo tempore Dauid accepit in vxorem filiam regis Gieſſuri, vt patet ſeq. c. cùm in Hebron acceperit filium de illa, & ibi ſolùm manſit Dauid ſeptem annis, & dimidio. Reſpondendum eſt, ꝙ Gieſſuritæ erant Gẽtiles, & ſemper habuerunt inter ſe regẽ de ſtirpe ſua, quia Iſraelitæ hoc permittebant cùm nollent delere eos. Credendum tamen quòd Iſraelitæ acceperint illos in tributarios, & haberent aliquam iuriſdictionem in terra eorum, cũ ex ſola miſericordia permitterent eos viuere, vt patet Ioſue 13. ideo reges Iſrael dominabantur ſuper Gieſſuritas, & quia Iſboſeth ſuccedebat nunc Sauli in regnum: efficiebatur nouus dominus Gieſſuritarum: & propter hoc dicitur quòd conſtitutus eſt rex ſuper Gieſſuri: ſemper tamen fuerunt reges ſuper Gieſſuri de ſtirpe illarum gentium: nam poſtquàm fuit factus Dauid rex ſuper totum Iſrael, manebat in Gieſſuri rex Tholmai, qui erat rex nũc quando conſtitutus eſt Iſboſeth rex ſuper Iſrael, & Gieſſuri. *Et ſuper Iezrahel.* Iſta eſt ciuitas quædam ſuper quã regnauit Iſboſeth. Sed obijcietur quòd non potuerit regnare ſuper Iezrahel, quia Iezrahel erat ciuitas in ſorte Iudæ, vt patet Ioſue 15. Dauid tamen regnabat ſuper tribum Iudæ: vt patet hic, ergo Iſboſeth non regnabat ſuper Iezrahel. Reſpondendum eſt, quòd Iſboſeth regnauit ſuper Iſrael & Iezrahel, eo quòd erant duæ ciuitates, vocatæ Iezrahel, quarum vna erat in ſorte Iudæ, de qua habetur Ioſue 15. & ſuper iſtam regnabat Dauid: & iſta eſt, apud quam erant montes Gelboe, & poſuerunt Iſraelitæ caſtra, vt patet præcede. lib. cap. 29. Alia Iezrahel erat in ſorte Ephrain: de qua habetur Ioſue 17. vbi deſcribuuntur ciuitates Manaſſe, & Ephrain, & ſuper hanc regnauit Iſboſeth: nominatur autem iſta ciuitas, quia erat valde excellens. Simile autem eſt in multis alijs ciuitatibus, quia ſæpe ſunt duæ, vel tres ciuitates eiuſdem nominis, ſicut ciuitas Haſor: nam in tribu Iuda erant duæ ciuitates nomine Haſor: vt patet Ioſue 15. & in tribu Nephtalin erat alia ciuitas Haſor: vt patet Ioſue 19. ſic etiam fuit vna ciuitas nomine Edrai in dimidia tribu Manaſſe, de qua Ioſue 13. & fuit alia ciuitas Edrai in ſorte Nephtalim: Ioſue 19. ſic etiam erat vna ciuitas Bethlehen in ſorte Iudæ: vt patet Matth. 2. & Michææ 5. & alia Bethlehen in ſorte Zabulon. Ioſue 19. *Et ſuper Ephrain*, ideſt regnauit ſuper tribum Ephrain. Nominantur hic filij Ephrain; quia iſta tribus erat valde excellens, & honorabilis inter Iſraelitas: & hoc propter Ioſeph patrem Ephrain: vnde tribus Ephrain fuit facta vna de quatuor principalibus, cùm erant Iſraelitæ in deſerto: & cùm eſſent omnes duodecim tribus ſub quatuor vexillis, vnum illorum datum fuit tribui Ephrain, vt patet Nume. 2. & erat tribus Ephrain princeps ſuper tribum Manaſſe, & Beniamin, vt patet ibidẽ. *Et ſuper Beniamin*, i. etiam regnauit Iſboſeth ſuper tribum Beniamin. Nominatur hic tribus Beniamin, quia erat honorabilis propter ſtirpem regiam: nam Saul erat de tribu Beniamin. *Et ſuper Iſrael vniuerſum*, i. etiam regnauit ſuper omnes alias tribus Iſrael, excepta tribu Iuda, in qua regnabat Dauid. *Quadraginta annorum erat Iſboſeth cùm regnare cœpiſſet ſuper Iſrael.* Hic ponitur ætas Iſboſeth, quando cepit regnare, & quid factum fuerit tpe ſuo. Sciendum autem, ꝙ Rabanus dicit ꝙ Iſboſeth natus eſt anno, quo cepit regnare Saul, & hoc colligit, ipſe, quia dicitur hic, ꝙ erat quadraginta annorum Iſboſeth, quando cœpit regnare, & præceden. lib. cap. 13. dicitur quòd filius vnius anni erat Saul cùm regnare cœpiſſet, ideſt, habebat tunc filium vnius anni, ſcilicet Iſboſeth, regnum autem Saulis fuit annorum quadraginta, vt patet Act. 13. ideo neceſſe erat, quòd Iſboſeth naſceretur primo anno, quo cœpit regnare Saul. Sed iſta probatio Rabani deficit: nam Saul non regnauit annis quadraginta, ſed viginti ſolum, & cùm dicitur Act. 13. quòd regnauit quadraginta annis, dicendum quòd computatur ibi tempus Samuelis, & Saulis: tempus autem Samuelis fuit annorum viginti, ut colligitur præce. li. c. 7. & ibi declaratum eſt: ergo ſi naſceretur Iſboſeth primo anno, quo regnauit Saul, ſolùm eſſet viginti annorum: nunc erat tamen quadraginta, ideo oportet ꝙ natus fuerit viginti annis ante principium regni Saulis. Hoc etiam patet ſeq. li. c. 6. dicitur enim ibi, ꝙ ab exitu de Aegypto vſque ad fundationem tẽpli fluxerũt quadringenti octoginta anni, ſi tñ computentur tpa media Iudicum, & Regum, & Deut. 40. anni Sauli præter annos Samuelis reperiẽtur anni quingenti ab exitu de Aegypto vſq; ad fundationem

templi: oportet ergo quòd quadraginta anni, quos ſcriptura tribuit Sauli: intelligantur eſſe Saulis & Samuelis: vtrique dando viginti: & ſic Iſboſeth viginti annorum erat, quando cœpit regnare Saul. Sciendum autem quòd Iſboſeth vocatur aliquando Iſbaal, vt patet primo Paralipomenon capitulo 8. & iſta duo idem ſignificant, quia Iſboſeth interpretatur vir verecundiæ, vel confuſionis, ideſt, dignus verecundia, vel confuſione: Iſbaal autem interpretatur vir idoli, & iſta duo idem ſunt, quia idolum in Hebræo vocatur confuſio: nam dignus confuſione eſt, qui idolum facit, & colit. *Et duobus annis regnauit*, Paruum enim fuit tempus regni huius, & cum infelicitate: nam ſem per decreſcebat honor, & ſtatus ſuus quouſque ipſe vita ſimul, & regno caruit.

Quantum regnauit Iſboſeth. Quæſtio XII.

QVAERET aliquis, an Iſboſeth regnauit pluſquàm duobus annis. Aliquis dicet, quòd non, quia ſcriptura dicit hic, quòd regnauit duobus annis, & eſt terminus præciſus, quia alioquin ſi pluribus annis regnaſſet, non proficiebat ad aliquid, quia ita poſſet dici quòd regnauit vno menſe, quamquàm regnaſſet decem annis. In contrarium videtur, quòd regnauerit pluſquàm duobus annis, quia Dauid regnabat ſuper tribum Iuda, & Iſboſeth ſuper reliquũ Iſrael: mortuo autem Iſboſeth vniuerſus Iſrael accepit Dauid in regem. Dauid tamen regnauit ſeptem annis, & dimidio ſuper tribum Iuda priuſquàm regnaret ſuper totum Iſrael, vt patet hic, & infra quinto: ergo videtur quòd toto iſto tempore ſeptem annorum, & dimidij, vel quaſi regnauerit Iſboſeth ſuper Iſrael. Item patet, quia aliàs daretur quòd manſiſſet Iſrael non habens regem quinque annis, & dimidio poſt mortem Iſboſeth: ſed hoc non ſtat, quia non poſſet tanto tempore populus manere ſine rectore, nec vellet, ſed vel de ſeipſis, vel de extraneis aliquem regẽ accepiſſet: ſed poſt mortem Iſboſeth non acceperunt aliquem, niſi Dauid in regem: ergo pauco tempore mortuus fuit Iſboſeth, ante quàm Iſraelitæ vniuerſi acciperent Dauid in regem: & hoc fuit poſtquàm regnauerat ſeptem annis, & dimidio in Hebron, & Iſboſeth cœpit regnare ſuper Iſrael eo tempore, quo Dauid cœpit regnare in Hebron, ergo Iſboſeth regnauit quaſi ſeptem annis & dimidio. Item patet, quia infra capitulo quarto ponitur de morte Iſboſeth: & immediate in cap. 5. ſubditur quomodo Iſraelitæ vnxerint Dauid in regem, quaſi nihil interciderit inter vtrumque: ergo videtur quòd modico tempore poſt mortem Iſboſeth fuerit Dauid vnctus in regem ſuper Iſrael, ergo Iſboſeth regnauit quaſi ſeptem annis, & dimidio. Cùm autem dicitur in litera, quòd regnauit duobus annis ſuper Iſrael, non eſt intelligendum, quòd totum tempus regni ſui fuerit ſolùm duorum annorum, ſed intelligitur, quòd tranſierant duo anni de regno ſuo vſque ad tempus, quo facta ſunt ea, quæ habentur in litera, iſtud autem eſt bellum inter viros Dauid & Iſboſeth, & eſt ſenſus, quòd poſtquàm cœpit regnare Dauid in Hebron, & Iſboſeth in Iſrael fluxerunt duo anni de regno Iſboſeth in pace, & poſtea inſurrexerunt magnæ contentiones inter domum Dauid & Iſboſeth: & illæ durauerunt magno tempore, quaſi per quinq; annos ſequentes vſque ad mortem Iſboſeth. Simile autem habetur præcedenti lib. cap. 13. ſcilicet. Filius vnius anni erat Saul, cùm regnare cœpiſſet, & duobus annis regnauit ſuper Iſrael: & tamen manifeſtum eſt, quòd pluſquàm duobus annis regnauit: cùm Actuum capitulo decimo tertio dicatur quòd regnauerit quadraginta annis. Nec etiam potuerunt fieri illa omnia, quæ ipſæ fecit in duobus annis: ſed intelligitur, quòd regnauit duobus annis, ſcilicet, ante quàm faceret bellum contra Philiſthinos, de quo ibi habetur.

An Iſboſeth peccauerit, vſurpando regnum Dauid, & Abner prouocando ad hoc populum. Queſtio XIII.

QVAERETVR vlterius an Iſboſeth peccauit, vſurpando regnum, quod debebatur Dauid de iure: & an peccauerit Abner prouocando populum ad hoc, ut conſtituerent Iſboſeth in regem. Aliquis dicet, quòd vterque peccauit, quia inter Iſraelitas regnum non dabatur per ſucceſſionem a principio, ſed per Dei electionem. Dauid autem fuit electus a Deo, & vnctus per Samuelem, & Saul cum poſteritate ſua reprobatus eſt, ideo peccabant iſti tanquàm vſurpantes alienum ius. Reſpondendum eſt, quòd Hebræi quidam volunt, quòd Iſboſeth habuerit ius regnandi: vnde Ra. Sa. dicit quòd mortuo Saule, cùm vellet Abner inſtituere Iſboſeth in regem, populus repugnabat dicens, quòd non pertinebat regnum ad Iſboſeth, ſed ad Dauid. Abner autem probauit ex ſcriptura, quòd regnare deberet Iſboſeth, quia Deus dixerat Iacob: reges egredientur de lumbis tuis. Geneſis 35. & tamen tunc omnes filij Iacob nati fuerant præter Beniamin, ut patet Geneſ. 29. & 30. iuncto 35. ideo de Beniamin futuri erant reges, ſaltem duo: ſed ſolùm præceſſerat vnus, ſcilicet, Saul ideo poterat adhuc filius eius regnare. Iſtud non eſt ueriſimile, quòd illud prædicauerit Abner. Dato tamen quòd ſic diceret, non probatur aliquod ius Iſboſeth ex hoc: quia cùm dicitur: Reges egredientur de lumbis tuis: non intelligitur, quòd de filijs aut filio naſcituro ipſi Iacob, reges egrederentur, ſed quòd de poſteritate Iacob eſſent reges. Dicitur autem egredientur, quia quamquàm filij, de quibus naſcituri erant reges nati eſſent, tamen ipſi reges nondum erant nati, & quando naſcerentur, diceretur ꝙ egrediebãtur de lumbis Iacob: & ſic non cõſtabat ex illo dicto, an aliquis rex futurus eſſet de tribu Beniamin. Item dato quòd multi reges futuri eſſent de tribu Beniamin, nõ conſtabat ex hoc, ꝙ Iſboſeth haberet ius regnandi, quia poterat hoc intelligi de alijs viris de tribu Beniamin, qui inſtituerentur in reges tunc, vel alio tempore: ſed magis conſtabat contrarium, ſcilicet, ꝙ non haberet ius regnandi Iſboſeth, cùm dominus elegiſſet Dauid, & reprobaſſet ſtirpem Saulis. Nunc autem dicendum ꝙ quamꝙ Iſboſeth non haberet ius regnandi propter prædicta, tamen nec oſtenditur, ꝙ peccauerit ex prædictis accipiendo regnum, & procurando illud habere. Pro quo ſciendum, ꝙ inter Iudæos non erat ſicut inter alias gẽtes: nam in alijs erant reges ab antiquo, & prouenie-bat illis ius regnandi a ſucceſſione in tantùm, quòd ſi quis in præiudicium illorum regnare vellet, peccaret, vſurpans ius alienum. Inter Hebræos autem non fuerant reges ab antiquo, quia primus illorum fuit Saul. Ideo nullum ius adhuc tantum erat in poſteris ad ſuccedendum in regno: quia tamen inter alias gentes regna ex ſucceſſione deriuabantur, ſic inter Hebræos futurum erat, niſi quatenus illud Deus prohiberet, vel populus vellet habere aliud genus principatus. Nunc ergo mortuo Saule non peccabat Abner conando transferre regnum in Iſboſeth: nec Iſboſeth recipiendo illud, quouſque populus diſſentiret, uel Deus contrarium iuberet: populus autem non diſſenſit, ſed unxit ſuper ſe

Hebræorũ quorũdam opinio reiicitur.

Impugnatio.

in regem Isboseth: ideo ex hac parte non erat peccatum, restabat autem secundùm, san Deus prohiberet: hoc autem impediebat Isboseth, quia Deus abiecerat Saulem, & posteritatem suam, ne regnarent, & elegit Dauid. preced. lib. cap. 15. ideo non poterat iustè regnare Isboseth. Sed adhuc dicendum quòd ista electio Dei, & vnctio Dauid non erat manifesta, quia occultè fuit facta, ne cognosceretur a Saule, præced. lib. cap. 16. ideo dum vixit Saul, nunquàm fuit cognitum per certitudinem, saltem publicè an Deus elegisset Dauid, quamquàm erat aliqualis fama. Nam & ipse Saul dixit ad Dauid, se scire, quòd ille regnaturus erat. præced. lib. c. 24. hoc tamen non dixit tanquàm sciens per reuelationem propheticam, sed per quedam indicia, scilicet, quia Deus erat cum Dauid, vt ibidem declaratum est: & sic nunc quoq: dubium erat an Deus elegisset Dauid, & quamquàm aliqualem scrupulum haberet de hoc Isboseth, non peccabat conando acquirere regnum, nec tenebatur illud postquàm acquisitum esset, dimittere, nisi ex parte Dei certificaretur per aliquem prophetam, q̃ dimittere deberet regnũ; quia tunc si vlterius conaretur illud possidere, peccaret. Sed nũquàm fuit facta aliqua notificatio Isboseth per prophetam, quòd dimitteret regnum Israel, ideo semper illud iustè tenere potuit. *Sola autem domus Iuda*, ideſt sola tribus: aliquando enim vocabatur domus, aliquando tribus, siue progenies: quia omnes qui ab eodem progenitore sunt, de eadem domo vocãtur: & iste modus est etiam apud Poetas: nam Virgilius primo Aeneidos dicit: omnes Romanos esse domum Assaraci, qui Troianus fuit, inquiens.

Cum domus Assaraci Græciam, clarasq; Micenas
Imperio regat, victis dominabitur Argis.

ideſt, Romani subijcient sibi Græciã. *Sequebatur Dauid*, ideſt sola ista tribus Iuda habebat Dauid in regem. reliquæ autem tribus habebant Isboseth. Nec tamen peccabant illæ tribus, quæ acceperant Isboseth in regem, quamquàm Deus elegisset Dauid: quia eodem modo excusantur, quo Abner, & Isboseth, vt supra dictum fuit. *Et fuit numerus dierum, quos commoratus est Dauid imperans in Hebron.* Hic ponitur tempus regni Dauid super Iudam, & ponitur completum: fuit autem Dauid in Hebron toto tempore, quo fuit rex super Iudam: cùm autem factus est rex super Israel cæpit habitare in Ierusalem, vt patet infra quinto, & vocata est Ierusalem ciuitas Dauid. *Septem annorum, & sex mensium.* Aliqui volunt quòd cùm totum regnum Dauid fuerit quadraginta annorum, vt patet infra quinto, & sequen. li. cap. 2. quòd isti sex menses defecerint de triginta tribus annis, quibus regnauit super Israel: de quo in præalle. capitulis. Et volunt quòd solùm regnauerit super Israel triginta duobus annis, & dimidio. Alij autem dicũt, quòd regnauerit triginta tribus annis completis super Israel, & super Iudam regnauerit septem annis, & dimidio, & cùm dicitur, quòd regnauerit quadraginta annis super Iudam, & Israel, infra quinto capitulo, intelligendum est, quòd insuper fuerint sex menses: scriptura tamen rarò curat de numeris imperfectis.

Quanto tẽpore regnauit Dauid.

Egressusque est Abner. Hic ponitur tertium huius capituli, scilicet vtriusque regni processus, fuit autem processus inæqualis: quia regnum Dauid super Iudã semper ibat proficiens, regnum autem Isboseth semper erat deficiens, vt patet cap. sequen. scilicet, facta est longa concertatio inter domum Saulis, & inter domum Dauid: Dauid proficiens, & semper seipso robustior, domus autem Saulis decrescens quotidie. Fuit autem detrimentum domus Saulis in duobus, primò in virorum Isboseth debellatione. Secundò in Abner cum Dauid confederatione, sequen. capitulo.

Prima in tres, quia primò ponitur bellatorum congregatio. Secundò partis Isboseth effugatio. Tertia belli cessatio. Secũda ibi. *Fugatusq; est Abner.* Tertia ibi. *Persequentibus autem.* Circa primum dicitur. *Egressusque est Abner filius Ner*, ideſt, hic describitur principium bellorum gestorum inter Isboseth, & Dauid, & non inceperunt ista bella a principio regni vtriusque: sed iam duo anni elapsi fuerant de regno Isboseth, & Dauid: & hoc est, quod dicitur supra quòd Isboseth duobus annis regnauit super Israel, scilicet in pace, antequàm inciperent bella, de quibus hic: postea autem regnauit quinque annis in bellis. *Et pueri Isboseth*, ideſt serui Isboseth: pueri enim non denotant hic ætatem, sed subiectionem, & iste modus est frequentatus in scriptura: sic enim accipitur præcedenti libro cap. 21. & 25. de pueris Dauid. *De castris in Gabaon.* Non ponitur hic Gabaon in ablatiuo tanquàm essent castra in Gabaon, sed ponitur in accusatiuo, s. quòd veniebant de castris in Gabaon: & ponitur hic in Hebræo. *Mahanaim.* quod æquiuocum est ad castra, & ad locum, vel vrbem, sicut supra accipiebatur. Et est sensus, quòd Abner, & serui Isboseth egressi sunt de castris, ideſt de loco, in quo erant castra, scilicet, quia forte Isboseth habebat in aliquo loco congregata castra propter bella, quæ videbat imminere sibi, & inde accepit Abner Princeps militiæ aliquos viros secum, & iuit in Gabaon, vbi occurrit ei Ioab. Sciendum quòd Gabaon est quædam vrbs in sorte Beniamin, vt patet Iosue 18. in hoc loco erat sanctuarium tunc, & fuerat tempore Saulis, fuitque toto tempore, quo regnauit Dauid: quòd patet, quia simto templo Salomonis transtulit Salomon altare holocaustorum, vt patet 2. Paralipo. 1. & posuit illud in templo, quod ædificauerat: vbi tamen altare holocaustorum erat, erat sanctuarium. Fuit autem translatum sanctuarium in Gabaon de vrbe Nobe, quando deleuit illam Saul, de quo præcedenti lib. cap. 22. *Porrò Ioab filius Saruiæ.* Iste Ioab erat Princeps militiæ Dauid: sicut Abner erat Princeps militiæ Isboseth: ideo isti faciebant bella regibus non euntibus illuc. Dicitur de Ioab, quòd erat filius Saruiæ: erat enim Saruia nomen mulieris, quæ tres filios habuit, scilicet Ioab, Abisai, & Asahel: vt patet infra in litera. Ista erat soror Dauid: nam habuit Dauid duas sorores, & septem fratres: nomina sororum erant Ambigail, & Saruia: de Saruia nati sunt tres, scilicet Ioab, Abisai, & Asahel. De Abigail natus est Amasa, qui postea fuit Princeps militiæ Dauid: & occidit eum in dolo Ioab, vt patet infra 20. *Et pueri Dauid egressi sunt.* ideſt viri Dauid egressi sunt cum Ioab, quia ipse erat Princeps militiæ, & ad mãdatum suum totus exercitus mouebatur. *Et occurrerunt eis.* s. Ioab, & pueri Dauid occurrerunt Abner, & pueris Isboseth: hoc autem esse poterat, quia forte iam interciderant inter domum Dauid, & Isboseth aliquæ bellorum origines: & ob hoc conuentum fuerat, quòd duces ex vtraque parte conuenirent ad bellum in loco communi: & tunc occurrerunt sibi apud Gabaon. Aliter potest dici quòd non exierunt isti duces ex vtraque parte ad pugnandum tanquàm conuenissent de pugna inter se, sed vterq; discurrebat per terram suam: nam cùm regnum Isboseth, & Dauid essent hostilia, duces vtriusque partis discurrebant per extremitates regni sui prouidendo vigilanter, ne hostes inuaderent terram eorum ad prædas. Accidit autem quòd isti duo duces occurrerent sibi in extremitatibus regni, & ibi pugnauerunt. Quòd autem non conuenissent intentione pugnandi apparet, quia postquàm conuenerunt dixit Abner, surgant pueri, & ludant coram nobis, & surrexerunt duodecim ex vtraque parte: si tamen habuissent intentionem pugnandi, utrinque tota

tota acies pugnasset. *Iuxta piscinam Gabaon.* ideſt occurrerunt sibi apud piscinam vrbis Gabaon. est enim Gabaon in extremitate sortis Beniamin in confinibus Iudæ & Beniamin: ideo potuerunt ambo duces venire vsque ad illum locum, quilibet per terram suam, erat autem in loco illo piscina, ideſt quædam lacus magna, quæ vocatur piscina per antiphrasin, quia piscibus caret, erat autem ista in agro iuxta vrbem Gabaon. *Et cum in vnum conuenissent*, ideſt, iuxta piscinam illam stetissent: non quidem quòd stetissent in vna congregatione, cùm dicatur immediatè quòd sederunt è regione: sed conuenerunt in vnum, ideſt, apud vnum locum, quia ambo duces erant apud piscinam. *E regione sederunt*, ideſt, sederunt ex opposito, vel a fronte: sunt enim istæ duæ dictiones: quia è est præpositio deseruiens ablatiuo. *Hi ex vna parte piscinæ, & illi ex altera*, ideſt non conuenerunt isti duo duces in vnum locum, quia erant hostes, sed fuit piscina media inter eos, & hinc, & inde nuncij medij discurrebant, per quos Abner & Ioab colloquebantur. *Dixitque Abner ad Ioab.* Hic ponitur origo belli, quia non conuenerant isti duces ad pugnandum, sed ex ludo istorum puerorum secuta est pugna. *Surgant pueri, & ludant coram nobis*, ideſt, surgant aliqui iuuenes ex parte tua, & totidem ex parte mea: & ludant, scilicet, pugnando: nam ars gladiatoria vulgariter ludus vocatur. *Et respondit Ioab surgant.* Consensit Ioab dicto Abner propter duo. Primò quia non putabat viros Iuda minores animo, & robore esse viris Beniamin, vnde poterat confidere in eorum bello. Secundò quia si hoc recusaret videretur timidus, quod esset magnum dedecus, & ex hoc audaciam præstaret hosti.

An Abner & Ioab peccauerint faciendo, quòd surgerent iuuenes ex vtraque parte ad pugnandum.
Quæstio XIIII.

QVAERET aliquis an Abner, & Ioab peccauerunt faciendo quòd pueri surgerent ad se occidendum. Respondendum est, quòd quando bella sunt licita ex ea parte, qua bellum iustum est, licita est occisio, & præda: hic tamen nondum erat bellum ortum, nec erant vtrinque factæ iniuriæ aut damna, propter quę posset aliqua pars fouere iustum bellum. Sed quicunque illud moueret iniustè ageret: nunc etiam non fuit per modum belli introductus iste ludus, sed quia isti duo duces erant ex partibus contrarijs, voluit Abner ostendere fortitudinem regni Isboseth super regnum Dauid, & ad hoc voluit quòd aliqui de parte sua congrederentur singulari certamine cum totidem de parte Ioab: non tamen fuit interposita aliqua conditio de parte vincente: sicut in singulari certamine Dauid, & Goliat. præcedenti lib. ca. 17. Fuit autem secuta mors ex ista pugna puerorum: & manifestè præsumebatur, quòd aliqui morerentur ex tali ludo ad ostendendam fortitudinem: ideo peccatum fuit vtrinque, sed inæquale. Abner quippe peccauit nimis, quia ipse incitauit Ioab ad hoc: secundò quia ad ostendendam virtutem suam volebat, quòd aliqui morerentur: & non erat ista iusta causa pugnæ, præsertim quia istud erat duellum cùm singuli viri singulari certamine pugnarent: vt declaratum est præcedenti lib. cap. 17. Ioab autem non tantùm peccauit, eo quòd ipse non incitauit ad hoc, sed consensit incitanti. Secundò quia quasi coactus hoc egit ne incideret in magnam verecundiam, & daret hostibus occasionem magis audendi contra viros Iuda. Non potest tamen totaliter excusari peccatum Ioab, quia licèt verecundia esset, quòd non susciperet conditionem singularis certaminis, quàm offerebat Abner; tamen potius debuisset ruborem pati quàm iniustæ morti consentire: ideo Deus rectè iudicauit, quia Abner, qui prouocauit ad istam pugnam iniustè, victus est ab eo, quem prouocauerat: quia tamen Ioab non erat prorsus immunis a culpa aliqui ceciderunt de parte eius: sed plures de parte Abner: nam mortui sunt ex parte Abner trecenti sexaginta, ex parte autem Ioab solùm viginti, vt patet infra in litera. *Surrexerunt ergo*, scilicet pueri ex parte Ioab & Abner ad ludendum. *Et transierunt numero duodecim de Beniamin.* Non fuerat dictum quot pueri surgerent: quia tamen ex parte Abner reperti sunt duodecim viri fortissimi, voluerunt illi duodecim congredi cum totidem de viris Ioab, dicitur autem quòd isti viri erant de Beniamin: quia quamquàm Abner esset dux super vndecim tribus, super quibus regnabat Isboseth; tamen solùm accepit istos duodecim viros de tribu Beniamin, eo quòd illi erant fortissimi, & animosi nimis. Nam semel pugnauit tribus Beniamin contra omnes tribus Israel, & obtinuit bis victoriam: occiditque de Israelitis multos ut patet Iudi. 20. accepit etiam Abner viros potius de Beniamin quàm de aliis tribubus, eo quòd isti maius desiderium pugnandi habebant pro Isboseth q̃ cæteri, quia rex erat de tribu eorum. *Ex parte Isboseth filij Saul*, ideſt, isti duodecim surrexerunt pro Isboseth. *Et duodecim de pueris Dauid.* Cùm vidit Ioab duodecim paratos ex parte Abner, elegit totidem de pueris suis viros fortissimos, & isti erant pueri Dauid. *Apprehensoque vnusquisque capite comparis sui*, ideſt cùm essent duodecim vtrinque factum est singulare certamen: & quilibet apprehendit caput comparis sui, ideſt illius, cum quo inibat pugnam tenens illum per capillos, uel per collum: & infixit ei gladium, & sic consumata est pugna. *Defixit gladium in latus contrarij*, ideſt quilibet defixit gladium in latere socij sui, cum quo pugnabat, & fuit hoc factum simul. Erant quippe isti quasi inermes, & tenuerunt se per capillos, simulque se inuicem gladijs percusserunt: & fuit percussio unica, quia quilibet dum percutiebat percutiebatur, & non poterat repercutere præ dolore, & præueniente morte: nec tamen opus erat repercussione: quia ex unico ictu quilibet illorum occubuit. *Et ceciderunt simul*, scilicet, omnes ceciderunt simul mortui, quia omnes simul percussi sunt eadem percussione; nec potuit aliquis euadere gladium comparis sui, quia quasi inermes erant. *Vocatumque est nomen loci illius ager robustorum*, ideſt, ille ager apud piscinam Gabaon, in quo fuit illud bellum, accepit nomen ex bello illorum iuuenum: & dictus est ager robustorum, quia robustissimi, ideſt animosi ualde uidentur fuisse illi iuuenes, qui sic sponte ad mortem iuerunt, nam nullus illorum pugnabat cum spe superuiuendi, sed ut moriens comparem suum hostem occideret. In Hebræo habetur. *Vocatum est nomen loci illius, pars lapidum durorum.* Nam ponitur zirem: quod significat lapides duros: tale enim nomen ponitur Exod. 4. ubi litera nostra dicit: tulit Sephora acutissimam petram: hic tamen æquiuocauit litera Hebraica istud nomen ad uiros fortes, sicut significabat lapides fortes; & ponitur in Hebræo pars, ubi nos dicimus ager. Et est sensus, quòd locus ille uocatus est pars, ideſt, possessio robustorum, quia tamen erat locus ille ager, litera nostra uocauit agrum robustorum. *In Gabaon*, ideſt, iste ager est in Gabaon, scilicet apud urbem, quia ista pugna non fuit intra urbem, eo quòd Ioab non ausus fuisset introire in urbem hostilem: nam Gabaon erat in sorte Beniamin: neque permisissent hoc uiri Beniamin. *Et ortum est bellum durum satis in die illa*, ideſt,

Ager robustorum vbi pueri Ioab, & Abner pugnauerunt.

Universidad de Deusto
Biblioteca

postquàm ceciderunt illi viginti quatuor uiri fortes dolens vtraque pars incitauit bellum, & pugnatum est in acie. *Fugatusque est Abner.* Hic ponitur partis Abner effugatio, scilicet, postquàm mortui sunt uiginti quatuor viri pugnauerunt duæ partes utrinque apud piscinam Gabaon vbi prius erant, & cùm diu pugnassent, tandem præualuit Ioab, & fugati sunt Abner, & pueri sui a pueris Dauid. *Erant autem ibi tres filij Saruiæ.* Ista Saruia erat soror Dauid, & genuit tres filios. De quo primo Paralipom. secundo, *Ioab, & Abisai, & Asael.* Isti fuerunt viri valde famosi; Asael quidem in cursu, vt patet immediatè; Ioab autem, quia fuit princeps militiæ Dauid; Abisai verò, quia erat vir fortissimus, & ponitur in cathalogo virorum fortissimorum Dauid, vt patet infra vigesimo tertio. Iste fuit, qui descendit cum Dauid ad castra Saulis, & accepit lanceam, quæ erat ad caput Saulis. præcedenti libro, capitulo vigesimo sexto, nominantur autem hic isti tres filij Saruiæ: eo quòd immediatè agitur de morte vnius eorum. *Porrò Asael cursor velocissimus fuit.* De hoc laudatur Asael inter omnes homines: & apparet ista velocitas, quia ipse solus persequebatur Abner, cæteri autem de parte Ioab retrogradiebantur non peruenientes ad istum. *Quasi vnus ex capreis, quæ morantur in siluis*, ideſt, tam velox erat, quòd videbatur caprea. Comparauit autem scriptura velocitatem Asael velocitati caprearum, non quòd tanta esset, sed quia erat similis in aliquo. Est enim caprea animal velocissimum, quod aliquo modo pertinet ad similitudinem ceruorum, & sæpe vocatur in scriptura ceruus: sunt enim ista animalia minora ceruis, & velociora, habentia cornua valde recurua: gradiuntur enim super montes altissimos in locis vbi non possunt manere alia quadrupedia: & interdum de altissimis montibus se præcipitantes, super cornua se illæsas recipiunt, vt ait Isidor. 12. Ethymolog. capit. 1. Vocantur autem ista animalia ibices, vt patet præcedenti libro capitulo vigesimo quarto, scilicet, quòd Saul persequebatur Dauid super abruptissimas petras, quæ solis ibicibus peruiæ sunt. De his etiam Iob capitulo trigesimo nono, scilicet. Nunquid nosti tempus partus ibicum in petris, ideſt, partum caprearum. Et dicitur quòd morantur in siluis, ideſt, in locis abruptissimis, ad quæ non possunt peruenire alia quadrupedia, de quibus præcedenti libro capitulo vigesimo quarto, scilicet, super petras abruptissimas, quæ solis ibicibus peruiæ sunt, ideſt, per quas solæ capreæ possunt ambulare, & in quibus nulla quadrupedia morantur. *Persequebatur Asael Abner.* Iam enim fugati fuerant Abner & viri sui: & omnes viri Dauid persequebantur extremos agminis Abner. Asael autem non curans de his, sed præteriens eos peruenit ad primos fugientes in quibus erat Abner, & ista erat admiranda uelocitas, propter quod scriptura præmisit quòd erat velocissimus cursor, sicut capreæ. *Et non declinauit ad dexteram, nec ad sinistram omittens persequi Abner*, ideſt, quamquàm potuisset Asael declinare ad dexteram, vel ad sinistram Abner ad occidendum alios fugientes, vel capiendum spolia eorum: noluit omittere persequi Abner. *Respexit itaque Abner post tergum suum.* Vidit enim, quòd uelociter quidam peruenerat ad eum: conuertit ergo se, vt sciret quis erat: fugiebat enim Abner pedester, & omnes viri sui. Ioab quoque, & viri sui pedestres persequebantur illos, ideo laudatur velocitas Asael; alioquin nihil appareret si equitando pugna facta fu isset. *Et ait: tu ne es Asael?* ideſt, nunquid tu es Asael? Cognoscebat enim Abner Asael, & omnes fratres Dauid, quia quando Dauid erat in familiaritate magna Saulis, fratres sui veniebant sæpe ad eum. Abner autem qui assistebat regi videbat illos, ideo nunc cognouit Asael. *Qui respondit, ego sum.* Erat enim Asael prope Abner, ideo poterant sibi colloqui: licèt ob hoc Abner non desinebat fugere, & Asael persequi illum. *Dixitque ei Abner*, scilicet hortando Asael, ne persequeretur eum. *Vade ad dexteram, siue ad sinistram*, ideſt persequere quem uolueris ad dexteram, siue ad sinistram (quia ex vtroque latere Abner multi fugientes erant) & desine me persequi. *Et apprehende vnum de adolescentibus*, ideſt, occide eum si uis, uel accipe spolia eius non occidendo eum, & non persequeris me. *Et tolle tibi spolia eius*, ideſt postquàm occideris eum accipe spolia sua, vel sine occisione spolia eum. *Noluit autem Asael omittere, quin vrgeret eum*, ideſt, noluit dimittere persequi eum declinando ad aliquem alium. *Rursumque locutus est Abner ad Asael*, scilicet, sæpe eum admonens, ne persequeretur ipsum, quia poterat ex hoc malum incidere. *Ne compellar confodere te in terram*, ideſt, si semper vis me persequi, oportet quòd ego confodiam te in terram, ideſt configam te cum terra percutiendo te cum lancea, ne me vrgeas; ideo expedit tibi, quòd me persequi omittas.

Quomodo Asael, & Abner colloquebantur adinuicem, & non se interficiebant.
Quæstio XV.

QVAERET aliquis quomodo Asael & Abner sibi colloquebantur, & non occidebat vnus alium, cùm essent hostes. Nam videtur quòd potuissent se occidere. Asael quippe poterat occidere Abner, quia apud eum erat, ita vt Abner auersa hasta percutere posset Asael eam manu tenendo, sicut immediatè fecit. Abner quoque potuisset ante hoc occidere Asael, quia ante hoc hortabatur eum desistere a persecutione, & immediatè, vt uoluit, occidit ipsum; ex quo apparet, quòd etiam prius, quando hortabatur eum, potuisset occidere illum: neuter tamen alium occidere volebat, quia Asael non intendebat occidere Abner, sed capere eum viuum, vt esset sibi magna gloria. Abner autem nolebat occidere Asael, quia nondum fuerat tantùm bellum aut tanta ruptura utrinque, quòd Asael, qui erat quasi princeps ex parte Dauid, cùm esset frater Ioab, deberet occidi: ideo nolebat Abner occidere eum, quia illo occiso deteriorarentur negocia, & non posset pax reintegrari. Abner tamen expectabat quòd faciliter ista ad concordiam reducerentur: quia istud bellum paruum fuerat; nisi ergo magna necessitas eueniret nolebat occidere Asael; & hoc significat litera sequens, scilicet. Et leuare non potero faciem meam ad Ioab fratrem tuum, scilicet, si te non occidero faciliter potero pacificari cum Ioab, te tamen occiso non potero respicere fratrem tuum ad aliquam concordiam cau sandam, quia habebit me in hostem. Ad ultimum tamen Abner compulsus fuit occidere Asael. *Et leuare non potero faciem meam ad Ioab fratrem tuum*, ideſt, non potero uidere eum sine uerecundia, quasi crimen contra eum egerim occidendo te. Dixit hoc Abner de Ioab, quia iste erat princeps militiæ Dauid, & per eum & Abner concordari debebant negocia utriusque regni, cùm ambo essent duces utrinque, sic enim factum est post: nam mortuo Asael, Ioab occidit Abner in dolo, vt patet sequen. capi. *Qui audire contempsit, & noluit declinare.* Rectè hortabatur Abner ipsum Asael, non quasi hostis, sed infelix Asael cupidine

dine gloriæ noluit acquiescere exhortationi, & sine aliqua vtilitate belli occubuit, cùm esset vir famosus, & clariori morte dignissimus. *Percussit ergo eum Abner.* Scilicet, quia nolebat desistere persequi illum. *Auersa hasta.* Nicolaus, & Andreas, & Rabanus dicunt, quòd non percussit Abner ipsum Asael ferro lanceæ, sed conto, ideo auersa hasta dicitur, ideſt non conuerso ferro ad percutiendum, sed ligno. Hoc tamen non multum videtur, quia si Abner percussisset Asael conto, non habuisset voluntatem occidendi eũ, cùm non posset illum conto occidere; volebat tamen occidere eum, vt desisteret à persecutione ipsius, ergo ferro, & non conto percussit eum. Item quia ilico, vt Abner percussit Asael morruus est: si tamen eum conto percussisset, non fuisset mortuus, immo nec vulneratus, cùm non potuisset contus penetrare viscera eo modo, quo Abner percutiebat eum, scilicet, fugiendo: apparet ergo quòd cum ferro occiderit. Item quia si Abner percussisset Asael conto, concitauisset Asael contra se ad occidendum ipsum: non ergo erat verisimile, quòd percuteret eum conto, cum ista percussiò non proficeret ad occidendum hostem, sed ad prouocandum eum contra se. Dicẽdum igitur, quòd Abner percusserit Asael ferro. Cùm autem dicitur, quòd percussit eum auersa hasta, non est sensus, quòd conuerterit cõtum, sed quòd conuerterit hastam, scilicet, quia Abner fugiens portabat ferrum hastę cõtra illam partem ad quam fugiebat, ad percutiendum autem Asael conuertit ferrum ad partem posteriorem cõtra Asael; & sic auersa hasta. *In inguine.* Ista fuit causa quare mortuus est Asael immediatè: nam viscera fluxerunt per inguinis rupturam. In Hebræo habetur. *Percussit eũ auersa hasta in quinta.* Et vocatur quinta, scilicet, quinta costa; & idem est quòd locus inguinis. *Et transfodit.* Ideſt penetrauit viscera Asael, quia erat lancea acuta, & non habebat arma Asael. *Et mortuus est in eodem loco.* Ideſt, postquam percussus est Asael, nõ potuit vltra persequi Abner, sed ilico corruit mortuus in terram in eodem loco, in quo percussus est. *Omnesque, qui transibant per locum, in quo ceciderat Asael, & mortuus erat, subsistebant.* Ideſt, viri de parte Ioab, quando veniebant ad locum, in quo iacebat mortuus Asael mirabantur, & subsistebant modicum ad contemplandum eum, & sic impediebantur aliqualiter à persecutione Abner. Sic enim fuit quando Ioab occidit Amasa in via, cùm persequebatur Siba filium Borei: nam omnis populus veniens ad locum, vbi erat Amasa subsistebat. Ideo quidam amouit eum de via, ne populus impediretur in persecutione hostium, infra vigesimo. Nemo tamen amouit nunc Asael de via, quamquam omnes transirent, nec tamen propter hoc desistebant persequi Abner.

An viri, qui inierunt certamen peccauerint.
Quæstio. XVI.

QVAERET aliquis de. 24. viris fortibus, qui supra mortui sunt, an peccauerint iniendo certamen. Aliquis respondebit, quòd non, quia isti erant sub potestate Ducum suorum, quibus obedire debebãt, & fecerunt id quod iussum est eis. Respondendum tamen, quòd peccauerunt, primò quia isti videtur voluisse congredi singulari certamine ad ostentandam fortitudinem suam, quod illicitum erat. Item quia dato, quòd isti essent sub potestate Ducum, & iuberetur eis hoc facere: non tenebantur, nec debebant, quia illicitum erat, ideo licèt Domini præciperent, potius debuissent omnia mala pati, quàm consentire malo: si tamen apparebat aliqua causa propter quam hoc esset licitum, vel saltem reduceretur in dubium an esset licitum vel illicitum, debebant obedire Dominis suis in dubio, & non peccabant.

An viginti quatuor viri simul occisi perierint æternaliter.
Quæstio. XVII.

QVAERETVR vlterius, an isti. 24. viri simul occisi perierint æternaliter. Aliquis dicet, quòd sic, quia isti peccauerunt pugnando, & in ista pugna mortui sunt, ergo perierunt in peccato mortali, & consequenter damnati sunt. Respondendum, quòd quamquàm de istis non omnino constet, an peccauerint pugnando: tamen magis tenẽdum est, quòd peccauerint, quàm oppositum, quo præsuppositio dicendum, quòd isti poterant perire æternaliter, vel non. Volunt enim aliqui necessarium esse, quòd si peccauerint in pugnando perierint æternaliter, eo quòd in illo actu peccandi mortui sunt. Sed dicendum, quòd non sequitur ex hoc, quòd perierint, quia quamdiu ipsi pugnabant erant in peccato, eo quòd poterãt desistere, cùm tamen quilibet eorum percussus est, & iam non poterat pugnare, non erat in actu peccati, ideo poterat tunc dolere de iniusto certamine inito. Et quia dolor ille potest esse in instanti, habebant spatium isti viri ad hoc, quòd dolerent de iniustè commissis, & saluarentur. Ecclesia tamen de istis magis opinatur, quòd pereant, quàm quòd saluentur, ideo non concedit eis sepulturam, vt patet extra de sepul. cap. ex parte parentum, vbi dicitur de muliere illa, quę proiecit se in aquam, ne desloraretur, quòd si illa se spontè in aquam proiecit, ne caperetur, careat Ecclesiastica sepultura: si tamen nolens se proijcere, sed putans effugere manus illorum, qui eam tenere volebant, casu cecidit in aquam, sepelienda est. Hoc autem distinguit Ecclesia, quia putat in primo casu illos, qui sic agunt, mori in peccato mortali: in secundo autem non. Sed manifestum est, quòd etiam illi de primo casu possunt saluari: nam dato, quòd illa mulier se spontè in aquam proiecerit, & in hoc peccauerit: antequam moreretur, poterat dolere, quòd malè egisset, cùm ad hoc sufficiat instans, & sic non moreretur in peccato mortali, sed saluaretur. Hoc tamen quamquàm possibilè sit, magis est contrarium verisimile, ideo illud Ecclesia opinatur. *Persequentibus autem.* Hic ponitur belli cessatio ad petitionem Abner, & dicitur. *Persequentibus autem Ioab, & Abisai.* Ideſt Ioab, & Abisai persequebantur Abner: non solùm isti persequebantur Abner, sed etiam cæteri viri, qui erant cum Ioab: fit tamen mentio de istis duobus, quia ambo erant quasi principes: nam Ioab erat princeps militiæ Dauid, Abisai autem erat frater eius: ideo computantur ambo tanquam principes; Asael autem iam mortuus erat, ideo quamquàm esset frater Ioab, non computatur ipse hic, sed solùm Ioab, & Abisai. *Abner fugientem.* Non solùm intelligitur de Abner, sed etiam de omnibus viris ex parte Isboseth: nominatur tamen solus Abner, quia erat princeps. *Sol occubuit.* Ideſt accidit, quòd Sol occideret, dùm ista fierent, & istud fuit, causa aliqualis cessationis belli. *Et venerunt vsque ad Collem aquæductus.* Ideſt viri Abner fugientes, & viri Ioab persequentes peruenerunt ad Collem aquæductus, ideſt vsque ad quendam montem, per quem deriuabatur aqua veniens in vrbem Gabaon: & fortè erat ib. fons,

de

c. & An-
tas, & Ra
ius im-
gnantur.

Tres filij Saruiæ soro ris Dauid.

Contrario potest in instanti.

Universidad de Deusto
Biblioteca

de quo deriuabatur aqua illa. In Hebræo habetur *Ama*. Vbi nos habemus aquæductum, & ad idem redit; quia ama, & amaim significant aquam. *Qui est ex aduerso vallis, & itineris deserti Gabaon*, ideſt iſte aquæductus veniebat contra quandam vallem, & iter Gabaon, per quod ibatur de Gabaon in desertum. *Congregatique sunt filij Beniamin ad Abner*, scilicet, quando Sol occubuit filij Beniamin, qui ibant cum Abner noluerunt fugere vlterius, sed congregati sunt in locum vnum ad Abner.

Cur exercitus Abner fugere cessauit.
Quæstio. XVIII.

QVAERET aliquis, quare nunc filij Beniamin cessauerunt fugere, cùm ante hoc nullo modo possent resistere viris Ioab, ita vt manerent in vno loco. Respondendum est, quòd filij Beniamin cessauerunt nunc fugere propter duas causas. Prima fuit, quia nunc occidebat Sol, & si per noctem filij Beniamin vellent fugere dispergerentur huc & illuc nescientes loca fugæ, ideo perirent plures; voluerunt igitur potius cessare a fuga. & hoc significat litera, dicens, quòd occubuit Sol; innuens quòd occasus Solis fuit causa cessationis. Secunda causa fuit, quia filij Beniamin ante hoc non habebant locum, ad quem possent confugere, & in quo se defenderent: nam in plano impares bello erant viris Ioab: ideo dum fuerunt in plano semper fugiebant. Cùm autem occubuit Sol peruenerunt ad quendam collem, & ibi cõgregati sunt putantes quòd possent ex ipso loco defendere se: non permittendo accedere viros Ioab, & ista est causa potissima, ideo litera dicit, quòd conglobati in vnum cuneum steterunt in summitate vnius tumuli, scilicet, vt inde se defenderent. Ante hoc autem non inuenerant aliquem tumulum, in quem ascenderent: ideo fugerunt vsque ad Solis occasum, quia tunc ascenderunt in montem confidentes in loco. *Et conglobati in vnum cuneum steterunt*, ideſt factus est vnus cumulus de eis, quia prius diuisim fugiebãt sicut melius quisque fugere poterat. *Steterunt in summitate tumuli vnius*, ideſt super verticem vnius collis. Vocatur collis tumulus, quasi tumens tellus, quia eleuatur: & in hoc tumescit super aliam terram.

An bellum inter Ioab, & Abner erat licitum ex aliqua parte. Quæstio XIX.

QVAERET aliquis, an bellum istud, quod Abner, & Ioab nunc gesserunt esset licitũ ex aliqua parte. Pro quo sciendum, quòd istud bellum ortum est ex pugna viginti quatuor virorum robustorum, qui mortui sunt. Nam a principio intendebant illi duo Duces ostendere fortitudinem exercitus sui, ideo quilibet ex parte sua fecit surgere duodecim viros ad pugnandum, quasi ad experiendum, & quia omnes illi simul occubuerunt, vt patet supra, vtraque pars stimulata dolore pro morte virorum suorum fortissimorum pugnam egit contra aliam; vnde dicitur, quòd ortum est bellum satis durum in die illa. Nunc autem dicendum, quòd neutra istarum partium habebat ius pugnandi, quia ex communi consensu Ducum pugnauerunt illi viri viginti quatuor, ideo licet perierint non habebant ius querelæ, quia ipsi consenserunt: volenti autem non fit iniuria nec damnum. Si ergo vtraque pars contra aliam bellum mouere voluit stimulata dolore virorum occisorum ex parte sua, dicendum quòd tam Abner, quam Ioab peccauerunt pugnando: cùm non esset iusta causa pugnę ex aliqua parte. Si autem dicatur quòd aliqua pars istarum post mortem viginti quatuor virorum bellum mouerit, & alia se defenderit, & postea pugnauerit, peccatum fuit in aggrediente solùm. *Et exclamauit Abner ad Ioab*, scilicet, postquam fuit in summitate montis, voluit quòd cessaret bellum, ideo clamauit ad Ioab, quòd cogeret viros suos cessare a bello. *Et ait; num vsque ad internitionem tuus mucro deseuiet?* ideſt nunquid tandiu vis pugnare, & occidere nos quousque omnes deleueris? quasi dicat, non est bonum.

Cur Abner suadebat Ioab, vt a bello cessaret. Quæst. XX.

QVAERET aliquis, quare Abner dicebat istud. Nam hostium conditio est, quòd pugnent quousque deleant hostes suos, & hoc eis summum gaudium est. Abner tamen & Ioab erant hostes pro parte Isboseth & Dauid, ideo videtur quòd Ioab deberet habere animum delendi omnes viros Abner, si posset; & Abner non poterat conuenienter dicere istud verbum. Respondendum est, quòd Abner conuenienter dixit istud, & profuit verbum suum: nam ilico vt locutus est ad Ioab cessauit bellum. Motiuum autem Abner ad suadendum hoc Ioab fuit duplex. Primum, quia vtile erat Ioab, & viris suis cessare à persecutione illa: nam viri Abner fugiebant quasi victi: si autem viri Ioab permitterent eos fugere, ipsi nulli nocerent de viris Ioab: si tamen semper vellent eos persequi, cogerentur viri Abner se defendere; & tunc ex desperatione durissimè pugnarent contra viros Ioab: in quo periculum immineret eis: nam periculosum est contra hominem desperantem pugnare: nam omni difficultati se opponet, de vita curam non agens, quod esset in magnum periculum Ioab; ideo consensit cessare ex causa sua. Istud significatur in verbis Abner, cùm dixit ad Ioab. An ignoras, quod periculosa sit desperatio, ideſt quòd periculosum est pugnare contra hominem desperantem. Secundum motiuum fuit, quia putauit Abner, quòd faciliter consentiret Ioab verbis eius, eo quòd non erat causata hostilitas inter illos: nunquam enim pugnauerant domus Isboseth & Dauid vsque nunc: & ista pugna fuit accidentalis, ideo credebat Abner, quòd Ioab cessaret, si ipse loqueretur ei; & hoc potissime, quia tam viri Abner, quàm Ioab erant Iudæi, & videbatur iniustum valde esse certamen inter eos. Hoc autem innuit Abner, dicens: vsquequo non dicis populo, vt omittat persequi fratres suos, q. d. non sumus hostes, sed fratres: ideo non debemus pugnare ad totalem deletionem sicut hostes, sed sufficit pugna præterita. Hoc autem sic concipiebat Ioab: nam nondum putabat plenam inimicitiam causatam inter eos. Ideo ilico, vt locutus est Abner, iussit Ioab cessare viros à pugna, & prius fecisset cessare, si locutus fuisset prius Abner, vt patet infra, scilicet, viuit Dominus si locutus fuisses mane, recessisset populus persequens fratres suos. Sciendum autẽ, q̃ sicut Abner putabat, q̃ Ioab cessaret ipso loquente, ita ipse habebat animum q̃ si viri Ioab victi, & fugati fuissent à viris Abner, & petiuisset Ioab cessationem pugnæ, ipse fecisset desistere viros suos. Quod patet, quia Abner nolebat facere totum malũ, q̃ poterat.

Nam

Nam cùm Asael persequeretur eum à principio, potuisset eum occidere faciliter, sicut postea fecit admonendo ipsum, vt desisteret, ne compelleretur eum occidere, & tamen noluit eum occidere, quousque sæpe eum admonuit. Item dixit, quòd si occideret eum, non posset leuare oculos coram Ioab, ergo dato, quòd fuisset istud bellum, nondum erat plena hostilitas: sed habebat Abner animum concordandi cùm Ioab. *An ignoras, quòd periculosa sit desperatio?* Ideſt nescis, quòd periculum sit pugnare cum desperato? & tamen si tu non desistis persequi nos, pugnabis contra vt desperantes, & erit tibi magnum periculum. Dicitur autem periculosa desperatio, nõ ei qui desperat, sed ei, contra quem desperatus pugnat. *Vsquequo non dicis populo.* Scilicet viris tuis qui erant in magna multitudine, & vocantur populus. *Vt omittat persequi fratres suos?* q. d. iam tempus erat, quòd præciperes viris tuis cessare à pugna, quia non persequuntur hostes, sed fratres suos. Omnes enim Israelitæ vocabantur inter se fratres, quia erant filij eiusdem viri, scilicet, Iacob, & sic scriptura vocat omnes Hebræos inter se fratres, vt patet Leuit. 25. & Deute. 15. *Et ait Ioab, viuit Dominus.* Modus iurandi est. Consensit, enim Ioab immediatè, & voluisset prius consensisse, si locutus fuisset Abner. *Si locutus fuisses mane.* Ideſt si istud quod nunc dicis, dixisses mane, ideſt in principio belli, immediatè cessasset bellum, & non fuisset inflictum aliquod malum. *Recessisset populus persequens fratres suos.* Ideſt, populus meus recessisset desistens persequi viros tuos, qui sunt fratres nostri. Aliqui dicunt, quòd litera debet sic se habere, scilicet. *Si non locutus fuisses mane.* Ideſt si nõ dixisses à principio diei, surgant pueri, & ludant coram nobis, cessauisset populus persequi fratres suos. q. d. illud fuit occasio belli. Sed ista sententia non stat. Primò, quia litera contraria est: secundò, quia dato quòd litera esset, vt ipsi volunt, repugnaret intentioni Ioab: nam tunc esset sensus, si non locutus fuisses mane, dicẽs: surgant pueri, recessisset populus, &c. quia tamen locutus fuisti istud, non recessit populus, hoc tamen non intendebat Ioab, quia non obstante verbo illo Abner, iussit mox cessare à bello, ideo non debet sic intelligi litera, sed sicut prius dictum est. *Insonuit ergo Ioab buccina.* Ideſt dedit signum in buccina, vt viri sui desisterent à bello: per buccinam quippè signum datur bellandi, & cessandi à bello, & ad multa alia secundum varietatem clãgoris. *Et stetit omnis exercitus.* Scilicet, omnes viri de parte Ioab non audentes vlterius quicquam agere contra hostes: erat quippè contra militarem disciplinam, quòd dato signo cessandi aliquis pugnet. *Nec persecuti sunt vltra Israel.* Ideſt non persecuti sunt viros Abner amplius in illa noctè. Fuerunt tamen alio tempore persecuti illos, quia post hoc fuerunt multa bella inter domum Dauid, & Isboseth, vt patet 2. q. c. scilicet. Facta est longa concertatio inter domum Saul, & domum Dauid. *Nec iniere certamen.* Ideſt non persecuti sunt viri Ioab viros Abner fugiendo, nec etiam instituerunt aciem ad pugnandum contra illos in monte, quod est inire certamen.

Ioab quare cessauit à persecutione Abner, cùm sciret eum occidisse fratrem suum. Quæstio. XXI.

QVAERET aliquis, quomodo Ioab voluit desistere à persecutione Abner, cùm ipse iam occidisset Asael fratrẽ Ioab. Nam si iste non fuisset occisus, leuiter potuisset cessare hostilitas: eo tamen occiso, non putabat Abner, quòd faciliter cessaret, ideo ipse dixerat ad Asael, noli me persequi, ne compellar confodere te in terram, & leuare non potero faciẽ meam ad Ioab fratrem tuum. Aliquis respondebit, q̃ Ioab nondum nouerat mortem fratris sui, ideo faciliter cõsensit uerbis Abner, quod aliter non fecisset. Sed hoc non stat, quia Asael corruit mortuus in uia, & ipse precedebat omnes uiros Ioab; unde omnes transierunt postea per locum, in quo ipse mortuus iacebat, & subsistebant parum, ut patet supra, nemo enim eidauer illius de uia abstulit. Ideo dicendum, quòd Ioab cognouerat mortem Asael: consensit tamen cessare à bello, quia Abner iustè occiderat Asael, cùm sæpe admonuisset eum, ut cessaret. Vel aliter dici potest, quòd Ioab cessauit ex causa sua non obstante morte fratris sui, ne pugnaret contra desperatos, sicut dixerat Abner. Vel fortè Ioab quamquàm stimulatus esset dolore nimio pro morte fratris sui, tamen non putauit, q̃ posset eam nunc ulcisci in bello, cùm ipse intenderet occidere Abner pro morte Asael, ideo cessans à bello quasi non curaret de morte fratris distulit ad aliud tẽpus, & postea occidit ipsum Abner per insidias, ut patet seq. cap. *Abner autem, & viri eius abierunt per campestria tota nocte illa.* Ideſt, postquam Ioab cessauit persequi Abner, ipse cum uiris suis ambulauit tota nocte, scilicet quia iam nox erat quando cessauit bellum, ut patet supra: dicitur enim, quòd quando sol occubuit ascenderunt in uerticẽ montis filij Beniamin, & dum ibi manerent cessauit bellum: deinde per totam noctem ambulauerunt per campestria, ideſt per campos sine itinere, quia iam ipsi terram nouerant, & sequebantur breuiorem progressum. *Et transierunt Iordanem.* Scilicet, noctè illa transierunt Iordanem: ibant enim ab Occidente uersus Orientem, quia sors Iudæ, & Beniamin erant ad partem Occidentalem Iordanis. Bellum autem fuerat in sorte Beniamin apud Gabaon: deinde ambulando per noctem uenerunt ad Iordanem, & transierunt illum, eo quòd Isboseth morabatur nunc ad partem Orientalem Iordanis, & ad illum locum ibat Abner. *Et lustrata omni Bethoron.* Ideſt lustrauerunt Abner & uiri sui totam terram Bethoron, scilicet, quia transierunt per illam ad ueniendum in Iordanem, quia Bethoron est media inter Gabaon, & Iordanem. Sciendum autem quòd Bethoron est duplex, quædam uocatur Bethoron inferior, & alia Bethoron superior, & sunt istæ in sorte Ephraim, & Manasse, ut patet Iosue. 16. Hebræi autem accipiunt Bethoron pro nomine appellatiuo, scilicet, pro diuisione, sed non est conueniens sensus, ideo litera nostra accepit ut proprium, quia per terram Bethoron erat transitus Abner. *Venerunt ad castra.* Ideſt Abner & uiri sui uenerunt ad castra, in quibus erat Isboseth. In Hebræo habetur. *In Mahanahim.* Quod significat castra, uel est nomen urbis, magis tamen debet accipi, quòd sit nomen urbis, scilicet, q̃ Isboseth esset tunc in Mahanaim, & illuc ibat Abner. Hoc autem ualde conuenit, quia Mahanaim, siue Manaim secundum literam nostram est ad partem Orientalem Iordanis, ut patet Gen. 32. erat autem in sorte dimidiæ tribus Manasse, ut patet Iosue. 13. ideo ad hoc, quòd Abner de Gabaon, ubi fuerat bellum, ueniret in Mahanaim: oportebat, quòd transiret Iordanem. *Porro Ioab reuersus omisso Abner, congregauit omnem populum.* Ideſt Ioab cessauit persequi Abner, & congregauit omnem populum suum: nam dispersi fuerant uiri Ioab ad persequendum uiros Abner: nunc autem dato signo in buccina, congregauit illos Ioab. *Et defuerunt de pueris Dauid decem & nouem.* Ideſt mortui sunt in bello decem & nouem; duodecim quidem in bello singulari, quando surrexerunt pueri, ut luderent coram Ioab, & Abner, & corruerunt duodecim ex utraq; parte, quãquàm Iosephus duodecim uelit solũ periisse ex parte

Isboseth:

Bethoron duplex.

Isboseth:litera tamen contrarium vult, postea autem F
in pugna mortui sunt septem, antequam inciperent
fugere viri Abner,& sunt decem, & nouem. *Excepto Asaele*. Cum hoc sunt viginti occisi ex parte Dauid.
Asael tamen computatur per se, eo quòd ipse solus
maioris precij erat quàm omnes alij decem & nouẽ
mortui. Sic enim de Dauid erat, qui solus computabatur pro decem millibus viris, sicut dixit Ioab, infra
decimo octauo, scilicet, siue media pars ex vobis ceciderit, non satis curabunt, quia tu vnus pro decem mil
libus computaris. *Serui autem Dauid* Ideſt viri, qui erãt
cùm Ioab, qui erant famuli Dauid. *Percusserunt de Beniamin*. Ideſt, de viris Abner, qui vocantur de Beniamin, quia fortè solùm erant de illa tribu. Vel dato,
quòd essent ibi viri de alijs tribubus, vocantur omnes G
de Beniamin, quia tribus Beniamin erat nunc vt caput, eo quòd Rex erat de tribu Beniamin. Et Abner,
qui erat Dux belli erat de eadem tribu. *Et de viris, qui erant cum Abner*. Ponitur &, pro ideſt: quia non erant
viri de Beniamin alij a viris, qui erant cum Abner.
Triginta, & sexaginta, qui & mortui sunt. Ideſt perierunt
gladio in bello. De parte enim Abner plurimi perierunt, eo quòd fugerunt, & in fuga multi occisi sunt.
Tuleruntque Asael. Scilicet, de loco, in quo mortuus iacebat: erat enim vir honorabilis, cũ esset frater Ioab,
ideo tulerunt eum, ut sepelirent in loco suo. *Et sepelierunt eum in sepulcro patris sui in Bethlehem*. Ad istum
locum duxerunt Asael, quia erat oriundus de illo: to- H
ta quippe cognatio Dauid erat de Bethlehem, vt patet præced. lib. cap. 16. Erat autem consuetudo Iudæis,
quòd vbi sepeliebantur maiores alicuius cognationis, ibi tota cognatio sepeliretur, ideo Asael in sepulcro patris sui sepultus est. De patre autem Asael non
constat quis fuerit, sed solum de matre. Illa enim erat
Saruia soror Dauid. Patrem autem scriptura non nominauit, quia ille non erat de cognatione Dauid, sed
sola mater, quæ propter Dauid nominata est. *Et ambulauerunt tota nocte illa Ioab, & viri sui*. Sicut enim Abner, & viri sui ambulauerunt tota nocte quousque
peruenirent in Mahanaim. Ita Ioab, & viri sui ambulauerunt tota nocte, vt venirent in Hebron. Causa tamen celeritatis motus Ioab fuit, quia ferebant mor-
tuum Asael, ne corrumperetur cadauer in itinere. I
Et in ipso crepusculo peruenerunt in Hebron. Ideſt, ante
ortum Solis venerunt ad vrbem Hebron, in qua erat
Dauid; & prius duxerunt illuc Asaelem mortuum,
deinde tulerunt eum ad sepeliendum in Bethlehem.
Quod patet, quia in ipsa nocte, qua cessauerunt pugnare, venerunt in Hebron in crepusculo: non tamẽ
poterant illa nocte ire in Bethlehem, & sepelire Asaelem, & facere exequias funeris: nam cùm esset vir honorabilis ualde, verisimile est, quòd cum magno honore tumulatus sit. Dicitur autem hic in crepusculo,
quia crepusculum est lux dubia, scilicet, quando non
est determinatè dies, uel determinatè nox. Est autem
Crepusculum quid & quotuplex. duplex crepusculum, scilicet, matutinum, & uespertinum: crepusculum matutinum est totum tempus illud, a quo incipit oriri quidam rubor, uel lux in aere, K
quæ uocatur aurora usque ad ortum Solis. Crepusculum uespertinum est tempus ab occasu Solis usquequo cadat rubor, siue lux quædam manens in
aere. Et ista duo crepuscula sunt æqualia, quia causantur per æqualem distantiam Solis ab horizonte. Est
autem tempus crepusculi quantitas spatij dum Sol
pertransit decem, & octo gradus æquinoctialis secundùm Ptolemæũ: & est una hora, & quinta pars horæ.
Nunc tamen repertum est durare crepusculum per
decem & nouem gradus transitus Solis, & aliquid
plus. Ptolemæus tamen accepit crepusculum magis
apparens: ideo in lineis astrolabij, ubi describuntur

Cap. III.

duo crepuscula, abscinduntur utrinque decem &
octo gradus ascensionis Solis per æquinoctialem:
nos tamẽ uulgariter loquentes crepusculum largius
appellamus. Vnde autem crepusculum oriatur, &
quomodo suspendatur lux in nubibus in tanta distantia, & non maiori Solis ab horizonte, alterius speculationis est.

CAP. III.

TACTA est ergo longa concertatio inter domum Dauid, & inter domum Saulis: Dauid proficiens, & semper seipso robustior: domus autem Saul decrescens quotidie. Natique sunt filij Dauid in Hebrõ: fuitq; primogenitus eius Amnõ.

DEscripta est in præcedentibus Isboseth debilitatio ex debellatione virorum suorum a viris Dauid. Hic agitur consequenter de debilitatione eius ex confœderatione Abner cum Dauid. Et diuiditur in duo, quia primò ponitur Dauid profectus. Secundò Dauid, & Abner fœdus ibi *Cum igitur esset prælium*.

An quæ tractantur in hoc cap. immediatè consequantur superiora. Quæst. I.

QVAERITVR circa primum: an ea, quæ habentur hic, habeant ordinem consequẽtem ad ea, quæ habentur præcedenti cap. Et an fuerint facta immediatè, vel magno tempore post. Ad primum dicendum, quòd ea, quæ habentur hic fuerunt post superiora: nam præcedenti cap. agitur de primo bello, quod fuit inter domum Dauid, & Isboseth. Hic autẽ agitur de multis alijs bellis, quæ postea secuta sunt: nam dicitur hic quòd facta est longa concertatio inter domum Dauid, & domum Saulis: non tamen cõstat, an omnia, quæ habentur hic, fuerint facta post ea, quæ habentur precedenti cap. quia hic dicitur de omnibus filijs, quos genuit Dauid in Hebron: non patet tamen an genuerit aliquos istorum ante bellum, de quo habetur præcedenti cap. potuit enim aliquos primò gignere, eo quòd illud bellum factum est duobus annis postquam cepit regnare Isboseth, & Dauid, vt declaratum est præced. cap. Ad secundum, scilicet, an ista fuerint facta immediatè post præcedentia. Dicendum, quòd paruum tempus fuit inter hæc, & præcedentia, quia immediatè post bellum habitum præcedenti cap. secuta sunt multa alia bella inter domum Dauid, & Isboseth. Et post hæc Abner fecit concordiam cum Dauid: & tunc occidit eum Ioab. Et non fuit magnum tempus inter hæc, sed tota historia est continuata, ita quòd nulla tempora, vel gesta interciderunt inter ea, quæ habentur præcedenti cap. & hic. *Facta est ergo longa concertatio*. Ideſt, factum est longũ bellum. *Inter domum Saul, & domum Dauid*. Ideſt, inter Abner pugnantem pro domo Saulis, & Ioab pugnantem pro domo Dauid: habuit autem istud bellum exordium ex bello præcedenti, quia Abner lustrabat semper extremitates regni Isboseth, ne viri Iuda introirent in illud, & Ioab lustrabat extremitates regni Dauid, ne introirent in illud viri Isboseth: unde aliquando occurrebant sibi Ioab, & Abner, & pugnabant,

bant, sicut supra fecerunt: dicitur autem inter domũ A
Saul & Dauid, quia domus Isboseth uocatur domus
Saulis, eo quod erat Isboseth filius Saulis. *Dauid proficiens*. Ideſt, Dauid in omnibus operibus suis proficiebat. Erat autem iste profectus in duobus. Primò in
prole: nam genuit sex filios in Hebron, quos litera enarrat. Secundò proficiebat in negotiis regni, scilicet,
quia Ioab pugnans ex parte Dauid prævalebat semper contra Abner, & viros Isboseth, sicut prævaluit
præcedenti cap. erat autem iste profectus specialiter
à Deo, quia ipse volebat domum Saulis paulatim de-
struere quousque totaliter exaltaret Dauid. *Et semper seipso robustior*. Ideſt, quolibet die erat robustior seipso, quia in quolibet die suscipiebat continua augmen- B
ta. Sed aliquis dicet, quòd Dauid non poterat esse for-
tior seipso, quia comparatio semper fit inter diuersa:
eiusdem autem ad seipsum non potest esse comparatio, quia idem non habet rationem diuersorum extremorum. Dicendum, quòd Dauid vocabatur fortior seipso, non simpliciter, sed secundum diuersa tẽpora, scilicet quòd quotidie erat fortior quàm præcedenti die, in quo significatur quotidianum augmentum, scilicet, quia non erat aliqua dies, in qua Dauid
non proficeret ad aliquid; & iste modus loquendi est
vsitatus: sic enim dicit Porphyrius, quòd sortes sedẽs
differt à seipso non sedente, & sic Dauid quotidie recipiens aliquid quod prius non habebat, dicitur seipso fortior. *Domus autem Saul decrescens quotidie*. Ideſt, C
regnum Isboseth, quod vocatur domus Saulis, quotidie decrescebat, eo quòd viri sui vincebantur semper
à viris Dauid. *Natique sunt filij Dauid in Hebron*. Hic ponitur multiplicatio Dauid in prole, quod pro magno
beneficio Dei habetur, & dicitur quòd nati sunt in
Hebron isti filij, qui sequuntur, quia ibi habitauit Dauid semper, quandiu fuit Rex super Iudam.

Quare fit hic mentio de filiis Dauid. Quæst. II.

QVAERET aliquis, quare scriptura agit hic mentionem de filijs Dauid. Respondẽdum, quòd hic dictũ est, quòd Dauid semper proficiebat, ideo ponitur hic pro- D
fectus eius. Erat autem iste in filijs,
ideo nominantur filij, quos genuit. Considerandum
autem, quòd apud antiquos habebatur pro magna fœlicitate plures filios gignere, & pro magna infœlicitate carere filijs: & ista erat opinio tam uirorum, quàm
fœminarum. De uiris patet Oseæ. 9. cap. ubi dicitur de
Ephraim: Ephraim quasi auis auolauit, gloria eorum
à partu, & ab utero, & à conceptu, ideſt totum bonũ
eorum est in concipiendo, pariendo, & habendo in
utero filios: ideo cùm uolebat Deus dare magnum
malum alicui, faciebat eum carere filijs. Sic patet alle
gato cap. scilicet, Quid dabis eis? da eis uuluam sterilẽ
sine liberis, & ubera arentia; quòd si enutrierint filios
suos, absque liberis eos faciant in hominibus. Ista etiã E
erat opinio fœminarum; quia putabant se fœlices quãdo pariebãt plures filios: unde Lya, qa pepererat multos filios, & ancilla sua etiam pariebat, dixit, hoc pro
beatitudine mea: beatam quippè me dicent omnes
generationes. Mulieres autem quæ steriles erant, putabant se esse infœlicissimas, & uolebant potius mortem quàm vitam: sic fuit de Rachel, quę cùm non haberet filios, dixit viro suo: da mihi liberos, alioquin
moriar, ideſt, si non facis, quòd habeam filios, volo
mori. De his Gen. 30. cap. propter hoc parentes cùm
benedicebant filiabus suis imprecabantur eis multitudinem prolis. Sic dixerunt cognati Rebecæ ad ipsam: soror nostra es, crescas in millia, & possideat se-

men tuum portas inimicorum suorum. Gen. 24. Ista
quoque erat intentio prophetarum: nam vocabant
fœlicem hominem, qui haberet plures filios. Sic patet
de Moyse: nam cùm benediceret tribubus Israel dixit: Benedictus Aser in filiis. Deut. 33. Isto modo etiã
loquebatur Deus: nam pro benedictione ponebat,
quòd mulieres non essent steriles, vt patet. Exod. 23.
Scilicet, Non erit infœcunda, nec sterilis in terra tua.
Et quando Deus benedixit Abrahæ, quia voluit occidere filium suum ad mãdatum Dei, dixit ei Deus: Pro
hoc quòd fecisti rem hanc multiplicabo semen tuũ,
sicut stellas cœli. Gen. 22. cùm ergo nunc Deus dederit Dauid filiorum multitudinem, ad exprimendũ
cumulum fœlicitatis eius Deus voluit, quod exprimeretur hic de filijs Dauid. Nunc autem in nouo testamento non censetur homo fœlix in multitudine filiorum, ideo non reputatur valde magnum beneficium Dei, quòd alicui filiorum multitudinem dederit, quia alia bona promittuntur in nouo testamento,
ad quæ homines magis attendere debent. *Fuitque primogenitus eius Amnon*. Aliquę Bibliæ habent Ammon,
sed corrupta litera est. Iste est qui defloravit Thamar
sororem suam, & postea occisus est ab Absolone. De
quo infra. 13. *De Achinoam Iezrahelitide*. Hic ponuntur nomina uxorum Dauid, de quibus suscipiebat
istos filios. Et prima fuit Achinoam Iezrahelitis, ideſt,
de vrbe Iezrahel. Ista fuit prima uxor, quam accepit
uiuente Saule, antequam fugeret de terra Israel in ter
ram Philisthinorum. præcedenti lib. cap. 25. Et istam
postea duxit in terram Philisthinorum. eod. lib. c. 27.
Et post eum Cheleab. Iste fuit secundus filius, & uocatus
est alio nomine Daniel, ut patet 1. Paralip. cap. 2. de
isto dicunt Hebræi, quòd uocatus est Cheleab, quia
Cheleab, siue Celaau in Hebreæo interpretatur sicut
pater, uel similis patri. Dicunt enim, quòd aliqui illudebant de isto puero, dicentes, quòd non erat filius
Dauid, sed Nabal Carmelli, eo quòd Abigail mater
huius fuerat uxor Nabal, & dicebant, quòd iam conceperat eum, cùm accepit illam Dauid in uxorem: ob
hoc Deus mutauit faciem pueri, ut totaliter similaretur Dauid: & tunc mutatum est nomen eius primũ,
scilicet Daniel: & uocatus est Cheleab, ideſt similis patri, vel
quasi pater. Sic dicit Ra. Da. Kimhi, sic etiam historia D
scholastica, & Nicolaus. Non tamen est uerisimile,
quod Deus mutauerit faciem pueri postquam natus
est: nec etiam est impositum ei istud nomen propter
similitudinem ad patrem: sed ex sola uoluntate, sicut
multa alia nomina imponebantur viris, & locis sine
aliqua causa. *De Abigail*. Ista fuit secunda vxor, & peperit secundum filium: postea quoque peperit, scilicet, Saphathian, vt patet infra: hic autem non solùm
ponitur nnmerus filiorum, sed etiam ordo. Ideo non
ponitur Saphathias post Cheleab, quamquam ambo
fuerunt filij eiusdem matris. *Vxore Nabal Carmelli*.
Ideſt, Abigail erat vxor Nabal de Carmello: non nũc,
sed fuerat prius, & mortuo Nabal accepit eam in
uxorem Dauid. præcedenti lib. cap. 25. & tamen primo Paralip. dicitur de Abigail Carmelitide, ideſt, qp
habuerit Dauid istum filium de Abigail, quæ erat de
Carmello, eo quòd ibi habitabat. *Porro tertius Absalon*. Ideſt, tertius filius fuit Absalon. Iste fuit pulcherrimus inter omnes filios Dauid. & vt fertur non erat
vir ita pulcher in toto Israel. Habebat autem pulchritudinem nimiam in capillis, & tondebatur quolibet
anno semel, quia grauabat eum nimis cæsaries, ponderabatque capillos capitis sui ducentis siclis pondere publico. infra quartodecimo. Sed iste postea fuit
infidelis patri expellens eum de regno: infra decimo
quinto. *Filius Maacha, filię Tholmai regis Gesśur*. Ista
Maacha erat filia regis, & non erat de stirpe Iudæo-

Filij Dauid quos habuit in Hebron.

rum,

Universidad de Deusto
Biblioteca

rum, sed Gentilis, eo quòd erat filia Tholmai re- F
gis Gessur.

Gessur Rex quis esset. Quæst. III.

QVAERET aliquis, quis erat iste Rex Gessur, cuius Dauid accepit filiam. Respondendum, quòd Gessur est nomen cuiusdam terræ, quæ erat intra terrã Chanaam: & tamen habitatores eius non erant de stirpe Chananæorum. Erat autem modicus populus Gessur apud terram Philisthinorum, & duarum tribuum, & dimidiæ, vt patet Deuter. 3. Israelitæ autẽ poterãt licitè occidere omnes Gessuritas, vel exclude re eos de terra, vt possiderent terram illorum, quia il- G
la erat pars terræ Chanaam, quæ totaliter debita erat Israelitis: noluerunt tamen Israelitæ dispердere Gessuritas, sed miserti sunt illorum permittentes eos viuere inter se: vt patet Iosue. 13. f. Noluerunt que filii Israel dispердere Gessuri, & Machati, & habitauerũt in medio filiorum Israel vsq; in præsentẽ diẽ. Permiserunt quoq; Israelite Gessuritis habere reges de genere suo, & habuerũt illos semper: nã tẽpore Dauid erat Thol mai Rex Gessuri: erat tamen gens ista cũ rege suo tributaria sub rege Israel, cùm permitterẽt eos viuere ex sola misericordia, & habebant iurisdictionẽ Israelitæ super eos. Nam licèt ipsi haberent reges de gente sua, tamen reges Israel dicebantur reges super Gessuri. Sic patet de Isboseth, nam ipse dicitur regnasse super Is- H
rael, & Gessuri. præceden. c. Contra istam gentem pugnauit sepe Dauid, & egit prędam de illa, dum maneret in terra Philisthinorum. prędeden. li. cap. 27. Postea autem Dauid voluit accipere filiam regis Gessuri in vxorem, quam ille libenter obtulit, quia per hoc putabat se habiturum pacem cum Dauid, qui prius erat hostis suus, & nunc efficiebatur gener. Credebat quoque quòd per hoc non tantum grauaretur dominio Israelitarum sicut prius, eo quòd Dauid gener suus liberaret eum ab hac seruitute. Credendum est autem, quòd Dauid accepit vxorem filiam regis huius pauco tempore postquam redijt de terra Philisthinorum mortuo Saule, nam prius nondum acceperat eã; alioquin non egisset tam graue bellum, & prædas in I
Gessuritis. Sed aliquis dicet, quomodo Dauid poterat accipere filiam regis huius in vxorem, quia iam tota gens Gessuritarum deleta erat, quod patet præcedenti lib. c. 27. scilicet. Et percutiebat Dauid omnem terram illorum, nec relinquebat viuentem virum, aut mulierem. ergo iam omnes perierant. Respondendũ, quòd non perierat tota gens Gessuritarum, sed aliquã partem eius paruam diiperdidit Dauid agendo prædas. Et cùm dicitur, quòd percutiebat omnem terram illorum: dicendum, quòd intelligitur solùm de terra illa, in qua prædabatur Dauid, & ista erat quędam pars terræ Gessuri, quia non potuit Dauid prædari in omnibus locis terræ illius. Potissimè quia Dauid habebat secum paucos viros, scilicet, solùm sexcentos, qui non poterant pugnare contra magna oppida, & delere ea; sed solùm agebant prædas per agros in pecoribus, & in hominibus, quos ibi reperiebant, & in locis non habentibus muros: loca autem magna semper manserũt illæsa: & sic poterat manere gens Gessuri. Et cùm dicitur, nec relinquebat viuẽtem virum, aut mulierem, intelligitur de illis, quos capere poterat, scilicet, quia non ducebat eos captiuos in Geth, ne manifestaretur fraus sua. præceed. lib. c. 27. in locis tamen magnis nullum accipiebat, quem posset occidere.

An Dauid peccauerit accipiendo filiam regis Gessur in vxorem. Quæstio. IIII.

QVAERETVR vlterius, an peccauerit Dauid accipiendo in vxorem filiam regis Gessur. Aliquis dicet, quòd sic, quia illa erat Gentilis: Deus autem vetuerat Israelitis accipere vxores de Gentilitate. Exodi 34. & Deut. 7. & Iudi. 2. vbi sub magna obseruatione hoc Deus teneri iubebat. Nec potest aliquis respondere, quòd ista esset Hebræa, quia inter Hebræos tempore Dauid solùm erant duo reges, scilicet, ipse, & Isboseth; ideo necesse est, quòd Tholmai Rex Gessur esset Gentilis, & consequenter filiam suam non poterat accipere Dauid. Aliquis respondebit, quòd Tholmai erat Gentilis, & tamen non erat de stirpe Chananæorum, ideo Dauid poterat accipere licitè filiã eius in vxorem conuertendo illam ad ritum Iudaicum. Quod autem obijcitur Exod. 34. Deut. 7. & Iudi. 2. intelligitur de filiabus Chananæorum. Quod patet, quia dicitur ibidem, non inias pactum cum hominibus regionum illarum, scilicet, Chananæorum, & sequitur: nec vxorem accipias de filiabus eorum filijs tuis; de alijs ergo gentibus poterat accipi vxor pro Iudæis. Et hoc verum est, quòd directè Deus vetuit filias Chananæorum accipi in vxores, intelligebatur tamen etiã de alijs gentibus. Quod patet, quia Israelitæ, qui acce- H
perunt vxores de Moabitis, Ammonitis, & Aegyptijs coacti sunt dimittere eas per Esdran. vt patet. 1. Esdræ. c. 9. & 10. Si tamen solũ intelligeretur de filiabus Chananæorum, non coacti fuissent dimittere vxores illi, qui acceperant eas de Ammonitis, Moabitis, & Aegyptijs, & tamen isti compulsi sunt eas relinquere. Dicendum est igitur, quòd Iudæis erat illicitum vniuersaliter accipere vxores de Gentilitate. Magis tamẽ erat illicitum, si acciperent eas de Chananæis, quàm de alijs Gentibus, eo quòd ille facilius poterant inclinare animos Iudæorum ad colendum Idola, cùm ipsæ essent incolæ terræ illius, quàm mulieres Gentiles adductæ de alijs gentibus. Et istam causam Deus tãgit in præcepto isto præallegatis capitulis. Erant tamen I
duo casus, in quibus licebat accipere mulierẽ de Gentilitate in vxorem. Primus erat, quando in bello accipiebantur mulieres, nam tunc poterat quilibet accipere in vxorem quamcumque vellet de captiuis. Deut. 21. Secundus casus erat, quando aliqua mulier de Gẽtilitate erat conuersa ad Iudaismum: nam tunc Israelitæ poterant accipere has in vxores, quia iam non vocabantur Gentiles, sed pertinebant ad ritum Iudaicũ. Sic patet de Booz, qui accepit Ruth in vxorem, quæ erat de Moabitis, & iam erat cõuersa ad Iudaismum. Hoc autẽ licitè fecit Booz: immo videtur, quòd obligatus erat ad faciendum ipse, vel alius cognatus eius: nã ex eo quòd cognatus Booz noluit accipere Ruth in vxorem, priuatus est iure successionis Maalon, qui K
fuerat primus vir Ruth: & trãsiuit successio ad Booz, vt patet Ruth. 4. si tamen illicitum fuisset accipere illã in vxorem, nõ caruisset ille cognatus Booz successione, non accipiendo Ruth; quia lex neminem obligat ad illicitum. Isti duo casus intelliguntur in mulieribus, quæ non erant de filiabus Chananæorum, quia filias Chananæorum in nullo casu accipi licebat. De primo patet, quia quando pugnabant Israelitæ contra gentes Chananæorum, non poterant seruare aliquam mulierem ad accipiendum in vxorem, aut vendendum, vel subijciendum in seruitutem: sed cogebantur occidere omnes tam viros, quàm fœminas, paruulos, & senes. Deut. 20. Casus secundus non tenebat in Chananæis, quia nunquam mulieres Chananæorũ

conuer-

conuertebãtur ad Iudaismum: nam etiam si ipsę vellent, non permittebant Israelitæ, quòd conuerterentur, sed occidebant eas, quia Deus sic iusserat. Nunc autem de Dauid dicendum est, quòd licitè potuit accipere in vxorem filiam Tholmai regis Gessur, quia fortè accepit illam in bello, cum sæpè pugnaret contra Gessuritas: vel fortè conuersa est ad Iudaismum, & tunc illam accepit. Hoc autem secũdum verisimilius est, quia toto tempore quòd Dauid pugnauit, & prædas egit contra Gessuri: non adduxit secum aliquem captiuum virum, aut fœminam, vt patet præcede. lib. c. 27. *Quartus autem Adonias.* Iste fuit quartus filius in ordine, & fuit vir prudens, vnde conciliauit sibi animos militiæ, & conatus est fieri Rex, viuente Dauid & ignorante. seq. lib. cap. 1. Hunc postea occidit Salo- B
mon frater eius, quia petiuit vxorem regis Dauid in vxorem. eo. lib. cap. 2. *De Haggith.* Ista non apparet, quæ mulier fuerit, vel de quo genere. *Et quintus Saphathia filius Abigail.* Ista peperit istos duos filios Dauid, scilicet Cheleab, & Saphathia. Ista uocatur in Hebræo Abital. Sic etiam vocatur. 1. Paralipo. 3. ubi ponitur nomẽ eius bis: nam cùm dicitur, quòd peperit Cheleab, vocatur Abigail, & cùm dicitur, quòd peperit Saphathiam uocatur Abital. Ex quo aliqui putant duas fuis- C
se mulieres, sed eadem est. *Sextus quoque Iethraam.* Iste fuit ultimus filius, quẽ habuit Dauid in Hebron: alios autem postea habuit in Ierusalem, dum esset Rex super totum Israel. De quibus habetur infra quinto, & 1. Paralipo. 3. Iste Iethraam uocatur alio nomine secũdum Iosephum. 7. Antiquitatum, scilicet. Nathan. *De Egla vxore Dauid.* Idest iste natus est de Egla, quæ erat uxor Dauid specialiter.

An Michol fuerit vocata Egla vxor Dauid. Quæstio. V.

QVAERET aliquis, quomodo vocatur ista Egla vxor Dauid, quia etiam omnes præcedentes erant vxores illius. Ad hoc respondent Hebræi, quòd ista fuit Michol filia Saulis, & vocatur vxor Dauid, scilicet, specialiter. Hoc autem aliqui volunt, quia ipsa erat filia regis, & erat de maiori genere, quàm omnes aliæ D
vxores eius. Sed non stat, quia etiam Maacha erat filia regis Gessur: Vocatur tamẽ Michol vxor Dauid, quia licèt Hebræi possent accipere multas vxores, illa tamen, quæ prius accipiebatur erat propriè vxor, alię autem non vocantur tam propriè vxores; immo scriptura vocat eas sæpe concubinas. Sic patet de Agar, & Cethura vxoribus Abrahæ. Nam Abraham cœpit Agar in vxorem, & non in concubinam. Gen. 16. cœpit quoque Cethuram in vxorem. Gen. 25. postea tamen vocantur ambæ concubinæ Abrahæ, quia erant secũdariæ vxores, & Sara vocatur vxor, quia erat prima: sic autem Dauid accepit Michol in vxorem primam. prę cedenti libro cap. 18. deinde accepit alias, quando illa fibi ablata est: ideo illa propriè vocatur vxor: Ista autẽ E
genuit filium sextũ, scilicet, Iethraam. Sed contra hoc obijcietur, quòd non fuerit Michol, quia ipsa non peperit aliquem filium Dauid, vt patet infra sexto, scilicet. Igitur Michol filiæ Saul non est natus filius vsque ad diem mortis suæ. Ad hoc aliqui respondent, quòd peperit tempore mortis suæ filium Iethraam. Hoc videtur sentire Rabanus, & Glos. ordinaria, dicens: Egla est Michol, quæ sola dicitur vxor, quia eam Dauid in adolescentia sua primam sortitus est vxorem, hæc in partu dicitur occubuisse. Hoc idem tenet Nicolaus dicens, quòd ista Michol vocata est Egla, idest vitula secũdum Idioma Hebraicum, & hoc dicitur propter teneritudinem amoris, vel quia accepit eam in tene- A
ra ætate: vitula enim paruam ætatem signat. Si tamen istam positionem aliquis tenere velit, melius posset respondere ad id quod habetur infra sexto, scilicet, q̃ Michol non habuit filios vsque ad diem mortis suæ, verum est postquam increpuit Dauid saltantem coram Domino, quia illud fuit sibi datum in pœnam: ante hoc tamen non tollitur, quin habuerit filios. Ista est positio communis tam Latinorũ, quàm Hebræorum de Egla. Idem enim tenet Scholastica historia, & Andreas. Sed hoc non potest stare, quia hic dicitur q̃ isti filij nati sunt Dauid in Hebron: nunquam tamen habuit Dauid Michol in Hebron, vt quidam volunt vsq; ad finem temporis, quando recessit de Hebron: vnde Historia scholastica vult, quòd Michol peperit in Hebron, non quidem quando regnabat Dauid in B
Hebron, sed postea cùm ipse esset in periculo mortis descendit de Ierusalem in Hebron, & ibi peperit, & mortua est, ideo quidam de nouis volũt totaliter improbare positionem de Egla. Potest igitur dici, quod Egla fuerit Michol, & peperit in Hebron, quia Abner duxit eam ad Dauid quando regnabat in Hebron, vt patet infra in litera: melius tamen videtur dicendum, quòd fuerit aliqua alia mulier, eo quòd de Michol dicitur, quòd non natus est ei filius vsque in diem mortis suæ, ideſt nunquam, & tunc dicetur, quòd Egla vocatur vxor Dauid, quia eam inter cęteras specialius diligebat: vel quia erat de paruo genere, & non habebat aliam excellentiam, nisi quòd erat uxor Dauid. *Hi nati sunt Dauid in Hebron.* Ideſt, isti sex filij nati sunt Dauid, C
dum regnaret in Hebron; quod dicitur ad differẽtiam illorum, qui nati sunt in Ierusalem, dum Dauid regnaret super totum Israel; de quibus infra quinto, & primo Paralip. 3. Ex hoc excluditur dictum Historiæ scholasticæ, scilicet, quòd Michol descendit de Ierusalem, vt pareret in Hebron, & peperit ibi Iethraam. Nam isti, qui nati sunt hic, fuerunt nati, dum regnaret Dauid in Hebron. Michol tamen non mortua est, quando regnabat Dauid in Hebron: sed in Ierusalem. *Cùm igitur.* Hic ponitur secundum huius cap. scilicet, Confederatio Abner cum Dauid & eius occasio.
confœderatio Abner cum Dauid. Et diuiditur in duo, quia primò ponitur confœderationis occasio. Secundò ipsa confœderatio ibi. *Misit ergo.* Circa primum dicitur. *Cùm igitur esset prælium inter domum Saul, & domum Dauid.* Ideſt, inter domum Isboseth, quæ vocatur domus Saulis, & domum Dauid. Istud bellum fuit longum, sicut dicitur supra in litera, scilicet, facta est longa concertatio inter domum Saul, & domum Dauid. Et istud bellum habuit ortum ex illo, quod habetur præceden. c. *Abner filius Ner regebat domum Saul.* Ideſt, ipse erat princeps militiæ Isboseth, sicut fuerat princeps Saulis. Ioab autem erat princeps domus Dauid, & isti ambo sæpe pugnabant. In Hebręo habetur. *Abner confortabat domum Saul.* Quod ad idem pertinet, quia per regimen confortabatur domus: nam vbi rector non est corruet populus. *Fuerat autem Sauli concubina nomine Respha.* Ista fuit occasio confœderationis Abner cum Dauid. Dicit enim Historia scholastica, quòd Respha erat pulcherrima, ideo concupit eam Abner. Dicit etiam Nicolaus, quòd Respha non erat concubina, sed vxor: Vocatur tamen concubina Vxores quã doq; concubinæ appellantur.
more scripturæ, quæ primas uxores appellat propriè uxores, alias autem interdum uocat concubinas. Sic patet de Agar, & Cethura uxoribus Abrahæ quæ ambæ uocantur concubinæ, quia erant secundariæ uxores. Gen. 25. de quo supra dictum est. Iacob quoque cùm haberet quatuor uxores, solam Rachel uocauit uxorem suam, quasi nullam aliam haberet, dicens, Scitis quia duos peperit mihi uxor mea. Gen. 44. & hoc quia illam primò acceperat, alias autẽ post. Sic Respha erat secundaria uxor Saulis, quia prima

uxor

uxor eius erat Achinoam filia Achimaas. præcedenti lib. cap. 14. *Filia Aia.* Ista Respha filia Aia peperit Sauli duos filios, quos suspendit Dauid, & ipsa obseruauit eos semper in agro, non permittens lacerari à bestijs, & volucribus, infra vigesimo primo. *Ingressusque est ad eam Abner.* Idest cognouit eam carnaliter. *Dixitque Isboseth ad Abner.* Hic increpuit eum durè pro muliere. *Quare ingressus es ad concubinam patris mei?* Nimis iratus fuit Isboseth, quia Abner cognouerit cõcubinam patris sui: causa fuit, quia in hoc sequebatur magnum dedecus Saulis, cùm aliquis cognosceret cõcubinam illius, de qua filios habuerat, & hoc potissimè quia aliqui volunt, quòd Respha non erat concubina Saulis, sed vxor, quamquàm scriptura illam concubinam vocet. Alij dicunt, quòd iratus fuit, quia timuit per hoc priuari regno, volunt enim quòd Abner introierit ad istam mulierem affectu maritali, scilicet, volẽdo eam accipere in vxorem, & ex hoc habebatur locus vsurpandi regnum, cùm haberet regis vxorem in vxorẽ, sic enim fuit de Adonia filio Dauid, qui petiuit in vxorem Abisag, quę fuerat vxor Dauid, & ex hoc videbatur sibi regnum petere, ideo occidit illum Salomon. seq. lib. cap. 2. *Qui iratus nimis propter verbum Isboseth.* Scilicet, durè accepit Abner verba Isboseth, quia erat senex honorabilis valde, qui instituerat ipsum Isboseth in regem, ideo pro nulla causa contra ipsum loqui debuisset Isboseth, nunc autem in re parua increpuit eum, tanquam nihil bonum suscepisset ab illo. *Aut, nunquid caput canis ego sum aduersum Iudam hodie.* q. d. indigne me ego opposui pro te vsque hodie contra domum Iuda, ita vt vocarer caput canis pro misericordia, quam faciebam tibi: sed iam non vocabor caput canis, quia ego non resistam domui Iudæ, sicut hactenus restiti. Historia scholastica dicit, nunquid canis caput ego sum &c, q. d. propter te Iudas habet me vilem, quasi caput canis mortui. Vel propter te factus sum caput canis, idest princeps irrationabiliter latrantium contra Dauid Christum Domini. Sed sensus est, quòd erat caput canis, idest litigiosus, & pertinax, scilicet, canes sunt litigiosi nimis semper latrantes, & murmurantes, ita Abner erat caput canis, quia cæteri de Israel non mouissent aliquod bellum contra Dauid, nisi Abner incitasset eos ad litem contra Dauid. *Qui fecerim misericordiam super domum Saul patris tui.* Idest, magnam misericordiam feci cum domo Saul, eo quòd feci manere regnum Israel in illa, & tamen regnum debitum erat Dauid. Vocatur autem domus Saulis omnes de familia sua, vt filij, & cæteri familiares. Cum his omnibus fecit misericordiã. Abner, quia faciendo manere regnũ Israel in manu Isboseth, non solùm exaltabatur ipse, sed etiam tota domus Saulis, quia perueniebat dignitas ad omnes, eo quòd participabant bonis regni: sic enim dixerat Samuel ad Saulem, quando significauit ei, quòd futurus esset Rex, scilicet: Et cuius erunt optima quæque in Israel? nonne tibi & omni domui patris tui? Econuerso etiam si Abner non fecisset manere regnum Israel in manu Isboseth, tota domus Saulis fuisset infœlix nullam habens dignitatem, & timeret sibi mortem infligẽdam à Dauid propter inimicitias, quas habuerat cum Saule. *Et super fratres, & proximos eius.* Idest, non solũ ego feci misericordiam cum domo patris tui, scilicet, cum illis, qui erant de familia sua, sed etiam cum illis, qui erant de cognatione eius, & non de familia, & isti erãt fratres Saulis, & omnes proximi illius transuersales, qui non descendebant ab eo. *Et non tradidit te in manus Dauid.* Idest, feci misericordiam magnam tecum, non tradendo te in manus Dauid, quia ipse occidisset te, ne regnares, eo quòd eras de stirpe Saulis, vel si fortè voluisset seruare iuramentum, quod præstiterat Sauli de non delendo semen eius, præcedenti libro. cap. 24. saltem tenuisset te in carceratum, ne insurgeres contra eum, & ego te eripui ab his.

An Isboseth peccauit increpando Abner pro concubina patris. Quæstio. VI.

QVAERET aliquis, an Abner peccauerit irascendo ita durè contra Isboseth, vel Isboseth increpando Abner. Respondendum, quòd Isboseth non peccauit increpando Abner pro concubina patris sui, quomodocunque Abner illam cognouerit, nam si cognoscendo illam habebat intentionem vsurpandi regnum Isboseth, poterat increpare eũ iustè de hoc: immo infligere corporalem pœnam, sicut conspiratori in regem: pro hac quippè causa solùm Salomon occidit fratrem suum Adoniam, & non vituperatur de hoc, quia tunc adhuc erat Rex bonus, sequenti libro. c. secundo. Si autem Abner non habebat intentionem vsurpandi regnum, cognoscendo Resphan concubinam Saulis, sed hoc egit solùm illectus pulchritudine eius, poterat Isboseth, & ideo debebat increpare Abner propter duo. Primò, quia ipse erat filius Saulis, & dolere debebat de patris ignominia: erat tamen dedecus Saulis, quòd aliquis acciperet concubinam illius, siue vxorem, de qua ipse filios susceperat, filius autem pro patre dolere debet. Secundò dolere poterat, vel irasci tanquam iudex, quia cùm ipse Rex esset, poterat ex officio suo punire omnia delicta: magnum autem delictum erat, quòd quis cognosceret concubinam regis, quia redundabat in dedecus illius, omnes tamen tenentur seruare honorem regis. Sic enim dicit Petrus Canonica prima. cap. 2. scilicet, Deum timete, regem honorificate: qui tamen agit contra præceptum Apostoli, peccat mortaliter, maiore igitur increpatione Abner dignus fuisset; sed Isboseth non ausus est durius eum increpare, quia timebat eum: immo nullo modo increpasset, si sciuisset, q̃ tam amarè Abner verba eius ferret. Quod patet, quia postea durè loquente Abner non ausus est quicquam respondere Isboseth. De Abner autem dicendum est, quòd peccauerit irascendo contra Isboseth, nam ipse peccauerat cognoscendo Resphan. Ideo cùm increparetur pro hoc, tollerare debuisset increpationem, sed ipse è contrario duriora verba reddidit Isboseth: habuit tamen aliqualem colorem Abner ad irascendum, quia cùm ipse tantum benefecisset Isboseth, & toti domui Saulis, debuisset iubticere Isboseth, non tamen erat ista causa sufficiens ad iram eius. *Et tu requisisti in me, quòd argueres pro muliere hodie.* Idest, tu conatus es inuenire aliquid, de quo me argueres, & nihil inuenisti, nisi de muliere. q. d. malè egisti, quia etiam si ego commisissem delictum grauissimum, tacere debuisses, quanto magis, quia error iste paruus fuit. *Hæc faciat Dominus Abner, & hæc addat.* Modus iurandi est frequentatus apud antiquos. Sic iurauit Heli præced. lib. c. 3. sic ẽt Ionathas. eo. lib. c. 20. sic etiam Dauid ibidẽ. c. 25. Et est sensus: hæc faciat dominus Abner. i. talia, & talia mala faciat ei, & ista mala tunc ip se exprimebat, & hęc addat. i. super hæc addat alia mala. *Nisi quomodo iurauit dominus Dauid sic faciam cum eo.* Idest, nisi fecero cum Dauid id, quod iurauit ei dominus. s. q̃ daret ei regnum. Ex hoc patet, q̃ Abner contra cõscientiã egerat a principio instituendo Isboseth in regem, quia sciebat regnum debitum esse Dauid ex iuramento Dei. Sed potest dici, q̃ Abner non cognouerat hoc à principio, quãdo instituit Isboseth in regẽ, sed habuit bonam fidẽ putans, q̃ ius regni pertineret ad domum Saulis, postea autem illud cognouit.

Si Abner

Si Abner cognouit Isboseth non habere ius regnandi post institutionem eius, an peccauerit non reducendo regnum ad Dauid. Quæst. VII.

QVAERET aliquis, dato q̃ Abner cognosceret Isboseth non habere ius ad regnandum postquam institutus erat, an peccaret non reducendo regnum Israel ad Dauid. Respondendum est, quòd si Abner à principio cognouisset Isboseth non habere ius, peccabat instituendo eum in regem, vel fauendo illi quomodocunq;, vt Rex esset, quia per hoc auferebat ius Dauid. Si tamen tunc non cognoscens postea cognouit, non tenebatur priuare Isboseth regno, & tradere illud Dauid: sed solùm tenebatur admonere Isboseth, vt renunciaret regno quod illicitè tenebat, si tamen ille nollet, non tenebatur ei inferre violentiam, sed solùm tenebatur non præstare ei fauorem contra Dauid ad defensionem regni, & si præstaret, peccabat mortaliter. Nam sicut peccat, qui in furãdo particeps est, ita qui furem adiuuat ne amittat rem, quam furto acquisiuit. Sed aliquis dicet, quòd non solùm tenebatur ad hæc Abner, sed etiam ad restituendũ violenter regnum Dauid: quia ipse ei illud violenter vsurpauerat: ideo tenebatur illud restituere, præcipuè quia ipse poterat hoc facere, eo quòd totus Israel subditus erat illi. Respondendum, quòd si ipsemet Abner fuisset Rex, tenebatur restituere regnum Dauid: non tamen habebat ipse illud, sed Isboseth: ideo non tenebatur violenter spoliare Isboseth, vt restitueret illud Dauid. Velut si duo furantur aliquam rem, quilibet tenetur insolidum ad restitutionem, & si illa res maneat penes vnum, & alius pœnitere velit, & restituere, tenetur hortari participem suum, vt illam restituat: si tamen noluerit, non tenetur eam violenter illi surripere, vel occultè furari: immo si hoc fecerit, peccat: potissimè inuito domino, quando aliquod ius qualecunq; acquisitum est. Sic enim erat in Isboseth, quia licèt non haberet titulum ad regnandum, quia tamẽ à multo tempore erat in possessione regni, erat acquisitum ei aliquale ius, quod potuit ei conferre Abner, sed non potuit propria auctoritate auferre, ideo non debuit transferre violenter regnum Israel in Dauid, quamquam haberet conscientiam læsam, sed sufficiebat, q̃ suaderet Isboseth renunciare regno, & non faueret ei ad retinendum illud.

Quando Deus iurauit dare regnum Dauid. Quæstio VIII.

QVAERETVR vlterius, quando iurauit Deus Dauid, quòd daret ei regnum. Respondendum est, q̃ satis reperitur, quòd Deus promiserit dare regnum Dauid, & auferre illud à Saule, vt patet præce. li. c. 13. 15. & 28. dedit quoq; illud ei vngẽdo eum per Samuelem. præced. li. c. 16. nunquam tamen reperitur, q̃ iurauerit ei regnũ tradere. Simile enim est de multis alijs: nam Deus promisit Dauid, q̃ de semine suo semper essent reges, vt infra septimo, & non iurauit, & tamen in Psal. 130. dicitur: Iurauit dominus Dauid veritatem, & non frustrabitur eũ: de fructu ventris tui ponam super sedem tuam: & tamen nõ reperitur, vbi Deus hoc iurauerit. Sic etiam est de multis alijs, quæ a Deo dicta fuerunt: & tamen non reperitur, quãdo vel quomodo. Sic patet præce. li. c. 24. cùm dixerunt ferui Dauid ad eum: ecce dies, de qua locutus est Dominus ad te, ego tradam tibi inimicum tuum, vt facias ei si-

Alph. Tost. in Secundum Regum.

cut placuerit in oculis tuis: & tamen non legitur vbi Deus hoc dixerit, vel per quem Prophetã. Sic autem fortè fuit hic, q̃ Deus iurauit, & nõ reperitur vbi. Vel aliter potest dici, q̃ hic accipitur iurare largè pro dicere, & ratio est, q̃ sicut inter homines illa verba, quę iuramento firmantur, firmiora sunt, & certiora: ita verba Dei, quomodocunq; proferantur sunt firmissima, ideo omnia illa sunt tanquam iuramento vallata: & quia Deus dixerat de Dauid, q̃ faceret eum regem, dicebatur iurasse, & hoc tenet Ra. Dauid. Kimhi, & est satis rationabile. *Et transferatur de domo Saul regnum.* Idest faciam, quòd nullus de domo Saulis sit iam Rex, sed transeat regnum in domum Dauid. *Et eleuetur thronus Dauid super Israel, & super Iudam.* Idest faciam, q̃ non solùm Dauid regnet super Iudam, sicut nunc regnabat, sed etiam regnet super Israel, idest super 11. tribus, quæ uocantur Israel. *A Dan vsque Berſabee.* Idest faciam, quòd regnum Dauid extendatur per totam terram Israelitarum à Dan usque Bersabee: ista enim erant duo loca inter se maximè distantia in terra Israel. Dan quippè erat ciuitas in sorte Dan in latere septentrionali terrę Israel, & ista ciuitas uocabatur prius Lesen, uel Lais: & obtinuerunt eam filij Dan, de quo Iud. 18. Apud istam ciuitatem nascitur fluuius Iordanis: & postea uocata est Paneas, sic enim uocat eam Solinus in Polyhistor. c. de Iudæa. postea autem uocata est Cæsarea Philippi, parum ante tempus Saluatoris: quando Herodes eam mirabiliter ædificijs decorauit, & in honore Iulij Cæsaris eam Cæsaream appellauit. Vocata est autem Cœsarea Philipphi, quia ad Philippum fratrem regis Herodis pertinebat: apud hanc ciuitatem semel Christus cum Discipulis suis erat, & quæsiuit ab eis, quem dicerent eum homines. Matth. 16. Bersabee autem erat quædam ciuitas in latere Meridiano terræ Israel, in extremitate sortis Iudę: unde quando Abraham habitabat in Bersabee, dicebatur colonus terræ Philisthinorum. Gen. 21. Erat enim Bersabee apud Geraram, quæ ponitur terminus Meridianus terræ Chanaam. Gen. 11. & sic quando nominabantur ista duo loca intelligebatur tota terra Israel intermedia: unde sæpè scriptura habet istum modum loquendi: sic patet præceden. lib. cap. 3. scilicet. Cognouit uniuersus Israel à Dan usque Bersabee. *Et non potuit ei respondere quicquam.* Idest, non ausus est: uidit enim Isboseth iratum nimis Abner, & noluit eum magis irritare uerbis, ideo non respondit quicquam. *Quia metuebat istum.* Scilicet, Isboseth timebat Abner: ipse enim instituerat eum in regem, & habebat potestatem super uniuersum exercitum, ideo Isboseth timebat eum, quia poterat ei auferre regnum per potestatem exercitus, & usurpare sibi, uel tradere cuicunque uellet. Aliqui autem putant hoc euenisse ex magna ignauia Isboseth, quòd ipse timeret seruum suum, & hoc uerum est, quòd Isboseth ignauus erat magis solitariæ uitæ aptus, quàm regno tenendo, quamquam tamen ipse fuisset satis diligens, timere poterat Abner, eo quòd Abner ab antiquo conciliauerat sibi animos totius populi, & si ipse iuberet hoc totus Israel incunctanter ageret: Isboseth autem non conciliauerat sibi animos populi, nisi mediante Abner. Item Dauid satis erat diligens, & regno aptus, ipse tamen timebat Ioab seruum suum, qui erat princeps militiæ, & quamquam interdum ageret cõtra Dauid, non audebat Dauid punire eum, ut patet infra in litera in morte Abner. Sic etiam Dauid iusserat Ioab, q̃ non occideretur Absalon. infra. 18. & occidit illum Ioab: & cùm hoc cognouisset Dauid, & fleret nimis, Ioab dixit ei, q̃ ostẽderet se gaudentem, alioquin totus populus recederet ab eo: & tunc oportuit, q̃ Dauid faceret, quod uolebat Ioab,

Dan ciuitas in sorte Dan.

Bersabee alia ciuitas.

vt patet infra decimonono. *Misit ergo.* Hic ponitur Dauid, & Abner confœderatio: & diuiditur in tres partes. Primò ponitur confœderatio amicabilis. Secundò uiolatio detestabilis ibi. *Nunciatum est itaque.* Tertiò Abner occisi tumulatio venerabilis ibi. *Dixit autem Dauid.* Circa primum dicitur. *Misit ergo Abner nuncios ad Dauid.* Dixit enim Abner, quòd tranferret regnum Isboseth in Dauid, & tanto fuit stimulatus dolore, quòd non potuit placari, sed fecit illud, sicut dixerat, & ad hoc misit nuncios ad Dauid nunciando intentionem suam, & vt contraherent inter se amicitiam. Sciendum tamen, quòd Abner non immediatè misit nuncios ad Dauid promittendo tradere ei regnum Israel: quia nesciebat an Israelitæ hoc vellent: ideo prius locutus est exercitui, & viris potentibus Israel, quibus ad hoc persuasis, misit nuncios ad Dauid. Sic vult Iosephus. 7. Antiquitatum, dicens: Cum Abner prouocasset omnes, vt darent regnum Dauid, conuocauit tribum Beniamin: omnes enim custodes corporis erant Isboseth, quibus etiam ita locutus est, cumque nullum videret sibi resistere: sed magis ad omnia, quæ uellet ipse paratos haberet sumens ex eis uiginti, uenit ad Dauid. *Pro se dicentes.* Idest, misit istos nuncios nomine suo, idest non nomine Isboseth, quia magis ipse faciebat hic contra Isboseth. *Cuius est terra.* Ista erant uerba nunciorum Abner, & est sensus, quòd isti nuncij dicebant Dauid, quòd terra erat in potestate Abner, ideo si faceret cum eo amicitiam posset restituere ei totam terram Israel. Sic exponit Historia scholastica, & Andreas. Alij volunt, quòd iste fuit modus iurandi, scilicet, quòd nuncij Abner iurabant aliquid Dauid, & ad hoc dicebāt: cuius est terra, idest, iurabant per illum in cuius potestate est terra, scilicet per Deum. Sed primum est melius. *Et vt loquerentur.* Scilicet, iussit Abner, quòd nuncij sui loquerentur ea, quæ sequuntur. Istud non habetur in Hebræo, sed litera nostra interposuit, vt loquerentur, quia videbatur deesse ad complementum sententiæ. *Fac mecum amicitias.* Hoc dicebat Abner, quia ante hoc Dauid & Abner erant inimici, cùm ipse solus Abner resisteret Dauid, & pugnaret contra illum. *Et erit manus mea tecum.* Idest, adiuuabo te in opere, & consilio. Sic accipitur præcedenti lib. cap. 22. Scilicet: Interficite sacerdotes domini, nam manus eorum cum Dauid est, idest, adiuuant Dauid, & sunt confœderati cum eo. *Et reducam ad te vniuersum Israel.* Hoc spondebat Abner, quia in potestate sua erat totus Israel, & poterat transferre illum in quemcunque vellet. *Qui ait optimè, ego faciam tecum amicitias.* Idest, libenter suscipio quod vis, & confœderabor tibi, erat enim istud ualde utile Dauid, quòd sine bello traderetur ei totus Israel, quem pugnando adipisci non poterat.

An Abner peccauerit confœderando se cum Dauid, promittendo illi regnum Israel.
Quæst. IX.

QVAERET aliquis, an Abner peccauit confœderando se cum Dauid, & promittendo ei tradere regnum Israel. Respondendum, quòd Abner sciebat regnū non pertinere de iure ad Isboseth, sed ad Dauid, ideo quòd adiuuaret Isboseth contra Dauid ad defendendum regnum illicitum erat, quòd etiam confœderaret se cum Dauid promittendo nunquam fauere Isboseth contra eum iustum erat, quia ad hoc tenebatur: quòd tamen Abner per violentiā subtraheret regnum Israel de manu Isboseth, vel induceret totum Israel ad hoc, quòd relinqueret Isboseth, peccabat maxime, quia hoc faciebat ex iniusto furore, scilicet, quia iustè increpuerat eum Abner, dato ergo quòd iustum esset auferri regnum Isboseth per manum Abner, quia tamen nunc ex ira agebat, peccabat, quia ad bonitatem actionis non solùm requiritur, quòd aliquid iustum fiat, sed etiam quòd iustè fiat, sic patet Deuter. cap. 16. Scilicet: Iustè quod iustum est sequeris, idest, id, quod bonum est, ex bona intentione facias: satis ergo peccabat Abner, quia nō miserebatur progeniei suæ, & illi viro simplici, & iusto Isboseth, qui ei nihil nocuerat, præcipuè quia cōstituebat eum in mortis periculo, eo quòd tradito toto Israel in manus Dauid: fortè uellet occidere Isboseth, vel saltem eum perpetuo carceri mancipare, ne insurgeret contra eum pro amisso regno. Sed de his omnibus non curauit Abner solam indignationem suam secutus. Fuit autem causa potissima, quia Deus mouebat Abner ad hoc faciendum, vt traderetur totus Israel in manu Dauid, quamquam Abner nesciret se à Deo moueri, sed ex indignatione sola agebat.

Quomodo Dauid acceptauit conditionem oblatam per Abner. Quæst. X.

QVAERETVR vlterius, quomodo Dauid acceptauit conditionem oblatam per Abner: nam ex hoc videtur, quòd vellet accipere regnum regis viuentis, sed hoc nimis alienum est à viro virtuoso, qualis erat Dauid. Respondendum est, quòd Dauid volebat dominari toti Israel, nec in hoc desiderabat aliquid illicitum, quia Deus ei promiserat totum regnum Israel. Rursus etiam quamquam vellet obtinere regnum viuente Isboseth, non peccabat, quia non volebat vsurpare aliena, sed quæ sua erant ab aliis iniustè detenta accipere. Nullum enim ius ad regnandum habebat Isboseth, sed detinebat iniustè regnum Dauid: ideo si Dauid posset sine scandalo per aliquē modum illud accipere acceptaret modum, sic autem fuit, cùm Abner obtulit ei conditionem istam, quia per istum modum putauit se habiturum in pace totum regnum, & erat hoc valde conueniens, scilicet, quòd totus Israel se spontè ei subiiceret. Quanquam autem Dauid haberet ius ad regnandum super totū Israel, quia tamen Israelitæ non subiiciebant se ei, & non poterat illos obtinere sine sanguinis effusione, potius uoluit iure suo carere quàm sanguinem fundere in populo Dei. Quod patet, quia licèt mortuus esset Isboseth, non pugnauit Dauid contra Israelitas manentes sine rege, vt subijcerentur sibi: sed ipse expectauit quousque illi venerunt ad eum petentes illum in regem: infra quinto. Cùm autem dicitur, q̄ illicitum erat, quòd Dauid desideraret regnum regis viuentis. Dicendum verum esse, si ille rex habuisset aliquod ius in regno: nullum tamen habebat, sed erat uiolentus detentor: ideo poterat Dauid licitè desiderare acquirere regnum de manu illius, & ex sola benignitate patiebatur eum esse regem ne repeteret regnum per bellum.

Quid egisset Dauid de Isboseth si facta fuisset conuentio.
Quæst. XI.

QVAERET aliquis, si fuisset facta ista conuentio, quam Abner & auid faciebant, quid egisset Dauid de Isboseth rege Israel. Respondendum, q̄ si ipse sequeretur modos aliorū regū obtinentiū regna de manu hostium, occidisset illum, vel incarcerasset, ne vnquam posset in eum insurgere: Dauid tamen erat vir benignus, & non fecisset hoc. Sed aliquis dicet, quòd Dauid non potuisset hoc agere iustè, quia ipse iurauerat Sauli, quòd non occideret posteros eius: præcede. lib. cap. 24. Respondendum, quòd non obstante hoc iuramento, Dauid poterat occidere Isboseth, & quoscunque alios posteros Saulis, si aliqua causa emergeret: quia iuramentum illud præstitum à Dauid non tenuit, quia illud fuit præstitum in modum fœderis, scilicet, quia Saul, qui prius persequebatur Dauid: tunc cessauit à persecutione eius proponens nunquam vlterius eum persequi, & petiuit à Dauid, quòd iuraret ei non delere semen suum, & iurauit: postea tamen Saul egit contra promissionem suam, persequendo Dauid, vt patet. præceden. lib. cap. 26. ideo soluebatur Dauid à præstito iuramento, quia frangenti fidem fides frangenda est: extra de iureiurando. c. peruenit. 1. poterat ergo delere semen Saulis, si aliud non obstaret. Sed dicendum, quòd Dauid non intendebat occidere aliquem de posteris Saulis propter inimicitias habitas cum patre. Quod patet, quia duo filij Saulis manserunt viuente Dauid, & occisi sunt postea à petitione Gabaonitarum, vt cessaret plaga à Deo inflicta. infra. 21. Vnde si hoc non occidisset, nunquam occidisset illos Dauid. Sic ergo futurum erat de Isboseth, quòd translato regno Israel ad Dauid non erat occisurus eum, nec incarceraturus, cùm esset Dauid vir benignus: præsertim quia Isboseth erat vir bonus, & simplex. Sed credendum est, quòd constituisset eum in aliquo principatu. Deus tñ aliter disposuerat, ideo ad alium euētum res delata est. *Sed vnam rem peto à te, dicens.* Scilicet, ego benignè suscipio amicitias tuas, sine aliqua conditione: & tamen antequam venias me ad confirmandum fœdus, ego peto à te vnum, scilicet, quòd des mihi vxorem meam. *Non videbis faciem meam.* Idest, non venies ad videndum me, & confirmandum amicitias. *Antequam adduxeris Michol filiam Saul.* Scilicet, tunc poteris venire ad me & libenter suscipiam te. Ista Michol tenebatur ab alio viro: nam quando Dauid fugit de terra Israel: Saul accepit filiam suam Michol vxorem Dauid, & dedit eam in vxorem Phalti filio Lais, vt patet præced. li. c. 25. Petiuit autem hoc Dauid Abner, quia sciebat, quòd poterat illud facere, cùm haberet terram in potestate sua.

Quomodo Dauid volebat ad se reducere Michol, quam iam alius tenebat à multo tempore.
Quæst. XII.

QVAERET aliquis, quomodo Dauid volebat accipere Michol vxorem suam, quā iam à multis annis alius tenebat in vxorem. Respondendum, quòd Michol erat verè vxor Dauid: Phalti autem qui acceperat eam, non potuit eam tenere vt vxorem, sed vt adulteram, & sic semper fuit vxor Dauid. Sed aliquis dicet, quòd non poterat repetere eam Dauid quia repudiauerat illam, & cùm aliquis vir repudiasset vxorem in veteri testamento, non poterat eam postea habere: quamquam ambo in hoc consentirent. Deutero. 24. sed Dauid repudiauerat eam, vt volunt Iudæi. ergo non poterat eam repetere. Dicendum, quòd Dauid non repudiauit Michol, nec erat verisimile, quia diligebat eam nimis, & illa eum, liberauitque semel ipsum à morte. præceden. lib. cap. 19. erat quoque ipsa filia regis, in quo Dauid erat nimis honoratus: nullo modo igitur eam repudiaret, sed Saul abstulit eam violenter à Dauid, & dedit alteri viro cùm haberet Dauid exosum. præce. li. cap. 25. semper ergo potuit Dauid repetere eam.

Dauid propter multa voluit ad se reducere Michol.
Quæstio. XIII.

QVAERETVR vlterius, quomodo Dauid voluit reducere ad se Michol, cùm iam ipsa habita fuisset in vxorem ab alio per aliquot annos: & ex hoc videtur, quòd debuisset iam eam non diligere tanquam ab alio deturpatam. Respondendum est, quòd Dauid voluit reducere ad se Michol propter multa. Primò, quia ipse erat vir iustus, & videbatur illicitum, quòd vxorem suā dimitteret in manu adulteri: nam tunc ipse esset patronus turpitudinis, & peccaret. Secundò voluit eam, quia Michol diligebat nimis Dauid: & ipsa liberauit eum à morte. præced. lib. cap. 19. Nunc quoque quando manebat apud alium virum: non spontè, sed violenter manebat: eo q̄ pater suus eam coegerat propter odium Dauid. Hoc autem Dauid cognoscens diligebat eam semper. Tertiò fecit hoc, quia Michol erat filia regis, & videbatur dedecus magnum esse Dauid si vxorem suam regis filiam dimitteret in manu adulteri: ideo semper habuit voluntatem recuperandi eam: non potuit tamen toto tempore, quando vixit Saul: mortuo quoque illo, & regnante Isboseth, nō potuit illam recuperare Dauid, quia erant hostes: nunc autem data opportunitate: quia Abner faciebat amicitias cum ipso, petiuit Michol, & vt appareret, quòd Dauid diligebat eam nimis, & toto præcedenti tempore contra voluntatem suam ab alio detineretur, noluit, quòd Abner videret faciem eius quousque adduceret ei Michol.

Obiectio. Cùm autem obijciebatur, quòd nollet eam, quia erat ab alio deturpata, dicendum falsum esse secundum Hebræos: volunt enim, quòd nunquam cognita fuerit à Phalti viro secundo, eo quòd ipse sciebat eam non pertinere ad se, & hoc cognoscens Dauid libenter accepit eam. Idem tenet Historia scholastica, sed non multum stat, ut declaratum est præcedent. lib. c. 25. Sed adhuc dato, quòd Dauid sciret Michol cognitam fuisse à Phalti uiro suo, non haberet eam exosam, quia sciebat, quòd non spontè illum acceperat in virum, sed coacta à patre, & quòd semper desiderabat redire ad Dauid. Item quia ista non erat causa motiua ad spernendum eam, sed ad magis diligendum, est enim ista conditio amatorum, quod fortius ament, quando habent competitorem in amato, sic enim Horestes diligens Hermionem remisse, antequam raperetur, dilexit eam postea ardentissimè quando capta erat à Pyrrho. Sic ait Ouidius, secundo de remedio amoris, scilicet.

Responsio.

Alia responsio.

Fortius Hermionem ideo dilexit Horestes.
Esse quòd alterius cęperat illa viri.

Sic etiam Menelaus non nimis diligebat Helenam, sed cùm postea rapta est à Paride, dilexit eam nimis: nec potuit quiescere, quousque eam recepit: sic ait Ouidius præalle. lib. Dauid igitur si prius diligebat intense Michol, cùm solus eam tenebat: nunc intensius diligeret, quia alterius viri esse cęperat, & desideraret eam recuperare.

Universidad de Deusto
Biblioteca

An potuisset repudiare Dauid Michol. Quæstio XIIII.

QVAERETVR vlterius, an Dauid poterat repudiare nunc Michol, vt non acciperet eam in vxorem, sed maneret apud virum suum Phalti. Aliquis dicet, quòd non erat aliqua causa propter quàm eam repudiaret. Respondendum, quòd Dauid poterat repudiare Michol, quia in lege veteri licebat viris repudiare vxores, & non requirebatur, quòd allegarent aliquam causam rationabilem ad repudiandum eas, sed cùm non placerent in oculis eorum, repudiabant illas: nulla ergo causa erat, nisi quòd non placebat vxor viro: sic patet Deuteron. 24. Si acceperit homo vxorem, & habuerit eam, & non inuenerit gratiam ante oculos eius propter aliquam fœditatem, scribet libellum repudij. Sic autem si non placeret Michol Dauid, quia deturpata erat ab alio, poterat eam repudiare. Sed dicendum, quòd quamquam repudiaret illam, non cogeretur manere cum illo viro, cum quo nunc erat, quia ille non erat vir suus, cùm Dauid nondum repudiasset illam: postquam verò repudiata esset, maneret sine viro, & tunc ipsa posset accipere, quem vellet in virum: Dauid tamē noluit eam repudiare, quia licèt permitteret lex ad duritiam cordis Iudæorum dari libellum etiam sine causa: tamen videbatur valde iniustum, quòd repudiaretur vxor sine aliqua causa, quia in hoc valde lædebatur, ideo viri iusti nunquam repudiabant vxores, nisi aliqua causa valde iusta subesset, & quia Michol nihil peccauerat, propter quod deberet eam Dauid repudiare, sed magis ipsa diligebat eum nimis, & obseruabat honestatem suam, ideo noluit eam repudiare. *Et sic venies, & videbis me.* Ideſt, postquam duxeris vxorem meam Michol venies, ideſt poteris venire ad confirmandum mecum fœdera, & videbis me, ideſt poteris stare in conspectu meo. *Misit autem Dauid nuncios ad Isboseth filium Saul.* Isti nuncij iuerunt ad petendum ab Isboseth Michol vxorem Dauid. *Dicens, redde vxorem meam Michol.* Ideſt, facias, quòd detur mihi vxor mea: dixit autem redde vxorem, non quòd teneret eam Isboseth, sed quia in regno suo tenebat eam quidam vir, & ad Isboseth pertinebat facere iustitiam de omnibus, quæ peterentur in regno suo. *Quam despondi mihi centum præputijs Philisthinorum.* Ideſt dedi pro ea, vt daretur mihi in vxorem centū præputia Philisthinorum, istud dederat Dauid in donationem propter nuptias: Nam cùm Dauid diceret se virum pauperem, Saul dixit, quòd nihil volebat ab eo, nisi centum præputia Philisthinorum: & Dauid dedit ei ducenta. præcedent. lib. cap. 18. Dixit autem Dauid de centum præputijs Philisthinorum, ad corroborandum causam suam, quia si Isboseth nollet dare Dauid Michol, grauaret eum dupliciter. Primò, quia auferebat ei vxorem: secundò, quia perdebat donationem propter nuptias, scilicet, centum præputia, quæ pro illa dederat, & specialiter expressit de præputijs ad significandum magnitudinem dotationis: nam Dauid posuerat animam suam ad mortem, vt obtineret centum præputia Philisthinorum: ideo erat maior donatio propter nuptias illa, quàm si dedisset ei immensam pecuniam, & consequenter tanto magis grauaretur, si non redderetur ei vxor sua Michol.

Quare hoc tempore potius, quàm alio Dauid petierit Michol ab Isboseth. Quæst. XV.

QVAERET aliquis, quare Dauid misit nunc nuncios ad Isboseth, vt redderet ei vxorem suam, cùm toto præcedenti tpe nunquam misisset. Respondendum, quòd Dauid semper desiderauit habere vxorem suam Michol, & dolebat nimis, quòd illa teneretur in manu adulteri, præsertim cùm inuita esset; non misit tamen nuncios Dauid tempore præcedenti, quia putauit superuacuum esse: credidit namque quòd nollet ei Isboseth dare vxorem, quia erat hostis illius: nunc autem vidit opportunitatem ad petendum, ideo instanter petijt in tantum, quòd noluit, quòd Abner compareret coram ipso, quousque duceret Michol, & hoc vt haberet maius desiderium ad ducendum ipsam. Sed aliquis dicet, quòd nihil magis proderat Dauid mittere nuncios nunc ad Isboseth, quam toto tempore præcedenti, eo quòd Isboseth adhuc erat hostis Dauid, cùm nulla concordia intercidisset. Respondendum, quòd Dauid putauit nuncios prodesse, quamquam non esset concordia facta cum Isboseth: nam præcedenti tempore Dauid non mittebat nuncios, magis timens Abner, quàm Isboseth, nunc autem iam conuenerat cum Abner, ideo etiam si nollet Isboseth daret Michol ipsi Dauid.

Cur petijt Dauid Michol ab Isboseth, cum posset eam habere sine eo. Quæst. XVI.

QVAERETVR vlterius, cùm Dauid iam conuenisset cum Abner, & ille posset dare ei Michol etiam inuito Isboseth, cur scripsit, vel misit nuncios ad Isboseth. Respondendum, quòd hoc fecit Dauid ex vrbanitate, voluit enim quendam honorem regi deferre, vt signaret, quòd per manum illius habiturus esset vxorem suam, & non per manum alterius: quamquàm veritas aliter se haberet. Secundò fecit hoc, vt non poneret discordiam inter Isboseth & Abner, nam ipse composuerat cum Abner, quòd daret ei vxorem suam, & ille daturus erat, & si non mitteret Dauid nuncios ad Isboseth, oportebat, quòd Abner propria auctoritate daret Michol ipsi Dauid: in quo nimis tristaretur Isboseth, quòd præter eius decretum, & contra voluntatem suam talia negocia fierent in regno: potissimè cum hoste suo Dauid: cùm autem misit nuncios ad Isboseth, ille dedit ei Michol, & Abner tulit eam ad Dauid, non quasi propria auctoritate, sed ex decreto Isboseth, & sic non fuit prouocata discordia inter Isboseth & Abner. Tertiò fecit hoc Dauid ad non indicandum confœderationem suam, quia si non misisset nuncios ad Isboseth, Abner dedisset Michol ipsi Dauid, & tunc vidisset Isboseth manifestam confœderationem inter Dauid & Abner. *Misit ergo Isboseth.* Scilicet, misit viros suos ad Phaltiel, vt acciperent ab eo Michol. *Et tulit eam à viro suo Phaltiel.* Iste vocatur vir suus, non secundùm rem, quia non erat vir, sed adulter, cùm viuente Dauid, & non repudiante Michol, non posset aliquis eam habere in vxorem: quia tamen acceperat eam Phalti in vxorem, licèt contra ius, vocabatur vxor eius.

Phaltiel, & Phalti si sit idem. Quæstio. XVII.

QVAERET aliquis, quomodo vocatur hic vir Michol Phaltiel, cùm vocetur Phalti p̄ced. li. c. 25. Aliquis fortè dicet, quòd nō est iste ille, de quo habetur ibi. Sed nō stat, quia hic dicitur, quòd Phaltiel erat maritus Michol, & eo. cap. dicitur, quòd Phalti erat maritus Michol, ergo idem vir est. Sed adhuc aliquis dicet, q̄ potuit Michol prius habere vnum virum, qui vocaretur Phalti post recessum Dauid de terra Israel, & illo post paucum tempus mortuo accepit alium nomine Phaltiel. Sed etiam hoc non stat, quia præced. lib. cap. 25. dicitur, quòd Phalti erat filius Lais: hic etiā dicitur, quòd Phaltiel erat filius Lais, ergo idem vir est Phalti, & Phaltiel. Dicit autem Historia scholastica, quòd Hebræi aiunt, quòd Phalti erat peritus legis, & non cognouit Michol timore Dei sciens, quòd non erat vxor eius, ideo nomini eius additum est nomen Dei, scilicet, el. & vocatus est Phaltiel, quod interpretatur euadens à Deo, cùm prius vocaretur sōlū Phalti. Hoc autem non est multum authenticum, præsertim cùm præsupponat, quòd Phalti non cognouit Michol: quod improbatum est præceden. lib. cap. 25. Aliquando tamen istæ mutationes nominum fiunt ex aliqua affectione, & desiderio boni euētus, sic enim Moyses mutauit nomen Iosue: nam prius vocabatur Oseæ, & ille vocauit eum Iosue: Num. 13. & hoc fuit per additionem primæ literæ nominis Domini Tetragramaton, quæ est Ioad: nunc tamen de Phaltiel dicendum, quòd non fuit facta additio in nomine eius ab intentione ad significandum, sed à casu secundum conditionem Idiomatis Hebraici, in quo consueuit fieri additio circa finem dictionum, sicut in isto nomine Ieramel, & Ierameli. Nam præceden. lib. c. 27. dicitur Ieramel. & eod. lib. cap. 30. dicitur Ierameli: sic etiam patet in isto nomine Giessur, & Giessuri: nam præcedenti lib. cap. 27. dicitur Giessuri: supra tamen in litera, & infra decimo tertio dicitur Giessur, sic igitur factum est in Phalti, & Phaltiel: nec est istud rarum apud Hebræos. *Sequebaturque eam vir suus plorans.* Ideſt, Phalti plorabat nimis, cùm auferretur ei Michol vxor sua, nec solùm hoc, sed etiam in itinere sequebatur vestigia eius plorans, quousque iussus est redire.

Quare Phalti plorauit, cùm auferretur ab eo Michol. Quæstio. XVIII.

QVAERET aliquis, quare plorabat Phalti, cùm auferretur ei Michol. Respondent quidam, quòd plorabat ex gaudio, quia nō erat vxor illius, & nunc reducebatur ad virum suum, & istud tenet Nicolaus. Alij dicunt, quòd Phalti sequebatur eam plorās, quia nondum cognouerat eam, eo quòd illa diligens Dauid, semper erat tristis dum fuit cum Phalti, & hoc tenet Historia scholastica. Aliter dicit Ra. Sa. scilicet, quòd plorabat, eo quòd auferrebatur ei materia magnæ perfectionis: dicit enim quòd Phalti erat legis peritus, & sciens Michol non esse vxorem suam non cognoscebat eam, sed in lecto ponebat quēdam ensem nudum inter se & illam, ne vnquam illam tangeret, quod erat magnæ perfectionis: nunc autem auferrebatur ei materia huius virtutis, ideo dolebat. Sed hoc ridiculum est: nec est verisimile, quòd aliquid tale fuerit inter Hebræos, qui fuerunt viri imperfecti. Item quia ista erat magna imprudentia, cùm per ta-

lem modum non tollantur, nec impediantur illicita desideria: stultissimum quoque est viro firmiter proponenti continere, in eodem lecto iacere cum fœmina: magna enim sunt irritamenta. Dicendum igitur, quòd Phalti plorabat propter Michol, quia auferebatur ei charissima vxor: erat enim prudentissima fœmina, & elegantis formæ. Insuper erat filia regis, quod magnum honorem præstabat viro suo Phalti: ideo nullum maius bonum poterat auferri, pro quo doleret intensius, quàm pro vxore charissima. *Vsque Bahurim.* Phalti intendebat sequi semper vxorem suam quocunque iret, & iuit vsque ad Villam Bahurim plorans, quæ est in terra Beniamin. De ista Villa dicitur infra. 16. cùm dicitur, quòd Dauid venit vsque Bahurim quando fugiebat à facie Absalonis. *Et dixit ad eum Abner, vade & reuertere.* Isboseth dederat Michol Dauid, Abner autem ferebat eam illi, quasi ex præcepto Isboseth: & iussit Abner Phalti, quòd reuerteretur, & iam non ploraret pro Michol. *Qui reuersus est.* Phalti enim libenter secutus fuisset vxorem suam quocumque iuisset, sed timuit Abner, ideo redijt. *Sermonem quoque intulit Abner.* Hic ponitur quomodo Abner conciliauerit animos populi, vt vellent accipere Dauid in Dominum relicto Isboseth, & ponitur istud hic per recapitulationem: nam intelligendum est, quòd ipse prius conuenerit cum viris Israel, quòd acciperent Dauid in Dominum, quàm mitteret nuncios ad eum, alioquin stultè ageret, quia fortè postea nollent Israelitæ suscipere Dauid: & Abner maneret confusus ex promissione. *Ad Seniores Israel.* Ideſt, ad viros Senes, & prudentes, in quorum potestate erat tota terra. Et sciendum, quòd non fuerunt isti viri de toto Israel, sed solùm de decem tribubus, nam de tribu Beniamin nullus fuit hic. Quod patet, quia postea seorsum locutus est ad viros Beniamin, vt patet infra, scilicet, locutus est etiam Abner ad Beniamin. Causa autem quare locutus fuit prius Abner ad alias tribus, quàm ad Beniamin: quamquàm chariorem haberet sibi tribum Beniamin: fuit quia volebat persuadere Abner omnibus tribubus, quòd acciperent Dauid in regem: nullam autem putauit difficiliorē ad hoc, quàm tribum Beniamin, quia Rex erat de tribu Beniamin, & illi specialiter diligebant eum: habebant quoque multas dignitates ab ipso, nam omnes de hac tribu erant custodes corporis Isboseth, vt ait Iosephus. 7. Antiquitatum; noluit igitur incipere ab hac tribu, ne in principio ei repugnaret, sed incepit ab alijs tribubus, ad quas minus attinebat habere Dauid in regem, vel Isboseth, vt cùm persuasisset illis, dato quòd non consentiret tribus Beniamin, posset illa inuita trasferre totum Israel ad Dauid, ideſt. Etiam quia viri de tribu Beniamin cognito, q̄ omnes aliæ tribus vellent accipere Dauid in regem, faciliter consentirent: scientes, q̄ non poterant ipsi resistere toti Israel. *Dicens, tam heri, quam nudiustertius quærebatis Dauid, vt regnaret super vos.* Ideſt, à multis diebus ante hoc vos quærebatis Dauid, vt esset Rex vester: nunc autem habetis tempus, ideo accipite illum in regem. Intelligendum autem, q̄ Israelitæ quærebant Dauid, vt regnaret super eos post mortem Saulis: nam viuente Saule nullus de Israel volebat alium regem, eo quòd sciebant Saulem vnctum esse à Deo in regem: Isboseth autem non vnctus fuerat à Deo, nec iusserat ei, vt esset Rex, sed magis abiecerat Saulem, & stirpē suam, & elegit Dauid. Ideo multi de Israelitis hoc audientes voluissent accipere Dauid in regem. Accipitur autem hic nudiustertius largè pro aliquanto tēpore, ex modo loquendi: proprie autem significat tempus trium dierum præteritorum. Et dicitur nudiustertius, quasi

Responsio auctoris.

Rationes q̄bus suadebat Abner Israelitis accipere Dauid in regē.

Universidad de Deusto
Biblioteca

nunc est dies tertius, ideſt nunc est tertius dies ex quo talis, vel talis res facta est. *Nunc ergo facite*. Ideſt, nunc accipite eum in regem, sicut olim desiderabatis. *Quoniam Dominus locutus est ad Dauid, dicens*. Ista est secunda ratio persuasionis. Prima erat, quia olim hoc desiderauerant, & nunc habebant opportunitatem. Secunda est, quia Dauid regem fieri super totum Israel iustum erat: etiam si ipsi non desiderarent. Iustitia autem apparet, quia Deus hoc iussit, & dicitur, quòd locutus est Dominus ad Dauid, ideſt locutus est de Dauid. Nam ad eum non loquebatur, sed loquebatur ad prophetas, vt loquerentur ei. Patet hoc de Samuele, quia ipse vnxit Dauid, & dixit ei de regno. præced. lib. cap. 16. Gad quoque propheta locutus est ei, vt recederet de terra Moab ex parte Dei, eo. lib. cap. 22. Idem etiam Gad locutus est ad Dauid de constituenda ara ad effugiendum pestem in Ierusalem, infra vlti. Nathan quoque Propheta locutus est Dauid de perpetuitate regni infra capit. 7. *In manu Dauid serui mei saluabo populum meum Israel de manu Philisthiim*. Vbi ista verba dicta fuerint, vel per quem Prophetam, non apparet: Satis tamen credendum est, quòd ita fuerint, & quòd fama esset apud totum populũ de illis, alioquin Abner non proponeret illa coram omnibus Israelitis: multa autem per Prophetas dicta sunt, quæ non fuerunt scripta, & de illis non constat. Ista erat causa sufficiens ad hoc, quòd Israelitæ susciperent Dauid in regem, quia ipsi volebant reges, vt defenderent eos ab hostibus, sic patet præced. lib. c. 2. Scilicet: Videntes autem, quòd Naas Rex filiorum Ammon venisset aduersum vos, dixistis mihi, nequaquam, sed Rex imperabit nobis. Cùm etiam ipsi petierunt regem à Samuele, istam causam expresserunt, dicentes: Rex erit super nos, & erimus nos sicut omnes gentes, & egredietur ante nos, & pugnabit bella nostra pro nobis, præced. lib. c. 8. Ideo cùm aliquis esset, per cuius manũ Deus vellet liberare Israelitas de manu hostium, illũ ipsi debebant accipere in regem, sed de Dauid dixerat quòd per manum eius liberaret Israel de manu Philisthinorum, qui erãt hostes accerrimi Iudæorum, ideo Dauid accipere debebant in regem. *Et omnium inimicorum eius*. Ideſt, de manu omnium aliorum hostium Israel, quia non solùm Philisthini pugnabant contra Israel, sed etiam interdum Idumæi, Syri, Ammonitæ, Moabitæ, contra omnes hos Dauid pugnauit, & superauit eos, infra octauo. vocantur autem isti hostes Iudæorũ hostes eius, ideſt, hostes populi, vel hostes eius, ideſt Dei, nam interdum hostes Israelitarum vocãtur hostes Dei, sic dixit Dauid præced. li. c. 30. accipite benedictionem de præda hostium Domini: & tamen illi, de quibus ibi dicitur, erant hostes Dauid, scilicet, Amalecitæ: Deus quoque interdum vocabat hostes Israelitarum hostes suos, scilicet, quando Israelitæ colebant Deum. Exo. 23. scilicet, quòd si audieris vocem eius, & feceris omnia, quæ loquor, inimicus ero inimicis tuis, & affligam affligentes te. Quare autem hostes Israelitarum vocantur hostes Dei, declaratum est præced. lib. c. 30. *Locutus est etiam Abner ad Beniamin*. Ideſt, postquam locutus fuit ad Seniores decem tribuum, locutus fuit ad Seniores tribus Beniamin: quare autẽ diuisim his locutus est, causa supra assignata est. *Et abiit, vt loqueretur ad Dauid in Hebron*. Istud fuit postquam redierunt nũcij sui, quos miserat ad Dauid, per quos Dauid remisit ad dicendum Abner, quòd duceret ei Michol, & nunc ducebat eam. *Omnia quę placuerant vniuerso Israel*. Ideſt, decem tribubus, inter quas non computatur Beniamin. *Et Beniamin*. Ideſt etiam ista, quæ nunc dicebat Abner ad Dauid concordata erant tam per decem tribus, quàm per Beniamin. Fit autem mentio de Beniamin per se propter duo: primò propter honorem huius tribus, erat enim regalis. Secundò, & precipuè, quia non habuerat Abner consensum simul ab omnibus tribubus Israel, sed prius à decem tribubus, deinde seorsum à Beniamin, vt supra dictum est. *Venit ergo in Hebron ad Dauid*. Scilicet, postquam habuit cõsensum omnium Israelitarum ad recipiendum Dauid in regem, iuit Abner in Hebron ad referendum illud Dauid, & tunc inirent fœdus. *Cum viginti viris*. Isti viginti viri erant de tribu Beniamin, vt ait Ioſephus. 7. Antiquitatum, hoc autem fuit, quia cũ Abner esset de tribu Beniamin habebat viros illius tribus familiares sibiipsi, etiam erant custodes regis, vt ait Ioſephus præalle. li. *Et fecit Dauid Abner, & viris, qui cum eo venerunt conuiuium*. Istud fuit magnificum conuiuium, sicut decebat regiam celsitudinem, præcipuè quia Abner erat magnus princeps in Israel, & afferebat Dauid bona, scilicet, coniugẽ suam, & consensum totius Israel ad faciendum eum regem. *Et dixit Abner ad Dauid*. Subintelligendum est hic, quòd Dauid fecit fœdera cum Abner, & cùm placatus esset Abner, desideraretque seruire Dauid dixit, quòd volebat ire ad congregandum totum populum. *Surgam vt congregem ad te Dominum meum regem omnem Israel*. Prius acceperat consensum ab Israelitis, quòd acciperent Dauid in regem, nunc autem acceperat consensum Dauid de modo regnandi: ideo voluit ire ad congregandũ omnes tribus Israel, vt venirẽt ad Dauid, & publicè componerent fœdus cum Dauid. *Et ineam tecum fœdus*. Ideſt, tunc coram toto populo componam tecum amicitias.

Cur Abner dixerit se amicitias compositurum, cum iam cum Dauid eam composuissent. Quæstio XIX.

QVAERET aliquis, quomodo Abner dixit, quòd nunc componeret amicitias cum Dauid, cùm iam composuisset eas, & quod fœdus erat istud, quod nunc debebat Abner componere cum Dauid. Ad primum dicendum, quòd iam Abner composuerat amicitias cum Dauid: nam ipse dixerat ad Dauid, fac mecum amicitias, & erit manus mea tecum: Dauid autem respondit, optimè faciam tecum amicitias, sed vnam rem peto à te: non videbis faciem meam antequam adduxeris Michol filiam Saul, & sic consensit Dauid in amicitias componendas, etiam antequam videret Dauid Abner, & mitteret ei Michol: venerat tamen iam Abner ad Dauid, & duxerat ad eum Michol: ergo verisimilè est, quòd iam cõposuissent amicitias. Sed dicendum, quòd Abner volebat componere nunc fœdus cum Dauid, non ex parte sua, sed ex parte populi, quia prius composuerat fœdus ex parte sua: & ob hoc voluit Abner reducere, & congregare totum Israel ad Dauid, vt omnibus præsentibus iniretur fœdus. Ad secundum dicendum, qꝙ istud fœdus fuit compositio inter populũ, & Dauid de modo regnandi. Nam cùm assumuntur reges noui, potissimè si non sunt de progenie illorum, qui regnare solebant, populus facit cum eis pacta & leges de modo regnandi. Sic enim fuit in Saule, quando factus est Rex super Israel: nam dicitur, quòd Samuel locutus est ad populum legem regni, & scripsit in libro, & reposuit coram Domino. præced. lib. c. 10. Dauid autem nunc nouiter sumebatur in regem à toto Israel, ideo populus voluit conuenire cum eo de modo regnandi: nam si non conuenirent non acciperent illum, sic enim fuit de Roboan filio Salomonis, à quo in electione eius in regem, populus petiuit aliqualem reuelationem in tributis, & quia non consensit noluit cum populus assumere in regem. sequenti libro capit. duodecimo. *Et imperes omnibus*, ideſt tunc cùm inieris fœdus cum populo imperabis omnibus: nam ante initum fœdus non accipiẽt te in regem: dicitur, imperabis omnibus, ideſt, omnibus tribubus Israel: nam ante hoc solùm imperabat tribui Iudæ. *Sicut desiderat anima tua*, ideſt sicut tu desideras Dicitur anima desiderare, quia est principium desiderandi: non tamen desiderat ipsa, quia actus non prædicantur de partibus, sed de composito, vt intellectus non intelligit, sed homo, vt patet primo de Anima: scriptura tamen vtitur isto modo loquendi, quia est vulgaris. Sic dicit Apostolus prima ad Corinthios quinto. Spiritus concupiscit aduersus carnem, & caro aduersus spiritum. Dicitur autem, sicut desiderat anima tua: quia Dauid nimis desiderabat regnare super totum Israel: eo quòd ad illum de iure pertinebat, cùm Deus eum vnxisset in regem. Isboseth autem tenebat vndecim tribus, contra quem Dauid pugnare nolebat, ne funderetur sanguis in populo Dei: ideo solùm desiderabat regnare, sed non laborabat ad hoc. *Cùm ergo deduxisset Dauid Abner*. Hic ponitur fœderis detestabilis violatio, scilicet, quomodo fœdus initum cum Dauid non fuerit seruatum, & dicitur quòd Dauid deduxit Abner, ideſt, comitatus est eum aliquantulum extra Hebron: nam Abner steterat cum Dauid, & dixit ei, quòd volebat ire ad congregandum totum populum ad Dauid, & tunc Dauid exiuit cum eo de Hebron, & venit vsque ad aliquantum spatium, vt honoraret illum. *Et ille isset in pace*, ideſt Abner recessit a Dauid pacificus nullo malo inflicto, dicitur autem hoc propter Ioab a quo non recessit Abner pacificè, sed occidit eum. Dicitur etiam ad excusationem Dauid, vt significetur quòd ipse nihil peccauerit in morte Abner. *Statim pueri Dauid, & Ioab venerunt*, ideſt non erat Ioab in Hebron cum Dauid, quando venit Abner, sed postea venit ipse, & pueri Dauid de præda: quod dicitur ad reddendum causam sequentium: nam si fuisset Ioab in Hebron, quando venit Abner, ibi occidisset eum, & non iuisset ad vocandum illum, sic habetur infra. *Cęsis latronibus*, ideſt Ioab, & pueri Dauid occiderunt latrones. In Hebræo dicitur *De præda*, ideſt, venit Abner, & pueri Dauid de præda: quod idem est. *Cum præda magna nimis*, ideſt, abstulerunt Ioab & pueri Dauid prædam magnam de manu latronum, quam ipsi acceperant de terra Iudæ.

De qua terra Ioab faciebat prędas. Quæst. XX.

QVAERET aliquis, vnde Ioab habuit prædam, & occidit latrones. Aliquis respondebit, quòd hoc fuit de terra regis Isboseth: nam domus Dauid, & Isboseth habebant magnas inimicitias, factaque est longa concertatio inter eas, ut patet supra in litera: ideo verisimile est, quòd aliqui de regno Isboseth exirent ad agendum prædas in terra Dauid, & illos inuasit Ioab, & occidit, excussitque prædam, sic enim videtur de eo quod habetur præcedenti capitulo, scilicet, quòd Abner & Ioab occurrerunt sibi in extremitatibus regnorum, & pugnauerunt. Sed dicendum quòd hoc non stat, quia nunc nullus erat in regno Isboseth, qui ageret prædas, vel pugnam contra terram Dauid,

quia Abner erat, qui regebat domum Isboseth, & agebat omnia bella, vt patet supra in litera: nunc autem ipse erat in Hebron cum Dauid. Item nullus in toto regno Isboseth auderet facere prædas, aut bellum absente Abner, & sine mandato eius: potissimè, quia totus Israel conuenerat cum Abner accipere in regem ipsum Dauid, vt patet supra in litera, & ad hoc venerat Abner ad Dauid, vt nunciaret ei intentionem populi, nullus ergo prædam ageret contra terram Dauid. Sed dicendum est quòd isti latrunculi erant de terra Philisthinorum, vel Amalecitarum, quæ gentes erant coniunctæ terræ Dauid: ideo aliquando illi agebant prædas in terra Dauid, & aliquando è conuerso, sic enim Amalecitæ prædam fecerant in terra Philisthinorum, & Iudæ, dum Dauid esset in castris Philisthinorum. præcedenti libro capitulo trigesimo: & cùm illi ferrent prædas, irruit in eos Ioab, occisisque eis excussit prædam. *Abner autem non erat cum Dauid in Hebron*, scilicet, tunc, quando venit Ioab de præda: & hoc dicitur ad significandum quomodo Ioab misit ad vocandum Abner. *Quia iam dimiserat eum*, ideſt, iam Dauid expedierat a se Abner, & dederat ei licentiam redeundi. *Et profectus fuerat in pace*, ideſt, quando recessit Abner a Dauid, iuit pacificus, sed postea nocuit ei Ioab. *Et Ioab & omnis exercitus, qui erat cum eo postea venerunt*, scilicet, postquàm recessit Abner de Hebron, & illi veniebant de præda. *Nunciatumque est itaque Ioab a narrantibus*, scilicet, non fuit aliqua certa persona, quæ hoc narraret, sed vulgariter omnes illud narrabant, quia omnes viderant Abner in Hebron. *Venit Abner filius Ner ad regem*. Istud dictum fuit ad suscitandum admirationem, omnes quippe admirabantur, quòd Abner venisset ad Dauid, & locutus fuisset ei in pace, cùm essent magnæ inimicitiæ inter eos. *Et dimisit eum in pace, & abiit*, ideſt, non nocuit ei: istud est de quo magis admirabantur, quia cùm essent ambo hostes, probabile erat, quòd Dauid debuisset nocere Abner. *Et ingressus est Ioab ad regem*, scilicet, ad increpandum eum quòd dimisisset Abner in pace. *Et ait, quid fecisti?* ideſt, cur fecisti hoc? quasi dicat, male egisti dimittendo inimicum tuum. *Ecce venit Abner ad te, quare dimisisti eum?* ideſt, cùm venisset, & haberes opportunitatem occidendi eum, cur permisisti viuere? *Et abiit, & recessit*. Ista duo idem signant, sed hic ponuntur pro diuersis, scilicet abiit, ideſt expediuit se a te: & recessit, ideſt longe iuit a loco isto. *Ignoras Abner filium Ner*, ideſt non cognoscis malitiam Abner, quia tu putas quòd Abner venit ad faciendum te regem Israel, sed venit ad fallendum te. *Quoniam ad hoc venit, vt deciperet te*, scilicet, sub colore fœderis inferret tibi aliqua magna damna. *Et sciret introitum tuum, & exitum tuum*, ideſt, sciret dispositionem terræ tuæ: vt postea possit subito mouere bellum contra te, scito introitu, & exitu. *Et nosset omnia, quæ agis*, ideſt, venit ad sciendum quid agis, vt melius possit te fallere.

Cur Ioab iuit increpare Dauid, quia dimiserat Abner.
Quæst. XXI.

QVAERET aliquis, cùm Ioab haberet intentionem occidendi Abner, cur iuit ad Dauid increpans eum, quòd dimisisset Abner recedere. Respondendum est, quòd Ioab intendebat per hoc concludere desiderium suum, desiderabat quippe occidere Abner, quod volebat agere honestius, quo fieri posset: hoc autem vno de duobus modis poterat honestare accedendo ad Dauid. Primò, quia ipse intendebat mouere Dauid ad occidendum Abner, & sic ipse sine reprehensione obtineret optatum per manum regis, & propter hoc nimis increpabat Dauid, vt sic moueret eum ad iubendum vocari Abner, & occidendum eum. Si autem hoc non posset honestabat alio modo causam suam, scilicet, quia ipse ibat ad occidendum Abner, quasi zelo regis, ne posset eum Dauid grauiter increpare: nam si Ioab nihil dicens Dauid iuisset ad occidendum Abner, constaret ipsum egisse ex causa sua, & non fauore regis, vel regni: & sic esset nimis reprehensibilis: locutus fuit ergo Dauid ad excusandum hæc.

An poterat Dauid licitè nocere Abner.
Quæst. XXII.

QVAERETVR vlterius, an Ioab bene dicere asserendo, ꝙ Dauid debuisset occidere Abner. Aliquis dicet, quòd sic: quia ille præsumebatur venire cum fraude, vt noceret Dauid. Sed dicendum, quòd non poterat Dauid licitè nocere ei. Primò, quia Abner verè venerat ad componendum amicitias cum Dauid, & faciendum eum regem Israel: pro bono autem iniustissimum erat, quòd mala pateretur. Secundò patet hoc, quia dato, quòd non constaret, an Abner venisset ad bonum Dauid, vel vt aduersaretur, Dauid non poterat ei nocere, quia ipse dederat illi securitatem quando introiuit in terram suam. Sed Abner non fecit postea aliquid, propter quod deberet priuari securitate præstita: ideo quamquam suspicaretur aliquid contra eum, Dauid non debebat ipsum occidere, vel quicquam lædere: sed solùm debebat se obseruare ab eo. Ioab autem non rectè ista dicebat, eo quòd ipse desiderabat, quòd occideretur Abner, & procurabat qualitercunque posset occidere eum.

Cur Ioab non erubuit dicere Dauid, quòd occideret Abner.
Quæst. XXIII.

SED aliquis dicet, quomodo Ioab non erubuit dicere Dauid, quòd debuisset occidere Abner, cùm ille venisset ad benefaciendum Dauid. Aliquis respõdebit, quòd Ioab ignorabat istud, ideo sic increpuit Dauid. Sed dicendum, quòd non stat, quia Ioab non ausus fuisset increpare regem, nisi putasset se habere aliquam causam rationabilem: satis tamen credere debuisset Ioab, quòd Abner non venisset ad Dauid, cùm esset hostis eius, nisi ad componendum aliquas amicitias, propter quas Dauid daret ei securitatem, & sic non posset eum occidere licitè. Non igitur Ioab egit hoc tanquam ignorans. Item patet hoc ex verbis eius, & Dauid: dixit enim, F ignoras Abner filium Ner, quoniam ad hoc venit, vt deciperet te? quasi dicat, putas quòd venit ad bonum tuum? uenit tamen ad te fallendum. Dicendum tamen, quòd Ioab non erubuit dicere ista Dauid, quia habebat aliquam causam probabilitatis in dicto suo: Abner namque erat hostis acerrimus regni Dauid: hostes autem cupiunt se mutuo fallere: verisimile est ergo, quòd Abner uenisset ad fallendum Dauid, quãquam ergo hoc falsum esset, quia tamen erat uerisimile, non erubuit Ioab illud proponere: præsertim quia in hoc uidebatur moueri zelo regis. *Egressus itaque Ioab à Dauid.* Idest, postquam increpuit eum recessit ab illo, eo quòd Ioab putabat quòd potuisset persuadere Dauid, ut iuberet reduci Abner, & occidi: cũ autem nequiuisset, recessit à rege, vt ipse faceret redire Abner, ne interim longius abiret. *Misit nuncios post Abner.* Scilicet, Dauid non misit nuncios, sed Ioab misit illos ex nomine Dauid, ut facilius moueretur Abner ad redeundum. *Et reduxit eum à cisterna Syra.* Idest, in loco illo inuenerũt eum nuncij missi à Ioab. Est quippè locus ille aliquantulum distans ab Hebron ad quem peruenerat Abner iam recedens in terram suam. De ista cisterna Syra aliqui dicunt, quòd uocatur sic, quia accepit nomen à terra Syrorum ex aliqua causa, sicut consueuerunt aliqua ædificia, uel loca in aliquibus regnis nominari interdum à gentibus aliorum regnorum: velut si in Hispania sit aliquis fluuius, vel pons, qui uocetur Anglicorum, uel Alemanorum, & hoc tenet Andreas. Sed non multum stat, quia tunc Syra deberet esse ablatiuus huius nominis Syrus, sed falsum est, quia in Hebræo ponitur hic Syra: & significat ramnum, siue uulgariter escambron: uel interpretatur pix. Et hoc, quia fortè apud illam cisternam erat multitudo ramnorum, uel erat ibi locus picis, quia ibi depurabatur pix, uel fiebat aliquid de illa. Aliqui Hebræi dicunt, quòd fit mentio hic de cisterna, quia Abner mortuus est propè cisternam, ideſt propè aquam, scilicet, quia dixit de uase aquæ, quòd non ceperat illud Dauid, sed pueri Saulis obliti fuerant illud ad aquam, scilicet, apud aliquam cisternam, uel puteum. De ramnis etiam dicunt, quòd prope illos mortuus est Abner, quia de ora clamidis Saulis dixit, quòd non sciderat illam Dauid, sed rupta fuerat inter uepres, uel ramnos, & inde acceperat illã Dauid. Sed ista nihil sunt: plurima enim Hebræi fingunt. *Cumque rediisset Abner in Hebron.* Scilicet, propter nuncios, quos misit Ioab ad Abner cùm putaret Abner se uocari a Dauid. *Seorsum abduxit eum Ioab ad medium portę.* Idest, quando rediit Abner erat expectando Ioab eum ad portam ciuitatis Hebron, ne introiret in ciuitatem putans se uocari à Dauid, & hoc fecit Ioab, ne caperetur in mendacio si Abner ueniret ad Dauid: etiam quia non haberet opportunitatem occidendi eum, si introiret in urbem, sicut extra habuit: & uocauit Ioab Abner seorsum, ut facilius posset eum occidere non aspiciente aliquo de uiris Abner, & hoc fuit in medio portæ, scilicet, ciuitatis Hebron: quia ibi Ioab expectabat Abner, & dicitur abduxit, ideſt, remouit à reliqua turba. *Vt loqueretur ei in dolo.* Ideſt, remouit eum à reliqua turba dolosè, ut loqueretur ei, scilicet, quia non erat intentio eius loquendi, sed occidendi illum. In Hebræo habetur. *Vt loqueretur ei in errore.* Accipitur error impropriè pro dolo, ideo litera nostra mutauit ad maiorem declarationem: dolus autem erat, quia putabat Abner, quòd uocaretur ad loquendum, & uocabatur ad mortem. Hebræi dicunt, quòd dolus iste fuit, quòd Ioab petiuit ab Abner, quomodo discalciabatur sotular in eo, qui nolebat accipere uxorem fratris sui mortui: nam uxor illius discalciabat fratrem uiri sui coram to

to populo, & spuebat in facie eius, & uocabatur domus illius domus discalciati in opprobrium, ut patet Deuteron. 25. Dicunt autem quòd Ioab petiuit ab Abner de modo discalciandi sotularem illum, & cùm se inclinaret Abner, vt discalciaret se, percussit eum Ioab. Sed hoc non stat, quia valde ridiculum est, quòd Ioab peteret ab Abner de modo discalciandi sotularem, quia illud notissimum erat apud omnes Hebræos. Etiam dato, quòd esset incognitum, Ioab non quæreret de tali, quia nimis erat extra propositum. Item dato, quòd Ioab quæsiuisset istud: Abner non respondisset ei inclinando se ilico ad discalciandum sotularem, quia istud erat puerile. Item non stat, quia in litera dicitur, quòd Ioab percussit Abner in inguine, si tamen hoc modo se inclinasset Abner ad discalciandum sotularem, non potuisset eum Ioab percutere in inguine, sed super scapulas, vel in capite. Motiuum autem Iudæorum est ex eo, quòd habetur seq. lib. cap. 2. de Ioab, scilicet, effudit sanguinem belli in pace, & posuit cruorem prælij in Baltheo suo, qui erat circa lumbos eius, & in calciamento suo, quòd erat in pedibus eius. Ex hoc autem quod dicitur, posuit cruorem in calciamento, intelligũt mortem Abner, scilicet, quòd occidit eum fallendo per calciamentum. Per sanguinem Balthei intelligunt mortẽ Amasæ, quos ambos occidit Ioab: sed istud nihil probat, quia sensus literæ est, quòd Ioab occidendo Abner, & Amasan posuit sanguinem in calciamento suo, & Baltheo, quia occidit vtrumque illorum percutiendo in inguine. De Abner patet hic: de Amasa patet infra vigesimo: & quando percutiebat eos, sanguis exiliens de vulnere tingebat Baltheum Ioab, & postea fluebat ad calciamenta. *Et percussit eum ibi.* Scilicet, in porta ciuitatis Hebron, ad quam seorsum vocauerat eum. *In inguine.* Scilicet, cùm loqueretur ad eum, secretè eduxit gladium, & percussit in inguine, vnde non vidit Abner gladium, vidisset autem, si voluisset eum Ioab percutere in parte superiori corporis, fortè autem percussit Ioab Abner gladio artificiosè facto, sicut fuit gladius, quo percussit Amasan: ille quippè paruo motu per seipsum egressus de vagina percutiebat, vt patet infra vigesimo. In Hebræo habetur. *In quinta.* Et intelligitur in quinta costa, quia ibi est coniunctio cruris cum costis, & intestinis. *Et mortuus est.* Quia percussio fuit dura: nam ilico profluerunt intestina, cùm Ioab percutiens Abner, rupisset pellem intestinorum. *In vltionem sanguinis Asael fratris sui.* Ideſt ista mors fuit ad vltionem Asael, Abner quippe illum occidit. præcedenti cap.

An peccauerit Ioab occidendo Abner.
Quæstio. XXIIII.

QVAERET aliquis, an peccauerit Ioab occidendo Abner. Aliquis respondebit, quòd non, quia Ioab egit hoc in vltionem mortis fratris sui, & erat Ioab hostis Abner, nec fecerat cum eo amicitias vllas, ideo vbicumque poterat eum occidere. Item Ioab egit hoc fauore regni Dauid, quia dixit, quòd Abner veniebat ad fallendum Dauid supra in litera, sed licebat ei agere quæcumque in defensionem regni Dauid, cùm esset princeps militiæ eius, ergo licitè potuit occidere Abner. In contrarium videtur, quia Dauid increpuit nimis Ioab, ergo peccauit: alioquin enim non increpasset eum Dauid. Respondendum, quòd peccauit nimis grauiter Ioab. Primò, quia occidit virum sine causa, nam nihil erat propter A quod iustè posset ei mortem inferre. Secundò peccauit, quia occidit modo inhonesto, scilicet, per insidias percutiendo secretè in inguine, cùm loqueretur ei pacificè. Vnde propter hoc meruit Ioab priuari immunitate sanctuarij. Nam cùm confugisset ad altare, Salomon iussit eum inde educi, & cùm non permitteret se educi, occisus est apud altare. seq. li. cap. 13. Tertiò peccauit, quia egit hoc fine iurisdictione: nam dato, quòd Abner mortem meruisset, tamen Ioab non erat iudex ad infligendum eam illi, ideo peccabat. Quartò peccauit, quia egit contra voluntatem, & decretum iudicis: nam Dauid erat iudex in terra, cùm esset Rex, cui voluit suadere Ioab, vt occideret Abner, & non consensit, vt patet suprà, ideo B Ioab misit ad vocandum Abner, & occidit eum. Quintò peccauit, quia fregit securitatem præstitam à rege: ipse quippè securauerat Abner in terra sua, alioquin enim non venisset cùm esset hostis. Ioab autem nunc violauit securitatem illam, ideo peccauit nimis, non solùm contra Deum, sed etiam contra regem. Qđ autem grauiter peccauerit, apparet, quia Dauid iussit eum occidi. seq. li. c. 2. & fuit pro ista causa. Item Dauid maledixit ei, dicens: Veniat super caput Ioab sanguis Abner, & super domum patris eius, nec deficiat de domo Ioab fluxum seminis sustinens, & leprosus, &c. si tamen non peccasset Ioab, Dauid peccasset maledicendo ei. Item Dauid dixit, quòd ista mors fuerat malitiosa, inquiens, retribuat Dominus facienti malum iuxta malitiam suam. Item Dauid conquestus est propter istam mortem, dicens: porrò viri isti filij Saruiæ duri mihi sunt, & fuit istud propter mortem Abner: si tamen non peccasset Ioab, non conquestus fuisset Dauid. Ad primam rationem C in contrarium dicendum, quòd non licuit occidere Abner ipsi Ioab in vltionem mortis fratris sui, quia istud licuisset in bello, sicut Abner occidit Asaelem in bello. præceden. cap. nunc tamen Ioab occidit Abner in pace, & per insidias, de quo accusat eum Dauid. seq. lib. cap. 2. scilicet, tu nosti quæ fecerit mihi Ioab filius Saruiæ, & quæ fecerit duobus principibus exercitus Israel Abner filio Ner, & Amasæ filio Iether, quos occidit, & effudit sanguinem D belli in pace, ideſt sanguinem quem debebat effundere in bello, effudit in pace. Cùm autem dicitur, quòd Ioab erat hostis Abner, & non fecerat cum eo amicitias: ideo poterat eum occidere, vbicumque posset. Dicendum, quòd non stat, quia quamquam Ioab non fecisset fœdera cum Abner, tamen Dauid præstiterat securitatem in tota terra sua, quam tenebatur obseruare Ioab, ideo peccauit. Item non egit Ioab hoc tanquam contra hostem publicè pugnans, vbicumque eum reperiret, sed vocauit eum seorsum, & pacificè loquens occidit illum. Ad secun- Ad secũdã. dam rationem, cum dicitur, quòd Ioab egit hoc fauore regni Dauid ideo licuit ei. Dicendum, quòd non stat propter duo. Primò, quia non occidit illum ex causa Dauid, sed propter se, quin potius occidit eum contra voluntatem Dauid, & contra securitatem ei præstitam in tota terra sua. Secundò dato, quòd occidisset eum ex causa Dauid, illicitum erat: nam Ioab non tenebatur per omnem modum agere ad vtilitatem Dauid, sed solùm iustè: nunc autem iniustum erat, quòd occideretur in pace vir, cui erat præstita securitas, ideo peccauit Ioab.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ioab quare occidit Abner. Quæst. XXV.

QVAERETVR vlterius, propter quid Ioab occidit Abner. Respondendum secundùm literam, quòd occidit eum in vltionẽ sanguinis Asael fratris sui, quia Abner occiderat eum in bello. Magis tamen videtur dicendum, quòd occidit illum ex inuidia: putauit enim quòd cùm nunc Dauid fieret rex totius Israel, & istud esset per manum Abner, quòd faceret eum principem exercitus, ita vt non esset aliquis in Israel maior Abner: potissimè cùm ille semper ante hoc fuisset princeps exercitus in Israel, & nunc fortè in fœderibus hoc interueniret, quòd Abner fieret G secundus a rege. Ioab autem timens priuari principatu militiæ, præoccupauit occidere Abner. Et hoc tenet Andreas, & Historia scholastica. Est autem satis rationale, quia sic iterum fecit: nam cùm Dauid constituisset Amasam super exercitum: Ioab inuidens ei, ne acciperet principatum suum, occidit illum, vt patet infra vigesimo. Sed arguetur, quia litera dicit, ꝙ occidit eum in vltione sanguinis fratris sui Asael. Respondendum, quòd non fuit ista causa motiua Ioab, tamen vt aliqualiter coloraret factum suum, dixit ꝙ occiderat propter hoc: ideo scriptura expressit id, quod publicè dicebatur: quamquam scriptor sciret aliud esse in veritate. *Quod cùm audiuisset Dauid rem iam gestam.* Ideſt, audiuit, quòd mortuus erat Abner. *Ait, mundus ego sum, & regnum meum.* Duo fecit hic Dauid, scilicet, excusauit se, & planxit Abner: primò tamen se excusauit, quia videretur nimis culpabilis in hoc Dauid, putaretur nempè, quòd nemo ausus fuisset talia facere contra securitatem præstitam à Dauid, nisi ipse iussisset; præsertim quia Ioab, qui istud fecit, erat princeps militiæ Dauid, & nimis familiaris ei, ideo putaretur omnia agere iussu Dauid. Dixit autem Dauid, mundus ego sum, & regnum meum, ideſt non veniat pro isto delicto pœna super me, neque super regnum meum, quia neque ego peccaui, neque aliquis de regno meo auctoritate mea. Dixit etiam hoc, quia aliquando solet euenire pœna super regnum propter peccatum regis: & nunc Dauid orauit, quòd I non veniret pœna super eum, neque super regnum suum. *Apud dominum.* Dupliciter hoc intelligitur: vno modo, quòd erat mũdus apud dominum, ideſt, Deus videbat munditiam ipsius, scilicet, non solùm coram hominibus erat mundus, sed etiam coram Deo, qui speculatur intima cordium. Alio modo intelligitur, mundus ego sum apud dominum, quasi dicat, dato quòd ego peccassem in hoc, non timebam, quòd aliquis homo me propter hoc puniret, sed solùm Deus: ideo oro ipsum, vt me mundum reputet, & regnum meum. *Vsque in sempiternum.* Ideſt, nunquam veniet malum mihi, aut regno meo pro morte Abner, quia ego mundus sum ab hoc crimine: & dicit hoc: quia quamquam Deus immediatè non infligeret pœnã, K non probatur munditia Dauid, quia aliquando Deus solet post multa tempora pœnam iusligere pro peccatis, cùm longanimis, & diu expectans sit. Exod. 34. *A sanguine Abner filij Ner.* Ideſt, nihil ego peccaui in effusione sanguinis Abner. Iste Ner erat frater patris Saulis, & interpretatur lux. Dicunt autem Hebræi, quòd vocatur sic, quia ipse incendebat lucernas Iudæorum sexta feria ad noctem cùm incipiebat sabbatum. Sed fictitium est, quia nomen fuit impositum à natiuitate, antequam quicquam ageret: propter qđ sic vocari deberet, sed intelligendum, quòd fuit impositum nomen ad placitum, sicut fit in nominibus cæteris. *Vt veniat super caput Ioab.* Ideſt, veniet super Ioab F tota pœna, quæ debetur pro effusione sanguinis Abner. Sic accipitur supra primo, cùm dixit Dauid adoleſcẽtem. Sanguis tuus super caput tuum: os enim tuum locutum est contra te, ideſt, pœna pro effusione sanguinis tui solùm sit super caput tuum, ideſt, super te, quia tu confessus es contra te.

An Dauid peccauit maledicendo Ioab. Quæst. XXVI.

QVAERET aliquis, an Dauid peccauit maledicendo Ioab in verbis istis, & in sequentibus. Respondeti potest, quòd non peccauit, quia non dixit ista imprecando malum super Ioab, sed prædicendo: sic tamen euenit, vt ipse prædixit. Sed hoc non multum stat, quia verba ista directa sonant in imprecationem, vt patet infra cùm Dauid confiteretur se non posse contra Ioab ait: porro viri isti filij Saruiæ duri mihi sunt. retribuat dominus facienti malum iuxta malitiam suam, ideſt quia ego nõ possum retribuere propter duritiam istorum virorum, oro Deum, quòd ipse retribuat eis. Dicendum ergo, quòd Dauid maledixit hic Ioab per modum imprecationis: tamen non peccauit in hoc: quia, vt declaratum est supra præced. cap. licèt sit peccatum maledicere, tamen aliquando licet, scilicet, quando ille, qui maledicit est iudex, & imponit maledictionem in partem pœnæ: sic enim Ecclesia orat multa mala super anathematizatos, tamẽ non peccat. Dauid autem erat iudex huius delicti, cũ esset rex, ideo tanquam iudex potuit maledicere. Item patet, quia maius est, quòd aliquis occidat alium, quã quòd maledicat ei: Dauid tamen licitè iussit occidi Ioab, vt patet sequ. lib. cap. 2. Ergo magis licebat ei, ꝙ maledicere Ioab.

An peccauit Dauid maledicendo Ioab, & domui patris eius. Quæst. XXVII.

QVAERETVR vlterius, quare Dauid maledixit omni domui patris Ioab, cùm peccasset solus Ioab, & an peccauit in hoc Dauid. Respondendum, quòd Dauid nõ peccauit in hoc: nam non computatur istud inter peccata sua: sequen. lib. cap. 15. Nec aliquis dicit eum peccasse in hoc. Ad aliud respondebit aliquis, quòd Dauid maledixit domui patris Ioab, quia non solùm peccauerat Ioab in hoc, sed etiã alij de domo patris eius, scilicet, frater suus Abisai, vt patet infra in litera, scilicet, igitur Ioab, & frater eius Abisai interfecerunt Abner, eo quòd occidisset Asael fratrem eorum. Sed adhuc dicendum, quòd nõ stat: nam tunc non dixisset Dauid mala super Ioab, & totum domum patris sui: sed super solos Ioab, & Abisai, quia isti soli peccauerunt: maledixit tamen omni domui patris eius. Item patet, quia si propter hoc maledixisset domui patris Ioab, vt intelligerentur Ioab, & Abisai, solùm pertineret maledictio ad eos, qui tũc erant, & non extenderetur maledictio ad posteros: Dauid tamen maledixit hic omni semini Ioab, dicẽs: nec deficiat à domo Ioab fluxum seminis sustinens. Dicendum ergo, quòd maledixit hic Dauid toti domui patris Ioab, eo quòd propter peccatum vnius pœna transfertur in multos: cum Deus puniat peccata patrum in filios, vsque in tertiam, & quartam generationem. Exod. 34. & Num. 14. ideo dixit: non deficiat de domo Ioab fluxum seminis sustinens.

Cur maledixit cum intenderet occidere. Quæstio XXVIII.

QVAERETVR vlterius, cùm Dauid intenderet occidere Ioab pro ipsõ scelere, cur maledixit ei, & an peccauit maledicendo. Aliquis dicet, quòd sic, quia non debet aliquis puniri bis pro eodem peccato, cùm Deus non iudicet bis in idipsum: vt patet Naum primo capitulo, ergo nec homines debent bis punire delinquentes pro eodem delicto. Respondendum, quòd Dauid non peccauit maledicendo Ioab quamquàm bis puniret pro eodem delicto, quia quando punitio datur bis pro eodem peccato, & est sufficiens B quælibet illarum, non debet pro eodem bis puniri: si tamen non est sufficiens punitio quælibet illarum, possunt plures inferri pro eodem delicto. Sic enim Deus sæpe multas pœnas infligit pro eodem delicto: vt patet Leuit. 26. Sic autem fuit hic, quia delictum istud Ioab fuit dignum multis pœnis: ideo quamquã vna inflicta fuerit, poterat infligi alia, præsertim quia ista prima non erat sufficiens, nec dimidia pro isto crimine. Ad secundum dicendum, quòd Dauid nunc maledixit Ioab propter duo: primò quia ipse volebat se excusare de hoc crimine, de quo nimis erat suspectus: & si nihil mali diceret contra Ioab, crederetur quòd Dauid consenserat, ideo acriter maledixit Ioab. Secundum fuit, quia quamquàm Dauid intenderet C punire Ioab occidendo ipsum, tamen illa pœna infligenda erat post multos annos, scilicet, post mortem Dauid sequenti lib. c. 2. ideo voluit nunc aliquam pœnam infligere, & ista fuit maledictio.

An Dauid peccauit imprecando maledictiones super Ioab. Quæstio XXIX.

QVAERETVR vlterius, an peccauerit Dauid imprecando maledictiones tam turpes super Ioab, scilicet, quòd non deficeret de domo sua fluxum seminis sustinens &c. Respondendum quòd Hebræi dicunt Dauid peccasse in hoc, ideo Deus conuertit omnes maledictiones in domum Dauid, quas imprecatus est super domum Ioab. Ponuntur autem hic quinque maledictiones. Prima est de fluxu seminis, & istã dicunt fuisse in Roboam filio Salomonis nepote Dauid. Secunda est lepra, & istam dicunt fuisse in rege Ozia, & verum est, infra 4. lib. cap. 15. Tertia plaga est tenens fusum, ideſt baculum, scilicet, qui se non potest tenere pedibus, & innititur super baculum. Ista fuit in rege Asa, qui podagrico laborauit morbo, vt patet 2. Paralipom. 16. Quarta plaga est cadens gladio: & istam dicunt fuisse in Iosia rege, qui mortuus est in bello: infra 4. lib. cap. 23. Quinta plaga est indigens panem. Istam dicunt fuisse in Ioachim rege, qui ductus est in Babylonem, & in carcere positus pauperem vitam tenuit. infra 4. lib. c. 24. Sed istud dictum Hebræorum non tenet: nam ista mala, quæ dicunt accidisse posteritati Dauid non constat, an verè fuerint: nam dicunt Roboam fuisse semine fluentem, sed hoc non constat. Item dato quòd alia mala venerint in posteros Dauid, quæ dicta sunt: tamen non venerunt ex aliqua culpa Dauid, quin potius sæpe posteritas Dauid meruit perdere regnum, & perdidisset, nisi Deus meritis Dauid seruasset regnum in stirpe illa: vt patet sequenti lib. ca. 12. & 15. sed venerunt illa mala propter culpas illorum qui passi sunt ea. Nam Ozias percussus fuit lepra, quia voluit vsurpare Sacerdotale ministerium, & monitus a Sacerdote magno noluit desiste- D re, infra 4. lib. c. 15. Asa autem laborauit podagra propter nequitiam suam, quia non confisus Deo conuertit se ad humana adiutoria: vnde propter hoc multi bella insurrexerunt. sic dicitur 2. Paralipo. 16. scilicet: Stulte egisti, & propter hoc & præsente tempore aduersum te bella consurgent. Iosias autem cecidit gladio propter imprudentiam suam, quia quamquàm esset vir bonus voluit pugnare contra Pharaonem regẽ Aegypti iniustè: Pharao autem admonuit eum ex parte Dei, quòd non pugnaret, alioquin caderet, qui non acquieſcens moto bello sagitta interijt, vt patet 2. Paralipo. 35. Ioachin autem propter iniquitatem suam pane caruit: multiplicata enim fuerant peccata eius, & Israelitarum: ideo contra eum Deus misit Nabuchodonosor, qui eum captiuum duxit in Babylonem: infra 4. lib. cap. 24. Non igitur venerunt maledictiones istæ super posteritatem Dauid, quas imprecatus est ipse super Ioab. Cùm autem dicitur, an peccauerit Dauid imprecando tam turpes maledictiones. Respondendum, quòd maledictio datur in pœnam: consideratur autem in pœna magnitudo, vel paruitas directè, secundùm quòd correspondet magnitudini, vel paruitati culpæ. Quòd autem pœna turpitudinem secum habeat, non intenditur directè, & quia omnes istæ maledictiones, quas Dauid imprecatus est super Ioab erant graues pœnæ: non attendit Dauid, an turpes essent, uel non: potissimè, quia conueniens fuit tales pœnas imprecari. Nam ista turpitudo pœnarum non pertinet ad genus culpæ, sed pœnæ, per quod ipsa pœna grauior fit. Iudices autem interdũ criminosis alias pœnas maioris verecundiæ infligunt, ideo poterat Dauid istas pœnas, de quibus minus erubescendum esset, imprecari. *Nec deficiat de domo Ioab*, ideſt nunquàm istę pœnæ, quę nominantur, deficiant de domo Ioab, ideſt de posteritate sua, sed semper sint aliqui, qui patiantur eas. *Fluxum seminis sustinens.* Ista est prima pœna, & grauis: primò quia frequenter contingit aliquos ex hoc mori. Secundò quia turpissima est, & omnes abhorrent eam, cùm sit contaminatiua. Tertiò quia in veteri testamento illi, qui patiebantur eam, expellebantur de vrbibus, sicut leprosi, non habentes communicationem cum alijs hominibus. Num. 5. insuper etiam quicunque tangeret istos, vel vestes eorum aut lectum, vel loca, in quibus sederent, erant immundi, & reijciebatur a rebus sacris. Leuit. 15. ideo ista infirmitas erat molesta nimis patienti eam, & ob hoc Dauid eam imprecatus est. *Et leprosus.* Ista est secunda maledictio detestabilior: nam leprosi inter omnes homines habentur abiectissimi, & auferuntur a communicatione cœterorum, & præsertim in veteri testamento vbi multæ cæremoniæ fiebant super leprosos: & reijciebantur tam ipsi quàm communicantes cum eis a rebus sacris: ipsi verò extra castra manebant. Leuit. 14. & Nume. 5. *Tenens fusum.* Ista est tertia maledictio, & dupliciter intelligitur. Primò tenens fusum, ideſt baculum, & in hoc significatur impotentia, scilicet, quòd homines de posteritate Ioab ita essent inualidi quòd non possent se pedibus tenere, sed egerent baculo, sicut est in senibus, & podagricis. Secundò modo intelligitur tenens fusum, ideſt, faciens opera muliebria, scilicet, quòd uiri de stirpe Ioab mutarentur in fœminas, & haberent officium muliebre tenendo colos, & fusos sicut fœminæ: sic enim magnus Hercules effeminatus est ad præceptum Ioles filiæ regis Aetholiæ: vt ait Ouidius in libro Heroidum, epistola, quæ incipit.

Gratulor Aetholiam titulis succedere nostris.

De hoc etiam Seneca Tragædia quarta, cuius nomen est Hippolytus Metrop. 4. quod incipit.

Diua non mitti generata ponto.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Et istud secundum magis consonat literæ. *Et cadens gladio*. Ista est quarta maledictio, scilicet, quòd nunquàm deficerent de stirpe Ioab aliqui, qui morerentur gladio, ita quòd in bellis semper succumberent. *Et indigens pane*. Ista est quinta maledictio, scilicet, paupertas, quæ significatur per indigentiam panis. Nam ille, qui pane caret, omnibus bonis caret. Extremam igitur calamitatem Dauid imprecatus est Ioab pro isto crimine. Nullum enim bonum relinquitur ei, super quem, vel super eius progeniem maledictiones istæ inciderint.

Cur Dauid imprecatus est maledictionem super Ioab in æternum. Quæstio. XXX.

QVAERET aliquis, quomodo Dauid imprecatus est istam maledictionem super Ioab in æternum, dicēs: nec deficiat de domo Ioab, quia hoc videbatur impossibile, cùm Deus nunquam puniat filios pro patribus, nisi vsque in tertiam, & quartam generationem. Exod. 34. Nume. 14. Respondendum est, q̄ Dauid imprecatus est maledictionem istam in æternum super domum Ioab propter duo. Primò ex affectione puniendi Ioab: nam dato quòd sciret Deum communiter non punire posteros pro peccato patrū, nisi vsque ad quartam generationem: tamen ipse desiderauit quòd Deus puniret progeniem Ioab in æternum, quia iniquitas Ioab hoc promerebatur: nec est inconueniens, quòd nos aliquando petamus id quod Deus communiter concedere non solet, si ad petendum illud aliqua causa subsit. Secundò dicendum, & melius quòd Dauid imprecatus est hoc super Ioab, quia putauit esse possibile. Nam licèt communiter Deus nō soleat punire posteros pro peccato patrum, nisi vsque in tertiam, & quartam generationem: tamen interdum punit eos ad maiora tempora, sicut in aliquibus gentibus est, in quibus propter aliqua peccata prædecessorum, quæ antiquissima sunt, manent pœnæ vsque in hodiernum diem. Sic enim est de Iudæis, quibus Deus dedit in pœnam pauorem cordis, & solicitudinem nimiam. Deutero. 24. scilicet: Dabit enim tibi Dominus cor pauidum, & deficientes oculos, animam mœrore consumptā, & erit vita tua quasi pendens ante te, timebis nocte ac die, & non credes vitæ tuæ: mane dices, quis mihi det vesperum, & vespere, quis mihi det mane? propter cordis tui formidinem, qua terreberis. Ex hoc autem gens ista facta est inepta ad bellum, quod etiam ex maledictione prouenit, Leui. 26. scilicet: Et qui remanserint de vobis dabo pauorem in cordibus eorum in regionibus hostiū: terrebit eos sonitus folij volantis, & ita fugient, quasi gladium: cadent nullo sequente, & corruent singuli super fratres suos quasi bella fugiētes, nemo vestrum audebit inimicis resistere, peribitis inter Gentes, & hostilis vos terra consumet. Ecce omnia ista venerunt super Iudæos propter Christi mortem: sicut etiam accidebant eis propter alia peccata, vt quādo ducti sunt captiui in Babylonem, & in terram Medorum atque Persārum, venerunt eis hæc. Iudæi quoque imprecati fuerunt super se, & filios suos sanguinem Christi, & nobis notissimum est, nec etiam ipsi Iudæi negabunt omnes istas pœnas in eis esse vsque hodie: multæ tamen generationes, scilicet, plures quàm triginta transierunt ex morte Christi vsque huc. non solùm ergo puniuntur peccata patrum in filios vsque in tertiam, & quartam generationem, sed etiam interdum in æternum, aut in valde multas generationes: hoc autem cognoscēs Dauid imprecatus est maledictiones istas super domum Ioab in æternum. *Igitur Ioab, & Abisai frater eius interfecerunt Abner.* Isti duo erant fratres filij Saruiæ: quorum tertius frater, scilicet, Asael in bello perierat; ideo isti occiderunt Abner propter eum. *Eo quòd occidisset Asael fratrem eorum.* Ista est causa, propter quam se hoc fecisse dicebat Ioab, & erat ad aliqualem excusationem eius. Veritas tamen fuit, quòd Ioab occidit Abner ex inuidia, ne fieret princeps belli, vt supra dictum est: potest tamen dici, quòd ista fuerit aliqualis causa. *In Gabaon*, ideſt, apud Gabaon: nam apud piscinam Gabaon viri Ioab, & Abner pugnauerunt duodecim ex vtraque parte, & postea orto bello in acie, & effugatis viris Abner in persecutione mortuus est Asael præcedenti cap. *In bello.* Hoc ponitur ad increpationem Ioab, scilicet, quia non occidit ipse legitimè Abner in bello, sicut Abner occidit Asael.

An Abisai egit aliqualiter ad mortem Abner. Quæstio XXXI.

QVAERET aliquis, an Abisai fuerit in morte Abner, & si fuit, cur non imponuntur ei maledictiones. Ad primum dicendum, quòd Abisai aliqualiter egit ad mortem Abner. Quod patet, quia hic dicitur, quòd Ioab, & Abisai interfecerunt Abner. Item quia infra cùm Dauid conqueritur pro ista morte Abner dixit: porrò viri isti filij Saruiæ duri mihi sunt: si ramen solus Ioab fuisset in morte Abner dixisset Dauid, porrò Ioab iste filius Saruiæ mihi durus est: ambo ergo fuerunt in morte Abner. Ad secundum dicendum, quòd non ponuntur maledictiones super Abisai, sed super Ioab, quia dicitur hic: nec deficiat de domo Ioab fluxum seminis sustinens &c. & iterum sanguis Abner veniat super caput Ioab. Item patet hoc, quia Dauid moriens iussit Salomoni, quòd occideret Ioab pro morte Abner, sequenti lib. cap. 2. & non iussit aliquid de Abisai: ideo non pertinebant ad eum maledictiones. Causa autem quare non fuerunt maledictiones positæ sup Abisai, fuit, quia mors Abner non pertinuit directè ad Abisai, sed ad Ioab, nam ipse occidit Abner solus, quoniam fecit eum seorsum stare a reliquis in porta Hebron, & ibi secretè percussit eum in inguine: vnde Abisai nullum vulnus ei intulit. Etiam Abisai non fuit promotor huius rei, sed Ioab, quia ad eum pertinebat causa. Solum tamen præbuit Abisai consensum, & fauorem: & si quis restitisset Ioab in hac re, Abisai erat adiuturus eum. Ideo non fuit peccatum Abisai sicut peccatum Ioab: vnde non maledixit ei Dauid, nec iussit eum occidi. *Dixit autem Dauid ad Ioab.* Hic ponitur Abner celebris tumulatio, quia quamquàm irrationabiliter occisus est, honorificè ei exequię exhibitæ sunt. *Et ad omnem populum eius, qui erat cum eo.* Loquebatur Dauid ad Ioab, & ad reliquos de populo, vt pararent se ad exequias Abner. Et dicitur ad populum eius, qui erat cum eo, ideſt cum Ioab, quia ipse cùm esset princeps belli, totus exercitus sequebatur eū. *Scindite vestimenta vestra.* Istud debebant facere omnes viri Dauid, quia fiebat in signum doloris magni. Sic enim fecit Dauid, & viri sui annunciata morte Saulis, supra primo capit. scilicet: Apprehendeus autem Dauid vestimenta sua scidit: omnesque viri, qui erant cum eo. *Et accingimini saccis*, ideſt deponite vestes honoris, & gaudij, & induimini saccis: ista signant magnam amaritudinem animi & deiectionem: vnde quandocunque Hebræi & alij antiqui nimis dolebant, scindebant vestes, & mutabant eas, siue hoc esset pro peccato dolendo coram Deo; siue pro aliquo temporali malo, vt dolendo pro morte amicorum. De primo patet in Caypha, qui in signū doloris, cùm diceret Christum blasphemasse, scidit vestimenta

vestimenta sua: Matt. 26. Ioel tamen Propheta dixit, quòd quando homines dolerent pro peccato non scinderent vestimenta, sed solùm dolerent in corde. Sic patet Ioelis 2. scilicet: Scindite corda vestra, & non vestimenta vestra, & conuertimini ad dominum Deū vestrum. Vestes quoque mutabant antiqui in signum doloris, siue dolor iste esset pro Deo, siue pro aliquo malo humano. De primo patet, quia Sacerdotes induebantur cilicijs, & saccis, vt placarēt dominum pro peccato Israel, vt patet Ioelis primo, scilicet. Accingite vos cilicijs, & plangite Sacerdotes Domini: vlulate ministri altaris, ingredimini, cubate in sacco ministri Dei mei. Niniuitæ quoque plorantes ad dominum pro peccato reiecerunt a se vestes suas, & induti cilicijs sederunt in cinere, vt patet Ionæ 3. De secundo patet tam quantum ad ruptionem vestium, quàm ad mutationem earum pro temporali malo, quia Dauid & viri sui sciderunt hic vestes & induti sunt sacco. Sic enim fecit Thamar, qui stuprata a fratre suo scidit tunicam suam talarem, & aspersit cinerem capiti suo. infra 13. *Et plangite ante exequias Abner*, ideſt, plangite ante corpus eius: istud erat, quando ferebatur Abner ad sepeliendum, quia tunc Dauid ibat cum feretro, & plangebat populus.

Quare Dauid iussit Ioab, quòd iret ad exequias Abner plorans eum, cùm ipse occidisset Abner. Quæstio XXXII.

QVAERET aliquis, quare Dauid iussit Ioab, quòd iret ad exequias Abner scissa tunica, & plangens, cùm ipse occidisset Abner. Respondendum, quòd hoc fecit Dauid propter duo. Primò quia volebat Dauid honorificè sepelire Abner, & funeralia celebriter agere. Non erat autem aliquis, qui honoraret ibi Abner, nisi Dauid, & viri sui: & quia maior pars populi erat cum Ioab dixit ei Dauid quòd ipse & populus, qui cum eo erat, plangerent. Si autem non iussisset ei, nec etiam populus, qui erat cum Ioab planxisset. Secundò fecit hoc Dauid ad indicandum quòd Ioab dolebat de facto suo, cùm ipse plangeret hostē: nam si Ioab non iuisset ad plangendum, sed mansisset gaudens in domo tanquàm egisset aliquid valde lætum, esset magnum dedecus Dauid, quòd de eodem ipse plangeret, & viri sui gauderent: voluit igitur q̄ planctus suus communis esset ad omnes, ideo compulit Ioab plangere. *Porrò Dauid sequebatur pheretrum*, ideſt, Dauid ibat post pheretrum, quando ducebatur Abner ad sepeliendum. Dicitur autem pheretrum lectus, in quo feruntur mortui: & dicitur a ferendo, quia ibi feruntur. Alio modo vocatur libitina: & alio modo vocatur loculus. Sic patet de muliere illa in ciuitate Naim, cuius filium cùm duceretur ad sepeliēdum Christus suscitauit: & dicitur quòd tetigit loculum, ideſt, lectum. *Cumque sepelissent Abner in Hebron, leuauit rex vocem suam*, ideſt, tunc quando ponebatur Abner in sepulcro, Dauid leuauit vocem suam ad plangendum nimis, scilicet, quia ante hoc non planxerat: sic enim consuetudo est in quibusdam gentibus, quia tunc viri & fœminæ acerbius plorent cum cadauera ponuntur in sepulcro. *Et fleuit super tumulum Abner*, scilicet, emittendo lachrymas, & sonitum sine verbis. *Fleuit autem, & omnis populus*, scilicet, omnes viri Dauid: quia turpe putabant quòd rege flente alij a fletibus temperarent. *Plangensque rex Abner ait.* Planctus est emissio vocum cantilenarum ad exaggerandum dolorem, in quibus ipsi mortui laudantur, vel calamitas eorum aut viuentium ex illorum morte refertur. *Nequaquam vt mori solent ignaui mortuus est Abner.* Ista sunt verba planctus, & laudatur in eis Abner, scilicet, quòd non fuit mortuus ex desidia cordis sui, sic vt vir miserabilis, sed vt vir bonus per insidias perijt: ignaui vocantur viri inutiles, & pusillanimes, qui non sustinent timores bellicos, sed potius tradunt se in manus hostium seruituti subijciendos. Abner autem nō erat sic, sed vir magni animi: nec perijt virtute bellica, sed insidijs. In Hebræo habetur. *Nequaquam vt mortuus est Nabal mortuus est Abner.* Et nō accipitur ibi Nabal pro nomine proprio, sicut accipitur præcedenti lib. ca. 25. sed est Nabal nomē commune significans miserum, ineptum, vel stultum: & tunc ignauus, & Nabal idem sunt: & sic accepit Hieronymus hic. Posset tamen dici, quòd acccipiatur Nabal pro nomine proprio, & satis consonat, scilicet, quòd non fuit mortuus Abner sicut Nabal, quia Nabal mortuus est præ timore: nam cùm vxor eius dixisset ei mala, quæ disposuerat facere Dauid contra eum: factum est cor eius quasi lapis, & mortuus est post decem dies. præcedenti lib. cap. 25. Abner autem non mortuus est sic, quia erat vir bellicosus, & animosus nimis: sed per insidias perijt. *Manus tuæ non sunt ligatæ*, ideſt non mortuus fuisti in carcere captus ab hoste in bello. Istud enim erat magnum dedecus, quia potius quis debebat mori in bello, quàm tradere se hosti seruiturum: immo potius debebat quis mori quàm fugere a facie hostis: sic enim dixit Iudas Machabæus viris suis, qui hortabantur dicentes: liberemus animas nostras modò, & reuertamur ad fratres nostros: & tunc pugnabimus aduersus eos, nos autem pauci sumus. Et ait Iudas: absit istam rem facere, vt fugiamus ab eis, & si appropiauit tempus nostrum, moriamur in virtute propter fratres nostros, & non inferamus crimen gloriæ nostræ. 1. Machabę. 9. *Et pedes tui non sunt compedibus aggrauati*, ideſt, etiam nō cœpit te hostis tuus in bello, vt te poneret in compedibus seruiturum, quia hoc ignominiosum erat. *Sed sicut solent cadere coram filijs iniquitatis corruisti*, ideſt, non mortuus es aliqua morte ignominiosa de supradictis, sed corruisti, sicut solēt cadere viri boni coram filijs iniquitatis, ideſt, coram viris pessimis, scilicet, qui occidunt per insidias viros bonos, & famosos, quos bello superare non possunt. *Congeminansque omnis populus fleuit super eum*, ideſt, totus populus congeminabat, ideſt repetebat verba Dauid, & flebat super eum, ideſt super tumulum eius: sic enim dicitur de Dauid, quòd ipse fleuit super tumulum Abner. Dicitur autem q̄ congeminauit populus verba Dauid, quia istud fit ad modum cantilenarum, in quibus verba prima sæpe repetuntur. Etiam quia in planctu solitum est verba quædam repetere: sic fuit in planctu pro morte Saulis, & Ionathæ, vbi sæpe repetuntur ista verba, scilicet, quomodo cęciderunt fortes, & perierunt arma bellica. *Cumque venisset vniuersa multitudo populi Israel*, scilicet post planctum, & sepulturam Abner, venit totus populus cum Dauid, vt sumeret cibos, & noluit propter Abner. In quo ipse significauit se nimis dolere de morte eius. Dicitur autem quòd venit vniuersa multitudo populi Israel, ideſt, populi Iudæ, quia totus Israel nondum erat in potestate Dauid: nec etiam intelligitur de toto populo Indæ, quia non erat tota gens illius tribus in Hebron, sed populus vrbis illius: & quia tota gens vrbis Hebron cōuenerat ad funera Abner, & iuit cum Dauid in domum suam, dicitur tota multitudo Israel iuisse cū Dauid. *Cibum capere cum Dauid*, i. omnes qui fuerunt in funeribus Abner veniebant ad comedendum cum rege, quia rex propter amicitiam Abner voluit facere illud festū pro eo in funere suo. *Clara adhuc die*, ideſt, quando venit populus cū Dauid ad manducandum, erat adhuc clara dies, ideſt, erat aliquantulum ante solis occasum. In quo intelligendū, quòd

Universidad de Deusto
Biblioteca

quòd cæremoniæ funeris Abner cæperunt in principio diei, & duranerunt vsque ad aliquantum tempus ante solis occasum, & toto illo tempore non comedit Dauid: cùm autem finitæ essent exequiæ poterat iam comedere, & tamen noluit comedere vsq; post solis occasum. Aliquis autem forte dicet, quòd iam Dauid comederat illa die. Sed non stat, quia tunc non videbatur aliquid facere, quòd abstineret a cibo vsq; ad solis occasum, quia sic nos quotidie facere consueuimus. Dauid tamen iurauit super hoc, & populus putauit istud esse aliquid magnum; ideo nondum comederat illa die. *Iurauit Dauid, dicens; hæc faciat mihi Dominus, & hæc addat.* Modus iurandi est in veteri testamento. Sic enim iurauit Abner supra in litera: sic etiam iurauit Heli præcedenti lib. c. 3. *Si ante occasum solis gustauero panem*, idest, nihil comedam aut bibam ante solis occasum, & istud fiebat ad indicandum nimium se dolere pro Abner. *Vel aliud quicquàm*, idest, etiam non comedam aliquid, quod non sit panis, sed totaliter abstinebo, istud posuit Dauid, quasi ex superabundantia: nam ex modo loquendi antiquorum, intelligebatur nomine panis omne, quod comedi potest. Vnde si quis iuraret se non comesturum panem in tanto, vel tanto tempore, non solùm non poterat comedere panem, sed etiam nihil aliud: sic patet de Saule quando posuit super populum maledictionem, dicens: maledictus vir, qui comederit panem vsq; ad vesperam. præcedenti lib. cap. 14. Ionathas autem non audita maledictione patris comedit modicum de melle, & propter hoc condemnatus est ad mortem, & non solùm fuit hoc secundùm sententiam hominum: sed etiam secundùm Dei sententiam. Nam Deus iratus fuit, quia Ionathas comederat mel, & noluit respondere per Sacerdotes sicut prius eo. ca. Dauid tamen voluit hic exprimere quicquam aliud ad maiorem significationem. Vel fortè fecit hoc, quia cùm aliquis iurabat se non comesturum panem solùm, intelligebatur, q̃ nihil gustaret, quod pertineret ad cibum. non tamen vetabatur, quin biberet quicquid vellet: vnde si Ionathas bibisset aliquid, & nihil comedisset, non egisset contra decretum patris, comedit tamen. Dauid autem fortè voluit se obligare non solùm ad non comedendum, sed etiam ad non bibendum. Ideo dixit, q̃ non gustaret panem, vel quicquam aliud, scilicet, pertinens ad cibum, vel ad potum.

Panis nomine omnia comesti bilia intelliguntur.

Quare Dauid noluit comedere vsque ad vesperum propter mortem Abner. Quæst. XXXIII.

QVAERET aliquis, quare Dauid noluit comedere vsque ad vesperum. Respondendum, quòd hoc fecit propter duo. Primò ad indicandum se dolere pro Abner cùm verè doleret, & ad hoc nõ solùm visum est sibi sufficiens, quòd plangeret, & induereturſacco, sed etiam quòd ieiunaret, & quia omnia ieiunia Hebræorum erant vsque ad vesperum, sicut patet in die propitiationis, Leui. 23. voluit Dauid abstinere a cibo, & potu vsque ad vesperum. Sic enim fecit pro Saule, annunciata sibi morte eius: nam ipse & viri sui scinderunt vestimenta sua, & non manducauerũt vsque ad vesperum, supra primo. Secunda causa fuit, quia populus erat nimis suspectus de morte Abner. Putabatur enim quòd Ioab fecisset iussu suo: & vt excluderet istam præsumptionem voluit agere quicquid fieri poterat ad indicandum dolorem: & quia ieiunare pro mortuis est magnum signum doloris de morte eorum, sub iuramento pollicitus est, quòd nihil gustaret. Fuit autem istud nimis efficax ad excludendum opinionem conceptam contra eum de morte Abner. Quod patet, quia populus videns istud credidit quòd ipse non iussisset occidi Abner. Vnde dicitur in litera immediatè: omnis populus audiuit, & placuerunt eis cuncta, quæ fecit rex Dauid in conspectu totius populi: & cognouit vniuersus Israel in die illa, quòd non actum fuisset a rege, vt occideretur Abner.

Quare Dauid non iussit omnibus suis quòd ieiunarent pro morte Abner, sicut fecit pro Saule. Quæstio. XXXIIII.

QVAERETVR vlterius, quare Dauid non iussit hic omnibus viris suis, quòd ieiunarent die illa pro morte Abner, sicut ieiunauerunt pro morte Saulis, & Ionathæ supra primo: nam ibi omnes viri Dauid ieiunauerunt. Respondendum quòd Dauid, & viri sui ieiunauerunt in morte Saulis, eo quòd ibi erat causa generalis ad ieiunandum, scilicet, pro morte regis, & filiorum suorum, & populi Israel. Sic dicitur supra primo: & planxerunt, & fleuerunt, & ieiunauerunt vsque ad vesperam super Saul, & super Ionatham filium eius, & super populum Domini, & super domũ Israel, eo quòd corruissent gladio, ideo cùm causa esset communis, credendum est quòd Dauid iuberet viris suis, q̃ ieiunarent vsque ad vesperum. Sed adhuc dato q̃ non iussisset, sicut non legitur iussisse, satis credendum erat, q̃ ipsi sponte ieiunassent. Nunc autem in morte Abner non erat causa communis toti populo ad ieiunandum, eo q̃ Abner non erat rex populi, nec dominus, sed hostis virorum Dauid: vnde non tenebantur aliquid agere pro eo. Dauid tamen voluit quòd honorarent funera Abner: vnde iussit quòd scinderent vestes suas, & induerentur saccis, vt patet in litera: non tamen ausus fuit iubere eis, quòd ieiunarent: quia videretur molestum. Ire quoque ad exequias noluissent viri Dauid, nisi iussisset eis: ideo expresse iussit, dicens: scindite uestimenta uestra, & accingimini saccis: ut patet in litera. In morte tamen Saulis non legitur aliquid iussisse Dauid uiris suis, sed ipsi sponte fecerunt, nec uoluit iubere, quia putauit q̃ ipsi sine iussione facerent. Aliquis dubitabit, an istud ieiunium Dauid prodesset animæ Abner. Respondendum quòd non proderat ad aliquam remissionem peccatorum, quia non ordinabatur ad hoc, sed solùm ad indicandum dolorem, ut declaratum est supra 1. c. in q. 9. *Omnisque populus audiuit*, scilicet quomodo iurauit Dauid; quòd non gustaret quicquam usq; ad solis occasum. Vel potest dici quòd audiuit populus planctum Dauid in laudem Abner, ut patet supra. *Et placuerunt eis cuncta, quæ fecerat rex Dauid in conspectu totius populi.* Isti quibus placuerunt hæc, fuerunt illi uiginti uiri de Beniamin, qui uenerant cum Abner, ut patet supra in litera. Fuit etiam totus populus Hebronitarum: omnibus quippe displicuerat mors Abner: quia quamquàm ipse hostis fuisset, securitas data ei erat, & iniustissimè ac turpiter occisus est. Ista autem, quę placuerunt eis fuerunt omnia, quæ fecit Dauid pro Abner, scilicet, planctus, fletus, & ieiunium, quæ fuerunt in conspectu totius populi: sed maximè placuit populo iuramentum Dauid de non comedendo. *Et cognouit omne vulgus*, idest, totus populus Hebronitarum. *Et vniuersus Israel*, idest, omnes duodecim tribus Israel: nam audito eo quod fecerat Dauid, cognouerunt q̃ non pertinebat ad eum mors Abner. *In die illa*, i. tunc postquàm Dauid fecit hoc. in eadem die non potuit totus Israel cognoscere mortẽ Abner, nec quid egisset Dauid. *Quoniam non actum fuisset a rege, vt occideretur Abner filius Ner*, idest, cognouerunt quòd Dauid non iussisset

iussisset, quòd occideretur per Ioab: nam opinio erat, q̃ ipse iussisset hoc, quia alioquin non auderet Ioab illud facere, sed hoc viso, expulerunt præsumptionem.

Quare Dauid non iussit Ioab occidi, & an peccauerit non occidendo eum propter Abner. Quæst. XXXV.

QVAERET aliquis, quare Dauid nòn iussit occidi Ioab propter mortem Abner, nã merebatur mortem propter hoc. Aliquis dicet, quòd Ioab, quamquam peccauerit, non merebatur mortem, sed aliquam minorem pœnam. Istud tamen non stat, quia vel Ioab occidit iustè Abner, vel non: si iustè, nihil peccauit: si iniustè, merebatur mortem, quia pro homicidio non datur minor pœna quàm mors. Dicendum est igitur, quòd Ioab merebatur mortem, nec dubitabat de hoc Dauid, noluit tamen nunc illam ei inferre. Aliqui enim dicunt, quòd noluit eum occidere, quia erat sibi nimis necessarius ad bellum, cùm ipse esset princeps militiæ, & ageret omnia bella pro Dauid: fuit etiam post hoc sibi nimis utilis. Sed hoc non stat: primò, quia tunc non iussisset eum occidi à filio suo, sed præcepit, quòd occideretur. sequenti lib. cap. 2, quamquam potuisset esse satis utilis Salomoni in regno. Secundò patet, quia si propter hoc fecisset Dauid, peccasset, cùm executio iustitiæ non debeat prætermitti propter utilitatem priuatam. Dicendum igitur, quòd Dauid nunc non occidit Ioab propter duo. Primò ne faceret scandalum in populo: erat quippè Ioab nimis potens, & ipse & frater suus Abisai erant Domini totius exercitus, qui affectus erat illis. Vnde si Dauid conatus fuisset occidere Ioab, restitisset communitas, & fuisset scandalum magnum, & bellum intestinum. Secundum fuit, quia Dauid timebat Ioab, uel saltem non putabat se præualiturum contra eum, si uellet eũ occidere, quia tota potentia exercitus erat in manu Ioab: ideo destitit ab hoc conatu: non enim tunc habebat Dauid populum sibi firmatum, sed magis erat in manu Ioab, ideo noluit aliquid agere: erat quippe tunc Dauid Rex nouus. Si autem Dauid fuisset confirmatus iam in regno, & non fuisset tanta potentia Ioab, conatus fuisset eum occidere. Ista causa exprimitur in litera, cùm dixit Dauid: ego autem adhuc delicatus, & unctus Rex: porro uiri isti filij Saruiæ duri mihi sunt, retribuat dominus facienti malum iuxta malitiam suam. q.d. ego sum Rex nouus, & delicatus, idest paruæ potentiæ, & isti filij Saruiæ, scilicet, Ioab, & Abisai sunt mihi duri, quia sunt magnæ potentiæ: & ego non possum comprimere eos, ideo oro q̃ Deus retribuat eis malum, cùm ego non possim.

An Dauid peccauit non occidendo nunc Ioab. Quæst. XXXVI.

QVAERETVR vlterius, an peccauit Dauid non occidendo Ioab. Aliquis dicet, q̃ sic, quia dato, quòd dicamus eum omisisse hoc propter scandalum, non est sufficiens excusatio, quia propter scãdalum non est à veritate recedendum, sicut est regula iuris. Respondendum est, quòd Dauid non peccauit, non occidendo nunc Ioab, quod potest multipliciter assignari: vno modo, quòd Dauid non occidit Ioab, quia nullo modo poterat, eo quòd Ioab erat potens: ad ea autem, quæ vltra potentiam sunt nemo tenetur. Sed aliquis dicet, quare Dauid non conabatur saltem occidere Ioab? nam videtur, quòd non fecerit quidquid potuit, cum non conatus sit hoc facere. Respondendum, quòd Dauid non obligabatur conari ad hoc, vel tentare istud, quia tentare aliquid est velle capere experientiam ad quantum se extendet potentia nostra, ideo tentatio nunquam est, nisi in dubio: cùm ergo aliquid fuerit notissimum alicui, non tenetur aggredi illud ad sciendum an poterit, quia iam constat sibi, q̃ non poterit; esset que sibi conatus ille superuacuus. Sic erat de Dauid, quia ipse sciebat se impotentem ad occidendum Ioab, ideo non obligabatur tentare illud. Aliter potest dici, quòd dato, quòd Dauid potuisset occidere Ioab, & non occidisset nunc, non peccabat, quia non propter hoc remittebat ei pœnam simpliciter, sed differebat eam ad alia tempora, quia ipse iussit Salomoni filio suo, quòd occideret Ioab. sequenti lib. cap. 2. Iudices autem non tenentur occidere criminosos mox vt de delicto constiterit, sed tenentur eos non dimittere impunitos, dilatio autem pœnæ non causat peccatum, nisi cùm propter dilationem paratur locus criminoso fugiendi, & euadendi pœnam: vel datur exemplum contemnendi iurisdictionem. Dauid igitur potuit differre mortem Ioab ad alia tempora; & cùm hoc intendisset semper, non peccauit. Aliter potest dici, quòd quamquam posset Dauid occidere Ioab, quia tamen credebat inde secuturũ grauè scandalum, poterat rationabiliter omittere. Cùm autem arguitur, quòd propter scandalum non est recedendum à veritate. Dicendum, q̃ veritas est triplex, scilicet, veritas vitæ, iustitiæ, & doctrinæ. Veritas vitæ est viuere secundum legem Euangelicam, & cõscientiam sanam: veritas iustitiæ est exequi pœnas super delinquentes secundùm præcepta legum, & cuiuscunque ordinationis tam diuinæ, quàm humanæ: veritas doctrinæ est prædicare, vel docere id, quod verum est, siue in moribus: siue in speculatiuis intelligibilibus. Harum veritatum duæ, scilicet, iustitiæ, & doctrinæ relinqui possunt ad tempus, non agendo contra eas, sed supersedendo propter scandalum: & hoc quando scandalum magnum timetur, & sic si interdum oriatur scandalum, quod habeat aliqualem causam propter prædicationem alicuius, vel doctrinam, debet ille non repugnare doctrinæ suæ, si vera est, sed cessare ad tempus à prædicatione, & doctrina quousque sedetur scandalum. Alia veritas, quæ erat iustitiæ, scilicet executionis iustitiæ, etiam interdum debet omitti propter scandalum: vt si iudex velit aliquem reum occidere, & propter hoc subito tota ciuitas turbaretur, de quo verisimiliter putaretur magnum scandalum euenturum, iudex cessare deberet ab executione iustitiæ, differendo illam in aliud tempus. Alia est veritas vitæ, & ab ista nunquam cessandum est propter quodcunque scandalum: nam etiam si totus orbis periret, aliquo homine rectè viuente, non deberet ille cessare à rectitudine vitæ, vt totus orbis saluaretur, quia nulla causa esse potest, pro qua homo peccare debeat mortaliter. Et de ista sola veritate intelligitur illa regula iuris, scilicet, vtilius scandalum nasci permittitur, quàm ueritas relinquatur, de alijs autem duabus ueritatibus non est uerum. Sic declarat Glo. super regulam istam. Potuit igitur cessare Dauid ab executione iustitiæ propter scandalum, quia non relinquebatur hic ueritas uitæ, sed ueritas iustitiæ. *Dixit quoque Rex ad seruos suos.* Hic Dauid ostendit, quid facere uoluisset pro Abner, scilicet, quòd occideret Ioab, & q̃ fuisset hoc ualde rationabile, sed non poterat. *Num ignoratis, quoniam princeps, & maximus cecidit hodie in Israel?* q. d. non debetis admirari, quòd ego nimis doluerim, & fecerim omnia hęc, quia iste, pro quo facio, erat princeps in Israel, & erat maximus, scilicet, quia quondam uiuente Saule ipse fuit princeps militię totius

Veritas triplex, & quãdo veritas est tacenda propter scãdalum.

tius Israel: nunc quoque erat princeps militiæ vndecim tribuum, & ipse regebat illas, vt patet supra in litera: ideo non solùm debuissem hoc facere pro eo, sed etiam vindicare mortẽ illius, sed non possum. *Ego autem delicatus, & vnctus rex,* ideſt quamquam debuissem vindicare mortem Abner, non valeo. Et ponit hic duas rationes: Prima quia erat delicatus, ideſt, infirmus in potestate, ideo non poterat prævalere contra Ioab, qui puniendus erat. In Hebræo dicitur. *Ego autem adhuc tener*, ideſt, debilis: ea enim quæ tenera sunt infirma sunt. Secunda ratio est, quia erat nouiter vnctus in regem, reges autem noui nondum habent sibi conciliatos animos plebis: potestas autem regum in affectione subditorum ad eos est: si autem ex multo tempore regnasset Dauid, potuisset ius facere de Ioab. *Porrò viri isti filij Saruię duri mihi sunt.* Ista est tertia ratio propter quam non poterat Dauid punire Ioab, scilicet, quia Dauid habebat Ioab & Abisai sibi resistentes, qui erant valde duri, ideſt, potentes ad non obediendum Dauid: dixit autem, viri isti, quia quamquam solum Ioab vellet Dauid occidere, quia tamen Abisai erat frater eius, resisteret huic conatui Dauid: & sic ambo erant duri contra Dauid, ideſt difficiles ad subijciendum ipsi Dauid, sicut res dura resistit agenti. *Retribuat Dominus facienti malum iuxta malitiam suam*, i. quia ego non sum potens nunc punire istud crimen, Deus puniat illud retribuendo Ioab facienti id quod meruit, scilicet, maledictiones supra positas a Dauid super Ioab.

Quare Dauid non punuit immediatè Ioab.

CAP. IIII.

AVDIVIT autem Isboseth filius Saul, quòd cecidisset Abner in Hebron, & dissolutæ sunt manus eius, omnisque Israel perturbatus est. Duo autem viri principes latronum erant filio Saul, nomen vni Baana, & nomen alteri Rechab filij Remmon Berothitæ de filijs Beniamin: siquidem & Beroth reputata est in Beniamin.

DESCRIPTA in superioribus oppressione regni Isboseth per frequentem calamitatem, hic agitur de regni eius totali destructione per ipsius Isboseth mortẽ. Et diuiditur in duo, quia primò ponitur mortis occasio, secundò eius vltio ibi. *Respondens autem Dauid.*

De totali destructione regni Isboseth.

An ordo sequentium continuus sit ad præcedentia, & immediatus. Quæstio I.

QVAERET aliquis circa hoc, an ea, quæ habentur hic continuum ordinem habeãt ad præcedentia, vel sit aliqua mutatio ordinis, & an ista fuerint facta immediatè post præcedentia. Ad primum dicendum, quòd est ordo continuus: nam supra actum est de morte Abner: hic autẽ agitur de morte Isboseth: prius tamen mortuus est Abner, quàm Isboseth, cùm Abner conatus fuerit transferre regnum Israel in Dauid viuente Isboseth, vt patet præced. cap. Item supra dictum est de morte Abner, hic autem agitur de annunciatione mortis eius facta Isboseth: prius tamen fuit mors quàm annunciatio eius. Ad secundum dicendum, q̃ ista fuerunt facta immediatè post præcedentia: nam supra dicebatur quomodo fuerit mortuus Abner, hic autem dicitur quomodo annunciatum fuit Isboseth: fuit tamen annunciatum immediatè, quia viginti viri de Beniamin iuerant cum Abner in Debron, vt patet præcedenti. cap. & illi redierunt ad Isboseth nunciantes ei, quæ acciderant. *Audiuit autem Isboseth filius Saul*, scilicet, quia viri viginti, qui iuerant cum Abner, venerunt ad referendum ei. *Quòd cecidisset Abner in Hebron*, ideſt, q̃ occisus fuisset a Ioab. *Et dissolutę sunt manus eius*, ideſt, non habuit iam aliquas vires, nec cor ad repugnandum Dauid. Istud autẽ erat, quia Abner erat princeps militiæ Isboseth, & ipse regebat totum regnum illius. præcedenti cap. vnde illo mortuo credidit q̃ non posset se defendere a Dauid. *Omnisque Israel perturbatus est*, scilicet, omnes vndecim tribus, quæ erant sub potestate Isboseth; quia omnes Israelitę experti fuerant, q̃ potentia regni erat in Abner, cùm Isboseth nihil ageret, nisi quod volebat Abner: ideo omnes Israelitæ timuerunt, cognita morte Abner.

Quare per mortem Abner dicantur dissolutę manus Isboseth, cùm hoc non pertineat ad historiam. Quæst. II.

QVAERET aliquis, quare dicitur hic de Isboseth q̃ dissolutæ sunt manus eius, audita morte Abner, cùm istud nihil videatur agere ad historiam, quàm hic tractat scriptura. Respondendum q̃ scriptura intendit describere hic mortem Isboseth, & causas eius, per quam Dauid cœpit esse rex totius Israel: & quia ista mors habuit ortum ex fama mortis Abner, describitur hic, q̃ audierit Isboseth de morte Abner. Fuit autem modus, scilicet, quòd audita morte Abner elanguit cor Isboserh, & putauit se iam non posse resistere Dauid, quod toti Israel cognitum fuit, ideo cũ duo principes latronum, de quibus hic dicitur, ista audierint, credentes q̃ regnum Isboseth cito conuerteretur ad Dauid, vt ipsi haberent gratiam ab eo, voluerunt conari ad occidendum Isboseth, vt sic facilius Dauid obtineret regnum Israel, in quo putabant ei magnum seruitium facere: vnde isti introeuntes in domum Isboseth præciderunt caput eis, quòd non fecissent, si non sciuissent Isboseth & totum Israel desperare præ morte Abner: ideo tanquàm motiuum ad mortem suam agitur hic, quomodo dissolutæ fuerint manus eius, & cor, audita morte Abner.

Cur timuit Israel propter mortem Abner. Quæst. III.

QVAERETVR vlterius, quare dicitur, q̃ Israel perturbatus est audita morte Abner: nam licèt ex hoc Isboseth haberet causam nimiæ turbationis, eo q̃ adiutor suus peribat, tamen Israel non habebat causam timendi, quia conuenerant q̃ acciperent Dauid in regem. præcedenti cap. ideo non habebant causam timendi Dauid. Respondendum est, q̃ Israelitæ rationabiliter timuerunt, quia ante hoc conuentum fuerat inter eos instigante Abner, q̃ acciperent Dauid in regem: nunc autem Abner, qui erat procurator huius facti, occisus fuerat in terra Dauid, cui ipse Abner tantum bonum procurabat: ideo si in illud Dauid egisset, vel permisisset fieri tam iniustam retributionem,

butionem, a fortiori hoc faceret super reliquos Israelitas, qui nondum ei benefecerant: timuerunt ergo audita morte Abner. Sed adhuc dicetur, quòd non debuissent timere, quia ipsi sciebant, quòd Dauid non egisset hoc, nec consensu suo actum foret, sicut dicitur præcedenti capitulo, scilicet: Cognouit vniuersus Israel, quoniam non actum fuisset a rege, vt occideretur Abner, ideo non habebant causam timendi, quòd Dauid vellet agere aliquid malum in eos. Respondendum quòd non turbati sunt Israelitæ timentes, quòd sic fieret eis, sicut factum est Abner: sed turbati sunt, quia id quod ipsi intendebant perturbatum est: nam volebant ipsi redire ad Dauid mediante Abner, qui reduceret eos: nunc autem, illo mortuo, non poterant sic reduci, ideo turbabantur. Item quando accidunt aliqua mala, & horrenda quæ sunt pęnitus inopinata, solent homines nimium turbari, etiã si ad eos mala illa non pertineant: quia ergo mors Abner erat aliquid magnum & inopinatum, subitò, illo audito, turbati sunt omnes Israelitæ. Item turbati sunt, quia cùm Abner esset regens Israel, vt patet præcedenti capitulo, timuerunt quòd per mortem eius fierent aliquæ magnæ mutationes in regno, de quibus homines potius solent aduersa formidare, quàm prospera expectare. *Duo autem viri principes latronum erant filio Saul*, ideſt, Isboseth filius Saul habebat secum duos principes latronum. agitur autem de istis, quia isti postea occiderunt eum. In Hebræo dicitur. *Principes turbarum*. & ad idem redit, quia aliquando solent multi congregari ad latrocinandum, & illi constituunt sibi principem, qui potest vocari princeps latronum, cùm illi latrones sint: vel princeps turbarum, quia multi sunt illi, quibus præest: sic etiam fortè erat nunc de istis duobus viris, quòd ipsi erant dũces multorum latronum, qui agebant prædas in Israel, & vocantur principes turbarum.

Qui essent isti duo principes latronum. Quæst. IIII.

QVAERET aliquis de istis viris, qui erant, & quomodo se habuerunt ad Isboseth. Respondendum quòd Rabanus, & Andreas, & Glosa ordinaria dicunt, quòd isti duo viri erant duo principes in exercitu Isboseth, & mortuo Abner, sicut tradũt Hebræi, consiliati sunt cum Miphiboseth filio Ionathæ, vt occiderent Isboseth, & constituerent eum regem: sed Miphiboseth consilium eorum prodidit, illi verò timore perterriti fugerunt in Gethaim, & fuerunt ibi vsque ad tempus illud, quo reuersi ingressi sunt in domum Isboseth, & occiderunt eum. Historia autem scholastica dicit, quòd isti duo erant principes latronum Isboseth, & irati recesserunt ab eo, veneruntque ad Miphiboseth filium Ionathæ, vt facerent eum regem, qui noluit, immo prodidit eorum consilium. Dicit etiam quosdam dicere, quòd Isboseth iratus erat istis duobus principibus latronum, eo quòd dicebant Miphiboseth debere regem esse, cùm filius esset Ionathæ, quia erat primogenitus Saul, ideo fugerunt ab eo. Rabi. Sa. aliter dicit, scilicet, quòd isti duo viri erant de tribu Beniamin de vrbe Beroth, & illa erat propinqua Philisthinis: ideo mortuo Saule fugerunt inde Iudei sicut fugiebant de alijs vrbibus propinquis terræ Philisthinorum. præce. lib. cap. 31. scilicet, videntes viri Israel, qui habitabant trans Iordanem, quòd mortuus est Saul, reliquerunt ciuitates suas, & fugerunt, veneruntque Philisthijm, & habitauerunt ibi: dicit etiam quòd isti fugitiui de vrbe Beroth aggregauerunt sibi multitudinem similium, vt de prædis vi-

uerent deserta iam terra sua. horum autem principes fuerunt isti duo viri, de quibus hic. Et ex hac causa latenter introierunt ad Isboseth, vt occiderent eum, si quia ipsi intendebant sola lucra, & putabant quòd ferendo caput Isboseth ad Dauid acciperent ab eo magna dona, introierunt vt illum occiderent. Ista sententia Rab. Sa. concordat literæ nostræ magis quàm sententia doctorum nostrorum, eo quòd doctores nostri non vocant istos principes latronum, sed principes exercitus. Rab. Sa. autem vocat eos principes latronum, sicut est in litera nostra. Videtur tamen rationabilior positio Rabani, & Andreæ, scilicet, quòd isti fuerint principes exercitus. Et hoc apparet ex tribus. Primò quia dicitur, quòd isti erant de tribu Beniamin, & ideo verisimile erat, quòd isti haberent aliquod principatum, quia omnes de tribu illa erant nimis adhærentes regi Isboseth, eo quòd erant de tribu eius. Vnde dicit Iosephus 7. Antiquitatum, quòd omnes de tribu ista erant custodes corporis regis. Secunda ratio est, quia ista positio consonat magis literæ Hebraicæ quàm positio Rab. Salomonis: ibi enim dicitur, quòd erant principes turbarum, & non latronum: principes autem turbarum vocantur principes exercitus: vnde satis verisimile est, quòd viuente Abner isti essent principes alicuius partis exercitus, & illo mortuo haberent maiorem potestatem: ideo ex hoc conarentur aliquid agere contra Isboseth, scilicet, constituere in regem Miphiboseth filium Ionathæ, propter quod irascereturs eis Isboseth. Tertia ratio est, quia dicitur in litera: duo viri principes latronum erant filio Saul, ideſt, ipse habebat eos: si tamen essent principes latronum, non haberet eos Isboseth in seruos, cùm ipse esset rex, & non permitteret regnum suum in prædam uerti, ideo dicendum quòd erant principes exercitus, siue turbarum, non latronum. Hieronymus tamen dixit quòd erant principes latronum. ideo si quis uoluerit propter eum tenere sententiam Rabi. Sal. teneat. Mihi tamen rationabilior uidetur sententia Rabani, & Andreæ, & historia scholastica. *Nomen vni Baana, & nomen alteri Ręcab*. Ponuntur nomina istorum uirorum, quia erant famosi, cùm occiderint Isboseth: erant autem ambo fratres. *Filij Remmon Berothitæ*, ideſt, Remmon pater eorum erat de urbe Beroth. ex quo patet quòd isti erant de filijs Beniamin, cùm ista ciuitas esset in sorte illa. *De filijs Beniamin*, ideſt, isti duo uiri erant de stirpe Beniamin. Hoc autem ponitur propter duo. Primò ad notificandum stirpem istorum, quia cùm fecerint aliquid stupendum, dignum erat sciri, qui erant, qui fecissent, & de qua stirpe, & cuius conditionis. Secundò ponitur genus eorum ad significandam magnam inhumanitatem, scilicet, quia non solùm fuerunt inhumani occidendo regem suum, sed etiam occiderunt uirum de tribu sua. Nam Isboseth de tribu Beniamin erat, quem utiq; iure saltem cognationis diligere debuissent. *Siquidem & Beroth reputata est in Beniamin*. Hoc ponitur ad probandum præcedentia, scilicet, q̃ isti duo uiri erant de tribu Beniamin: nam erant de urbe Beroth, & illa est in sorte Beniamin. Sed aliquis dicet quòd non sequitur ex hoc: quia poterant isti uiri habitare in terra Beniamin, & non esse de tribu Beniamin. Respondendum quòd non stat, quia inter Hebræos non fuit idem modus, qui apud nos est: nam erat terra diuisa per sortes, & in sorte unius tribus solùm habitabant uiri illius tribus, eo quòd alijs non dabatur locus ad habitandum ibi extra sortem suam, & potissimè quia non poterant aliquid immobile possidere extra terram tribus suæ: eo quod inter Iudæos non permittebatur fieri venditio possessionum immobilium, nec donari poterant,

Quę positio sit rationabilior.

Opinio de qua tribu essent duo viri illi.

Contra.

Universidad de Deusto
Biblioteca

nec præscribi, nec aliquo modo transire de vna F
tribu in aliam, vt non confunderentur tribus & familiæ. vt patet Numeror. vltimo: & declaratum est Leuit. 25. & Nume. 27. Ideo si aliquis vir dicitur habitator alicuius loci inter Iudæos, conuenienter arguitur, quòd ille esset de tribu illa, in cuius sorte erat ille locus. Vnde quamquam aliquando contingeret Iudæos transire de vno loco in alium ex aliquibus causis, & manerent ibi magno tempore, nunquam vocabantur ciues vel incolæ illius loci, sed aduenæ: & denominatio sua semper erat de loco originis prædecessorum suorum, quamquã ipsi alibi habitarent. Quod patet: quia quamquam isti viri habitarent in Gethaim ad quam confugerant, non vocabantur Gethaini, sed Berothitæ ab vrbe sua, de qua habebant originem. G
Computatur autem Beroth inter ciuitates tribus Beniamin, vt patet Iosue 18. *Et fugerunt Berothitæ in Gethaim*. Ista litera potest intelligi dupliciter secundùm sententiam superiorem: nam si teneamus positionẽ Ra. Sa, dicetur quòd Berothitę fugerunt in Gethaim, scilicet, omnes habitatores vrbis Beroth, eo quòd illa erat, apud terram Philisthinorum, & non ausi sunt manere ibi habitatores eius propter Philisthinos. Si autem teneamus sententiam Rabani, & Andreæ, dicetur quòd Berothitæ fugerunt, scilicet, isti duo viri Recab, & Baana, qui erant Berothitæ fugerunt de Beroth, vel de tota terra Israel, & iuerunt in Gethaim. Si autem teneamus positionem Raban. Sa, erit dicendum, quòd Gethaim sit aliqua ciuitas in terra Israel H
magis distans a terra Philisthinorum, quam Beroth, & propter hoc confugiebant ad eam Berothitæ, vt ibi securiores manerent de Philisthinis. Sed ista sententia non multum conformatur intentioni literæ, quia tunc dicendum esset, quòd isti duo viri Berothitæ cum alijs viris Berothitis fugerant de vrbe sua immediatè post mortem Saulis, antequam Isboseth constitutus esset in regem. Sed tunc nihil agebat ad propositum fuga istorum ad mortem Isboseth: scriptura tamen introducit hanc fugam Berothitarum tanquam aliqualiter pertinentem ad mortem Isboseth. Ideo dicendum secundùm sententiam Rabani, & Andreæ, quòd Berothitæ vocantur hic solùm isti duo viri, qui viuente Isboseth in regno fugerunt, I
scilicet, quia ipsi fuerunt prius principes in exercitu Isboseth, deinde propter iram Isboseth fugerunt de terra illius in Gethaim: & credendum est quòd Gethaim sit ciuitas in terra Philisthinorum, ad quam isti confugerunt, vt ibi non timerent Isboseth. Et cùm ibi manerent, non suspicabatur Isboseth aliquod malum de eis, ideo ipsi cognita opportunitate venerunt secretè in terram Israel, & dissimulatè introierunt in domum Isboseth, & occiderunt eum. *Fuerunt-que ibi aduenæ vsque ad tempus istud*, ideſt, toto tempore postquam fugerunt propter iram Isboseth, manserũt in Gethaim, & erant ibi aduenæ, scilicet, quia non erant oriundi de Gethaim. Manserunt autem vsque ad tempus istud, scilicet, in quo venerunt ad occiden- K
dum Isboseth. Ex hoc autem apparet confirmatio sententiæ Rabani contra Ra. Sa. quia si isti viri fuissent principes latronum, non mansissent semper in Gethaim tanquam aduenæ, sed vagarentur per diuersa loca ad latrocinandum: ergo non erant principes latronum, sed principes exercitus, qui fugerant de terra Israel in terram Philisthinorum: & ibi erant aduenæ. *Erat autem Ionathæ filio Saul filius debilis pedibus*, ideſt Ionathas primogenitus Saulis habebat vnum filium debilem pedibus, ideſt, claudum vtroque pede.

Quare loquitur hic scriptura de Miphiboseth. Quæst. V.

QVAERET aliquis ad quid agitur hic de Miphiboseth filio Ionathæ: quia nihil videtur agere ad historiam, nec continuatur præcedentibus aut subsequentibus. Respondendum quòd potest dupliciter introduci hic de Miphiboseth. Primò occasione istorum latronum: dicit enim Rab. Sa. & Andreas, quòd isti duo viri fecerunt consilium, vt occiderent Isboseth, & facerent regem Miphiboseth, quod ei indicauerunt, ipse verò noluit, sed prodidit illud Isboseth, ideo tunc timentes isti duo viri, fugerunt de terra Israel in Gethaim. Aliter dici potest quòd fit mentio de Miphiboseth, quia Isboseth iratus fuit istis duobus uiris, eo quòd dicerent regnum non pertinere ad eum, sed ad Miphiboseth filium Ionathæ. Ista autem duo redeunt ad eandem sententiam. Secundò dici potest, quòd fit mentio de Miphiboseth ad significandum quòd mortuo Isboseth directè regnum veniebat ad Dauid, eo quòd nullus erat de stirpe Saulis iam relictus, qui regnare posset, nisi Miphiboseth: ille tamen inhabilis erat ad regnum, cùm esset claudus, & deformis: vnde ipse vocauit se cunem mortuum coram rege Dauid, vt patet infra nono. Sed adhuc dicet aliquis, quòd alii reliqui erant de stirpe Saulis, qui possent regnare, scilicet, septem viri de stirpe eius præter Miphiboseth, quos postea occidit Dauid ad petitionẽ Gabaonitarum, vt patet infra 21. Respondendum quòd ad illos non pertinebat regnũ: nam duo illorum erant filij Saulis, & quinque erant nepotes. Ad filios autem non pertinebat regnum, quia erant illegitimi, scilicet, filij concubinæ Saulis nomine Respha, vt patet allegato capitulo, quinque autem nepotes non habebant ius regnandi, quia isti non erant nepotes ex filio, sed ex filia: nam erant filij Merob filiæ Saul, quos ipsa peperit ex viro suo Adriel; sed filiæ non habent ius succedendi in regno, ideo nec nepotes ex filiabus. Miphiboseth autem habebat ius regnandi, quia ipse erat nepos Saulis ex primogenito, scilicet, ex Ionatha, ideo iste solus relictus erat, qui regnare posset. *Quinquennis enim fuit, quando uenit nuncius de Saul, & Ionatha*. Ponitur hic quomodo fuit Miphiboseth factus claudus, scilicet, quia nutrix sua eum in terra dimisit, erat autem quinque annorum, quando uenit nuncius de bello referens mortem Saulis, & Ionathæ. *Ex Iezrahel*, ideſt, venit nuncius de Iezrahel. Ista est ciuitas quædam in sorte Iudæ, de qua accepit Dauid vxorem nomine Achinoã præced. lib. cap. 25. Apud istam ciuitatem fuit factum bellum, in quo mortui sunt Saul, & Ionathas, ideo dicitur uenisse nuncius de Iezrahel, ideſt, de loco castrorum. Sed obijcietur, quia bellum non fuit factum apud Iezrahel, sed in monte Gelboe. præc. lib. c. ult. & supra primo. Respondendũ est, quòd Iezrahel, & montes Gelboe pro eodem sumuntur, eo q̃ sunt coniuncti: nam moris Gelboe distat uno milliario ab urbe Iezrahel, ut patet in libro de Situ terræ Sanctæ, ideo aliquando dr̃, q̃ fuit bellum in mõte Gelboe, & aliquando q̃ fuit in Iezrahel: sic patet præc. li. c. 28. ubi dicitur, q̃ castrametati sunt Israelitæ in monte Gelboe. & eo. lib. cap. 29. dicitur q̃ castrametati sunt apud fontẽ Iezrahel, tanquã fons Iezrahel sit in monte Gelboe. *Tollensq; eum nutrix sua fugit*, scilicet, audita morte Saulis, & Ionathæ pterrita est nutrix Miphiboseth, & fugit præ timore, quasi iam Philisthini essent in foribus

foribus accepitque secum puerum. *Cùmque festinaret, vt fugeret*, scilicet, nutrix pueri, quia puer non poterat fugere, uel saltem non fugiebat, quia si ipse per se fugisset non fuisset factus claudus ex casu. *Cecidit, & claudus factus est*. Potest referri cecidit ad nutricem, scilicet, quòd ipsa fugiens caderet super puerum; & sic confracta sunt crura eius, cùm adhuc esset tener. Vel põt intelligi quòd ipse Miphiboseth cecidit de brachijs nutricis, & factus est claudus, vtroque enim modo poterat effici claudus, cùm adhuc esset tener. *Habuitque vocabulum Miphiboseth*, ideſt, vocatus est puer iste Miphiboseth, quod potest intelligi quòd acceperit istud vocabulum a principio, cùm natus est, vel quòd postea accepit illud, quando claudicauit. *Venientes ergo filij Remmon Berothite, Recab*, B
& Baana. Hic ponitur quomodo isti viri occiderunt Isboseth. Et dicuntur filij Remmon Berothitæ, eo quod pater suus Remmon erat de vrbe Beroth de sorte Beniamin. *Ingressi sunt feruente die domum Isboseth*; ideſt, isti duo viri ingressi sunt in meridie, quando Sol fernebat ad occidendum Isboseth. In Hebræo dicitur. *Ingressi sunt cùm caleſceret dies*. Litera tamen nostra mutata est, eo quòd expressius significat intentionem scripturæ: nam licèt intendat litera Hebraica dicere, quòd isti ingressi sunt in meridie in feruore diei: tamen per hoc, quòd dicitur, cùm caleſceret dies, non significatur meridies, sed magis hora tertia, uel secunda diei, quando incipit caleſcere aer eleuato Sole aliqualiter. Sic accipitur præceden. lib. C
capitulo vndecimo, cùm dixit Saul: cras erit vobis salus, cùm incaluerit Sol: & tamen non intelligebatur ibi de meridie, sed de principio diei, cùm incipit aer caleſcere. Nam dicitur allegato capitulo, quod ingressus est Saul in media castra in vigilia matutina, & percussit Ammon vsque dum incaleſceret dies, & sic debebat hic poni in feruore diei pro meridie, & non dum incaleſceret dies.

Quare duo viri ingressi sunt in meridie potius quàm alio tempore ad occidendum Isboseth. Quæst. VI.

QVAERET aliquis, quare isti duo viri ingressi sunt meridie ad occidendum Isboseth. Respondendum quòd isti viri voluerunt habere opportunitatem ad occidendum Isboseth, ideo elegerunt sibi meridiem, quia putauerunt nullum tempus ad hoc esse magis accommodatum. Et hoc quia in meridie non videbatur aliquis per villam, qui posset cognoscere illos duos viros, eo quòd erat tunc feruor diei, & cùm terra illa sit nimis calida, quia est in tertio climate, nullus manebat in vico, sed omnes erant in domibus: viri enim isti timebant cognosci, quia iam fuerant in curia regis Isboseth, & fugerant ab eo propter causam supra assignatam, & quia putauerunt quòd nullus in meridie eos videret, introierunt tunc. Secunda causa fuit, quia isti volebant captare tempus, in quo non essent ministri regis in domo, & cùm ipsi scirent consuetudinem palati, & in meridie omnes ministri regis consueuerant declinare ad quietem, & nullus manebat in palatio, voluerunt ingredi illo tempore, vt nullum haberent impeditorem: & sic factum est: nam cùm introierunt, nullum in palatio regis inuenerunt, nisi ancillam vnam purgantem triticum. Tertia ratio fuit, quia isti volebant inuenire regem in tali dispositione, vt possent eum faciliter occidere: sic erat cùm ipse iaceret in lecto. Et quia ipsi

A sciebant, quòd in meridie rex consueſceret iacere in stratu suo, voluerunt tunc ingredi. Patet hoc, quia cùm introierunt in domum regis, inuenerunt eum dormientem in stratu suo, & occiderunt, vt patet in litera. *Qui dormierat super stratum suum meridie*, ideſt, consuetus erat in meridie post prandium dormire in stratu suo, & tunc sic dormiebat: & ob hoc introierunt viri illo tempore, quia cognoscebant consuetudinem regis. *Et hostiaria domus purgans triticum obdormierat*, scilicet, isti viri habuerunt magnam opportunitatem ad introeundum, quia nullus erat in domo nisi quædam ancilla hostiaria purgans triticum, & ista obdormierat quando viri introierunt. Ista litera tota non habetur in Hebræo, sed in aliquibus Biblijs nostris addita est. Videtur enim quòd fuerit alicuius glosæ interlinearis, & postea imperitia librariorum textui commixta est. Causa autem additionis huius fuit, quia verisimile erat, quòd aliquis custodiret domum regis, ideo dictum est, quòd erat ibi hostiaria: & quia isti viri potuerunt intrare nemine prohibente, arguitur quòd hostiaria dormiebat, ideo dicitur quòd hostiaria obdormierat. Et quia dicitur quòd isti tulerunt spicas, arguitur quòd ibi in atrio regis erat triticum, & ob hoc dicitur illa hostiaria purgans triticum. *Ingressi sunt autem domum assumentes spicas tritici latenter*. Potest intelligi dupliciter: vno modo coniungendo istud aduerbium latenter cum illo participio assumentes, & est sensus quòd viri illi assumpserunt latenter spicas, scilicet, quòd illi voluerunt, quòd nemo cognosceret fraudem illorum: ideo assumpserunt latenter spicas tritici, scilicet, de illo tritico, quod erat in atrio regis assumpserunt spicas latenter, ideo non videntes hostiaria, quæ purgabat triticum: vt si contingeret quòd hostiaria videret illos, non suspicaretur aliquam fraudem: videns quòd portarent triticum. Vel potest referri latenter ad illud verbum: ingressi sunt, scilicet, ingressi sunt latenter, ideſt, dolosè, uel fraudulenter, & hoc assumendo spicas, scilicet, quia spicæ erant experimentum fraudis. In Hebræo habetur. *Sumentes triticum*. Quod ad idem potest pertinere, scilicet, quòd ancilla illa habebat ibi spicas, & excutiebat grana de illis spicis, quod erat purgare triticum, quia D
fortè isto modo purgatur in terra illa, cùm in multis alijs sic fiat: & isti assumpserunt spicas, quæ uocantur triticum, vel sumpserunt triticum excussum de spicis.

Quare isti duo viri acceperunt triticum de domo regis. Quæst. VII.

QVAERET aliquis, quare uiri isti sumpserunt triticum ad introeundum in domũ Isboseth. Respondendum, quòd de sumptione huius tritici dupliciter intelligi potest. Vno modo quòd ipsi duxerunt illud de foris ad domum regis. Alio modo, quòd introierunt in domum regis nihil ferentes, & cùm ibi fuerunt, acceperunt de tritico, quod purgabat hostiaria, latenter. Quomodocunque autem ponatur, dicendum est, quòd istud fecerunt isti duo viri ad colorandum fraudem suam. Vult enim Rabanus, & Andreas, quòd isti viri acceperunt spicas antequam uenirent ad domum regis, & hoc, ut uiderentur ferre regi munera, vel primitias: ut si contingeret quòd quis uideret eos introeuntes ad regem, non putaret quòd aliquam fraudem mollierentur, sed pacifico animo ad regem uenirent, E
Quare isti duo viri acceperunt triticum de domo regis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

& hoc modo debet litera exponi referendo aduerbium latenter, ad illud verbum ingressi sunt, scilicet,ingressi sunt latenter,ideſt, dolosè,ita quòd intentio eorum lateret: nam putabantur venire ad offerendum munera, & veniebant ad occidendum regem.Ra.Sa.dicit quòd isti duo uiri finxerunt se mercatores tritici,rex autem vendebat triticũ,quia de redditibus suis multum habebat: & illi viri introierunt acceperuntque triticum, scilicet, in manu ad experiendum an bonum esset, sicut solent facere mercatores:& tunc hostiaria non attendit ad eos, quia putauit, quòd venirent ad emendum triticum, ideo potuerunt illi introire ad lectum regis, & occidere ipsum:& intelligitur tunc litera hebraica, quòd acceperunt triticum, non quòd ipsi adducerent illud ad regem, sed quòd acceperunt in manu aliquid de tritico:& hoc fecerunt latenter,ideſt,fraudulenter, vt per hoc lateret intentio sua. *Et percusserunt eum in inguine Recab, & Baana frater eius.* Ideſt, isto duo viri fratres percusserunt regem in inguine, & tunc abstulerunt caput eius: isti enim intendebant præscindere caput, vt ducerent illud ad Dauid, & reciperent ab eo dona. Percusserunt tamen eum prius in inguine, vt moreretur, & tunc possent præscindere caput eius, quia si conati fuissent prius caput eius scindere, fortè rex sentiret prius quàm ipsi hoc finirent, & elaberetur de manibus eorum, essentque ipsi in periculo. In Hebræo dicitur. *In quinta.* Vbi nos habemus in inguine,& vocatur quinta,ideſt,quinta costa,sicut supra primo,& præcedenti cap.declaratum est. *Et fugerunt.* Scilicet, postquam occiderunt regem prius quam agnoscerentur,ne caperentur. *Cùm autem ingressi fuissent domum.* Scilicet,domum regis Isboseth. *Ille dormiebat in lectulo suo in conclaui.* Scilicet,erat post meridiem in feruore diei, & iacebat rex in lectulo suo in conclaui, & tamen non habebat aliquem custodem:ideo potuerunt faciliter introire viri isti ad eum. *Et percutientes.* Scilicet, in inguine, vt faciliter moreretur: & non posset resistere quando sentiret vulnus, interfecerunt eum; quia illa percussio fuerat sufficiens ad occidendum ipsum: addiderunt tamen aliam, scilicet, quia præsciderunt caput eius. *Sublatoque capite eius abierunt.* Ideſt, postquam percusserunt eum in inguine præsciderũt caput, vt ferrent signum ad Dauid, quòd ipsi occidissent Isboseth, & reciperent ab eo magna dona. *Per viam deserti.* Scilicet, noluerunt ire per viam publicam in Hebron, ne comprehenderentur, sed iuerunt per desertum, vbi nullus eos videret. *Tota nocte.* Non est sensus, quòd ipsi per noctem occiderint Isboseth, & ambulauerint illa nocte per desertum:nam in littera dicitur, quòd introierunt in domum Isboseth feruente die in meridie, & mox eum occiderunt, nullo prohibente: sed est sensus,quòd illi viri occidentes Isboseth in meridie fugerunt illico, & non cessauerunt die illa, & tota nocte sequente ambulare per desertum, vt velociter venirent in Hebron, quia si morarentur in via cognoscerentur, & persequerentur eos serui regis. *Et attulerunt caput Isboseth filij Saul ad Dauid in Hebron.* Quia putabant se aliquid magnum afferre, pro quo reciperent larga beneficia à Dauid. Erat autem tunc ipse in Hebron, quia omni tempore,quo regnauit super Iudam mansit in Hebron. *Dixeruntque ad regem, ecce caput Isboseth filij Saul inimici tui.* Ideſt, lætare, quia iam habes in manu tua caput Isboseth inimici tui. Putauerunt enim isti, quòd cùm Dauid desideraret habere regnum Israel,quod habebat Isboseth, quòd vellet occidere illum,vt regnaret, ideo ipsi occidendo eum arbitrabantur magnum obsequium præstare Dauid. Sed falsum erat, quia quamquam Dauid desideraret habere regnum Isboseth, quia non pertinebat de iure ad Isboseth, sed ad Dauid; tamen non desiderabat occidere Isboseth. Et dato, quòd fuisset certus, quòd in bello posset eum superare, & occidere,& auferre regnum, non pugnasset contra illum, vt vitaret scandalum. Etiam noluisset occidere ipsum cum occisione alicuius de toto Israel. *Qui quærebat animam tuam.* Ideſt, volebat te occidere. Erat quippe Isboseth hostis Dauid, quia ambo contendebant de regno, sed an ista hostilitas ad tantum se extenderet,quòd vellet Isboseth occidere Dauid, non patet, & tamen est verisimile. *Et dedit dominus domino nostro regi vltionem hodie.* Istud dicebant illi viri extollentes factum suum tanquam per Dei operationem istud venisset, quòd acciperet Dauid vltionem per manus aliorum. Et dicitur: hodie, ideſt, hodie consumata est vltio. Nam à principio in morte Saulis, & filiorum suorum fuit inchoata vltio Dauid de Saule; tamen non fuit consumata, cùm adhuc supererent aliqui de stirpe Saulis, qui possent nocere Dauid. Nunc autem nullus supererat de illa stirpe: ideo erat data plena vltio ei. *De Saul, & de semine eius.* Ideſt, non solùm data est vltio de Saule, sed etiam de tota posteritate eius, scilicet,quia nũc nullus manet de semine Saulis, qui possit esse rex,& nocere tibi.

Respondens autem Dauid. Hic ponitur secundum huius cap. in quo est mortis Isboseth vltio. Et dicitur. *Quod respondit Dauid Recab, & Baana fratri eius.* Scilicet, quia isti duo soli portauerunt caput Isboseth ad Dauid, & ipsi soli locuti sunt. Atque eis solis respondit Dauid. *Dixitque ad eos: viuit dominus.* Modus iurandi est, ideſt, iuro per vitam Dei. Sic dicitur Ierem. 4. Iurabitis: viuit dominus in iudicio, iustitia, & veritate, ideſt, istud iuramentum erit inter vos assuetum. *Qui eruit animam meam de omni angustia.* Ideſt, non permisit me succumbere in aliqua angustia,quia licèt sæpe fuerim in angustijs, & passus fuerim mala, tamen ad extremum Deus liberauit me de omnibus illis. *Quoniam eum qui annunciauerat mihi.* In hoc redarguit Dauid istos viros, dicens, quòd stultè egerunt,quia cùm ipsi scirent,quòd Dauid occiderat illum uirum, qui confessus fuit se occidisse Saul,quamquam Saul nimis nocuisset Dauid, magis debuisset occidere illos, qui occiderent Isboseth, cùm ipse esset vir innocens, qui nunquam nocuerat Dauid. Vel introducitur hoc per modum iuramenti, scilicet, viuit dominus,quòd cùm ego occiderim interfectorem Saulis, à fortiori occidam interfectores Isboseth. *Et dixerat mihi, mortuus est Saul.* Non est intelligendum,quòd solùm pro hoc, quòd iuuenis annuntiasset Dauid de morte Saulis,occidisset illum, sicut videtur hic significare litera,sed quia ille iuuenis confessus est se occidisse Saulem, vt dicitur supra primo: pro sola enim annunciatione mortis Saulis non nocuisset ei quidquam Dauid. *Qui putabat se prospera nunciare.* Ideſt, ille iuuenis Amalecita putabat, quòd nuntiabat mihi aliquid quod erat valde gaudiosum mihi, ideo superaddidit veritati, dicens, quòd ipse occidisset Saulem: ille tamen rationabilius arbitrabatur, quàm isti duo viri, eo quòd isti occiderunt virum innocentem,qui nihil egerat contra Dauid, Saul autem multa mala ei intulerat. *Tenui, & occidi eum.* Scilicet, iussit Dauid vni de pueris suis, quòd occideret eum. supra primo. *In Siceleg.* Ideſt,illum iuuenem nuntium mortis Saulis occidi in Siceleg, eo quòd Dauid erat in Siceleg,quando annuntiata est ei mors Saulis, & ibi fecit planctum pro eo. *Cui oportebat me dare mercedem pro nuntio.* Ideſt, ego debuissẽ dare illi iuueni dona,p nuntio.i.pro annuntiatione,& tamen occidi illũ,à fortio ergo debeo occidere istos viros pessimos. Non est

Quæst. 23. in fine.

est autem intelligendum quòd Dauid diceret, quòd oportebat eum dare mercedem pro nuntio,ideſt,obligabatur rationabiliter, vel ex iure aliquid dare illi, quia si obligatus fuisset, vel rationabile fuisset, peccasset occidendo iuuenem. Sed est sensus: si ego fuissem ficut cæteri homines, qui desiderant mortem inimicorum suorum, dedissem munera illi iuueni, tamen non dedi. *Quanto magis nunc*, ideſt, a fortiori nunc non debeo dare munera. Et subditur ratio huius, scilicet. *Cùm homines impij interfecerint virum innoxium*, ideſt, magis rationabile esset, quòd ego occidam istos viros iniquos, quia occiderunt virum innocentem, quàm virum occidentem Saulem, quia Saul non erat innocens, cùm sæpe mihi nocuisset. Vocantur isti impij, quia per fraudem, & iniustissimè occiderunt virum bonum. Amalecita autem, qui dixit se occidisse Saulem, dato quòd verum dixisset, non erat tam reprehensibilis, eo quòd Saul dixerat ei, quòd occideret ipsum, & ipse occiderat eum obediens mandato, & quia videbat quòd non poterat iam viuere, & vt non venirent Philisthini, & illudentes Sauli, occiderent ipsum; vt patet supra primo. Isti tamen occiderunt virum volentem viuere, & non habentem aliquam necessitatem moriendi, nec iubentem se occidi, sed per fraudem occiderunt eum,vt per mortem eius lucrarentur dona. *In domo sua super lectum suum.* In hoc aggrauatur nimis peccatum,quia iste vir erat quietus, & in lecto suo eum occiderunt, quod valde turpe est. Et dicitur hoc ad differentiam mortis Saulis, quia dato quòd ille occisus fuisset ab Amalecita, non occidebatur in lecto, sed in bello, cùm iam esset vulneratus, & haberet necessitatem moriendi. Isboseth tamen non habebat necessitatem moriendi, sed erat in lecto suo quietus. *Non quæram sanguinem eius de manu vestra*, ideſt, quem manus vestra effudit, vel de manu vestra, ideſt, a vobis, quasi dicat, quæram. *Et auferam vos de terra*, ideſt, occidam vos. *Præcepit itaque Dauid pueris suis*, ideſt, præcepit illis, quòd occiderent istos uiros. *Et interfecerunt eos*, scilicet, facientes ea, quæ infra sequuntur. *Præcidentesque manus, & pedes eorum*, ideſt, prius præciderunt manus, & pedes istorum uirorum, & postea suspenderunt eos. Puniuit autem crudè Dauid uiros istos, eo quòd grauiter peccauerant. Virum autem Amalecitam, qui confessus fuerat se occidisse Saulem,non puniuit tam grauiter, quia solùm fecit eum transuerberari gladio, ut patet supra primo capitulo. Et ratio diuersitatis est, quia dato quòd Amalecita uerum confessus fuisset, non erat peccatum suum tam graue, sicut istorum uirorum, qui occiderunt Isboseth, ut patet ex litera, ideo pœna minor esse debebat. *Et suspenderunt eos super piscinam in Hebron*, ideſt, postquàm præcisi fuerunt pedes, & manus eorum suspensi sunt super piscinam, ideſt, apud piscinam urbis Hebron. Vocatur autem piscina lacus quicumque ubi non sunt pisces, & dicitur piscina a piscibus per antiphrasim, quia pisces nullo modo habeat, & fuerunt suspensi apud piscinam, quia erat ibi locus publicus. *Caput autem Isboseth tulerunt, & sepelierunt in sepulchro Abner in Hebron*, scilicet, isti uiri portauerunt caput Isboseth ad Dauid, ipse autem fecit illud sepeliri in sepulchro Abner, quia ambo erant de eadem cognatione, & coniunctissimi sanguine. Nam Abner erat patruus Isboseth: cùm esset Abner patruelis Saulis, ut patet præced.lib.cap.14.

Dauid nullas exequias fecit Isboseth propter tria. Quæst. VIII.

QVAERET aliquis,quare Dauid non fecit magna funeralia Isboseth, sicut fecerat Abner,nam dignus erat eis, cùm esset rex. Respondendum est, quòd Dauid nullas exequias fecit Isboseth, sicut Abner propter tria. Primò quia Abner mortuus est in terra Dauid, & iniustè, ideo vt recompensaret aliquid Dauid pro iniusto, quod passus erat, impendit celebres honores funeri eius. Isboseth autem non mortuus est in terra Dauid, sed in terra sua, & a viris suis, ideo non erat aliquid, propter quod Dauid deberet ei impendere funeralia. Secunda ratio est, quia Dauid impendit magnum honorem morti Abner, quia diligebat eum, & tenebatur illi, nam Abner fecerat fœdera cum Dauid,& conciliauerat ei animos totius populi, vt esset rex super totum Israel, quod erat magnum beneficium, ideo tenebatur ei Dauid ad rependendum vicem, & quia nihil erat, in quo impenderet debitum iam defuncto, celebrauit magnificè funeralia eius. Isboseth autem nihil fecerat pro Dauid, ex quo teneretur ei ad aliquid, ideo non curauit eius funeri honorem impendere. Tertia ratio fuit & potissima, quia Dauid celebrauit exequias Abner ad tollendum suspitionem de morte eius. Nam putabatur communiter, quòd Dauid iussisset illum occidi, ut ergo excluderet hanc suspitionem, planxit, & fleuit, & ieiunauit pro eo, & tunc populus credidit quòd non actum fuisset a Dauid, vt occideretur Abner: vt patet præcedenti cap. In morte autem Isboseth nulla suspitio erat contra Dauid, quòd ipse iussisset eum occidi, cùm non fuisset occisus in terra Dauid, sed in terra sua, ideo non curauit aliqua funeralia agere prætendentia dolorem, vt opinionem contra se excluderet, cùm nulla esset contra eum causata.

CAP. V.

ET venerunt vniuersæ tribus Israel ad Dauid in Hebron, dicentes: Ecce nos os tuum, & caro tua sumus. Sed & heri & nudiustertius, cùm esset Saul rex super nos, tu eras educens & reducens Israel. Dixit autem Dominus ad te: Tu pasces populum meum Israel, & tu eris dux super Israel. 1.Parali.11. infra 19.

IN præcedentibus descripta est partialis Dauid exaltatio in regem, scilicet, quia fuit factus rex super tribum Iuda. Hic ponitur eius totalis exaltatio, scilicet, quia fuit exaltatus in regem super totum Israel. Et iam ab isto loco incipit scriptura De totali Dauid in regem exaltatione.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ptura agere totaliter de Dauid,cùm hucusque describeret historiam duorum regnorum, scilicet, Dauid, & Isboseth. Et diuiditur in duas partes, quia primò ponuntur aliqua tempora, in quibus Dauid innocenter vixit, & a Deo exaltatus est. Secundò ponuntur aliqua tempora,in quibus Dauid insolenter se habuit, & a Deo castigatus est. De quo infra vndecimo. Prima diuiditur in quinque partes, quia primò ponitur Dauid in regem vnctio. Secundò eius ad Deum deuotio. sequenti capitulo. Tertiò eius contra hostem superatio.infra 8.Quartò eius ad proximum compassio infra 9.Quintò pro susceptis beneficijs recompensatio infra 10. Prima in duas. Primò ponitur Dauid vnctio.Secundò magnæ famæ, & triumphi de hostibus acquisitio ibi. *Et abijt rex.*

An historia continua sit. Quæst. I.

QVAERITVR circa primum an ea quæ habentur hic fuerint post præcedentia ordine continuato, & an immediatè fuerint, vel interposito aliquánto tempore. Ad primum respondendum, q̃ hic est ordo continuus,eo q̃ in præceden.dictum est de morte Isboseth regis Israel, hic autem agitur de vnctione Dauid super totum Israel: prius tamen mortuus fuit Isboseth, quàm vngeretur Dauid in regem super Israel,eo quòd Israelitæ non venerunt ad petendum vnum regem,dum alius viueret. Ad secundum dicendum,quòd videtur dubiũ,scilicet, an immediatè mortuo Isboseth venerint Israelitæ ad petẽdum Dauid in regem,vel intercíderint aliqua tẽpora media. Hebræi autem audent dicere q̃ inter mortem Isboseth,& vnctionem Dauid in regem super totum Israel fluxerũt anni quinq; & dimidius; quia ipsi dicunt q̃ Isboseth solùm regnauit annis duobus, sicut dicit in litera supra secundo Dauid tamen quando vnctus est in regem super totum Israel, regnauerat iam septem annis & dimidio super tribum Iuda, vt pátet supra.2.& hic.Et tamen Dauid, & Isboseth simul regnare inceperunt vnus super Israel,& alius super Iudam,scilicet, immediatè post mortem Saulis: ideo quinque anni, & dimidius interciderunt inter mortem Isboseth, & vnctionem Dauid in regem super Israel.Sed hoc non est verisimile,quòd tanto tempore posset manere,aut vellet populus sine rege, ideo dicendum q̃ pauco tempore post mortem Isboseth venerit totus Israel ad Dauid, & vnxerit eum in regem. Credendum est enim quòd Israelitæ impenderint aliquos dies in honorem funeris Isboseth, & post hoc congregato consilio deliberauerint super rege assumendo, & concordauerint quòd assumerent Dauid, & in hoc non potuerunt multi dies transire,ideo citò post mortem Isboseth venerunt Israelitæ omnes ad Dauid ad sumendum eum in regem. Cùm autem obijcitur, quòd Isboseth non regnauit nisi duobus annis.& Dauid regnauerat septem annis, & dimidio in Hebron, quando factus est rex super Israel. Dicendum quòd etiam Isboseth regnauerat quasi septem annis & dimidio, quando mortuus est, & cùm dicitur de duobus annis, quibus regnauit, non est intelligendum, quòd illud fuerit totum tempus regni sui, sed quòd regnauit illis duobus annis,antequam fierent bella inter domum Isboseth,& Dauid, de quibus ibi enarrari incipit,& postea quinque annis, & quasi dimidio durauerunt bella inter Isboseth, & Dauid. *Et venerunt vniuersę tribus Israel*, scilicet,vndecim tribus, quæ nominantur tribus Israel, de quibus non est tribus Iuda, quia illa iam vnxerat Dauid in regem. *Ad Dauid in Hebron*. Ibi enim moratus fuit Dauid toto tempore,quo regnauit super Iudam, & venerunt ad eum Israelitæ sponte.s.Dauid non vocante eos,nec solicitante ad hoc, eo quòd illi non habebant iam aliquem, qui regnaret, & Deus dixerat de Dauid q̃ esset rex, putauerunt dignum esse eum regem constituere. *Dicentes: ecce nos os tuum, & caro tua sumus*. Hic inducunt Israelitæ rationes,quare debeant accipere Dauid in regem, & significant se non agere hoc ex timore, sed ratione exigente, & ponuntur tres rationes. Prima est propter cognationem,scilicet,quia Dauid erat de sanguine Israelitarum, ideo accipiendo eum non accipiebant aliquem extraneum,cui contra mentem, & inclinationem suam subijcerentur, sed virum de proprio genere, qui eos secundùm voluntatem suam regeret: & ad hoc dixerunt: nos os tuum & caro tua sumus.i.habemus tecum magnam consanguinitatẽ, & sumus quasi partes tuæ.s.sicut caro tua,& ossa tua; quia omnes in eodem sanguine cõmunicamus istud est ad excluden.iam mutationem magnam,quam aliquis Iudæis obijceret.s.q̃ prius habebant reges de tribu Beniamin, & nunc habent eos de tribu Iuda. Respondebunt per hæc verba,q̃ non est mutatio aliqua, quia sicut domus Saulis erat caro & os Israelitarum, quia erat de progenie eorum, ita Dauid cùm fit de tribu Iuda,est caro,& os Israelitarum, quia æqualiter est de genere suo, sicut Saul. *Sed & heri & nudiustertius*. Hic ponitur secunda ratio,scilicet,beneficij collatio,i. quòd propter beneficia præterita Israelitæ volebant Dauid in regem: nam non erat rationi dissonum, q̃ ille, qui rexerat eos prius, nunc quoque regeret, sed Dauid regebat totum Israel viuente Saule educendo illos ad bellum, & reducendo,ideo nunc quoq; conuenienter efficeretur rex eorum: dicitur heri, & nudiustertius.i.in tempore præterito: nam non potest accipi hic propriè nudiustertius: quia plures erant quàm tres dies; immo plures quàm octo anni, quando Dauid regebat Israelitas in bello, sicut ipsi nunc dicunt hic. Quod patet,quia istud fuit viuente Saule antequam recederet Dauid fugiens de curia eius, qui fuit magno tempore profugus a facie eius vsque ad mortem Saulis,vt patet præcedenti lib.a cap.20.vsque ad finem. Post hoc autem factus est Dauid rex super Iudam,& regnauit septem annis,& dimidio priusquã venirent Israelitæ ad vngendum eum, ideo plures quàm octo anni transierant ab illo tempore,quod Israelitæ vocant heri,& nudiustertius. *Cum esset Saul rex super nos,tu eras educens & reducens Israel*, idest, si tempore,quo Saul regnabat super nos,tu quoque eras sicut rex noster educendo nos ad bellum, & reducendo: a fortiori nunc mortuo Saule, & posteris eius tu debes esse rex noster. Erat autem Dauid educens, & reducens Israel tempore Saulis, quia post mortem Goliath Saul fecit Dauid principem super viros belli. præceden.lib.cap.18. Postea autem fecit eum tribunũ super mille viros, & ipse habebat curam de omnibus bellis: præcipuè de bellis contra Philisthinos: & ob hoc omnes Israelitæ diligebant eum; & erant sub præcepto suo: vt patet allegato capitulo, s.omnis autem Israel, & Iuda diligebat Dauid: ipse enim ingrediebatur, & egrediebatur ante eos. *Dixit autem Dominus ad te*. Ista est tertia ratio,scilicet, domini iussio, & est efficacissima:nam cùm Deus iussisset,quòd Dauid esset rex super Israel tenebantur Israelitæ accipere eũ in regem. dicitur: dixit Dominus ad te,idest,de te: nam Deus non locutus fuerat ipsi Dauid quòd futurus esset rex,sed locutus fuerat hoc Propheti,vt illud reuelarent ipsi Dauid. *Tu pasces populum meum Israel*, idest, fouebis eos, sicut greges procurando eis, quæ bona sunt. *Et tu eris dux super Israel*, idest, tu regnabis. Istæ tres fuerunt rationes satis efficaces propter

propter quas Israelitæ dixerunt se fuisse motos ad vngendum Dauid in regem.

Per quem Deus dixit Dauid,tu pascis populum meum. Quæst. II.

QVAERET aliquis,vbi,vel per quem Deus dixit ista verba Dauid,scilicet: Tu pasces populum meum Israel. Nam non reperiuntur apud aliquem Prophetarum. Responderi potest, quòd ista verba dicta sunt ad Dauid per aliquem Prophetam, licèt non appareat,quis ille fuerit, vel quando dicta fuerint: constat tamẽ q̃ dicta sunt, quia aliàs populus totus Israel non protulisset publicè mendacium coram Dauid, qui sciebat an hoc verum esset,vel falsum.Satis autem constat,quòd dicta fuerint hæc,sed dicendum, q̃ non apparet quis illa dixerit: sicut est de multis alijs, quæ constat esse reuelata, tamen non constat per quem. Sic est de eo,quod habetur supra 3.cùm dixit Abner, Dominus locutus est ad Dauid,dicens:In manu serui mei Dauid saluabo populum meum Israel de manu Philisthijm, & omnium inimicorum eius: & tamen non apparet quis Propheta istud dixerit.Sic etiam est de eo, quod habetur præcedenti libro capit.24. cùm dixerunt serui Dauid ad eum. Ecce dies,de qua locutus est Dominus ad te: ego tradam tibi inimicum tuum, vt facias ei sicut placuerit in oculis tuis. Hoc quoque apud nullum Prophetam reperitur. Aliter dici potest, quòd ista verba dicta sunt a Samuele, & tamen non patet quando, & vbi illa dixerit: & hoc patet primo Paralipomenon vndecimo,scilicet: Vnxeruntque eum regem super Israel iuxta sermonem Domini,quem locutus est in manu Samuel: ergo videtur quòd per Samuelem dictum fuerat, quòd Dauid regnare deberet super totum Israel. Aliter adhuc potest dici, & melius, quòd Samuel prophetauit de regno Dauid super totum Israel, & ipse vnxit eum. Postea autem Israelitæ hoc cognoscentes variè loquebantur de sermone Domini dicto per Samuelem: omnes quippe acceperunt sententiam, scilicet, quòd Dauid deberet regnare super Israel, tamen variauerunt in verbis,nam Israelitæ dixerunt hic, quòd Deus dixerat: tu pasces populum meum Israel. Abner autem dixit, quòd Deus dixerat: In manu Dauid serui mei saluabo populum Israel. supra 3. omnia tamen pertinent ad eandem sententiam.Et dicendum quòd tam hæc quàm illa dicta fuerunt a Deo per Samuelẽ: non quidem quantum ad verba,sed quantum ad sententiam. *Venerunt quoque & senes de Israel ad regem in Hebron*. Non est intelligendum quòd iste sit alius aduentus Israelitarum ad Dauid quàm ille, de quo supra dicitur, scilicet, venerunt vniuersæ tribus Israel ad Dauid in Hebron: fit tamen hic mentio de senibus, quia isti erant viri prudentiores, & maioris auctoritatis in populo,quibus commissum est tractare negotia cum rege,ideo ipsi composuerunt fœdus, & fecerunt omnia ex parte Israelitarum, quæ fieri debebant ad accipiendum nouum dominum. *Et percussit rex Dauid cum eis fœdus in Hebron*. Percutere fœdus est, quòd Dauid & Israelitæ facerent inter se aliquam compositionem de modo regnandi, scilicet, quanta potestas committebatur regibus, & quæ onera possent imponere subditis. Istam autem compositionem,vt firmior esset,fœdere confirmauerunt. In fœdere enim occidebatur aliquod animal, & diuidebatur in partes,quæ ponebantur altrinsecus,& facientes pactum transibant inter illas diuisiones significantes per hoc, quòd qui violaret pactum, ita diuideretur in partes,sicut animal illud: & ista fœdera erant ad maiorem confirmationem pactorum apud veteres, quã nunc iuramenta interposita, & quæcumque adhibitæ firmitates. Erat autem modus fœderum non solùm inter homines,sed etiam inter Deum & homines: nam cùm Israelitæ obligabant se Deo ad aliquid seruandum,faciebant fœdus occidentes vitulum, vel aliud animal; & transibant per medias diuisiones; vt patet Hiere.34.sic nunc factum fuisse credendum est inter Dauid & Israel. De modis fœderum satis declaratum est Iosue vltimo: *coram Domino*, ideſt fœdus istud fuit factum coram domino.

Quomodo dicatur fœdus factum coram Domino, cùm non esset ibi sanctuarium. Quæst. III.

QVAERET aliquis, quomodo poterat fieri coram Domino & fœdus in Hebron, quia cùm vbique sit Deus generaliter, est in quibusdam locis specialiter, sicut in loco,in quo colitur, & vbi specialia miracula monstrat. Inter Hebræos autem Deus dicebatur esse specialiter in sanctuario, quia ibi colebatur, ideo ea quæ fiebant coram altari dicebantur fieri coram domino, vt patet Leuit. 1. & in multis alijs locis. In alijs autem locis, quia Deus non colebatur,non dicebatur esse specialiter,ideo ea,quæ ibi fierent non dicerentur fieri coram domino,sed in Hebron non erat sanctuarium nunc,sed potius in Gabaon, ad quem locum transtulit illud Saul deleta vrbe Nobe, vt declaratum est precedenti libro cap.7.ideo non dicerentur esse coram domino Israelitæ,quando essent cum Dauid in Hebron facientes fœdus. Responderi potest dupliciter.Vno modo quòd factum est fœdus coram domino,ideſt,vbi Deus erat specialiter, scilicet, quia in Hebron erat sanctuarium, non quidem tabernaculum,quod fecerat Moyses,sed aliud quod fecerat Dauid ad colendum ibi dominum. Nam cùm regnaret ipse super Iudam, & Isboseth super Israel, essetque inter eos pugna, non poterant viri Iuda ire ad immolandum domino in Gabaon; quia erat in sorte Beniamin, ideo fecit Dauid sibi locum immolandi in Hebron, & ibi fiebant sacrificia, & cæremoniæ tempore,quo mansit Dauid in Hebron.Hoc apparet,quia etiam postquàm factus est Dauid rex super Israel: fiebant immolationes in Hebron. Vnde Absalon petiuit licentiam a patre suo Dauid, vt iret ad immolandum domino in Hebron,infra 15.cap. non tamen petiuisset nec Dauid concessisset, nisi fuisset ibi locus communis immolãdi. Coram isto loco,vel altari Dauid & viri Israel conuenerunt ad faciendum fœdus. Ideo dicebantur facere illud coram domino. Aliter potest dici quòd quamquam non fieret istud fœdus coram altari, vel aliquo loco speciali,dicitur fieri corã domino, quia omnia fœdera vbicunq; fiant possunt dici fieri corum dño. Sic patet de Dauid & Ionatha, qui inierunt fœdus in sylua,vbi erat profugus Dauid: & dicitur q̃ inierunt fœdus coram domino, præced. lib.c.23.Constat tamen q̃ ibi non erat tabernaculum, nec altare, vel locus aliquis orandi,cùm essent montes abruptissimi, dicebatur tamen fieri illud fœdus coram domino,ideſt,sub inuocatione Dei,quia Deus inuocabatur in testem fœderis,& in punitorem violantis illud: generale autem est, quòd omnia, ad quæ Deus inuocatur, dicantur fieri coram domino. Sic enim dixit Christus Matthæi 18. Vbi fuerint duo, vel tres congregati in nomine meo, in medio eorum sum:

Universidad de Deusto
Biblioteca

sum: ergo a fortiori dicetur esse coram eis. *Vnxeruntque Dauid regem super omnem Israel*, scilicet seniores Israel tunc nouiter vnxerunt Dauid, vt regnaret super totum Israel.

Quare Dauid hic, & etiam ter fuit vnctus in regem.
Quæst. IIII.

QVAERET aliquis, quare Dauid nũc fuit vnctus in regem, quia iam fuerat vnctus: ter enim Dauid vnctus est, primò per Samuelem in domo patris sui, precedenti lib. cap. 16. secundò per viros Iuda in Hebron, supra secundo: tertiò per omnem Israel: vt patet hic. Respondet Historia scholastica, q̃ istæ tres vnctiones fuerunt necessariæ, quia prima fuit in signum regni. Secunda in regem super Iudam. Tertia in regem super Israel. Sed dicendum q̃ hoc non multum stat, quia per hoc videtur, q̃ in prima vnctione non fuit Dauid traditum aliquod ius regnandi, sed fuit signum q̃ regnaturus erat. Sed hoc non stat, cùm Samuel vnxerit Dauid in regẽ. præc. li. c. 16. & per vnctionem cõferebatur titulus regni, & quia illa vnctio fuit a Deo, non poterat esse superuacua: ideo oportebat q̃ conferret ius; immo dicendum q̃ magis de iure regni collatum est Dauid per primam vnctionem, quã per duas sequentes, quia dominia rerum & potestas a Deo sunt: & ille, quem Deus voluerit esse dominum, habet verum titulum in re: homines aũt quamquam velint tradere res suas alijs hominibus, non constituũt in eis tantum de iure per hanc traditionẽ, sicut Deus constituit cùm iubet alicui possidere aliquam rem, eo q̃ non potest quis plus iuris in alium transferre, quam ipsum constat habere; sed omnes res a nobis possessæ verius sunt ipsius Dei, quàm nostræ: ideo pin guius ius ipsarum rerum poterit Deus transferre in quem voluerit, conferendo ei res, quas posset aliquis homo conferre alicui alteri in rebus suis. De dominio autẽ sic est, quia sicut potest aliquis facere se alterius vassallum, vel seruum, si voluerit, eo q̃ potest transferre ius suiipsius in alterum: ita & Deus poterit verius & magis iuridicè dare potestatẽ alicui homini super alios, quàm si illi sponte se subijcerent: quod patet, quia magis Deus habet potestatem super nos, quàm nos super nosipsos. Ideo magis ipse conferet alicui de potestate super nos, quã nos possimus conferre: vtrũque autem istorum patet. Et primò de dominio rerũ nostrarum; nam ipse non vocat nos dominos rerum a nobis possessarũ, sed colonos suos, quasi habeamus ab eo in censum possessiones: ideo ipse imponit legẽ possessionibus nostris interdum, q̃ non possimus eas vendere: si tamen nos essemus veri domini, possemus alienare quomodocunque possessiones nostras nullo prohibente. De hoc patet Leui. 25. cùm Deus dixit Iudæis: Terra quoque non vendetur in perpetuum, quia mea est, & uos coloni mei estis. De secundo autem. s. de dominio, uel potestate super personas patet; quia quilibet homo est seruus Dei per naturã: immo plusquàm seruus, i. sicut possessio inanimata ad suum possessorem, sed dominus habet plus de iure super seruũ quàm seruus super seipsum, eo q̃ seruus est homo ens simpliciter alterius, vt ait Arist. 1. Politic. c. 3. sicut ergo seruus non potest tribuere alicui homini ius super se, quia ipse nullum ius habet in se quod in alium transferat, & dominus potest seruum constituere sub potestate cuiuscunq; uoluerit, eo q̃ ius totale serui est penes dominum. Ita cùm quilibet homo sit seruus Dei per naturam & possideatur ab eo, ut patet Deute. 32. non habebit aliquod ius super se, quod transferat in alterum, nisi quatenus Dei consensus accedat, sicut

Nemo est verè dominus possessionum suarum.

consensus domini ad hoc q̃ seruus transferat se in ius alterius. Et hoc uerum est, q̃ siue quis tradat se in seruum alterius, uel uassallum, ista traditio nullum ius confert, nisi inquantum putamus, q̃ Deus hoc ratum habeat. Vnde si aliquo modo constiterit, q̃ Deus dissensit in hoc, non tenebimur ad illam seruitutem, uel obsequia uassallorum: etiam si hæc iurauerimus: quia tamen semper putamus, q̃ Deus ratam habeat omnẽ translationem dominij, uel potestatis, quam unus homo facit in alterum, dicimus per istas translationes conferri ius. Apparet igitur q̃ quando Deus confert alicui ius super rem aliquam, uel personas: efficacius ius illud est, quàm si aliquis res suas tradat alteri, uel seipsum; sed per unctionem Dauid factam a Samuele Deus contulit Dauid titulum regni super totũ Israel, quia iussit eum ungi in regem super totũ Israel, ideo plus de iure ad regnandum collatum est Dauid per unctionem illam, quàm quando tribus Iuda & totus Israel unxerunt Dauid. Dicendum igitur ad quæstionem, q̃ per primam unctionem collatum est ius sufficiens Dauid ad regnandum, nec oportebat, q̃ iterum ungeretur: siue a tribu Iuda, siue a toto Israel, sed q̃ isti acciperent Dauid in regem, non tanquam constituẽtes in eum ius nouũ, sed approbantes ius, quod Deus constituerat in eum per vnctionem factam per Samuelem: uoluerunt tamen ad maiorem firmitatem huius, & celebritatem sumptionis in regem, ungere eum, non conferentes ius nouum, sed confirmantes ius antiquum. *Filius triginta annorum erat Dauid cùm regnare cœpisset*, ideſt, triginta annos habebat Dauid, quãdo cœpit regnare, & hoc fuit quando mortuus est Saul, quia tunc complebat Dauid annũ trigesimũ, & factus est rex super tribum Iuda in Hebron, filius superabundat in Hebræo ex modo loquendi: quia solùm deberet dici triginta annorum erat Dauid quando regnare cœpit. *Et quadraginta annis regnauit*, Istud est totum tempus regni sui, s. super Iudam, & Israel: ex hoc patet q̃ Dauid solùm uixit septuaginta annis, nã triginta annorum erat, quando factus est rex, & quadraginta annis regnauit, semper tamen fuit rex usque ad mortem. ergo solùm uixit septuaginta annis. Sed obijcietur, q̃ maiori tempore uixerit usq; ad nimiam senectutem, ut patet sequenti lib. cap. 1. s. & rex Dauid senuerat, habebatq; ætatis plurimos dies, cumq; operiretur uestibus, non calefiebat: ista tamen non dicuntur de homine septuaginta annorum: sed de nimis inueterato, s. nonaginta uel centum annorum. potissimum quia tempore Dauid erat ætas robustior, & homines septuaginta annorum erant fortiores hominibus sexaginta annorum nũc. Dicendum est q̃ Dauid solùm uixit septuaginta annis ut dictum est: dicitur tamen q̃ Dauid senuerat & habebat ætatis plurimos dies: eo q̃ isti 70. anni induxerant in eo maiorem senectutem & inualitudinem quã in alio induxissent nonaginta uel centum anni. hoc autem quia erat delicatus nimis: & quia effuderat multum sanguinem de corpore, ut quidam uolunt, aut ex alijs causis, ex quibus senectus solet præueniri in hominibus. *In Hebron regnauit super Iudam*, i. quandiu regnauit super Iudam fuit rex in Hebron: quia illa erat ciuitas in qua unctus fuit, & erat Metropolis regni: fuitq; ibi semper Dauid. *Septem annis & sex mensibus.* Istud fuit tempus regni in Hebron: & tunc regnabat Isboseth super undecim tribus Israel. *In Hierusalem autem regnauit triginta tribus annis super omnem Israel & Iudam.* Dicitur regnasse in Hierusalem: non quòd ibi unctus fuerit in regem super Israel, quia in Hebron unctus est: sed quia Hierusalem erat Metropolis regni Israel: & Dauid mansit ibi toto tempore quo regnauit super Israel.

Quot

Quot annis regnauit Dauid in Hebron.
Quæst. V.

QVAERET aliquis, quomodo dicitur regnasse Dauid septem annis, & sex mẽsibus in Hebron: quia Dauid solùm regnauit in Hebron quando regnabat Isboseth in Israel, sed Isboseth solũ regnauit duobus annis: ideo Dauid nõ regnauit in Hebron septem annis. Ad hoc variè respondetur: Hebræi enim dicũt, quòd Isboseth solùm regnauit duobus annis, vt patet supra, 2. de Dauid concedunt, quòd regnauerit septẽ annis, & dimidio in Hebron: sicut litera dicit hic: concedunt etiam, quòd simul ceperint regnum Dauid, & Isboseth: ideo etiam confitentur id quod sequitur ex hoc, s. quòd regnũ Israel vacauit. 5. annis, & dimidio in quibus. 11. tribus Israel nullum regem habuerunt. Aliter autem Doctores nostri dicunt, quidam enim volũt, quòd regnauerit Isboseth duobus annis solùm post mortem Saulis, & istis duobus regnauit solùm Dauid in Hebron post mortem Saulis. Volunt tamen quòd dicatur regnasse in Hebron ante mortem Saulis, ex eo tempore quo Dauid percussit Amalecitas ferentes prædam de tribu Iuda: & remisit partes de præda multis ciuitatibus de sorte Iudæ, vt patet præcedent. lib. cap. 30. hoc tenet Ra. & Glo. ordi. Sed istud non stat: quia si nos dicamus, quòd Dauid regnauit solùm duobus annis post mortem Saulis in Hebron: non poterit assignari isto modo qualiter regnauerit septem annis, & dimidio in Hebron, quia ex eo tempore quo persecutus est Dauid Amalecitas vsque ad mortem Saulis transiuit paucum tempus, quoniam ista facta sunt quasi simul: vel saltem non fuit factum vnum post aliud per quatuor dies, vt declaratum est præceden. lib. cap. 30. ideo nihil magis est, quòd computetur à morte Saulis regnum Dauid super Hebron: quàm à persecutione Amalecitarum: & sic semper manebit solùm tempus duorum annorum, quibus regnauerit Dauid in Hebron. Aliter soluit historia scholastica: dicens, quòd Dauid regnauit aliquibus annis in Hebron viuente Saule, quia domus Iuda iam affectabat eum in regem: & ipse mittebat eis munera tãquã suis. Cùm autẽ dicitur, quòd Dauid regnauit septem annis, & sex mensibus super Iudam: subintelligẽdum est, quòd regnauit ibi specialiter, quia si intelligatur solùm de regno post mortẽ Saulis: solùm regnauit duobus annis sicut Isboseth. Sed adhuc dicendum, quòd ista positio non multum stat, quia Dauid non potest dici aliquo modo regnasse super Iudam viuente Saule: nam si regnasset illo viuente, & viri Iuda tenuissent eum vt regem: non venissent ad vngendum eum post mortem Saulis: quia vnctio est pro illo qui incipit esse Rex, & hoc quia vel simpliciter incipit: vel saltẽ quantum ad illos, qui eum vngunt. Dauid autem iam Rex erat quantum ad titulum simpliciter ex eo tempore quo vnxerat eum Samuel: viri tamen Iuda vnxerunt eum post, ergo saltem quantum ad ipsos tunc incipiebat esse Rex: & sic nõ regnauerat aliquo tempore ante mortem Saulis in Hebron. Item motiuum Historiæ scholasticæ non stat. s. q̃ Dauid regnaret in Hebron viuente Saule: eo quòd tunc mittebat Hebronitis munera tanquam suis, & hoc pp duo. Primò, quia non solùm Dauid misit munera ciuitatibus sortis Iudæ, sed etiam misit alijs ciuitatibus, quæ erant in tribu Beniamin & Gad: vt patet p̃c. li. c. 30. cũ ibi ponantur aliquæ ciuitates, quæ non sunt in sorte Iudæ, vt ibidem declaratum est. Item non stat, quia non mittebat Dauid ista munera viris Iuda tanquam suis, sed solùm quia tenebatur illis, eo q̃ receperat ab eis multa beneficia dum

A maneret profugus in terra eorum: vnde nõ misit munera aliquibus vrbibus nisi illis in quibus steterat quãdo erat profugus: vt patet præced. li. c. 30. erant tamen multæ aliæ vrbes tribus Iudæ: si igitur misisset eis munera tanquam suis: non solùm misisset ciuitatibus Iudæ in quibus fuerat, sed etiam omnibus alijs in quibus non fuerat: ergo non misit eis munera tanquam suis, sed solùm quia voluit rependere vicem pro susceptis beneficijs. Dicẽdum igitur ad quæstionem, q̃ Dauid regnauit septem annis, & dimidio in Hebron postquã vnctus est mortuo Saule, & incepit regnũ eius simul cum regno Isboseth: ipse quoque Isboseth regnauit annis quasi septem, & dimidio super Israel: licèt dicatur, q̃ regnauerit duobus annis. Qũo autẽ illa contrarietas soluatur dictum est, Doctores autẽ nostri ideo ad hoc ueniũt, quia vr̃ eis difficilè dare, q̃ Isboseth regnauerit pluſquam duobus annis. Rursus vr̃ inconueniens, q̃ fuerint. 5. annis, & dimidio Israelitæ sine rege, & tamen istę difficultates iam supra ablatę sunt.

B

Quomodo dicitur, quòd Dauid regnauit annis. 40. tantum.
Quæst. VI.

QVAERETVR vlterius, quomodo dicitur hic in summa annorum quibus regnauit Dauid, quòd fuerunt. 40. anni, cùm fuerit maius tempus: nam super Hebron regnauit septẽ annis & sex mẽsibus, vt

C patet hic & supra. 2. & super Israel regnauit. 30. tribus annis, qui simul sunt. 40. an. & sex menses. Respondet Ra. & Historia scholastica, & Andreas, q̃ sex menses tolluntur de totali summa, eo quòd istis sex mensibus Dauid lãguit, & nihil dignum rege fecit, vel quia Absalon persecutus est eum sex mensibus, & tunc quasi non regnauit, & hoc tenent Hebræi. Sed ista resp̃sio non stat, quia quamquam aliqui reges in ęgritudinibus viuerent: non detrahuntur tempora regnorũ suorum, sicut fuit de rege Asa, qui magno tempore fuit laborans podagra. 2. Paralip. 19. Rex etiam Ozias fuit magno tempore leprosus, & tamen nihil detrahitur de tempore regni sui, de quo. 2. Paral. 26. Immo dato, q̃ aliquis Rex totaliter cessaret à gubernatione regni: semper computabatur tẽpus regni eius dum viuebat, vt patet de Ozia qui pp leprã priuatus est administratione regni, & filius eius Ioatham gubernabat palatiũ regis: & tamen vsq; ad tempus mortis Ozie semp cõputatur regnum eius, vt patet. ẽ. 4. li. c. 15. & 2. Paral. 26. non igitur tollitur aliquid de summa regni Dauid pp ęgritudinem vel persecutionem Absalon. Alij Hebræi dnt, q̃ totum regnum Dauid in Ierusalem, & Hebron fuit annorum. 40. præcisè, & non tolluntur sex mẽses de summa. dnt tamen q̃ isti sex menses quibus vltra septem annos regnauit Dauid in Hebron deficiũt de. 30. tribus annis quibus regnauit in Ierusalem, quia illi solùm fuerunt. 32. & dimidio. Sed istud non multum stat. Ideo magis videtur dicendũ, q̃ Dauid regnauerit. 40. an. & sex mensibus, scriptura tamen qñ posuit summam totalem non curauit de sex mensibus, eo q̃ modus scripturæ est interdum non curare de numeris imperfectis, vel paruis, sicut interdum sunt anni. 405. & tñ scriptura solũ nominat. 400. sic patet Gen. 15. vbi dixit Deus, q̃ Israelitæ affligerentur. 400. annis, & tũ illi sunt 405. sicut probatum est necessarijs rõnibus eodẽ. c. Item hoc patet manifestè, quia seq. li. c. 2. cũ ponitur summa annorũ qbus regnauit Dauid, dr̃ q̃ dies qbus regnauit Dauid super Israel 40. anni sunt, in Hebron regnauit septem annis, & in Ierusalem 33. ecce qualiter ibi scriptura abstulit sex menses de regno Dauid in Hebron, quia iste est numerus imperfectus, non complens annum, de quo interdum non curat scriptura.

D

E

Et

Universidad de Deusto
Biblioteca

Et abiit rex. Hic ponitur secundum huius. cap. Scilicet, in quo Dauid famam adeptus est. Et diuiditur in quatuor: quia primò famam adeptus est expellendo hostes interiores. Secundò confœderando amicos exteriores, ibi. *Misit quoque Hiram*. Tertiò multiplicando amicos interiores, ibi. *Accepit ergo Dauid*. Quartò bis debellando inimicos exteriores, ibi. *Audierunt vero Philisthini* Circa primum dicitur de pugna quam habuit Dauid contra Iebusæos habitantes in Ierusalem. Isti enim erant de Chananæis, quos Israelitæ expellere debebant de terra: & quia isti erant in Ierusalem, quæ erat ciuitas excellentior in tota terra Israel, voluit Dauid prius pugnare contra istos: & quia nunc nouiter factus fuerat rex, ne esset ociosus, & inutiliter rex, voluit pugnare contra hostes. *Et abiit rex, & omnes viri eius, qui erant cum eo in Ierusalem*. Intelligitur hoc de omnibus illis viris, quos Dauid habebat secum communiter, & non de omnibus viris Israel, vt aliqui volunt. Veritas tamen est, quòd Dauid fecit congregari multos viros de Israel præter eos, quos secum communiter habebat, quia bellum magnum erat contra Iebusæum, sic patet primo Paralip. 11. Scilicet: Abiit quoque Dauid, & omnis Israel in Ierusalem. *Ad Iebusæum habitatorem terræ*. Ideſt, contra populum Iebusæorũ, qui habitabat in terra illa: est enim Iebusæus vnus de septem populis Chananæorum, & habitabant isti Iebusæi in Ierusalem, & in confinibus suis. Erat tamẽ Ierusalem locus præcipuus, quoniam de locis paruis iam expulsi fuerant. *Dixitumque est ab eis ad Dauid, non ingredieris huc*. Ideſt, Iebusæi habitantes in Ierusalem dixerunt Dauid venienti in Ierusalem, non ingredieris huc, quod intelligitur de arce vrbis in Ierusalem, scilicet, de arce Sion: & non de ipsa vrbe, quia iam Israelitæ occupauerant Ierusalem quantum ad vrbem planam, & exuserant eam: morabanturque ibidem: vt patet Iudic. 1. & Iosue. 15. Etiam patet, quia viuente Saule, Dauid tulit caput Goliath in Ierusalem. præceden. lib. cap. 18. si tamen Israelitæ non possedissent tũc Ierusalem non tulisset illuc Dauid caput Goliath: possidebant igitur Iebusæi solam arcem, & castrum, & ad istud occupandum iuit Dauid, & dixerunt Iebusæi quòd non ingrederetur illuc.

Quomodo Iebusæi manebant in Ierusalem.
Quæst. VII.

QVAERET aliquis, quomodo poterant manere aliqui Iebusæi in Ierusalem, cùm iam expulsæ fuissent omnes septem gentes Chananæorum præter illas, quæ habentur Iosue 13. & Iud. 3. Vbi dicitur hæ sunt gentes, quas dereliquit dominus: & tamẽ inter illas non numerantur Iebusæi, ergo eiecti fuerant omnes Iebusæi de terra. Respondendum, quòd de gente Iebusæorum plurima pars iam perierat gladio Israelitarum, manebant tamen aliqui in Ierusalẽ, eo quòd non potuerunt Israelitæ expellere illos propter fortitudinem loci, & ad istos nunc iuit Dauid. Cùm autem dicitur, quòd non ponuntur Iebusæi inter gentes, quæ relictæ fuerant in terra Israel, dicendũ, quòd ibi ponũtur: quia dicitur, quòd non expulsi fuerunt Chananæi: nomine autem Chananæorum intelliguntur omnes populi, & sic possunt intelligi Iebusæi. Aliter autem, & melius dici potest, quòd ibi ponuntur multi termini terrarum, in quibus clauditur vrbs Ierusalem, quamquam non exprimatur, & sic Iebusæi habitantes in Ierusalem manebant adhuc in terra. *Nisi abstuleris cæcos, & claudos dicentes, non ingredietur Dauid huc*. Ideſt, non poteris introire huc quousque abstuleris claudos, & cæcos, qui sunt in turribus. Istud dixerunt Iebusæi deridendo Dauid: putabant enim quòd ciuitas sua ita erat fortis, quòd non indigebant auxilio virorum fortium, sed claudi, & cæci existentes supra murum poterũt defendere vrbem, ideo donec auferas illos non ingredieris. Vel aliter, Iebusæi posuerunt super muros quasdam imagines lapideas, quas vocauerunt cæcos, & claudos, ideſt, nihil agentes, quasi dicat, nobis etiam nihil agentibus non poterit intrare in vrbem, quia est fortissima. Vel aliter, Iebusæi dixerunt hoc irridendo Dauid, quia Dauid vocauerat eos claudos, & cæcos, ideſt, non potentes se defendere, & tunc ipsi responderunt dicentes, nisi abstuleris claudos, & cæcos, ideſt, nisi abstuleris nos, quos tu vocas claudos, & cæcos, non poteris introire in vrbem. Sic exponit Historia scholastica, & Glo. ord. & Andreas. Ra. Sa. dicit, quòd claudi, & cæci erant duæ imagines lapideæ positæ in turribus: quarum vna habebat effigiem hominis claudi, & alia effigiem hominis cæci: dicit enim quòd Iebusæi isti, qui erant in Ierusalem erãt de genere regis Abimelech, qui erat rex Philisthinorum, & iniuit fœdus cũ Isaac, ne noceret posteris eius, vt patet Gen. 26. cum Iacob etiam dicunt, quòd inierit fœdus: Iebusæi verò videntes prosperari Israelitas, putantes quòd vellent expellere eos de Ierusalem fecerunt sibi duas imagines lapideas in turribus ad similitddinem cæci, & claudi, quarũ vna repræsentabat Isaac, scilicet cæca, eo quòd Isaac fuerat caligans oculis. Gen. 27. alia erat clauda repræsentans Iacob, quia ille claudus effectus est luctando cum angelo. Gen. 32. & in ore istarum duarũ imaginum posuerunt iuramentum descriptum, quod præstiterant Isaac, & Iacob de non nocendo posteris Abimelech, & ob hoc dicunt, quòd Israelitæ à principio non potuerunt expellere Iebusæos de Ierusalem, scilicet, propter iuramentum, & fœdus interpositum. Nunc autem dicunt, quòd Dauid licitè potuit expellere Iebusæos de Ierusalem, quia iam transierat tempus fœderis interpositi inter Abraham, & regem Abimelech, sed non transierat quando introierunt Israelitæ in terram Chanaam. Sed ista positio non stat. Primò, quia dicunt, quòd istæ imagines erant Isaac & Iacob, nam potius debuisset poni imago Abrahæ, quia cum eo iniuit principaliter Abimelech fœdus, vt patet Gen. 21. cum Iacob autem nõ fuit initum aliquod fœdus, ideo ipse non debuisset habere hic imaginem. Item dato, quòd vellent Iebusæi ponere imagines Iacob, & Isaac, non posuissent eas, vt claudum, & cæcũ, quia ista signant imperfectiones: potius autem Iebusæi expressissent imagines illorum sub alia forma honorabili, ne sic perducerent Iudæos ad odiendũ eos, quasi irridentes de patribus eorum. Item non obstat, quia dicitur hic claudos, & cæcos; deberet tamen dici claudum, & cæcum: cùm solùm ponerẽtur ibi imagines duæ: vna clauda, & alia cæca. Item non stat: quia dicitur in litera, nisi abstuleris claudos, & cæcos, dicentes, non ingredietur Dauid: & sic isti loquebantur: imagines autem Isaac, & Iacob non poterant loqui. Item non stat, quia infra dicitur, claudos, & cæcos odientes animam Dauid: illæ tamen imagines non poterant odisse animam Dauid: ergo erant homines, qui habebant Dauid exosum. Item fundamentum Rab. Salomonis nõ stat, scilicet, q̃ Dauid potuerit nunc expellere de iure Iebusæos de Ierusalem, & non potuerint eos expellere Israelitæ quando introierunt in terram Chanaan, de quo satis dictum est Iosue. 15. in fine, & ibi vide. Dicendum igitur q̃ sensus literæ est, quòd Iebusæi habitantes in arce Sion confidentes de fortitudine loci posuerunt super mœnia claudos, & cæcos quasi ad defensionem ciuitatis, & dixerunt ad Dauid: nisi abstuleris claudos & cæcos, nõ ingredieris huc, ideſt, ideſt vide, quòd non timemus te; quia soli claudi, & cæci sufficiunt ad resistendum tibi, ne ingrediaris in vrbem. Sic enim fuit in vrbe Tyro, quæ fortissima erat, ideo in vituperium hostium positi sunt pygmæi super turres, qui sunt homines valde paruę staturę quasi cubitalis, vt innueretur, quòd isti soli sufficiebãt ad defensionem vrbis. De hoc Ezec. 27. dicitur: Sed & pygmæi, qui erant in turribus tuis faretras suas suspenderunt in muris tuis per gyrum: ipsi compleuerunt pulchritudinem tuam. Secundùm Hebræos deberet exponi: non ingredieris huc, nisi abstuleris cæcos, & claudos, ideſt non potes ingredi huc, nisi violaueris iuramentum quod præstiterunt cæcus, & claudus, scilicet, Isaac, & Iacob. *Dicentes non ingredietur Dauid*. Ideſt, isti claudi, & cæci positi erant super muros ad illudendum Dauid: ideo clamabant sæpe cum strepitu, & irrisione, non ingredietur Dauid: non ingredietur Dauid. *Cepit autem Dauid arcem Sion*. Ideſt pugnauit, & obtinuit arcem Sion, in qua erant Iebusæi. reliquam enim vrbem iam acceperant Israelitę ab antiquo, manebat autem castrum, in quo erant isti Iebusæi: & illud nunc cœpit Dauid, & dicitur, quòd cœpit arcem Sion, ideſt castrum montis Sion, quia non solùm erat vna turris, sed multæ. *Hęc est ciuitas Dauid*. Ideſt, istud castrum vocatum est postea ciuitas Dauid, vt patet infra, & ibi sepultus est. *Proposuerat enim Dauid in die illa præmium*. Ideſt in die qua pugnauit contra Iebusæos proposuit præmium ei, qui prius ingrederetur in castrum. Hic autem non habetur quod præmium erat, quia est litera decurtata, sed habetur primo Paral. 11. & dicitur, quòd proposuerat, quòd qui percuteret Iebusæum in primis esset dux belli. *Qui percussisset Iebusęum*. ideſt Iebusæos habitantes in castro: non est autem intelligendum, quòd istud præmium proponeretur ei, qui percuteret omnes Iebusæos, quia nullus percussit omnes, sed ei, qui inciperet prius percutere illos: sic patet primo Paral. 11. scilicet, qui percusserit Iebusæum in primis, erit dux belli. Sic enim fuit quando Caleb proposuit præmium super vrbe Cariathsepher, dicens: qui percusserit Cariathsepher, & cœperit eam, dabo ei Axam filiam meam vxorem, vt patet Iosue. 15. & iudi. 1. & dicitur ibi, quòd cœpit eam Othoniel, & tamen manifestum est, quòd ipse solus, non cœpit: ideo intelligebatur de eo, qui prius in hostem irrumperet ad capiendam vrbem, vel de eo, qui prius introiret in vrbem. *Et tetigisset domatum fistulas*. ideſt, qui prius tetigisset illas, multi namque tetigerũt fistulas, sed ille solus obtinuit prẽmium, qui prius tetigit eas. Vocantur autem fistulæ domatum tigna superexcedentia domorum, quæ vocantur vulgariter canales tectorum, per quos defluunt stillicidia. Alij dicunt fistulas domatum esse cuniculos subterraneos, per quos erat ascensus ad tecta domorum, sed primũ verius est: vocantur autem domata sumitates domorum, scilicet, quando domus est super domum, & illas extremitates domorum prominentes super muros castri tangere debebat ille, qui habiturus esset prẽmium. *Et abstulisset claudos, & cæcos*. Isti erant positi super muros ad irrisionem Dauid, vt dictum est, & debebat eos inde auferre ille, qui habiturus esset prẽmium propositum à Dauid: non quòd ille omnes auferre deberet, sed quod inciperet ante omnes illos auferre, scilicet, deijciendo illos de muro, vel occidendo illos. Sciendum autem, quòd Ioab in primis percussit Iebusæos, & ipse factus est princeps belli, vt patet primo Paralip. 11. Dicunt enim Hebræi, quòd Ioab fecit duci quandam magnam cedrum, & fixit eam in terram, fecitque se ligari ad illam, cumque tiecteretur viribus ad terrã Ioab in altum eleuatus est, super muros, & sic ascendit ad fistulas domatũm, & de hoc dicũt intelligi Psalmum. 17. cùm dicitur, & in Deo meo transgrediar murum. Sed ista ridicula sunt, & ferè impossibilia. *Odientes animam Dauid*. Ideſt, claudi, & cæci, qui erant super muros, oderant animam Dauid, quia ipsi erant de Iebusæis, & desiderabant mortem Dauid ne inquietaret eos. *Iccirco dicitur in prouerbio, claudus, & cęcus non intrabunt in templum Domini*. Ideſt, propter istos claudos, & cæcos, qui erant super murum ortum est prouerbium inter Iudæos, s. claudus, & cæcus non introibunt in templum.

Quomodo ortum est prouerbium propter Iebusęos, quòd claudus, & cęcus non introiret in sanctuarium.
Quæst. VIII.

QVAERET aliquis quomodo, & cur ortum est istud prouerbiũ propter Iebusæos. Respondendum est, quòd non factum fuit de nouo, quòd claudus, & cæcus non introirent in templum domini, quia à principio legis datę per Moysen hoc fuit, scilicet, quòd claudi, & cęci, & habentes alias maculas non ingrederentur ad ministrandum domiño in sanctuarium, sic patet Leu. 21. scilicet: Homo de semine Aaron, qui habuerit maculam non offerẽt panes Deo suo, nec accedet ad ministerium eius, si cæcus fuerit, si claudus &c. Nunc tamen ortum est prouerbium, quòd claudus, & cæcus non introirent in sanctuarium, quia prius nõ erat istud prouerbium, quamquam esset lex de nõ intrando. Et causa quare nunc exiuit istud prouerbium, & non prius, fuit propter istud, quod accidit de Iebusæis, quia claudi, & cæci eorum dixerunt Dauid, non ingredieris huc, & tamen in loco vbi illi erant. s. in arce Sion factum est postea templum, ideo dictum est claudis, & cæcis: non ingrediemini in templum, siue non ingrediemini in arcem Sion.

An ante hoc fuerit illicitum cęcis, & claudis ingredi sanctuarium. *Quæst. IX.*

QVAERETVR vlterius, an post hoc, vel ante hoc licuit claudis, & cæcis introire in templum domini, vel in sanctuarium Moysi antea quam construeretur templum Salomonis. Respõdendum, quòd nunquam fuit illicitum ante, vel post hoc cæcis, & claudis introire in sanctuarium, quia vel isti erant laici, vel Sacerdotes: si autem laici, non vetabantur introire in sanctuarium propter ista, quia id quod dicitur de claudo, & cæco Leui. 21. intelligitur solùm de Sacerdotibus, vt patet ibidem: ideo poterãt omnes laici, dato, quòd essent claudi, vel cæci introire in sanctuarium, & participare rebus sacris. Pro quo sciendum, quòd Israelitæ prohibebantur à participatione sacrorum solùm pro immunditia, & nunquam pro macula. Distinguuntur autem ista duo, quia macula est defectus aliquis naturalis, sicut esse cæcum, claudũ, vel carere aliquo membro, vel quòd à casu postea amputatum sit. Ista autem siue naturaliter, siue à casu eueniunt semper manent: immunditiæ autem vocantur quædam irregularitates causatæ per contactum, vt communiter: ideo vocantur contaminationes, sicut fit immunditia super mortuo, & in coitu, & in tactu rerum turpium, & influxu seminis, & sanguinis. De quibus Leui. cap. 11. & 15. Maculæ autem non prohibebant aliquem de laicis à cõmunione sacrorum, vel introitu in sanctuarium: immunditiæ autem prohibent, ita quòd si quis immundus immisceret se rebus sacris, vel saltem introiret in sanctuarium incurrebat pœnam mortis. Leui. 15. esse autem cæcum, & claudum est macula, & nõ immunditia,

Universidad de Deusto
Biblioteca

ditia, ideo nõ prohibebatur quis ingredi sanctuarium propter hæc. Similis autem distinctio erat in pecoribus, nam pecora, quæ erant immunda per aliquam contaminationem, nunquam offerebantur in aliquo genere sacrificij, vt colligitur Leu. 27. animalia tamen maculata, scilicet, quæ haberent aliquas partes corporis amputatas, interdum offerebantur, scilicet, saltem in hostias pacificas. Leuit. 22. & hoc, quia macula non prohibet à sacris, sicut immunditia. Si autem isti claudi, & cæci essent Sacerdotes, etiam non prohibebãtur ingredi in sanctuarium, & participare rebus sacris, sed solùm prohibebantur accedere ad ministrandum in officijs Sacerdotalibus: comedebant tamen de sacris, de quibus vescebantur alij Sacerdotes, vt patet eo. cap. Dicendum igitur, quòd ante istud prouerbium non erat vetitum claudis, & cæcis introire in sanctuarium, nec fuit postea vetitum: sed solis Sacerdotibus claudis, & cæcis vetitum fuit introire ad ministrandum: & quantum ad istos intelligebatur prouerbium, quod nunc cœperat occasione lebusæorum, vt dictum est. *Habitauit autem Dauid in arce.* Scilicet, in castro, quod nunc cœperat: nam ibi fecit sibi domos magnificas, & habitauit semper post hoc. Vnde regnum Dauid diuiditur per habitationem Hebron, & Ierusalem quasi semper habitauerit in Hebron antequam veniret in Ierusalem, & semper habitauerit in Ierusalem postquam illuc venerit. *Et vocauit eam ciuitatem Dauid.* Solum hoc intelligitur de castro montis Sion: nam reliqua ciuitas Ierusalem non vocata est ciuitas Dauid.

Quare Dauid vocauit castrum Sion ciuitatem suam.
Quæst. X.

QVAERET aliquis, quare Dauid vocauit istud castrum ciuitatem suam. Respondendum, est, quòd hoc factum est propter multa. Primò ad laudem victoriæ magnificę, quam exercuerat in Iebusęos, signabatur autem ista victoria per hoc, quòd locus ille specialiter nominabatur ciuitas Dauid. Secundò nominabatur sic propter habitationem Dauid, quia ipse habitauit ibi semper postquam fuit Rex super totum Israel. Tertiò propter specialem appropriationem: nam in castro Sion postea nullus habitauit nisi Dauid, nam ibi construxit magnificas domos, templum quoq; ibi constructum est, & sic solum erat ibi templum Dei, & domus Dauid. Rectè igitur vocata est ciuitas Dauid: quia ad nullum alium pertinuit, nisi ad Dauid. *Et ædificauit per girum à Mello.* Postquam Dauid cœpit castrum Sion construxit muros in colle Sion: nam erat parum castrum Sion quod habuerunt Iebusæi, ita vt vocaretur turris quasi esset vnica. Dauid autem voluit dilatare hanc arcem cùm essent ibi magni colles, in quibus poterant fieri muri. Dauid autem ædificauit à Mello, ideſt à quodam loco qui vocabatur Mello: incępit ibi murus, & continuatus est per circuitum. Est autem Mello quoddam præcipitiũ, & quasi quædam profunda vorago vallis: illam autem repleuit Dauid, & illa repletio, vt ipsi volunt vocatur Mello. *Et intrinsecus.* Ideſt, fecit murum incipiendo à Mello, & ẽt ædificauit intra murum faciendo aliqua fortalitia, vel domos. *Et ingrediebatur proficiens.* Ideſt, quotidie proficiebat in omnibus actibus suis ad maiorem prosperitatem. Et dicitur, ingrediebatur, ideſt incipiebat omnia opera sua cum profectu, & vtilitate magna. *Atque succrescens.* Ideſt, in omnibus crescebat paulatim. *Et Dominus exercituum erat cum eo.* Ideſt Deus adiuuabat Dauid in omnibus, & propter hoc prosperabatur, qa necesse est, quòd qui à Deo adiuuantur in omnibus prospere agant: & istud est signum, in quo cognoscitur Deum esse cum aliquo, scilicet, quia actus illius prosperantur, sic patet de Ioseph Gen. 39. scilicet. Fuit Dominus cum eo, & erat vir in cunctis prospere agẽs: habitauitque in domo domini sui, qui optimè nouerat Dominum esse cum eo, & omnia quæ gereret ab eo dirigi in manibus illius. *Misit quoque Hiram.* Hic ponitur multiplicatio, & exaltatio Dauid confederando sibi amicos exteriores, erat enim Hiram amicus Dauid: ideo quando cognouit prosperitatem eius misit illi dona, vt magis eum sibi alliceret. De amicitia autem huius ad Dauid satis patet seq. lib. c. 5. mansit autem ista amicitia Hiram ad Salomonem post mortẽ Dauid: vnde Hiram præbuit Salomoni copiam omnium rerum necessariarum ad ædificationem templi, de quo eo. c. Salomon vero præbebat regi Hiram cibaria singulis annis. eo. cap. & hoc dum ædificaretur templum: postea autem dedit ei viginti ciuitates, vt patet seq. lib. cap. 9. *Rex Tyri.* Tyrus ciuitas est in terra Chanaan in littore maris, fuitque olim ciuitas opulentissima princeps omnium congregationum naualium & negociationum, quæ fiebant super aquas: ad quam conueniebant mercatores de vniuersa terra, de cuius laudibus multa ponit Ezechiel. c. 27. fuit autem ista ciuitas Chananæorum. Et fuit posita in diuisione sortium: ceciditque tribui Asser. Iosue. 19. vnde quando Christus predicabat in finibus Tyri, & Sydonis: dicitur, quòd venit ad eum mulier Chananæa à finibus illis egressa, vt patet Matth. 15. Dauid tamen non pugnauit contra Hiram, nec expulit eum de terra, quamquam esset de Chananæis, quia erat amicus eius. *Nuncios ad Dauid.* Ad significandum amicitiam magnam Hiram ad Dauid, & promittendum se ei in omnibus complacere. *Et ligna cedrina.* Hiram voluit complacere Dauid, & quia sciebat, quòd erat Rex nouus, qui nondum construxerat sibi habitaculum: & ad regiam celsitudinem pertinet habere glorioſas domos, cùm sit magnificorum multa expendere ad constructionẽ habitaculi. vt patet. 4. Ethi. non putauit Hiram aliquid esse, in quo magis complaceret Dauid, quàm vt ei mitteret materias ad construendam domum, & hoc fuit in lignis cedrinis, quia in terra Dauid non erant ligna cedrina. In terra autem Hiram erant cedri, abietes, & cipressi, vt patet sequen. lib. ca. 5. & de his misit munera ipsi Dauid, de his etiam lignis petiuit Salomon à rege Hiram ad ædificandum templum, vt patet allegato. c. si tamen fuissent multa de his in terra, Salomon non petiuisset ea ab Hiram. *Et artifices lignorum.* Non solùm misit ligna, sed etiam artifices ad faciendum domum Dauid, quia sicut ligna notabilia erant solùm in terra regis Hiram, ita etiam artifices excellentiores erant in terra eius, vnde illos misit. Sic etiam factũ est in constructione templi: nam de terra regis Hiram venerunt artifices lignorum, & lapidum ad Salomonẽ, & ipsi præerant reliquis operarijs Salomonis, seq. lib. cap. 5. *Artificesque lapidum.* Ideſt etiam misit Rex Hiram Dauid artifices in opere lapidum, quia domus cõstructio tam lapides, quam ligna requirebat, & omnia hæc artificia excellentius erant in terra regis Hiram, quam Dauid. *Ad parietes.* Ideſt, ad construendum parietes, quia domus regia, quæ fortis erat non debebat ædificari de luto, sed de lapidibus, & hoc erat in parietibus: textura autem domus, & tecta de lignis erãt. *Et ædificauerunt domum Dauid.* Scilicet, fecerunt ei domum speciosam in castro Sion. *Et cognouit Dauid, quòd confirmasset eum Dominus regem super Israel.* Ideſt, vidit Dauid, quòd Deus volebat firmiter ipsum manere regem super totum Israel: & hoc videbat Dauid per ea, quæ Deus faciebat in eo, nã prosperabat omnes actus eius, vt dicitur supra, scilicet, quod ingrediebatur Dauid proficiens, atque succrescens. *Et quoniam exaltasset regnum*

regnum eius super populum suum Israel. Ideſt non solùm confirmauit eum in regem, sed etiam fecit regnũ suũ esse excellens, eo quòd prius erat paruum, scilicet, super Iudam, nunc autem erat magnum, scilicet, super totum Israel. Etiam prius erat minoris gloriæ, postea verò magnificatum est in gloria per triumphos, & famam magnam. *Accepit ergo Dauid adhuc concubinas.* Hic ponitur multiplicatio Dauid per amicos interiores, scilicet, quia accipiendo vxores, & concubinas cõciliauit sibi animos virorum magnorum de terra sua, quorum filias in vxores accipiebat: dicitur autẽ, quòd accepit adhuc concubinas, & vxores de Ierusalẽ, ideſt de vrbe Ierusalem. Accepit sibi istas concubinas, & vxores, de quibus hic dicitur. *Postquam venerat de Hebron.* Scilicet, quia in Hebron acceperat alias vxores, de quibus habetur supra. 3. istæ autem, de quibus hic, sunt præter illas: significatur autem in hoc, quod habuit Dauid multas vxores. Hebræi autem dicũt, quòd non habuit plures quam. 18. dicunt etiam quòd Deus prohibebat vltra has alias accipi, quod probant ex eo, quod habetur infra. 12. vbi litera nostra dicit: Et dedi vxores domini tui in sinu tuo: & in Hebræo habetur, dedi vxores domini tui in manu tua: & sicut ipsas, & sicut ipsas, quod bis ponitur, & tamen priores vxores erant sex: vt colligitur supra. 3. ex declaratis ibidem, ergo. 18. sunt vxores Dauid triplicando sex. Sed istud nihil est. nam nõ apparet Dauid habuisse. 18. vxores: nec litera allegata hoc probat, sicut ibidem declarabitur, sed solùm constat, quòd habuit multas. Item, qꝑ peccatum esset habere plures quam. 18. non stat, quia sicut licebat habere multas, vt 15. vel 18. ita liceret habere. 19. cùm lex de hoc nihil dicat: ideo ista friuola sunt. *Natique sunt Dauid, & alij filij, & aliæ filiæ.* Ideſt præter filios, & filias, quos genuit in Hebron, qui fuerunt sex, de quibus supra. 3. genuit alios, de quibus habetur hic. *Et hæc nomina eorum, qui nati sunt ei in Ierusalem.* Ideſt ista, quæ sequuntur sunt nomina filiorum suorum, quos genuit in Ierusalem postquam factus est Rex super Israel. Sciendum autem quamquam dicatur hic, quòd nati sunt Dauid filij, & filiæ postquam fuit Rex in Hebron, tamen non ponitur hic nomen alicuius de filiabus suis, sed solùm ponuntur nomina filiorum, fuerunt autẽ aliquæ filiæ Dauid. ſ. Thamar soror Absalon, de qua patet primo Paralip. 3. & tamen non ponitur hic. *Samna, & Sobab.* Sic enim vocatus est vnus de fratribus Dauid, scilicet, Samna. præceden. lib. c. 16. *Et Nathan.* Non est iste ille, qui vocatur Nathan Propheta, quia ille non erat de stirpe regis, sed erat iam vir magnæ ætatis, cùm viueret Dauid: sic dicitur Eccles. iast. 47. post hæc surrexit Nathan Propheta in diebus Dauid. Si tamen ipse fuisset filius Dauid non diceretur sic. Potissimè non stat, quia pauco tempore post hoc Natham venit ad Dauid ad nunciandũ ei de gloria regni sui, infra. 7. & tamen tunc Nathan erat vir magnus. Aliqui tamen volunt, qꝑ Nathan, de quo hic dicitur fuit Nathan Propheta, & non fuit filius Dauid: sed ipse eum adoptauit in filium, quia erat vir bonus. Sed hoc non stat, cùm litera dicat hic, qꝑ isti filij nati sunt Dauid in Ierusalem. *Et Salomon.* Iste fuit filius Bersabee vxoris Vriæ. Sciendum autem, quòd plures filij Dauid ponuntur primo Paralip. 3. quam hic, quia hic ponuntur solùm. 11. & ibi ponuntur. 13. & vna filia, scilicet, Thamar.

Quare Dauid accepit tot vxores, & an peccauerit.
Quæst. XI.

QVAERET aliquis, ad quid Dauid accepit tot vxores, & an peccauerit: nam supra in Hebron acceperat sex vxores, vt declaratum est supra. 3. & hæ sufficere debuerant ei ad procreandam prolem, ideo quòd plures acceperit, videbatur magis ad illecebras carnis, & consequenter erat peccatum. Respondendum ad primum, quòd Dauid accepit multas vxores propter duo. Primò ex desiderio prolis ad cultum diuinum, & multiplicandum populum Dei. Contingit autem interdum, quòd ex vnica vxore, vel paucis non possit quis multos filios procrea re, & potest ex pluribus: ideo ad hoc videtur desideriũ licitum, nisi lex hoc prohiberet, Secundò accepit plures vxores ad conciliandum sibi animos magnorum virorum de regno suo. Desiderabat enim securè regnare: & hoc non poterat, nisi conciliaret sibi animos principum regni sui: istud autem maximè erat per affinitatem, scilicet, accipiendo filias eorum in vxores, ideo voluit accipere multas vxores, vt multos sibi cõciliaret. Ad secundum aliquis dicet, quòd Dauid peccauit accipiendo vxores tot, quia lex vetabat regibus vxorum multitudinem, vt patet primo Paralipo. 17. Dauid autem acceperat plures, quam. 10. ergo peccabat. Respondendum, quòd non peccauit, nam Deus dedit ei uxorum multitudinem, quasi in donum, ut patet infra. 12. scilicet, dedi uxores domini tui in sinu tuo: Deus tamen non dat in donum id quod malum est: ergo non peccauit Dauid accipiendo multitudinẽ vxorum. Respondendum est, quòd nunc in lege noua vetita est vxorum multitudo, ideo ex nulla causa licitum est plures accipere. In veteri tamen testamento non erat posita ista lex, ideo licitum erat plures accipi: potissimè quãdo aliqua causa suberat. Sic autem fuit in Dauid, ergo non peccauit. Item si peccasset aliquando, fuisset de hoc reprehensus, vel saltem scriptura descripsisset peccatum eius, non tamen culpatur de hoc, ergo non fuit peccatum. Cùm autem arguitur, qꝑ accipere multas uxores erat peccatum regibus. Respõdendum, quòd hoc intelligitur, quando erat multitudo irrationabilis, & ad solam libidinem, sicut fuit in Salomone, qui accepit quasi mille uxores concubinas, & adolescentulas, & copulatus est eis ardentissimo amore: ut patet sequenti lib. cap. 11. Dauid autem non accepit eas ad libidinem, sed ex causis supradictis, ideo non peccauit.

Non peccauit Dauid tot accipiendo vxores.

An Dauid peccauerit accipiendo multas concubinas.
Quæstio XII.

QVAERETVR ulterius, an Dauid peccauerit accipiendo concubinas. Aliquis fortè dicet, quòd sicut Dauid potuit habere multas uxores, & sine peccato, cùm nunc solùm liceat habere unam, ita licuit ei accipere cõcubinas. Sed hoc non est simile, quia uxor licitè accipitur, & multæ uxores licitæ erant in ueteri testamento, sicut nunc una: ideo non erat aliquid speciale, quòd posset habere multas uxores. In concubinis autem secus est, quia concubinatus secundum se est illicitus, eo quòd est sine lege matrimonij. Nicolaus autem respondet aliter, scilicet, qꝑ Dauid non habuit aliquam concubinam, & quando hic dicitur de concubinis, respondet, quòd non accipiuntur concubinæ propriè, sed uocantur concubinæ uxores minus principales, & illæ, quæ sunt magis principales uocantur uxores, sed inter utrasque, & Dauid erat matrimonium, sic enim est interdum modus loquendi scripturę, nam Agar, & Cetura uxores Abrahę uocantur cõcubinæ eius, Gen. 25. & tamen alibi uocantur uxores. De Agar patet Gen. 16. De Cetura patet Gen. 25. Si autem istam positionem tenere uelimus, quæstio excluſa est, scilicet, quia non potuit in hoc Dauid peccare, cùm nullam concubinam habuerit. Sed non mul-

Opinio Nicolai reijcitur.

tum

tum stat hoc, quia litera facit hic differentiam inter concubinas, & vxores. Si tamen omnes essent vxores, potuissent, & debuissent omnes vocari vxores; vel omnes vocarentur concubinæ, quia omnes istæ erant minus principales, eo quòd illę priores, quas accepit Dauid in Hebron, erant vxores principales, cùm primò assumptæ fuissent. Item patet hoc efficacius; quia primò Paralipo. 3. vbi ponuntur isti filij Dauid, qui habentur hic; dicitur: Omnes hi filij Dauid absque filijs concubinarum, ergo videtur quòd magna differentia sit inter concubinas, & vxores. Et sic erant istæ concubinæ, & non vxores. Hoc autem communius tenetur, sic enim tenet Ra. & Historia scholastica, dicens, q licuit habere Dauid concubinas ad significationem, cũ ait; concubinæ Dauid hęreticorum Ecclesias signant, qui sub Christiani nominis titulo gloriantur viuere, sed quia propter lucra carnalia Christum sequuntur, non coniuges, sed concubinæ appellantur: nunc vero plures habere vxores peccatũ est, & concubinas, quia iam transierunt figuræ, pro quibus istud erat veniale. Aliter autem dici posset, quòd Dauid peccauit accipiẽdo concubinas; nec est inconueniens, quòd peccauerit, quia præter hæc in multis alijs peccauit. Sed aliter & melius dici potest, quòd in lege veteri, quamquam licitum esset habere plures vxores, & non nũc: tamen concubinatus regulariter erat illicitus, quia per hoc quod Deus dixerat: noli mœchari non solùm excluserat adulterium, sed etiam omnem coitum, qui fit sine lege matrimonij, sicut omnes Doctores exponunt. Aliquando tamen ex dispensatione licuit, sicut fuit in viris sanctis; sic dicitur extra de diuortijs. c. gaudemus: q Patriarchæ de adulterio excusantur: hoc autem potissimè est in concubinis, Dauid vero est Patriarcha, vt patet Act. c. 2. ideo etiam de ipso verum est: quòd excusatus fuerit à peccato, licèt habuerit concubinas, quoniam accepit eas ex aliquibus causis, de quibus supra dictum est. *Audierunt vero Philisthijm*. Hic ponitur exaltatio Dauid bis debellando inimicos exteriores, scilicet, Philisthinos, qui erant extra terram Israel, non quòd terra Philisthinorum non esset de terra debita filijs Israel, nam diuisa est per sortes, vt patet Iosue. 13. & 15. sed quia non erant Philisthini inter Israelitas, sicut Iebusæi, de quibus dicitur supra. *Quod vnxissent Dauid regem super Israel*. Ex hoc apparet, q istud fuit paulò post vnctionem Dauid, scilicet, in principio regni super totum Israel, nam audita fama, quòd regnaret congregati sunt. *Et ascenderunt vniuersi, vt quærerent Dauid*. Idest, omnes reges Philisthinorum congregati sunt nunc contra Dauid. Erant quippè quinq; reges Philisthinorum, vt patet Iosue. 13. & omnes hi conuocauerunt agmina sua contra Dauid.

Author aut loquitur de peccato veniali, aut de minus graui. Quia cõtrarium superius docuit c. 24. q. 2. & 22. & lib. 3. Reg. c. 15. q. 4.

Quare Philisthini congregati sunt contra Dauid, audito quòd erat factus Rex, ne confirmaretur in regno, & ante non fuerunt congregati. Quæst. XIII.

QVAERET aliquis, quare Philisthini ante hoc non fuerunt congregati ad pugnãdum contra Dauid, cùm prius fuisset Rex quasi octo annis super Hebron, & hoc non poterat latere Philisthinos, cùm terra Iudæ, & terra Philisthinorũ sint coniunctæ sine medio, Respondeti potest, quòd ante hoc Dauid habuit aliqua bella contra Philisthinos, cùm esset Rex super Iudã, & ibat illuc Ioab, qui erat princeps belli, de quo supra 3. dicitur, quòd Ioab reuertebatur cæsis latronibus cum præda magna nimis: nunc tamen quando audierũt Philisthini Dauid esse vnctum super totum Israel, maiori desiderio iuerunt ad pugnandum cõtra ipsum: ideo congregati sunt omnes. Et ratio est, quia quando Dauid erat Rex super Iudam, erat paruæ potentiæ, & non multum curabant Philisthini de eo, q non poterat illis nimis nocere: cùm autem factus est Rex super totum Israel, quia erat magnæ potestatis, timuerunt Philisthini, quòd posset eos disperdere si permitterent ipsum confortari in regno, ideo congregati sunt omnes, vt delerent eum. *Quod cum audisset Dauid*. Scilicet, quòd omnes Philisthini congregati erant cõtra eum. *Descendit in præsidium*. Idest, in quoddam castrum, quod erat in fine terræ suæ contra terrã Philisthinorum, vbi nunc erant castra eorum. Et non est istud Præsidium illud, de quo habetur præcedenti. c. 22. nam illud erat in terra Moab, vt patet ibidem, cùm propheta dixit Dauid, quòd nõ maneret in Præsidio, sed descenderet ne terram Iudæ. *Philisthijm autem venientes diffusi sunt in valle Raphaim*. Idest, venerunt de terra sua in vallem Raphaim, quę est quædam vallis in sorte Iudæ, & hoc fecerunt ad prædandum forte, vel ad figendum ibi castra ad pugnam. Est autem ista vallis Raphaim in sorte Iudæ; vbi diuiditur sors Iudæ à sorte Beniamin, vt patet Iosue. 15. quare autem ista vocetur vallis Raphaim, & an habitauerint ibi aliqui Raphaim, siue gigantes, declaratum est Iosue. 15. & 17. *Et consuluit Dauid Dominum dicens*. Istud factum erat arduum, scilicet, quòd pugnaret Dauid contra omnes Philisthinos, ideo noluit agere sine Dei consilio, & ad hoc consuluit eum per Sacerdotem magnũ, quia illum secum habebat in bello. De modo autem consulendi Dominum habetur præced. li. c. 23. & 30. vbi satis declaratum est. *Si ascendam ad Philisthijm*. Idest nunquid bonum est, & expediens, quòd ascendam ad Philisthinos aggrediendo eos? *Et si dabis eos in manu mea*. Idest dato, quòd ascendam contra eos, nunquid facies me victorem? ista verba proponebat Sacerdos loco Dauid: vel ipse Dauid coram Sacerdote. *Et dixit Dominus ad Dauid*. Scilicet, respondit ei per Sacerdotem magnum, siue in verbo, siue in scripto. *Ascende, quia tradens dabo Philisthijm in manus tuas*. Idest, non dubites ascendere, quia ego certissimè tradam Philisthinos in manus tuas: ad hoc, quòd percutias eos, vel facias de illis, quod volueris. *Venit ergo Dauid in Baalpharasim*. Iste est locus, in quo erant Philisthini, scilicet, vallis Raphaim: vocatur autem hic Baalpharasim per anticipationem, quia tempore quo Dauid venit in locum istum, nondum vocabatur Baalpharasim, sed postea vocatus est sic ab euentu, vt patet in litera. *Et percussit eos ibi*. Idest, pugnauit in valle Raphaim contra Philisthinos, & occidit plurimos: alij autem huc, & illuc dispersi sunt, vt patet in litera. *Et dixit*. Scilicet, Dauid. *Diuisit Dominus inimicos meos coram me*. Idest, fecit quòd non possent stare coram facie mea, sed diuiderentur huc, & illuc. *Sicut diuiduntur aquæ*. Idest, non potuerunt subsistere coram me, sed sicut aquæ cuicunque obuient ilico diuiduntur: ita Philisthini faciliter diuisi sunt coram Dauid. *Propterea vocatum est nomen loci illius Baalpharasim*. Scilicet, ille locus, qui prius vocabatur vallis Raphaim, nunc vocatus est Baalpharasim ex hac causa, & interpretatur Baalpharasim vallis diuisionis, vel diuisio virorum, vel diuisio Idolorum. Et hoc quia Baal potest significare vallem, & virum & Idolum, & satis stat quodlibet horum. De primo patet: vocatur enim vallis diuisionis, quia locus ille erat vallis, in qua diuisi sunt hostes. Vocatur ẽt diuisio virorum, quia viri. i. Philisthini diuisi sunt ibi. Vocatur ẽt diuisio Idolorũ, qa in illo loco diuisionis dimiserũt Philisthini Idola sua, vt patet in litera. *Et reliquerunt ibi sculptilia sua*. Scilicet, Philisthini reliquerunt in valle Raphaim sculptilia, eo quòd ipsi venientes in bellum traduxerant secum Deos suos, & postea fugientes non potuerunt secum illos tollere, sed reliquerunt illos diripiendos Iudæis.

Quare Philisthini duxerunt Idola sua in bellum. Q. XIIII.

QVAERET aliquis, quare Philisthini duxerunt Idola sua in bellum. Respondendum, quòd hoc fecerunt vt haberent auxilium contra Iudæos: extimabant enim Philisthini, quòd dij sui possent eos adiuuare in bello, & hoc maximè esset, si præsentes essent in bello: ideo ducebant illos secum. Quod autem putarent Philisthini se habere victoriam à dijs suis, patet, quia iudi. 16. dicitur, quòd principes Philisthinorũ conuenerunt in vnum, vt immolarent hostias magnificas Deo suo Dagon, & epularentur dicentes: tradidit Deus noster inimicum nostrum in manus nostras. Populus etiam hoc videns, laudabat Deum suum dicens: tradidit Deus noster in manus nostras aduersarium nostrum, qui deleuit terram nostram. Item patet hoc ex honoribus, quos impendebant Philisthini dijs suis post victorias: nam quando prævaluerunt cõtra Iudæos posuerunt Arcam Dei, quam cœperant in bello, in templo Dagon. præcedenti lib. cap. 5. Item quando prævaluerunt contra Israelitas, & occiderunt Saulem, & filios eius: laudauerunt nimis Deos suos: nam fecerunt duci arma Saulis per totam terram Philistinorum, & templa Idolorum, vt annunciaretur ista victoria in templis, & postea posuerunt illa in templo Astaroth: & caput Saulis posuerunt in templo Dagon: vt patet prędcedenti lib. c. vlti. & primo Paralip. 10. hoc tamen solùm erat, vt laudarent Deos suos de victoria habita, ideo putabant, quòd dij sui possent eos adiuuare in bellis. Item hoc didicerunt Philisthini ab Israelitis, quia ipsi portabant aliquando Arcam in bello, vt adiuuarentur præsente illa, & putabant Philisthini, quod præsentia illius nimis conferret, quod nõ faceret in absentia, ideo, adueniente illa, timuerunt. Sic patet præcedenti lib. cap. 4. Scilicet: Et cognouerunt Philisthini, quòd Arca Dei venisset in castra, timueruntque dicentes: væ nobis, non fuit enim tanta exultatio heri, & nudiustertius: væ nobis: quis nos saluabit de manu Deorum sublimium istorum? Sic igitur putabant Philisthini, quòd etiam dij sui uenientes cum eis in castra adiuuarent eos. Ideo duxerunt illos secum, in quo nimis errabant, quia cùm ipsi crederent Deos suos esse lapides, & ligna, non poterant habere aliquã actionem, siue adiuuando, siue repellendo hostes: & hoc in prędsentia, uel in absentia: duxerunt tamen illos secum, & postea ex timore reliquerunt eos in bello, vt seipsos fugiendo saluarent. *Quę tulit Dauid, & viri eius*. Scilicet, finita pugna cùm uerterentur Dauid, & viri sui ad spolia diripienda: inuenerunt inter illa Deos Philisthinorum, & tulerunt secum cũ cæteris spolijs.

An peccauit Dauid tollendo Idola Philisthinorum. Quæst. XV.

QVAERET aliquis, an Dauid, & uiri sui peccauerũt tollendo Idola Philistinorum. Aliquis dicet, q sic, quia non licebat Iudæis cùm prędarentur bona Gentilium, accipere Deos eorum, sed comburere debebant, ut patet Deuteron. 7. f. Sculptilia eorum igne combures: non concupisces argentum, & aurum, de quibus facta sunt: nec assumes tibi ex eis quicquam, ne offendas propter ea: quia abhominatio est Domini Dei tui. Nec inferes quippiam ex Idolo in domum tuam, ne fias anathema, sicut & istud est. Respondendum est, quòd Dauid non peccauit ducendo Idola Philisthinorum, nec uiri sui: quia si peccassent in hoc, Deus durè puniuisset illos: quia nullum est peccatũ, quod in lege ueteri ita puniretur, sicut idolatria: sicut patet ex discursu librorum eius. Dauid tamen non punitus fuit ex hoc: immo post istud Deus dedit ei aliam uictoriam contra Philisthinos, ut patet in litera: ideo non peccauit. Ratio huius est, quia Dauid, & uiri sui non tulerunt ista Idola ad colendum ea, nec etiam ut acciperent aurum, & argentum, quod erat in illis, sed ut comburerent ea, & postea combusserunt, ut patet primo Paralip. 14. scilicet. Dereliquerũt ibi Deos suos, quos Dauid iussit exuri. Istud quoque uerbum, quod habetur hic, scilicet, & tulit ea Dauid: apud Hebræos est æquiuocum: & potest signare tollere, uel comburere. Vnde Hebræi ut cõmuniter exponunt pro comburere: & tunc erit sensus, quòd non tulerunt Idola de loco illo, in quo erant, sed ibi combusserunt ea. *Et addiderunt adhuc Philisthijm, vt ascenderent*. Istud est secundum bellum, quod fecerunt Philisthini cõtra Dauid: nam in primo bello victi redierunt, vt iterum pugnarent contra Israelitas: desiderabant enim delere Dauid, eo quòd erat Rex super totum Israel, & putabant, quòd ipse deleret eos, nisi præoccuparent ipsum destruere. *Et diffusi sunt in valle Raphaim*. Idest, posuerunt castra in ualle Raphaim. Et quia multi erant, extenderunt se per uallem in locandis castris. Posuerunt autem castra in loco, in quo prius in alio bello, eo q ille locus uidebatur eis conueniens ad pugnam, & forte erat propè terram Philisthinorum. *Consuluit autem Dauid Dominum*. Sicut in priori bello consuluerat, an deberet pugnare contra Philisthinos, ita & nunc consuluit, quia non erat minus periculum nunc quàm prius: immo credendum est, quòd maius erat, quia Philisthini superiori bello victi, maiorẽ & fortiorem turbam bellicam congregarent. *Si ascendam contra Philistijm*. Idest, nunquid expedit, quòd ascendam ad pugnam contra Philisthinos? Sciendum autem quòd Dauid non consulebat Dominum, an deberet pugnare contra Philisthinos, quia cùm illi essent in terra Dauid, necesse erat quòd Dauid pugnaret contra eos, alioquin permitteret totam terram suam igne, ferroque uastari: sed consulebat Dominum, an deberet aggredi illos, uel sustinere illos uenientes, & an deberet exire obuiam illis, uel ex latere, aut à posteriori. *Trades eos in manus meas*. Idest, nunquid trades in manus meas Philisthinos si ascendero contra eos? *Qui respondit, non ascendas*. Idest, non ascendas obuiam illis ad pugnandum, sed ex latere, uel à posteriori, sicut infra dicitur. *Sed gira post tergum eorum*. Idest, conuertas aciem ex dorso, & ex ea parte fac bellum. Sic dicitur primo Paralipo. 14. Non ascendes post eos: recede ab eis, & ueniens contra illos ex aduerso pyrorum, idest, non ascẽdas post eos ab ista parte à qua es: sed recede ab eis, scilicet, ut per alium locum uenias contra eos. *Et venies ad eos ex aduerso pyrorum*. Idest, uenies ad Philisthinos, procedendo contra locum pyrorum: ita quòd inter te & pyreta sint Philisthini medij.

Quare Deus iussit Dauid venire ex aduerso pyrorum. Quæst. XVI.

QVAERET aliquis, quare Deus iussit Dauid, ut ueniret ex aduerso pyrorum. Respondendum, quòd Deus uolebat adiuuare Dauid terrẽdo Philisthinos per multitudinem exercitus, quem ipsi putarẽt contra se uenire. Quod non fieret conueniẽter, nisi ueniret Dauid ex aduerso pyrorum. Pro quo sciendũ, quòd

quòd cum Philisthini locauissent castra in ualle Raphaim:erat multitudo pyrorum apud illos ex parte ipsa, de qua Dauid exire debebat ad bellum contra eos. Deus autem volebat Philisthinos tradere in manus Dauid,ita vt multi perirent,& non possent faciliter fugere. Ad hoc autem volebat Deus Philisthinis ostendere multitudinem exercitus:non quòd ipsi illam viderent,sed quòd per strepitum adesse putarent.Ista autem fraus non poterat fieri in loco patenti,ideo voluit quòd fieret in medio pyretorum, vbi poterat sentiri magnus strepitus exercitus, & non videretur:& sic factum est. Nam Deus fecit, quòd Angeli graderentur in cacumine pyrorum, & facerent magnum strepitū bellicū, vt terrerentur Philisthini, & non auderent fugere per partem illam, & cùm Dauid teneret partem oppositam,scilicet ex aduerso pyrorum, non haberēt Philisthini locum fugiendi, sed multi perirent. Dauid autem si Deus ei nihil dixisset, intendebat procedere contra Philisthinos,non ex aduerso pyrorum,sed exilo ipsorum, & tunc non poterat conuenienter simulari fragor magni exercitus,qui non videretur,cùm reliqua loca essent patētia præter locum pyrorum:ideo Deus dixit, quòd Dauid non iret ab illa parte, à qua iturus erat, sed gyraret post tergum Philisthinorum, & veniret ex aduerso pyrorum,vt videretur exire alius exercitus de loco pyrorum. *Et cum audieris sonitum gradientis in cacumine pyrorum.* Isti erant Angeli, qui faciebant magnum fragorem inter pyreta, vt videretur ibi esse magnus exercitus,& iste exercitus nō videbatur, sed audiebatur,ita vt etiam Dauid non uideret,sed audiret sonitum super pyra. *Tunc inibis prælium.* q.d. licèt ascendas ex aduerso pyrorum, non incipies pugnare ilicò contra Philisthinos,sed expectabis quousque audias fragorem in cacumine pyrorum.

Quare Deus voluit, quòd Dauid expectaret sonitum in cacumine pyrorum. Quæst. XVII.

QVAERET aliquis, quare Deus dixit Dauid,quòd non iniret prælium,quousque audiret sonitum in cacumine pyrorum. Aliquis respondebit,quòd hoc factum est, vt Dauid expectaret horā illam,in qua pugnare posset contra hostes,& debellare eos.Volunt enim plurimi Astrologorum,quòd diuersæ horę sint diuersarum potestatum,& accommodentur ad diuersa opera propter diuersitatem planetarum regnātium in eis: vnde horas quorundam planetarum dicunt vtiles esse ad iniendum bellum, & emendum arma, & quæcumque bellica. Horas autem aliorum planetarū ad coniugia contrahenda.Et sic de varietate omnium operum. Et secundùm hos in parte Astrologiæ iudiciariæ est quædam particula de electionibus, sicut est alia de natiuitatibus, & alia de annorum reuolutionibus,& alia de quæstionibus. In particula de electionibus traditur sciētia, siue superstitio de eligendo horas ad incipiendum quodcunque opus, vt fęliciter finiatur. Ponunt etiam quòd obseruanda sint certa ascendentia signorum, & gradus medij cęli pro inchoatione cuiuslibet operis:nunc autem Dauid nesciebat horam istam,in qua deberet inire bellum.ideo Deus dedit ei signum quod expectaret quoque videret fieri sonitum in cacumine pyrorum, quia tunc erat hora. Et non solùm isti ponunt horas determinatas ad inchoandum singulas res, sed etiam ad faciendum miracula ponunt determinationem horæ: quod confirmant auctoritate Christi.Io.2.cùm dixit matri suæ: qd mihi & tibi est mulier? nondum venit hora mea, idest nondum venit hora, in qua possim facere miracula. Sic enim exponunt quidam Hæretici.Respondēdum est, quòd ista non stant, quia non consentit scriptura sacra, quòd a corporibus cœlestibus influatur aliqua virtus ad faciendum hæc, sed solùm à Deo: ideo non est hora aliqua, quæ proficiat ad inchoanda bella, vel alias actiones:sed Deus solus est,qui actus nostros prosperos facit,quando vult:& interdum peccatis nostris exigentibus omnia nostra exterminat. De istis loquitur latè Aug.5.de Ciui. Dei. vbi vult excludere omnē obseruationem Astrologorum circa iudicia. Dato tamen quòd esset aliqua virtus à Cœlo in certis horis ad faciendum hæc, Deus non iussisset Dauid expectare illam,quia per hoc induceret eum, & omnes Iudæos ad obseruandum superstitiones, & colendum signa cœli.Obseruationem tamen istam Deus nimis uetuit: ut patet Iere.10.Iuxta uias gentium nolite discere,& à signis cœli nolite metuere, quæ timent gentes,quia leges populorum vanæ sunt. Cùm autem dicunt, q̄ sit determinatio horæ ad faciendum miracula ex verbis Christi. Dicendum, quòd non intelligitur, quòd Christus diceret,quòd nondum venerat hora sua, ita quòd illa esset aliqua hora alicuius planetæ, vel esset aliquod ascendens speciale signorum, vel aliqua coniunctio aut aspectus planetarum conferens virtutem ad faciendum miracula: sed nondum venerat hora, idest tempus determinatum à beata Trinitate,in qua Christus deberet miraculosè operari:nam licèt Christus semper esset Deus,& consequenter haberet semper virtutem faciendi miracula æqualiter: tamen sapientia Dei determinauerat tempora pro omnibus actionibus Christi,vt honestiùs,& rationabiliùs fierēt. Sic enim Christus ab instanti conceptionis suæ æqualem scientiam habuit,vt postea quando erat vir triginta annorum: tamen beata Trinitas diffinierat, quòd non prædicaret usque ad annum.30.inchoatum.Conformiter etiam omni tempore Christus habebat potestatem faciendi miracula,quæ non poterat ab eo separari, cùm Deus esset:diffinierat tamen beata Trinitas, quòd Christus non faceret miracula, vsquequo esset in nuptijs Ioannis. Vnde dicitur Io.2.Hoc fecit initium signorum Iesus in Cana Galileę,& manifestauit gloriam suam.Et quia quando mater sua incitabat eum ad operandum miraculosè, nondum venerat tēpus determinatum à beata Trinitate, in quo operaretur miraculosè, ideo dixit, quòd nondum venerat hora eius. De horis autem an aliqua sint, in quibus sit maior virtus ad operandum aliquid quam in alijs secundùm influxum corporum cœlestium:& an ad ista opera nostra,quę non sunt naturalia,vt ad contractus, & bella aliquid proficiat obseruatio temporum, & corporum cœlestium,latiorem disputationem expetit:de quo fortè dicemus Iere.10. vel Io.2. In præsenti autem dicendum est, quòd Deus iussit Dauid expectare, ne iniret bellum quousque audiret sonitum in cacumine pyrorum; non quòd tunc esset aliqua hora, in qua specialius corpora cœlestia adiuuarent ad bellum potius, quàm in alijs temporibus: sed quia Deus volebat adiuuare Dauid mittendo exercitū Angelorum contra Philisthinos, & ille exercitus iturus erat in hora,qua Deus volebat.Et quia si ante tempus illud Dauid iniret bellum contra Philisthinos nō terrerentur Philisthini tanquam non habentes alios sibi repugnantes nisi Dauid,ideo uoluit Deus,quòd expectaret Dauid,usquequo audiret sonitum gradientis in cacumine pyrorum.Si autem dicas,quare Deus magis uoluit in tali hora adiuuare Dauid mittendo exercitū contra Philisthinos,quàm in alia hora? Dicendum, q̄ Deus non expectat tēpora tanquam in diuersis temporibus possit efficacius,uel remissius operari,quia uirtus sua non est à Cœlo, uel à tota natura, quin potius è conuerso: quia tamen id, quod Deus operatur, aliquando

Stultitia Astrologorū circa electiones.

quando operaturus est, eligit tempus quod vult: sed non ita in illo operatur, quin posset idem æqualiter, vel etiam efficacius in alio tempore operari. *Quia tūc egreditur dominus.* Ista est causa, quare Dauid expectare debebat sonitum gradientis in cacumine pyrorum, scilicet, quia Deus volebat adiuuare eum, mittendo exercitum contra Philisthinos: & quia istud non erat facturus, quousque fieret sonitus in cacumine pyrorum, voluit, quòd Dauid non iniret prius bellum. *Ante faciem tuam, vt percutiat Philisthiim.* Ideſt, Deus egredietur tunc coram te, ad destruendum Philisthinos.Deus,de quo hic dicitur,sunt ipsi angeli Dei:nam Deus nihil horum per se agit, nec agere potest: quia repugnat Deo agere aliquid, quod est cum motu: de quo latè dictum est Exo.25.

Modus quo Angeli Dei percuterent Philisthinos. Quæst. XVIII.

QVAERET aliquis, quomodo egressus est Deus ad percutiendum Philisthinos. Respondendum est, sicut dictum fuit, quòd non erat iste Deus, qui hæc egit, sed angeli sui eo iubente fecerunt. Modus autem, quo factum est potuit esse duplex.Primò,quòd Deus mitteret magnum exercitum angelorum in equis, & armis, qui apparerent coram Philisthinis: & isti poterant se dupliciter habere,scilicet, quòd non pugnarent contra Philisthinos aliquid agendo,sed solùm incuterent eis timorem per aspectum, & multitudinem: conuerterentque eos in fugam. Sic fuit infra 4.lib.cap.6. quando venerunt Syri in vrbem Dothan, vt caperent Heliseū: nam tunc apparuit totus mons plenus curruum, & equorum igneorum, & exercitus magni in circuitu Heliſei ad defensionem eius: illi tamen non pugnauerunt. Aliter esse poterat, quòd iste exercitus angelorum apparens coram Philisthinis pugnaret contra illos,& occideret multos de eis:nam angeli Dei interdum pugnantes pro Hebræis occiderunt hostes illorum. Sic fuit in mari rubro:nam dicitur Exo.14. Iam aduenerat vigilia matutina, & ecce respiciens dominus per columnam ignis & nubis super castra Aegyptiorum,interfecit exercitum eorum, & subuertit rotas curruum, ferebanturque in profundum. Hoc autem Aegyptij viderunt: vnde dixerunt inter se: fugiamus Israelem: dominus enim pugnat pro eis contra nos.eod.cap.isti tamen, qui faciebant hoc angeli erāt, quia angelus fuit, qui mouebat nubem. eod. cap. Sic etiam fuit de angelo, qui occidit in castris Assiriorum octoginta quinque millia virorum, vt patet infra.4.li. cap.19. Sic etiam apparuit in templo Dei quidam angelus equitans, qui percussit Heliodorum volentem accipere pecunias repositas in templo, vt patet.2.Mach.cap.3. Secundus modus est, quòd non appareret aliquis exercitus angelorum coram Philisthinis, sed solùm Deus mitteret aliquos angelos, qui in medio pyrorum facientes fragorem magnum tanquam innumerabilis exercitus aduenientis,& non viderent aliquid Philisthini,sed audito fragore timerēt, & fugerent. Simile enim fuit quando Syri obsidebant Samariam tempore Heliſæi: nam audiuerunt sonitum magnum in castris curruum, & equorum, & exercitus plurium per noctem: quem Deus audiri fecerat,& dixerunt adinuicem: ecce mercede conduxit aduersum nos rex Israel reges Hethæorum,& Aegyptiorum,& venerunt super nos; surrexerunt ergo, & fugerunt in tenebris,& dereliquerunt tentoria sua, vt patet infra.4.lib.cap.7.& sic fugerunt illi nemine persequente:sed solùm Deo decipiente illos. Dicendum tamen videtur, quòd vterque modus fuerit hic,

Alph.Tost. in Secundum Regum.

scilicet,quòd Deus miserit magnum exercitum angelorum contra Philisthinos,& viderent illum Philisthini, & non Israelitæ: & quòd in medio pyrorum manerent alij angeli facientes strepitum magnum tanquam plurimi exercitus aduenientis præter illum,qui apparebat: & tunc turbarentur Philisthini, & fugerent. Ista ambo apparent in litera.Primum patet,cùm dicitur: tunc egredietur dominus ante faciem tuam, vt percutiat castra Philisthiim. Egressio autem significat quandam manifestationem,& pertinet ad angelos apparētes coram Philisthinis velut in exercitu. De secundo apparet,cùm dicitur: cùm audieris sonitum gradientis in cacumine pyrorum,tunc inibis prælium. *Fecit itaque Dauid sicut præceperat ei dominus.* Scilicet, q̄ non egressus est directè contra eos: sed gyrauit post tergum eorum, & venit ad eos ex aduerso pyrorum. *Et percussit Philisthiim de Gabaa vsque dum venias Gazer.* Ideſt,immediatè vt auditus est fragor inter pyreta tanquam magni exercitus aduenientis, viderunt se Philisthini conclusos:fugeruntque à facie Hebræorum, & in fuga occiderunt Israelitæ plurimos Philisthinos. Durauit autem ista persecutio de Gabaa vsque Gazer.Est enim Gabaa locus quidam in sorte Beniamin, vt patet Iosue.18. Gazer autem, vel Gazera est locus in sorte Ephraim: vt patet Iosue.16. ille autem locus habuit fortissimos habitatores de Chananæis: vnde non eiecerunt eos filij Ephraim de loco suo: vt patet alleg.ca.& Iud.1.manſitque locus ille semper in potestate Chananæorum vsque ad tempora Salomonis: nam tunc Pharao rex Aegypti ascendit in terram Israel, & succendit ciuitatem Gazer,interfecitque Chananæos habitatores eius, & dedit ciuitatem filiæ suæ in dotem, quæ erat vxor Salomonis, vt patet sequen. lib.cap.9.

An Gabaa,& Gabaon idem locus sit. Quæst. XIX.

QVAERET aliquis, quomodo dicitur hic, quòd fuga fuit de Gabaa vsque ad Gazer:quia 1.Paralipom.14. Dicitur, quòd fuit de Gabaō vsque Gazer. Aliquis respondebit, quòd Gabaa, & Gabaon sunt idem locus, ideo aliquando nominatur vno nomine, & aliquando alio. Sed non stat, quia Iosue.18. ponuntur ciuitates tribus Beniamin,inter quas ponūtur Gabaon, & Gabaa tanquam distinctæ:& si velimus dicere, quòd sunt eadem ciuitas, non poterimus peruenire ad numerum ciuitatū, quæ ibi ponuntur,scilicet ad 25. Ideo dicendum secūdum quosdam,quòd fortè litera est corrupta,quia deberet esse idem nomen hic,& primo Paralip.14.& tū imperitia librariorum faciliter mutatum est Gabaa in Gabaon. Aliter tamen dicendum est,& melius,quòd non sit aliqua corruptio:sunt tamen ista duo loca cōiuncta in sorte Beniamin, scilicet,Gabaon, & Gabaa: ideo scriptura non curauit, quòd diceretur fuisse fugam ex Gabaon, vel ex Gabaa. Sciendum autem, q̄ Philisthini desiderabant nimis disperdere Dauid postquam factus est rex super Israel: & hoc bis congregauerunt contra eum exercitum magnum, sed fugati sunt: ideo postea non ausi sunt conuenire contra eū in bellum, quia timebant, quòd semper sic fugarentur:præsertim, quia Deus incusserat eis istum timorem magnum. Sic patet primo Paralipo.14. vbi enarrato isto bello, subditur: Diuulgatumque est nomen Dauid in vniuersis regionibus,& dominus dedit pauorem eius super omnes gentes, scilicet, super omnes finitimos:ideo postea potius Dauid aggrediebatur Philisthinos, & alias gentes, quàm ipsi aggrederentur eum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

CAP. VI.

CONGREGAVIT autem rursum Dauid omnes electos ex Israel triginta millia. Surrexitque Dauid, & abijt: & vniuersus populus, qui erat cum eo de viris Iuda, vt adducerent arcam Dei, super quam inuocatum est nomen Domini exercituum sedentis in Cherubim super eam. Et imposuerunt arcã Dei super plaustrum nnuum: tuleruntque eam de domo Abinadab, qui erat in Gabaa.

DESCRIPTA in superioribus Dauid exaltatione, hic agitur de eius in Deum deuotione. Et diuiditur in duo, quia primò manifestata est deuotio Dauid quantum ad arcam Dei ad locum solennem ducendam. Secundo quantum ad domum domini ædificãdam. seq. cap. Prima in tres: quia primò deductio Arcæ incipitur, secundò ex timore interrumpitur, ibi. *Postquam autem peruenerunt*. Tertiò deuotè incœpta deductio perficitur ibi. *Nunciatumque est regi*.

De ordine sequentium ad præcedentia. Quæst. I.

QVAERETVR circa primum, an ea, quæ habentur hic fuerint facta post præcedẽtia, vel sit commutatio ordinis, & an fuerint ita immediatè post præcedentia. Respondendum ad primum, quòd ex litera non patet, quid fuerit prius: cùm vnum non videatus dependere ex alio. Dicendum tamen, quòd ista, quæ habentur hic fuerint facta post omnia, quæ habentur præced. cap. de quibusdam enim satis apparet, quòd fuerint ante hæc: nam præce. c. agitur de vnctione Dauid in regem: sed illa fuit ante hoc: sic etiam est de ædificatione domus: nam immediatè vt Dauid factus est rex, misit Hiram rex Tyri artifices, & ligna ad fabricandum domum Dauid. Bella quoque facta cõtra Iebusæum prius fuerunt quàm ista, quæ habentur hic, quia quando arca ducta est habitabat Dauid in Ierusalem, sed cùm pugnauit contra Iebusæum, nõdum habitabat in Ierusalem, sed postea habitauit capta arce Sion, vt patet præced. c. bella quoque facta contra Philisthinos, de quibus præce. cap. videntur facta ante ductionem arcæ, quia illa fecit Dauid in principio regni sui: arcam autem postea deduxit, quando erat in pace. Ad secundum dicendum, q̃ non constat quantũ tempus fuerit inter hæc & illa, quæ habentur præced. cap. sed credendum est, quòd non fuerit magnum tẽpus, quia Dauid in principio regni sui fuit nimis solicitus circa Dei cultum, ideo nõ est verisimile, quòd magno tempore relinqueret arcam in loco, in quo erat: hoc satis colligitur primo Paralip. 13. cùm dicitur: congregentur ad nos, & reducamus arcam Domini Dei nostri ad nos: nõ enim requisiuimus eam in diebus Saul: sed etiam dixisset. Non enim requisiuimus eã in diebus nostris, sed non culpat tempora sua, sed solũ tempora Saulis: ergo videtur, quòd quasi in principio regni Dauid fuit facta ista ductio arcæ. *Congregauit autem rursum Dauid*, Scilicet, postquam Dauid fecit bella contra Philisthinos, de quibus præce. c. congregauit Israelitas ad ducendum arcam. Et dicitur: Congregauit rursum: quia iterum iam congregauerat Israelitas ad pugnandum contra Iebusæum, & cõtra Philisthinos: finitis autem bellis misit vnumquemque in domum suam, & cùm postea habuisset consilium super reductione arcæ, congregauit vniuersum Israel ad ducendum eam. Sciendum autem quòd ista congregatio Israelitarum non fuit facta sine consilio Dauid: nam recedentibus singulis Israelitis in loca sua manebant tribuni & centuriones in curia regis, cum quibus Dauid iniuit consilium, & dixit ad eos: si placet vobis, & a domino Deo egredietur sermo, quod loquor, mittamus ad fratres nostros, & ad Sacerdotes, & Leuitas, qui habitant in suburbanis, & reducamus arcam Domini Dei nostri: & placuit sermo vniuersis, & tunc congregauit Dauid cũctum Israel, vt patet primo Paralip. 13. In Hebræo habetur. *Addidit autem rursus Dauid*. Sed ad idem redit, quia verbum istud est æquiuocum, & deficit vna litera, scilicet, Aleph. ad significandum congregauit, & significat addidit. *Omnes electos ex Israel 30. millia*. Voluit Dauid facere magnam solennitatem in ductione arcæ: ideo voluit congregare omnes Israelitas ad ducendum eam. Sed obijcier aliquis, quia dicitur hic, quòd congregauit triginta millia: nam primo Paralipo. 13. dicitur, quòd congregauit Dauid cunctum populum Israel à Sihor Aegypti, vsq; dum ingrediaris Emath. Sed manifestum est, quòd in tota terra ista plura erant quam triginta millia virorũ. Item patet quia dicitur præall. cap. quod viri, qui ascenderũt cum Dauid, vt adducerent arcã erãt. 224. millia, & 90. virorum, ergo non solùm triginta millia. Respõdendum, quòd cum Dauid iuerunt valde multi viri, sicut dictum est: & quando dicitur hic quòd fuerunt 30. millia, non intelligitur hoc de omnibus tanquã sit summa totalis, sed intelligitur de præcipuis viris. Q̃ patet, cùm dicitur in litera: cõgregauit omnes electos Israel. 30. millia. Electi autẽ vocantur illi, qui sunt præcipui, & nominati in populo. Præter hos autem fuerũt omnes viri de tribu Iuda: nam illa 30. millia solũ erant de Israel, ideſt, de. 11. tribubus, quod patet in litera, cùm dicitur: Et congregauit 30. millia electos ex Israel: surrexitq; & abijt & vniuersus populus, qui erat cum eo de viris Iuda: & sic non computantur isti inter 30. millia. Præter hos etiam fuerunt multi alij de tribubus. 11. qui non computantur inter electos, & omnes simul peruenerunt ad summam. 224. millia virorum, quæ habetur primo Paralip. 13. *Surrexit & abijt*. Scilicet, abijt de Ierusalem in qua nunc habitabat: nam ad ipsum locum fecerat congregari omnes viros Israel, quibus conuenientibus, recessit Dauid de Ierusalem. *Et vniuersus populus, qui erat cum eo de viris Iuda*. Ideſt, non solùm iuerunt. 30. millia virorum de Israel cum Dauid, sed etiam omnis populus Iuda, qui erat cum Dauid, ideſt, qui manebat cum eo assiduè. Erat namque Dauid de tribu Iuda, ideo ferè omnes famuli sui, & qui in curia assistebant ei, erãt de tribu hac: & omnes isti iuerunt cum eo ad portandum arcam. In Hebræo habetur. *De maioribus Iuda*. Vbi nos habemus de viris, sed idem est, quia nomen illud in Hebræo est æquiuocum, quod significat viros, & maiores. *Vt adducerent arcam Domini*. Ista erat in Cariathiarim, & fuerat ibi semper ex tempore, quo ducta est de terra Philisthinorum: nunc autem volebat eam ducere Dauid in Ierusalem, vt manneret ibi honorabilius.

Quare

Quare Dauid voluit ducere Arcam in Ierusalem. Q. II.

QVAERET aliquis, quare Dauid voluit ducere Arcam Domini de Cariathiarim in Ierusalem, & an peccauit ducendo eam illuc. Ad primum respondendum, quòd Dauid in principio regni sui fuit valde deuotus circa cultum Dei, quod patet, quia ipse voluit ædificare templum Domino, quod nullus ante hoc disposuerat, & Dominus locutus est ei, quòd non habitauit in domo ex die, qua eduxit filios Israel de Aegypto. seq. cap. q. d. quod nullus de Israelitis cogitauit Domino facere domum, nec fecit; ideo semper habitauit in tentorijs. Quòd autem Dauid nunc vellet ẽdificare domum, erat aliquid nouum, & quia Arca Domini, in Cariathiarim non erat in magno honore, cùm solùm custodiretur in domo Abinadab, quæ non erat multum solennis: in Ierusalem autem posset esse in maiori honore, quia construxerat Dauid domũ magnam, in qua esset Arca, dum construeretur sanctuarium; ideo voluit eam transferre illuc. Ad secundum dicendum, quòd Dauid non peccauit ducendo Arcam in Ierusalem: quia quamquam Arca deberet esse in sanctuario intra Sancta sanctorum, sicut Deus disposuerat: vt patet Exo. 26. tamen iam à multo tempore fuerat extra sanctuarium in Cariathiarim, scilicet, toto tempore, quod fluxit post mortẽ Heli summi Sacerdotis, vsque ad tempus, quo Salomon posuit eam intra templum ædificatum, quod fuit tempus. 84. annorum, vel quasi: poterat ergo nunc manere extra sanctuarium in Ierusalem.

An Israelitæ peccauerunt permittendo Arcam extra sanctuarium. Quæst. III.

QVAERET aliquis, an Israelitæ peccauerint permittendo magno tempore arcam extra sanctuarium in domo Abinadab. Aliquis respondebit, quòd sic: quia istud erat contra mandatum Dei, ergo erat peccatum: Deus quippe iusserat, quòd arca maneret intra Sancta sanctorum. Exo. 26. nunc autem nõ erat ibi, cùm tabernaculum esset in alio loco. Item patet hoc ex verbis Dauid primo Paralipo. 13. vbi culpauit prædecessores suos tempore Saulis, quia non curauerunt de arca, cùm ait: reducamus arcam Dei ad nos: non enim requisiuimus eam in diebus Saul: ergo videtur quòd malum erat, quòd non reduxerint eam in locum suum. Respondendum est, quòd non peccauerunt Israelitæ permittendo arcam tanto tempore extra sanctuarium: nam tunc daretur, quòd cùm manserit arca extra locum sanctuarij toto tempore, quo Samuel rexit Israel, scilicet, 20. annis, quòd ipse grauiter peccauisset, quia ad eum pertinebat tunc iubere de omnibus, cùm nullus alius esset tunc Dominus Israelitarum. Samuel tamen laudatur in omnibus operibus suis in sacra scriptura: ergo non erat peccatũ permittere arcam extra sanctuarium. Item patet quia toto tempore Saulis arca non fuit reducta in locum suum: sed mansit in Cariathiarim: ergo Saul & totus populus peccasset in hoc: sed non asseritur, quòd peccauerit in hoc totus Israel: imò nõ est verisimile, quia alioquin Deus dedisset punitionem grauem eis propter hoc, sed non dedit Sacerdotibus aut popularibus: nec legitur aliquid propter hoc egisse, quamquã solitus esset durè punire transgressiones cœremoniales: ergo non peccauit populus non reducendo arcam in locum sanctuarij. Ad rationem in cõtrarium; cùm dicitur quòd Deus iussit arcam esse intra Sancta sanctorum. Dicendum quòd verum est, quòd dum arca erat intra sanctuarium non debebat esse in alio loco, quam intra Sancta sanctorum: non tamen erat necesse sub pœna peccati mortalis, quòd arca semper esset in sanctuario. Quod patet, quia aliquando educebatur de sanctuario, & portabatur ad bellum, sicut fuit tempore Heli Sacerdotis, quando ducta fuit de Silo in castra, vt patet præced. lib. c. 4. Sic etiam fuit quando Saul duxit eam in bellum, & cõsulebat Dominum coram illa. præce. lib. c. 14. Sic igitur postquam erat arca extra sanctuarium, non peccabant Israelitæ si non ducerent eam in sanctuarium, & hoc potissimè quando aliqua causa suberat: sic enim videbatur hoc tempore, quia Israelitæ nondum firmauerant sanctuarium: sed transtulerunt illud de Silo in Nobe, & postea in Gabaon: & forte putabant, quòd multoties transferendum esset, ideo nolebant ducere arcam in sanctuarium, quousque esset firmatum in aliquo loco, vbi arca poneretur simul. Ad secundam rationem ex verbis Dauid, cùm dixit: non enim requisiuimus eam in diebus Saul. Dicendũ, quòd ex hoc non sequitur, quòd Israelitæ peccauerint, quia illud verbum non importat redargutionem, sed inclinationem ad maius bonum, & opus supererogationis. Dauid autem quia erat valde deuotus ad Deum, non solũ volebat euitare malũ, sed ẽt facere bonũ supererogationis: istud aũt nõ fecerant Israelitæ tpe Saulis, ideo dr̃, q̃ non req̃sierunt eã tunc.

Quare Dauid non transtulit arcam Domini in Gabaon. Quæst. IIII.

QVAERETVR vlterius, cũ Dauid esset valde deuotus Deo, & vellet transferre arcam de Cariathiarim: quare non transtulit eã in Gabaon, vbi erat tunc locus sanctuarij: vt declaratũ est præc. li. c. 7. sed transtulit eam in Ierusalem. Rñdendum est, q̃ Dauid volebat q̃ esset arca Dñi in sanctuario, & ipse disposuerat locum in Ierusalem in castro Sion, vbi esset arca dum ædificaretur templum: nã disposuerat ẽdificare templum immediatè, vt patet seq. c. ideo nõ erat opus, q̃ ipse portaret arcam in Gabaon ad locum sanctuarij, sed potius in Ierusalem vbi putabat eam semper mansuram: ipsum quoq; tabernaculum fortè in breui trãsferre intendebat de Gabaon in Ierusalem, nisi Deus aliter iudicasset dicens, q̃ non deberet ipse ædificare templum Domino, sed filius eius. Sed tunc dicet aliquis: cùm Dauid duxerit arcam Dei in Ierusalem animo ædificandi ei immediatè sanctuarium, & postea Deus hoc vetuerit, quare non reduxit illam in Gabaon ad locum sanctuarij. Respondendum, quòd si à principio priusquam Dauid duxisset arcam in Ierusalem cognouisset, quòd non debebat ædificare templum Domini ipse, sed filius suus, fortè non duxisset arcam in Ierusalem, sed in Gabaon: vel duxisset vtrunque in Ierusalem, ita vt arca esset intra sanctuarium: quia tamen quando istud cognouit, erat arca in Ierusalem in loco, quem ei parauerat Dauid, noluit eam reducere in Gabaon: & hoc propter duo. Primò quia non erat peccatum, quòd arca maneret aliquando extra sanctuarium, præcipuè ex aliquibus causis, vt supra declaratum est. Secundò, quia Dauid putauit, quòd in Gabaon non esset arca tam honorificè, sicut in Ierusalem in loco, quem ipse ei parauerat. *Super quam inuocatum est nomen Domini exercituum*. Ideſt, super istam arcam specialiter nomen Dei exercituum nominatur, scilicet, quia Deus specialiter dicebatur esse super arcam: eo q̃ ibi audiebantur responsa eius ad omnia, de quibus Sacerdotes inquirerent: vt patet Num. 7. quod non fiebat ita specialiter in alijs locis sanctuarij: nec erat aliquod vas in

Secundo.

Universidad de Deusto
Biblioteca

toto ſanctuario ita ſanctificatum, & ad Deum pertinẽs: vnde ſpecialiter vocabatur Arca Dei, & alia vtenſilia ſanctuarij non vocabantur ſic. *Sedentes in Cherubim ſuper eam.* Ideſt Deus ſedebat inter duos Cherubim vel ſuper illos in Arca: iſta enim eſt cauſa, quare inuocatum eſt nomen Domini ſuper Arcam, ſcilicet, quia ibi dicebatur ſedere ſpecialiter, & non in aliquo loco ſanctuarij.

Cherubim quomodo ſe habebant in Arca, & quomodo Deus dicebatur ſedere ſuper Cherubim. Quæſt. V.

QVAERET aliquis, quomodo Deus dicebatur ſedere ſuper duos Cherubim in Arca. Reſpondendum, quòd ad hoc præſupponendum eſt, quomodo ſe haberent Cherubim in Arca. Et dicendum, q̃ Arca erat facta de lignis Setim, & opta laminis aureis. Habebat autem opertorium, quod non erat de ligno, ſed de auro puriſſimo, non affixum Arcæ, ſicut ſunt cætera opertoria, ſed poſitum ſuper illam in modum tabulæ. In iſto autem opertorio, quod aliter vocatur propitiatorium, erant duo Cherubim in duabus extremitatibus eius, & facies vnius contra faciem alterius, & non erant iſti infixi ipſi propitiatorio, ſed erant productiles de ipſo opere maleatorio. Habebant autem iſti Cherubim alas, quas extendebant contra ſe inuicem, ita vt ſummitas duarum alarum vnius tangeret ſummitatem duarum alarum alterius, & ſic velabant totum propitiatorium: nunc autem Deus dicebatur ſedere ſuper Cherubim, vel inter Cherubim, ſcilicet, ſuper propitiatorium inter alas duorum Cherubim, & inter illas operiebatur ne videretur, & de ipſo loco reſpondebat Sacerdotibus introeuntibus ad aliquid interrogandum: non erat tamen Deus ille, qui ſedebat inter Cherubim, ſed erat quidam Angelus qui aſſumpto corpore de aere manebat in propitiatorio, & latebat inter alas Cherubim, vt non videretur introeuntibus Sacerdotibus, ſed ſolũ audiretur vox. Quòd autem iſte non eſſet Deus, ſed Angelus declaratum eſt Exod. 25. quia tamen ille Angelus erat loco Dei, & reſpondebat pro eo, vocabatur Deus. Iſte autem ſedebat ſuper Cherubim, & ſuper Arcam: quia Cherubim erãt ſuper Arcam: & ſedendo ſuper Arcam ſedebat ſuper Cherubim, & è conuerſo. *Et impoſuerunt Arcam Dei ſuper plauſtrum nouum.* Scilicet, ad portandum eam in Ieruſalem poſuerunt ſuper plauſtrum, & erat nouum, ſcilicet, in quo nihil vnquam portatum fuerat: & hoc ad honorem Arcæ, ſic enim Philiſthini portauerunt Arcam ſuper plauſtrum nouum, præced. lib. c. 6.

Deus quomodo dicebatur ſedere inter Cherubim.

An peccauerunt portando Arcam in plauſtro. Quæſt. VI.

QVAERET aliquis, an peccauerunt Iſraelitæ portando Arcam in plauſtro. Aliquis dicet, quòd non, quia Philiſthini portauerunt Arcam ſuper plauſtrum, & non puniti ſunt ex hoc: ſi tamen peccauiſſent, Deus puniuiſſet illos. Reſpondendum, peccatum fuiſſe portare Arcam in plauſtro. Quod patet, quia Deus dixit, quòd Arca non portaretur in plauſtro, ſed humeris Leuitarum, vt patet Num. 7. & propter hoc Deus noluit dare plauſtra Chaatitis ad portandum onera ſua, & dedit illa Gerſonitis, & Meraritis, vt paret eo. cap. Item iſta dicitur eſſe cauſa, quare percuſſit Dominus Ozam, vt infra dicetur, ergo peccatum fuit. Ad rationem in contrarium, cum dicitur, quòd Philiſthini portauerunt Arcam ſuper plauſtrum. Dicendum, quòd non eſt ſimile, quia Philiſthini non erant de gente Iudæorum: ideo leges cœremoniales à Deo traditæ non obligabant eos: & ſic quamquam agerent contra illas, non peccabant: portare autem Arcam Dei ſuper plauſtrum, vel in humeris erat aliquid cœremoniale: quia Deus iuſſerat portari illam in humeris, ideo quomodocunque Philiſthini portarent eam, non peccabant: Iſraelitæ autem tenebantur ſeruare omnia cœremonialia à Deo impoſita, ideo portando Arcam in plauſtro peccabant.

Peccatum fuit portare.

Leuitæ quamuis peccauerint portando Arcam in plauſtro, non tamen Dauid peccauit. Quæſt. VII.

SED aliquis dicet, cùm Dauid eſſet vir ſanctus, & valde deuotus Deo, quomodo permiſit, q̃ portaretur in plauſtro, cùm eſſet cõtra legem: & an ipſe peccauit in hoc. Dicendum, quòd Dauid non peccauit in hoc, quia officium portandi Arcam pertinebat ad Leuitas, & ipſi diſponebant de ea: ideo ſi benè, vel malè diſponerent: ipſorum erat peccatum, & non Dauid. Sic autem fuit hic, nã Abinadab, in cuius domo erat Arca in Gabaa, erat Leuita: ideo filij ſui Oza, & Ahio intromiſerunt ſe ſoli de portando Arcam, & ipſi minabant plauſtrum, vt patet hic in litera: & etiam plauſtrum, in quo Arca ducta eſt, ipſorum erat: nam ſumptum eſt de domo Abinadab, vt patet primo Paralipo. decimotertio, ideo ad Dauid nihil de hoc pertinebat an benè, vel malè fieret, cùm non eſſet Leuita. Hoc tamen non obſtante, ſi Dauid cognouiſſet, quòd peccabant Leuitæ portando Arcam in plauſtro, non permiſiſſet eam ſic portari, ſed neſciebat, an peccarent: ſed potius putauit, quòd bene agerent, cùm ipſi eſſent Leuitæ, & deberent habere legis peritiam: non ergo peccauit quantum ad aliquid. *Tuleruntque eam de domo Abinadab.* Iſte Abinadab erat Leuita, & fuit in domo eius poſita Arca à principio, quando reducta eſt de terra Philiſthinorum: manſitque ibi ſemper vſque ad tempus iſtud, ſcilicet, quòd nunquam fuit portata in locum ſanctuarij, nec in aliam domum: licèt aliquando portata fuerit in bellum, ſicut fuit tempore Saũlis, vt patet præceden. lib. cap. 14. *Qui erat in Gabaa.* Ideſt iſte Abinadab morabatur in Gabaa. *Cuſtodiens Arcam Dei.* Ideſt, quòd in domo ſua cuſtodiebatur Arca, ipſe tamen non cuſtodiebant eam, ſed filius eius Eleazarus, ſic patet præceden. lib. cap. 7. ſcilicet. Reduxerunt Arcam Domini, & intulerunt eam in domo Abinadab in Gabaa: Eleazarum autem filium eius ſanctificauerunt, vt cuſtodiret eam. In Hebræo dicitur. *Qui erat in Gabaa cum Arca.* Sed ad idem redit, quia idem eſt eſſe cum Arca, vel cuſtodire Arcam.

Arca quomodo educta ſit de Gabaa, cum ſupra dicatur educta de Cariathiarim. Queſt. VIII.

QVAERET aliquis, quomodo dicitur hic, quòd tulerunt Arcam Dei de domo Abinadab qui erat in Gabaa, quia primo Paralipo. 13. dicitur, quòd tulerunt Arcam Dei de Cariathiarim. Reſpondet Nicolaus, quòd Cariathiarim, & Gabaa ſunt duo loca coniuncta, & Iſraelitæ venientes ad portandum Arcam venerunt in Chariathiarim, & inde tranſierunt in Gabaa, ubi erat Arca, quam reducentes tranſierunt rurſus per Cariathiarim: & ſic dicitur portaſſe eam de Cariathiarim, ipſa tamen erat in Gabaa. Sed iſta poſitio non ſtat, quia nimis impropriè diceretur, quòd fuit portata Arca de Cariathiarim; eo quòd portantes tranſierunt per locum illum, quia ſimiliter diceretur de omnibus alijs locis, quæ erant in itinere, quòd Arca portata ſit de illis, eo quòd portantes tranſierunt per illa loca. Dicendum igitur, quòd Gabaa, & Chariathiarim ſunt idem locus: nam Chariathiarim eſt nomen proprium vrbis in ſorte Iudæ, vt patet Ioſue 15. & primo Paralipo. 13. Gabaa autem non eſt nomen proprium loci, ſed appellatiuum ſignificans collem, ideo vbi nos in Latino ponimus collem: Hebræi ponunt Gabaa ſiue Gumaa. Erat autem ille collis intra vrbem Cariathiarim, quia in eo habitabat Abinadab cuſtos Arcæ, & ſic dicebatur Arca eſſe in Cariathiarim in Gabaa, ideſt, in vrbe Cariathiarim in quodam colle ipſius vrbis. Sic patet præceden. lib. cap. 7. ſcilicet, venerunt viri Cariathiarim, & reduxerunt Arcam Domini, & intulerunt eam in domo Abinadab in Gabaa, & ſic erat in Cariathiarim, & in Gabaa. Hoc autem magis apparet primo Paralipo. 13. vbi dicitur: Et aſcendit Dauid, & omnes viri Iſrael ad collem Cariathiarim, quæ eſt in Iuda, vt afferret inde Arcam Domini. Et ſic ſignificatur, quòd collis ille erat in vrbe Cariathiarim: nã litera Hebraica dicit ibi, quòd aſcenderunt ad Gabaa Cariathiarim; vbi nos dicimus collem Cariathiarim: & ſic idem locus erat: ideo ſcriptura interdum dicit Arcam portatam de Cariathiarim & interdum de Gabaa. *Oza autem, & Ahio filij Abinadab minabant plauſtrum nouum.* Iſti duo minabant plauſtrum, ideſt, ducebant boues dirigentes eos per viam, & accedebant propè Arcam, eo quòd iſti erant Leuitæ & portatio Arcæ pertinebat ad eos: præſertim cùm Arca fuiſſet ſemper cuſtodita ſub manu iſtorum in domo patris ſui Abinadab. Et non ſolùm iſti duo minabant plauſtrum, ſed etiam omnes fratres eorum filij Abinadab appropinquabant plauſtro ad miniſtrandum in portatione Arcæ. Sic patet primo Paralipo. decimotertio, ſcilicet, Oza autem, & fratres eius minabant plauſtrum. fit tamen hic mentio de Oza, & Ahio ſolùm, quia iſti erant præcipui inter filios Abinadab. *Cumque tuliſſent eam de domo Abinadab.* Non videtur tunc ſuperuiuere, quia non fit aliqua mentio de illo in portatione Arcæ: & hoc quia fortè ipſe erat vir grandæuus quando Arca poſita fuit in domo eius, cùm haberet filium magnũ Eleazarum, qui ſanctificatus fuit ad cuſtodiendum Arcam, præceden. libro cap. ſeptimo. Ab illo autem tempore, vſque nunc fluxerant quaſi quinquaginta anni, ſcilicet, quadraginta, anni de principatu Samuelis, & Saulis, & ſeptem & dimidius, quibus regnauit in Hebron, antequam regnaret ſuper Iſrael, & aliquantum tempus, quod fluxit poſtquam cœpit regnare ſuper Iſrael antequam duceret Arcam dum faciebat ea, quæ habentur præcedent. cap, quod totum ſimul ſatis pertingit ad quinquaginta annos: & ſic Abinadab, qui grandæuus eſſet, quando fuit Arca poſita in domo ſua, iam eſſet mortuus. De Eleazaro autem filio eius, qui ſanctificatus fuerat ad cuſtodiendum Arcam, videtur eodem modo dicendum, quòd iam mortuus eſſet, alioquin ipſe fuiſſet principalis in portatione Arcæ: cum ipſe à toto Iſrael ſanctificatus fuerat ſolus ad cuſtodiendum Arcam. præceden. lib. cap. ſeptimo, hic tamen non fit mentio de illo, ſed præcipui in portatione Arcæ ponuntur Oza, & Ahio, ergo iam mortuus erat veriſimiliter Eleazarus. *Ahio præcedebat Arcam Domini.* Scilicet, ipſe minabat plauſtrum dirigendo boues. Ponitur autem hoc ad ſignificandum cur acciderit, quòd mortuus fuerit Oza, &

non Ahio in portatione Arcę, cùm eſſent ambo æquè principales, ſcilicet, quia Ahio præcedebat Arcam minando boues, Oza autem ſubſequebatur videns ne quid indiſpoſitè fieret; ideo cùm boues calcitrantes inclinaſſent Arcam, Oza, qui erat propinquus, tetigit eam, ne caderet, & mortuus eſt. Ahio autem quia præcedebat non potuit eam tangere, & non fuit mortuus. *Dauid autem & omnis Iſrael ludebant coram Domino.* Ideſt, lætabantur canentes, & pſallentes coram Arca ad honorem Dei. Erant autem iſti ludi deuotionis, & non diſſolutionis, quia non fiebant ad iucunditatem ſuam, ſed ad Dei laudem. *In omnibus lignis fabrefactis.* Ideſt, ludebant canentes in omnibus inſtrumentis muſicis: quia ad ſolennitatem maiorem duxerant omne genus muſicorum vaſorum. *coram Domino.* Dicuntur autem ligna labrefacta inſtrumenta muſica facta de lignis opere artificum. In Hebræo dicitur. *In omnibus lignis cipreſſinis.* Litera tamen noſtra poſuit in omnibus lignis fabrefactis, quia in Hebræo ſunt multæ æquiuocationes: etiam dato, quòd non eſſet aliqua æquiuocatio, ſententia literæ erat, q̃ omnia inſtrumenta cuiuſcunque generis ducta fuerant ad ſolennitatem portationis Arcæ: ſed non erant omnia inſtrumenta de lignis cipreſſinis: ſed etiam de multis alijs, ideo dixit litera noſtra in omnibus lignis fabrefactis. *Et cithara.* Cithara eſt inſtrumentum antiquum, quod vix in vſum venit, & conſonat aliqualiter cum pſalterio, ſed differt, quia reſonat à parte inferiori, & pſalterium à parte ſuperiori. *Et lyris.* Inſtrumentum commune eſt ad cantandum ſimul, & pſallendum: ideo poetæ lyrici vocantur illi, qui faciebant carmina talia, quæ ſimul cum inſtrumentis cantabant. Vbi dicitur hic lyris, habetur primo Paralipo. 13. pſalterijs, quia poteſt æquiuocari ad pſalterium, & lyram. *Et tympanis.* Iſta ſunt inſtrumenta facta de lignis, & operta corio extento, quæ percuſſa baculo ſonitum reddunt: & dicuntur tympana à tinniendo, quia percuſſa reddunt tinnitus, ideſt, ſonos. *Et ſyſtris.* Iſta ſunt inſtrumenta lignea habentia laminas ferri volubiles, quæ per motum & concuſſionem manuum reddunt ſonitum gratum, & vocantur vulgariter Sonaias. Iſtud etiam nomen ponitur præcedent. libro cap. 18. vbi dicitur, quòd egreſſæ ſunt mulieres in occurſum Saul regis in tympanis lætitiæ, & ſyſtris, & tamen in Hebræo non ponitur idem nomen hic & ibi, quia hic ponitur Menanihim. pro ſyſtris, & ibi ponitur Saliſſim. *Et cymbalis.* Cymbala non vocantur hic campanæ, ſed quædam lamina ferri ſiue crepitacula, quæ duo ſunt, & percuſſa manibus ſonitum reddunt conformem voci, & vocantur vulgariter Terrenunellas: ſed primo Paralipo. 13. ponuntur cymbala, & tubæ: vbi ponuntur hic ſyſtra & cymbala: nec eſt mirandum, quia iſta nomina inſtrumentorum apud Hebræos ſunt incognita: ideo etiam Latini variant ea pro libito.

An decens eſſet, quòd pulſarentur inſtrumenta muſica coram Arca; & an deceat pulſari iſta in Eccleſia, & quid proficiunt. Quæſt. IX.

QVAERET aliquis, an decens eſſet, quòd iſta inſtrumenta muſica pulſarentur coram Domino. Aliquis reſpondebit, quòd non, quia iſta non laudantur à Deo, cùm ipſe non egeat illis, nec delectetur in eis: ſed ſunt ad delectationem humanam. Item iſta ſunt aliqua non honeſta, cùm accommodentur lu-

Arguitur primo.

Secundo.

Universidad de Deusto
Biblioteca

dis humanis, & dissolutionibus: coram Deo autem solùm debent esse illa, quæ magnam habent
Responsio. auctoritatem, & honestatem. Respondendum, quòd decens fuit ista instrumenta pulsari coram Domino. Pro quo considerandum, ꝙ ista non pulsantur tanquam necessaria sint Deo ad causandum in eo aliquam iucũditatem, sicut interdum in hominibus necessaria sunt, quia Deus non indiget bonis nostris: sed seipso contentus est, vt patet Psal. 15. Quĩ bonorum nostrorum non eget. Item Deus non potest delectari in his instrumentis, quia tunc Deus posset recipere lætitiam ab extra: sed falsum est, quia Deus intra se habet omne bonum suum, cùm ipse sit summa bonitas. Itẽ quia tunc sequeretur, ꝙ Deus non esset actus purus, sed potentialis, cùm esset in potentia ad recipiendum aliquid, quod non haberet: sed falsum est, ideo Philosophus posuit Ethi. 7. in fine delectationem Dei esse vnicam, & permanentem, quæ non variatur, sicut delectationes nostræ: eo quòd natura sua est epielies: & per istam delectationem Deus est summè, & semper gaudiosus: vt probat Ari. 12. Meta. Item dato, ꝙ Deus non haberet in se plenum gaudium, sed indigeret gaudio extrinsecus adueniente: non posset gaudere instrumentis musicis: eo quòd delectatio istorum percipitur auditu, qui solùm est in animalibus: Deus autem non est animal, sed spiritus purus: ideo non potest audire melodiam, nec delectari in ea. Sed dicendum est, quòd ista instrumenta musica coram Deo
Pulsantur instrumẽta coram Deo ppter duo. tam in nouo, quam in veteri testamento pulsantur propter duo. Primò ad Dei laudem: nam licèt Deus non egeat laudibus nostris, nos tamen bene agimus, quantum possumus eum laudando, quia reddimus debitum seruitutis nostræ, & quia nos naturaliter tenemur ei, non solùm debemus nosipsos, sed ẽt omnes res nostras transferre in cultum eius quantum possumus, & ob hoc ea, quæ ad maiorem honorem ptinẽt, Deo applicanda sunt: sed inter homines est magnum gaudium, & solennitas in pulsatione musicorum organorum & in canticis, ideo Deo ista attribuẽda sunt. Patet autem hoc ex simili, quia Deus non indiget, ꝙ ei templa faciamus aut vestes pulchras ad ministrandum illi, nec in his delectari potest: petit tamen ista à nobis. Item Deus non indiget sacrificijs nostris, & dato quòd impendenda essent sacrificia, nulla maior vtilitas erat ei, aut delectatio, quòd fierent sacrificia de animalibus pinguibus, & pulchris, quam quòd fierent de animalibus macris, & deformibus. Petit tamen Deus sacrificia fieri de pinguibus, & immaculatis: & si fiant de animalibus claudis, vel cæcis, aut habentibus alias maculas, non acceptat illa sacrificia: & hoc quia vult ipse, quòd impendantur ei ea, quæ inter homines offerri solent viris honoratis. Sic patet Malach. primo, vbi conqueritur de Sacerdotibus, dicens: Ad vos ò Sacerdotes, qui despexistis nomen meum, & dixistis: in quo despeximus nomen tuum? offertis super altare meum panem pollutum, & dicitis, in quo polluimus te? in eo quod dicitis, mensa Domini despecta est: si offeratis cæcum ad immolandum, nonne malum est? & si offeratis claudum, & languidum, nonne malum est? offer illud duci tuo si placuerit ei, aut si susceperit faciem tuam, dicit Dominus. Et sic patet, quòd Deus vult quòd impendamus ei ea, quæ impendere solemus viris magnis: sed viros magnos honoramus in pulchritudine vestium, in canticis, & organis, in humiliationibus, & oblationibus munerum, & omni genere honoris, quem impendere possumus; ideo Deo impendendus est honor tam in vasis musicis, quam in omnibus alijs rebus, quas nos putamus pertinere ad honorem. Ob hoc autem in veteri testamento Dauid honorem in musicis Deo impendit tripliciter. Primò per seipsum, coram Deo cantando, & psallendo in vasis musicis, vt patet hic: & etiam quando ducta est Arca iterum in domum suam, ipse canebat, & psallebat in organis, & saltabat coram Domino totis viribus, vt patet infra in litera. Secundò laudauit Dominum in musicis inducendo omnes homines ad laudandum eum sic, vt patet Psalmo vlti. vbi hortatur omnes homines laudare Deum in organis, & cymbalis, & omni genere musicorum. Tertiò laudauit Deum in musicis instrumentis, instituendo ministros, qui psallerent coram Domino. Sic patet primo Paralip. 16. scilicet, in die illo fecit Dauid principem ad cõfitendum Domino Asaph, & fratres eius, & primo Paralip. 25. dicitur, quòd Dauid & magistratus exercitus segregauerunt filios Asaph in ministerium, & Eman, & Idithun, qui prophetarent in citharis, & psalterijs, & cymbalis secũdum numerum suum, dedicato sibi officio seruientes: mansit autem iste ritus semper in veteri testamento, scilicet, quòd quolibet die Leuitę stabant ad canendum coram Domino, & psallendum in instrumentis, & præcipuè in festiuitatibus. Ex hoc autem ortum est in nouo testamento, quòd non solùm ministri Ecclesiæ Deum laudent in voce, sed etiam in organis. Hoc tamen Ecclesia specialiter habet, quòd nõ recipit omnia instrumenta musica ad laudem Dei, sed solùm organa: & causa est, quia ista honestiora sunt, & magis accõmodata ad spirituale gaudiũ, quàm alia. Etiã quia Ecclesia voluit obseruare auctoritatem, & grauitatem in factis suis, & quia cętera instrumenta accommodantur ad ludos humanos, & per hoc efficiuntur paruæ auctoritatis, Ecclesia nõ vult illa recipere ad ministeria sua. In veteri autem testamento omnia recipiebantur. Sic patet primo Paralip. 25. ſ. ꝙ Asaph Eman, & Idithun prophetabant in citharis, & psalterijs, & in cymbalis. De Dauid etiam dicitur hic ꝙ ipse & totus Israel ludebãt coram Domino in omnibus lignis fabrefactis. Interdum igitur si eueniat, Ecclesia non repudiabit alia genera instrumentorum musicorum ad laudandum Deum, sicut fiebat in veteri testamento. Quod autem Deus laudari debeat in vasis musicis non solùm patet institutione Dauid, sed ẽt iussu Dei: ipse quippe mandauit fieri tubas argenteas ad hoc, quòd clangeretur coram ipso, quando fierent sacrificia, vt patet Nu. 10. scilicet: Si quando habebitis epulum, & dies festos, & Kalendas, canetis tubis super holocaustis, & pacificis victimis, vt sint vobis in recordationem Dei vestri. Secundum principale, propter quod debet Deus laudari in musicis vasis est propter nosipsos, scilicet, vt p hoc ad maiorem deuotionis feruorem incendamur. Intendit enim mater nostra Ecclesia eleuare nos in desiderium cultus diuini, ideo inquirit omnes illos modos, per quos homines possunt ad hoc manuduci: & quia quidam homines incitantur melodijs factis in voce, inuenit Ecclesia diuersos modos melodiæ. Alij autem efficacius mouentur auditis musicis vasis: ideo etiam Ecclesia inuenit pulsationem organorum musicorum. Sunt autem ista non paruæ efficaciæ ad cõponendos, & instituendos mores humanos. Naturaliter quippe ista habent causare diuersas passiones in mentibus audientium maximè in iuuenibus: ideo Aristot. 8. Politi. vbi instituit mores iuuenum, distinxit melodiam Doricam, & Frigistam, dicens, quòd non modicum refert ad instituendos mores iuuenũ, quòd vtantur ista, vel illa melodia: quia diuersæ melodiæ habent naturaliter causare diuersas passiones. De instrumentis quoque musicis facit ibidem differẽtiam, scilicet, quòd quædam sonant pulsu, & alia flatu, & quędam habent longos mẽatus alia breues, ideo quędam naturaliter prouocare habent ad animositatem,

Dauid impẽdit honorẽ Deo tripliciter in musicis,

&

& iram, sicut tubæ, & litui, & clasica: alia autem habẽt ad amorem, & teneras passiones. Ideo etiam dicit, quòd in vsu istorum nimis differt quantum ad compositionem morum. Inuenit igitur Ecclesia musica instrumenta in diuinis laudibus, quę nobis valde vtilia sunt, quia interdum in nobis deuotionem suscitant, interdum etiam nos fatigatos orando sua dulci melodia fouent, & fortiores ad continuandum diuina ministeria reddunt. Ad rationes in contrarium respondendum. Ad primam cùm dicitur, quòd Deus non indiget istis, nec delectatur in eis. Dicendum, ꝙ non arguitur conuenienter, quia tunc cùm Deus nullis bonis nostris egeat, vt patet Psalmus. 15. non faceremus aliquid propter ipsum, scilicet, non oraremus, nec sacrificia faceremus: nec impenderemus aliquod genus honoris: & tamen ipse iussit, quòd impendatur sibi honor, & laudetur, vt Psalmo 49. scilicet: Sacrificium laudis honorificabit me: illic ostendam iter salutarium meorum. Et iterum ibidem: Immola Deo sacrificium laudis, & redde altissimo vota tua: ergo quamquam Deus non indigeat musicis instrumẽtis, debemus eum laudare in illis. Item non arguitur conuenienter de delectatione, quia non solùm Deus non delectatur in vasis musicis, sed etiam non delectatur in aliqua re à nobis impensa, cùm delectatio sua vnica sit, & sibi intrinseca, vt supra declaratum est, & tamen hoc non obstante iussit, quòd multa fierent ad cultum suum. Ad secundam rationem cùm dicebatur, quòd aliqua istorum instrumentorum nõ sunt honesta, sed magis applicata ad ludos humanos. Dicendum, quòd nullum instrumentum est, quod secundùm se sit turpe: sed quia homines consueuerunt illud applicare ad turpia: Cùm autem aliqui ad res deuotas illud applicare voluerint, iam non erit turpe: & sic Dauid psallebat coram Domino in omnibus lignis fabrefactis, quia nullum ibi turpe censebatur. Hoc tamen non obstante, quia quędam instrumenta musica communiter consueuerunt applicari ad ludos humanos, & ex hoc sunt minoris auctoritatis, Ecclesia noluit suscipere omnia ad ministeria diuina, sed quædã, scilicet, organa.

Postquam autem venerunt. Hic ponitur secundum huius cap. in quo ductio Arcæ ex timore interrumpitur, scilicet, propter mortem Oza. *Ad aream Nachon.* Ista area erat in itinere & fortè erat intra Ierusalem, & propter hoc Dauid fecit, quòd diuerteret Arca in domum Obededom habitantis in Ierusalem. Si autem ista area fuisset in itinere ante Ierusalẽ, videretur quòd Dauid reliquisset Arcam in loco propinquiori, & non duxisset eam in Ierusalem: sed in hoc non multum refert. In Hebræo habetur. *Ad aream Nachon.* Sed imperitia librariorum nostrorum faciliter mutata est n. in. r. Sed primo Paralip. dicitur, cùm peruenissent ad aream Chidon: sed dicendum, quòd Chidon, vel Nachon est nomen viri, qui erat binomius: ideo aliquando vocatur Chidon, & aliquando Nachon. Sic enim Petrus aliquando vocatur Petrus, & aliquando Simon, vel Cęphas, vel Bariona. Sic etiam Iacob aliquando vocatur Iacob, & aliquando Israel. *Extendit manum Oza ad Arcam Dei.* Iste Oza erat filius Abinadab, in cuius domo fuerat Arca, vt patet suprà, & ipse erat principalis in portatione eius, & adhærebat maximè ei, ideo cùm Arca videretur casura, ipse tanquam propinquus extendit manum ad eam. *Et tenuit eam.* Idest, tetigit illam, & tenuit, nè caderet. *Quoniam calcitrabant boues, & declinauerant eam.* Ista fuit causa quare tetigit eam, scilicet, quia boues calcitrabant, & ex hoc inclinabatur plaustrum, & Arca videbatur casura. Sed primo Paralip. 13. dicitur: Bos quippè lasciuiens paululum inclinauerat eam, sed ad

Alph. Tost. in Secundum Regum.

idem redit, scilicet, quia ista calcitratio boum erat ex lasciuia. *Iratusque est Dominus indignatione contra Ozam.* Idest, cùm tetigit Oza Arcam, Dominus indignatus est, quia faciebat aliquid illicitum. *Et percussit eum super temeritatem suam.* Idest occidit eum propter peccatum suum, quod ex quadam temeritate factum est, quia inhonestè tetigit Arcam. In Hebræo habetur. *Percussit eum super errorem suum.* Ad idem redit, quia Oza errauit tangendo Arcam: & iste error fuit temeritas, quia non se habuit reuerenter ad Arcam. *Qui mortuus est ibi iuxta Arcam Dei.* Idest immediatè mortuus est, & cecidit apud Arcam: non enim dilata fuit mors eius per aliquantum tempus, sicut fit in plagis, quæ naturaliter infliguntur, quia Deus percussit hic Ozam. Deus autem sicut subito viuificat, ita subito mortificat.

Oza mortuus, quia tetigit Arcam Domini.

Quare mortuus est Oza, & in quo peccauit.
Quæst. X.

QVAERET aliquis, quare mortuus est Oza, & in quo peccauit. Respondet Ra. Salomon, quòd mortuus est Oza propter peccatum Dauid, scilicet, quia Dauid peccauit faciendo duci Arcam in plaustro, & ob hoc mortuus est Oza. Sed istud est nimis inconuenienter dictum, quia cùm Oza mortuus est, necesse est, quòd mortuus fuerit pro peccato suo, & non pro peccato alieno, quia non punitur vnus pro alio, sed anima, quæ peccat ipsa punitur. Ezech. 18. præcipuè quia Oza non erat filius Dauid: filij autem maximè paruuli interdum puniuntur pro patribus: sic patet Exod. 34. scilicet: Ego sum Dominus Deus tuus zelotes, qui punio peccata patrum in filios vsque in tertiam, & quartam generationem. idem Num. 14. Alij dicunt, quòd Oza percussus est, quia tetigit Arcam nudam, sed sic tangere non licebat leuitis: immo nec videre eam: vt patet Num. 4. quia alioquin morerentur: ista enim fuit causa, vt perirent tot millia virorum de Bethsamitis, scilicet, quia viderunt Arcam Domini nudam, vt patet præcedent. lib. cap. 6. & ibi declaratum est. Sed istud non stat, quia Arca quando portabatur de loco ad locum non erat nuda, sed operta, quia Deus iubebat eam operiri tribus velaminibus, scilicet, primò ponebatur super eam velum, quod pendebat ante sancta sanctorum. Secundò ponebatur velamen de pellibus iacintinis. Tertiò extendebatur desuper pallium totum iacintinum, vt patet Numer. quarto. Ligabantur autem postea ista velamenta, ita vt nullo modo posset Arca discooperiri à casu, etiam si caderet in terram: non ergo tetigit Oza Arcam nudam. Si autem velles proteruire, dicendo quòd Arca nunc portabatur nuda, & Oza tetigit eam nudam, adhuc non stat, quia tunc non solùm ipse mortuus fuisset tangendo, sed etiam totus populus periisset videndo: nam, qui videret Arcam nudam, nisi esset Sacerdos, moreretur: vt patet Numer. quarto. Simile etiam est de Bethsamitis, quorum magna multitudo perijt, quia viderunt Arcam nudam, præceden. lib. cap. 6. Alij autem dicunt, quòd Oza mortuus est, quia tetigit Arcam, cùm esset immundus, scilicet, quia ipsa nocte cognouerat vxorem suam, sed non licebat immundis tangere Arcam: sed non solùm de Arca, sed etiam si quis pollutus fuisset in coitu cum vxore, vel aliàs, non poterat introire in sanctuarium: nec accedere ad res sacras sub pœna mortis, vt patet Leuit. decimoquinto. Sed hoc non videtur valde rationabile, quia tunc

Opinio Ra. Salomonis fatua.

Universidad de Deusto
Biblioteca

cum Oza tetigisset Arcam Domini ante hoc, scilicet, quando ipse, & fratres sui posuerunt eam super plaustrum, perisset tunc, sed non perijt: ergo videtur, quòd non fuit mors eius, quia cognouerat vxorem no ẽte illa. Iosephus autem. 7. Antiquitatum dicit, ꝙ cùm boues declinassent Arcam extendens Oza manũ suã, & volens eam retinere cùm Sacerdos non esset, quoniam eam attingere præsumpsit extinctus est. Sed hoc non multum stat, quia Leuitis non erat illicitum tangere Arcam: nam ipsi portabant eam in itinere ex præcepto Dei, vt patet Num. 4. Nisi fortè dicas, quòd Iosephus intellexit, quòd Oza tetigit Arcam nudam, qđ erat illicitum Leuitis, vt patet Num. 4. Sed etiam hoc non stat: quia tunc diceretur, quòd Oza tetigit Arcam nudam, sed hoc supra improbatum est, quia Arca tũc operta erat. Dicendum igitur quòd Oza percussus est à Domino, quia peccauit, & fuit istud peccatum in duobus, Primo, quia tetigit Arcam in honestè. Erat enim Arca vtensile maximi honoris inter omnia vasa sanctuarij: ideo non debebat tangi, nisi cum magna reuerentia, & in necessitate: in his autem duobus peccauit Oza: primò quia fortè tetigit eam sine necessitate, vtpotè si boues parum eam inclinauerũt, & non erat verisimile aliqualiter, quòd ex hoc posset cadere, non debebat eam tunc tangere, & tamen tetigit. Secundò peccauit, quia dato, quòd egisset ex necessitate, debebat tangere eam cum magna reuerentia: fortè autem tetigit eam irruerenter, sicut si tetigisset aliqd prophanum. Similiter enim est de Eucharistia, quæ est cibus, & si aliquis non fecerit differentiam inter illam & alios cibos, peccat mortaliter. Sic patet primo ad Corin. 11. Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat: qui enim manducat, & bibit indignè, iudicium sibi manducat, & bibit non diiudicans corpus Domini, ideſt non faciens differentiam inter corpus Domini, & alios cibos. Proportionaliter autẽ se habebat Arca ad res prophanas, vt corpus Domini ad alios cibos, ideo si quis tangeret Arcã non faciens differentiam inter eam & res prophanas, peccaret mortaliter: & hoc videtur significare litera, dicẽs, quòd Deus percussit Ozam super temeritate tem suam, ideſt, pro irreuerentia. Nam temeritas significat inconsiderationem, & irreuerentiam. Quod autem propter tactum Arcæ mortuus fuerit Oza patet primo Paralip. 13. scilicet. Iratus itaque est Dominus contra Ozam, & percussit eũ, eo quòd tetigisset Arcam. Secunda ratio mortis Ozæ fuit, quia portauit Arcam super plaustrum, cùm debuisset portare eam super humeros. Quod patet primo Paralip. 15. scilicet, tunc dixit Dauid, illicitum est, vt à quocunque portetur Arca Dei, nisi à Leuitis, quos elegit Dominus ad portandũ eam, & sic peccatum erat, quòd portaretur alio modo, quàm ab ipsis Leuitis: & hoc super humeros, vt patet eo. c. cùm dicitur: sanctificati sunt ergo Sacerdotes, & Leuitæ, vt portarent Arcam Domini Dei Israel, & tulerunt filij Leui Arcam Domini, sicut præceperat Moyses humeris suis in vectibus: & sic in secunda vice correxerunt se portando Arcam in humeris, quando tulerũt eam in domum Dauid de domo Obededom: quia prima vice errauerant portando eam super plaustrum. Quia autem non solùm peccauerunt portando eam in plaustro; sed etiam propter hoc secuta fuerit mors Ozæ, patet eo. c. cum dixit Dauid: Vos, qui estis principes familiarum Leuiticarũ sanctificamini cum fratribus vestris, & afferte Arcam Domini ad locũ, qui paratus est ei: ne vt à principio, quia non eratis præsentes, percussit nos Dominus; sic & nunc fiat, illicitum quid nobis agentibus. Et sic patet, quòd ex absentia Leuitarum, scilicet, quia ipsi non impenderunt ministerium, quod impendere debebant in portatione Arcæ Dominus percussit Ozam. Sed adhuc dicendum, quòd quamquam istæ duæ fuerint causæ mortis Oza: tamen prima fuit præcipua, scilicet, quia tetigit Arcã. Quod apparet ex duobus: Primò, quia non fuit percussus à Deo immediatè, vt posuit Arcam super plaustrum, sed postea quando tetigit eam in via, & tunc illico mortuus est coram Arca, vt patet in litera. Secũdò apparet hoc, quia litera ponit istam tanquam causam principalem mortis Ozę, primo Paralip. 13. cùm dicitur: Iratus itaque est Dominus contra Ozam, & percussit eum, eo quòd tetigisset Arcam Dei. Hebræi autem dicunt, quòd peccauit Oza, eo quòd voluit tenere Arcam: quia in hoc innuebat, quòd Arca posset cadere, & quòd indigeret sustẽtari ab aliquo, sed in hoc negligebat eam, quia ipsa à nullo indiget teneri, sed potius illa portabat portitores suos. Vnde dicũt, quòd quando Arca transducẽda erat per Iordanem, & Sacerdotes vellent eam portare, ipsa volauit super aquas, & duxit secum Sacerdotes, portantes eam: ita autem esset nunc, quia licèt videretur casura non caderet, ga ipsa teneret seipsam: sed isti fundant se super ridiculo, vt declaratum est Iosue. 3. *Contristatus est autem Dauid, eo quòd percussisset Dominus Ozam.* Dauid incęperat facere magnam solennitatem ducendo Arcam: nunc autem per mortem Ozę conuertebatur festiuitas in planctum: ideo tristatus est. Item Oza erat vnus de principalibus inter Leuitas, eratque ipse præcipuus in portatione Arcæ: ideo de morte eius non modicum dolendum erat. Item doluit præcipuè Dauid, quia cũ Dominus occidisset Ozam portantem Arcam significabatur, quòd Israelitæ peccassent ducendo Arcam: & hoc erat durum ipsi Dauid, qui desiderabat Deo cultum impendere. *Et vocatum est nomen loci illius percussio Ozæ.* Ideſt, locus illæ vocabatur prius area Nachon, siue Chidon: vt patet supra & primo Paralip. 13. postea autem ex nouo casu vocatus est locus percussio Ozæ. sed primo Paralip. 13. dicitur: vocauit locum illum diuisio Ozæ; sed ad idem redit, quia diuisio & mors idem sunt, cùm per mortem diuidatur homo à viuentibus. *Vsque in diem hanc.* Ista sunt verba scriptoris libri huius, scilicet, Isaiæ, vel Ieremiæ, quasi dicat, non solùm vocatus fuit locus ille tunc sic, sed etiam mansit nomen illud vsque ad tempus, quo scriptus fuit liber iste, in quo fluxerunt multi anni. *Et extimuit Dauid Dominum in die illa.* Non est sensus, quòd in illa die incęperit Dauid timere Dominum, quia ante hoc semper timebat eum: sed die illa cępit eum plus timere, quàm solitus erat, eo ꝙ vidit tunc pœnam apparentem. Fuit autem timor iste Dauid seruilis, qui est propter pœnam: nam credidit, ꝙ, cùm nunc percussisset Dominus Ozam, & non videretur multum peccasse, ita posset percutere eum, & omnes, qui erant in domo sua propter parua peccata, & ob hoc noluit, ꝙ esset Arca in domo sua. Non potest autem dici, ꝙ iste timor fuerit filialis, quia iste timor est non metu pœnæ, sed propter reuerentiam, ne offendat illum, quem timet, etiam si non putet sibi ex hoc aliquam pœnam infligendã esse: Dauid autem timuit hic Deũ solùm propter pœnam inflictam Ozæ: ergo erat timor seruilis. *Dicens, quomodo ingredietur ad me Arca Domini?* Ideſt quomodo ingredietur in domum meam? Nam in domo sua parauerat ei Dauid locum: nunc autem visa percussione Ozæ putauit, quòd sic posset eũ Dominus percutere, & domesticos suos pro aliqua leui culpa; ideo renuit accipere illam in domo sua. *Et noluit ad se diuertere Arcam Domini.* Ideſt noluit, ꝙ introiret in domum suam, sed quòd declinaret ad manendum in alio loco. *In ciuitate Dauid.* Ideſt, noluit, quòd esset in ciuitate Dauid. Vocatur autem ciuitas Dauid castrum Sion, in quo habitabat ipse Dauid, vt declaratum

Responsio ad quòd in duobus peccauit Oza.

tum est præceden. cap. *Sed diuertit eam in domum Obededom,* ideſt, fecit quòd maneret in domo Obededom. Iste habitabat in Ierusalem non in castro Sion, sed in ciuitate inferiori, & ibi mansit arca pro tunc. *Gethæi,* ideſt, iste Obededom vocabatur Gethæus, non quidem quòd esset de vrbe Geth, quia ista est in terra Philisthinorum, sed propter aliquem casum; sicut multi homines nominantur propter aliqua accidentia de locis illius, vnde non habuerunt originem; vel fortè vt quidam volunt vocatur Gethæus, quia stetit in vrbe Geth cum Dauid quando descendit in terram Philisthinorum: de quo præceden. lib. cap. 27. Erat autem Obededom de Israelitis: nam ipse erat Leuita, & computatur inter cantores constitutos, vt canerent, & psallerent coram arca; vt patet 1. Paralip. 15. & 16. & hoc satis verisimile est; quia arca Dei, quæ erat vas sanctissimum, non poneretur nisi in domo alicuius Sacerdotis, vel Leuitæ; quia ad istos pertinebat ministerium sanctuarij: sic enim quando arca posita fuit in Cariathiarim intulerunt eam in domum Abinadab, quia erat Leuita: de quo præceden. lib. cap. 7. Si autem esset iste Gethæus, ideſt, de vrbe Geth, esset natione Philisthinus, & conuersus ad Iudaismum, conuersis autẽ non sunt committenda magna ministeria fidei; cùm dicat Apostolus quòd oportet episcopum non neophitum esse: potissimè inter Iudæos, qui conuersis ad Iudaismum non dabant aliquam dignitatem: maximè quia Gethæi erant Philisthini; & omnes Philisthini erant de genere Chananæorum: Chananæi autem non erant permittendi viuere, dato quòd vellent conuerti ad Iudaismum, sed omnes percutiendi erant gladio, vt patet Deuter. 20. *Et habitauit arca Domini in domo Obededom Gethæi.* Aliqui scribunt Obethedom: sed errant, quia in Hebræo habetur Obededom. *Tribus mensibus.* Non habituit maiori tempore, quia Dauid non permisit: nam illicò vt nunciatum est ei, quòd benedixisset Dominus domui Obededom propter arcam transiuit eam in domum suam. *Et benedixit Dominus Obededom, & omnem domum eius,* ideſt, præsente arca benedixit Dominus Obededom, & omnibus rebus suis. Benedictio autem importat multiplicationem, vt patet 2. ad Corint. 9. vbi Apostolus benedictionem, & auaritiam dicit esse contraria.

Benedixit Dns Obededom & omnẽ domum eius: quia renuit arcã eius.

Quæ benedictio fuerit illa Obededom.
Quæst. XI.

QVAERET aliquis, quæ benedictio fuit ista facta Obededom. Respondet Rab. Sa. quòd fuit multiplicatio in prole, quia vxor eius, & octo nurus pepererunt in vna vice quælibet sex filios. Historia autem scholastica dicit secundùm Hebræos, quòd vxores Obededom, & concubinæ eius, & nurus pepererunt masculos, & iumenta illius habuerunt duplices fœtus. Dicendum autem quòd benedictio importat multiplicationem & augmentum. Credendum est autem, quòd in illo modico tempore, quo fuit arca in domo Obededom: multiplicauit Deus prolem eius & fructus agrorum, & iumentorum, & omnem substantiam eius, deditque illi hilaritatem, & salutem: quod patet, quia litera dicit, ꝙ benedixit Dominus Obededom: & omnem domum eius, & sic oportebat, quòd in omnibus rebus suis appareret augmentum.

Quid fiebat circa arcam Domini in domo Obededom, & an fierent sacrificia. Quæst. XII.

QVAERETVR vlterius, quid fiebat circa arcam; a tempore, quo mansit in domo Obededom, scilicet, an fierent sacrificia, vel aliæ ceremoniæ. Respondendum, quòd Israelitæ tenebantur quotidie facere sacrificia, & alias cæremonias cultus, de quibus habetur per totum Leuiticum, & in libro Numer. istæ autem non iubebantur fieri coram arca, sed in loco sanctuarij: vnde quando erat arca intra sanctuarium, fiebant istæ cæremoniæ coram illa, sed separata ea a sanctuario manebat necessitas faciendi hæc in sanctuario, & ibi Sacerdotes erant facientes quotidianas cæremonias cultus. Erat autem nunc tabernaculum Domini in Gabaon, & ibi erant Sacerdotes, & illuc conueniebat populus ad sacrificia, & vota & ad tres solemnitates determinatas a lege, quoniam omnia hæc fiebant in altari holocaustorum, & super alia vasa sanctuarij, quæ omnia manebant in sanctuario; & non ibant cum arca. Coram arca autem non erat necesse exhiberi aliquas cæremonias cultus diuini; tamen propter eius magnam sanctitatem poterant fieri sacrificia coram illa, quæ non poterant fieri aliàs extra sanctuarium: sic patet præced. lib. cap. 6. quando Bethsamitæ obtulerunt victimas coram arca veniente de terra Philisthinorum in agro. Sic etiam nunc quando arca translata est de domo Obededom in domum Dauid offerebantur coram ea victimæ. Credendum est autem, quòd cùm arca fuerit nunc posita in domo Obededom, non ad manendum, sed quousque deliberaretur super ea, quòd non exhiberentur ei ibi aliquę cæremoniæ: sed solùm maneret in custodia: sic factum est, quando arca venit de terra Philisthinorũ: nam posita est in domo Abinadab, vt patet præced. lib. cap. 7. Et dicitur quòd consecrauerunt Eleazarum filium eius ad custodiendum arcam: in quo innuitur, quòd non posita fuit ibi, nisi ad custodiam, & non ad exhibendum ei aliquas cæremonias; ergo a fortiori, cùm in domo Obededom deberet manere arca minori tempore, non exhiberentur ei aliquæ ceremoniæ.

Nuntiatumque est regi. Hic ponitur tertium huius c. in quo arcæ ductio inchoata perficitur: & dicitur ꝙ nuntiatum est Dauid, scilicet, post tres menses, quia solùm hoc tempore mansit arca in domo Obededom. *Quòd benedixisset Dominus Obededom,* scilicet, dando ei salutem & hilaritatem, & omne gaudium. *Et omnia eius,* ideſt, etiam benedixit Deus omnia bona Obededom multiplicando illa, scilicet, quia breuiter fecit eum crescere in diuitijs, & omnibus bonis: quæ autem fuerit ista benedictio supra declaratum est. *Propter arcam Dei,* ideſt, propter præsentiam arcæ: & ista fuit causa quare Dauid voluit ad se arcam ducere, vt benediceretur.

Quomodo cognitum est hanc benedictionem esse propter arcam. Quæst. XIII.

QVAERET aliquis, quomodo sciebatur quòd ista benedictio esset propter arcam. Respondendum est, quòd cognoscebatur ex duobus. Primò ex magnitudine sua: nam licèt aliàs homines augeantur in bonis, sicut communiter accidit, illa augmenta sunt parua, vel non veniunt accumulata. In Obededom autem venerunt magna bona, qualia non solent accidere communiter. Etiam fortè venerunt ei aliqua bona,

Universidad de Deusto
Biblioteca

quæ in nullis hominibus, vel in raris visa sunt: ex quo apparebat non venire illud ex communi fortuna, vt ferunt; sed ex speciali Dei munere. Secundò patet hoc, quia ista bona nunquam euenerant Obededom, & immediatè vt arca introiuit in domum suam cœperunt ei bona accumulata venire: & semper continuata sunt, vsquequo arca exijt de domo sua: ergo manifestum est quòd propter arcam benedicebatur. *Dixitque Dauid.* Ista litera ab hoc loco vsque ad illum. *Abijt ergo.* non habetur in Hebræo, sed vel fuit olim Glos. interlinearis, & postea textui mixta est: vel quod verius est Hier. illam addidit, eo quòd videtur deficere quantum ad sensum: & ipse interdum suppleuit ea, quæ deficiebant in Hebræo quantum ad sensum: vt patet Genes. 4. cùm dicitur: dixit Cain ad Abel fratrem suum, egrediamur foras, cùmque essent in agro &c. & in Hebræo habetur: dixit Cain ad Abel fratrē suum: & non dicitur quid dixerit, sed sequitur: Cunque essent in agro: ideo litera nostra suppleuit, dicēs: Egrediamur foras. *Dixitque Dauid*, ideſt, intra se proposuit. *Ibo & reducam arcam Domini cum benedictione*, ideſt, ducam arcam Domini ad me cum benedictione, quam habet, scilicet, quòd quando erat in domo Obededom benedicebat ei, ita & nunc haberet secū illam benedictionem, & beneficeret domui Dauid. Vel intelligitur ducam eam cum benedictione, ideſt, in pace & hilaritate, scilicet, quòd non accideret aliquod malum eis nunc, sicut primò acciderat portando arcam, & sic dicimus communiter: vade cum benedictione Domini, ideſt, in pace. *In domum meam* i. in quendam locum dispositum ad hoc intra domum Dauid, in quo non fierent aliquæ ministrationes humanæ. *Abijt ergo Dauid*, scilicet, in domum Obededom ad ducendum arcam. Et non fit mentio quòd ista vice iuissent multi de populo cum Dauid ad ducendum eam, multi tamen iuerunt: nam misit Dauid ad congregandum Leuitas & principes populi, & isti duxerunt arcam, vt patet 1. Paralip. 15. Sic etiam colligitur infra in litera, cùm dicitur quòd partitus est Dauid multitudini vniuersæ Israel tam viro, quam mulieri singulis collyridam panis vnam: ergo ibi erat populus congregatus ad ducendum arcam: nam post hoc dicitur, quòd abijt omnis populus vnusquisq; in domum suam. *Et adduxit arcam de domo Obededom*, sin qua manserat tribus mensibus ad custodiam, vt patet supra in litera. *In ciuitatem Dauid*, ideſt, in castrū Sion, in quo morabatur Dauid. Ex hoc autem aliqui volūt quòd domus Obededom non est in Ierusalem, cùm dicatur quòd ducta est arca in ciuitatem Dauid, ergo erat extra. Respondendum quòd domus Obededom erat intra Ierusalem: quod patet, quia cùm ducebatur arca, & transissent sex passus: illi, qui ducebant eam, immolabant bouem, & arietem, & 1. Paralip. 15. dicitur, quòd immolabantur septem tauri, & septem arietes. Si tamen habitasset in alio loco extra Ierusalem Obededon; non sufficissent omnes arietes, & tauri terræ Israel pro immolatione hac: erat igitur domus Obededom, intra Ierusalem, non multum distans a domo Dauid. Cum autem dicitur quòd ducta est arca in ciuitatem Dauid, non vocatur ciuitas Dauid ipsa Ierusalem, sed castrum montis Sion, quod erat intra Ierusalem, & in illo non erant nisi atria Dauid: & postea fuit ibi templum Salomonis. *Cum gaudio*, ideſt, arca ducta est cum gaudio, scilicet, canendo, & psallendo in vasis musicis: nam omnes Leuitæ canebant: vt patet 1. Paralip. 15. & Dauid canebat atque saltabat totis viribus: vt patet infra in litera. *Et erant cum Dauid septem chori*, ideſt, erat populus diuisus, & ipsi Leuitæ in septem choros ad canendum, & psallendum coram Domino. *Et victima vituli*, ideſt, quilibet chorus

Domus Obededom est intra Ierusalem.

habebat victimam vituli, scilicet, quia postquam transissent sex passus qui portabant arcam quilibet chorus immolabat vnum vitulum, & vnum arietem. Ista clausula, scilicet, & erant cum Dauid vsque huc: non habetur in Hebræo, nec communiter in biblijs: & tamen rationabiliter addita fuit ad tollendam ambiguitatem, vt infra dicetur. *Cumque transcendissent qui portabant arcam Dei sex passus.* Isti portantes erant Leuitæ: quia nunc nō portabatur arca in plaustro sicut prius, sed Leuitæ de genere Chaath humeris suis: sicut patet 1. Paralipo. 15. cùm dixit Dauid: Illicitum est, vt a quocunque portetur arca Dei, nisi a Leuitis, quos elegit Dominus ad portandum eam: & postea eo. capi. subditur: Sanctificati sunt Sacerdotes, & Leuitæ, vt portarent arcam Domini: & tulerunt filij Leui arcam Dei, sicut præceperat Moyses, humeris suis in vectibus. *Immolabant bouem, & ouem, & arietem*, ideſt, finitis sex passibus sistebant, qui portabant arcam, & immolabantur ista animalia.

Quare Dauid iussit animalia immolari post portationem arcæ per sex passus. Quæst. XIIII.

QVAERET aliquis, quare immolabantur animalia ista postquam portaretur arca per sex passus. Respondendum, quòd Dauid, & Israelitæ cœperant portare arcam prima vice, & percussit Deus Ozam, quia erratum fuit in portatione arcæ. Nunc autem Dauid volebat esse nimis solicitus, ne accideret aliqua percussio similis: & ob hoc fecit vocari Leuitas dicens, quia vos non fuistis præsentes prima vice, percussit nos Dominus: vt patet 1. Paralip. 15. & vt nunc non accideret aliquis error, propter quem Deus puniret illos, supplicabant Deo, & offerebant ei sacrificia. Vnde postquam Leuitæ portantes arcam transissent sex passus, quia dominus conseruauerat eos incolumes in illo spatio in gratiarum actiones offerebant ista animalia. Sic patet 1. Paralip. 15. scilicet: Cumq; adiuuissent Deus Leuitas qui portabant arcam, ideſt, adiuuissent eos ad ambulandum & non percussisset illos, immolabantur septem tauri. Quare autem potius ista immolatio fiebat post sex passus, quàm post plures, vel pauciores, non est aliqua ratio, sed sola voluntas offerentium.

Quomodo immolabant bouem, ouem, & arietem, cùm alibi secus dicatur. Quæst. XV.

QVAERETVR vlterius, quomodo dicitur hic, quòd immolabant bouem, & ouē, & arietem: nam 1. Paralip. 15. dicitur quòd immolabantur septem tauri, & septem arietes, supra autem dicitur in litera, q erat cum Dauid victima vituli, ideſt, offerebatur vnus vitulus. Respondendum, quòd ista non repugnant, sed scriptura sacra alicubi magis & alicubi minus exprimit. Sicut est in narratione historiarum, quia cùm aliqua historia bis, vel pluries tangitur in scriptura, nō semper enarratur completè, sed alicubi completè, & in alijs locis incompletè, vel in quolibet loco incompletè, duntamen ex omnibus illis colligatur vna completa narratio. Sic autem ponitur supra solùm vitulus, & hic tria animalia. & 1. Paralipom. 15. ponuntur 14. Dicendum autem quòd vtrobique rationabiliter ponitur. Pro quo sciendum quòd quando Dauid portabat arcam, erant leuitæ distincti in septem choros, & cum illis totus populus: cùm autem deponeretur arca in quolibet illorum chororum fiebat immolatio vnius vituli, & arietis, & ouis, & hoc tetigit hic litera solùm

solùm exprimens de immolatione vnius chori, sed 1. Paralipo. 15. exprimitur de immolatione omnium chororum simul: ideo dicitur quòd immolabantur septem tauri, & septem arietes: sed adhuc ibi fuit defectus in exprimendo, quia debuisset dici quòd immolabātur septem tauri, & septem arietes, & septem oues: & tamen ex istis duabus narrationibus simul colligitur vna perfecta, scilicet, quòd immolarentur 21. animalia. Hoc autem apparet ex litera præceden. s. & erant cum Dauid septem chori, & victima vituli, ideſt, in quolibet illorum chororum immolabatur vitulus, scilicet, postquam transisset arca sex passus: & non solùm vitulus, sed etiam aries & ouis.

Qui erant septem chori, qui cum Dauid erant. Quæst. XVI.

QVAERETVR vlterius, qui erant isti septem chori, qui erant cum Dauid. Respondendum quòd Dauid voluit ducere arcam solenniter in domum suam, & ad hoc fecit conuenire omnes Leuitas, & Sacerdotes, vt canerent & psallerent in vasis musicis coram illa; & istos distinxit in septem ordines, vel choros: sicut colligitur 1. Paralip. 15. cùm dicitur: Constituerunt Leuitas Heman filium Ioel, & de fratribus eius Asaph filium Barachiæ: de filijs vero Merari, & fratribus eorum Etham filium Casaiæ: & cum eis fratres eorum. Isti erant in primo choro solenniori: deinde dicitur in secundo ordine: Zachariam, & Ben, & Iaziel, vsque ibi: & Obededom, & Iehiel ianitores; in quo ordine ponuntur 14. Leuitæ, qui erant principes aliorum: & isti faciebant secundum chorum, cū dicat litera, quòd erant in secundo ordine. In tertio autem choro erant alii Leuitæ, de quibus dicitur ibi: Porro cantores Heman, Asaph, & Ethan in cymbalis æneis concrepantes. In quarto choro erant alij Leuitæ, scilicet, Zacharias, & Oziel: & isti cum alijs cantabant arcana in Nablis. In quinto ordine erat Matathias cum alijs, & isti canebant in citharis pro octaua. In sexto ordine erat Chonenias princeps prophetiæ, & Barachias, & Elcana ianitores. In septimo ordine erat Sebenias cùm alijs, qui sequuntur: & isti clangebant tubis coram arca Dei. Ista est diuisio chororum, quam aliqui volunt, & verum est quòd isti Leuitæ erant distincti per septem choros, & in quolibet choro erant varia vasa musica: quia quidam habebant cymbala ænea, & alius chorus cantabat arcana, in nablis, & alius cantabat in citharis pro octaua, & alij erāt ad præcinendam melodiam, & alij in tubis, vt in litera dicitur. Assignatio tamen Leuitarum in his choris non rectè facta est, quia aliqui ponuntur in vno choro, qui erant in alio: de quo magis dicetur in eodem. 1. Paralip. cap. 15.

Modus quo immolabantur animalia coram arca. Quæst. XVII.

QVAERETVR vlterius, quomodo immolabantur animalia ista postquam arca transisset sex passus. Respondendum, quòd Leuitæ cum populo erant distincti in septem choros in circuitu arcæ, vt dictum est. Cùm autem transisset arca sex passus, Leuitæ, qui portabant eam, sistebant, vel deponebant eam in terra super aliqua stramenta honorabilia, & tunc Sacerdotes, qui erant in quolibet choro iugulabant vnum arietem, & ouem, & vitulum, ita quòd in septē choris simul essent septem vituli, septem oues, septē arietes: & decoriabantur illa animalia suscepto prius sanguine eorum in vasis sacrificij. Portabatur autem in quolibet choro vnum altare magnū plenum igne, & ibi ponebantur carnes animalium, & crematabantur secundum legem sacrificij: & quousque plenè essent crematæ illæ carnes non mouebatur arca de loco, in quo erat. Et dum fierent hæc, Leuitæ & Sacerdotes cuiuslibet chori cantabant & psallebant in vasis musicis. Et hoc idem fiebat postquam transisset arca iterum alios sex passus, & sic continuatum est vsque ad domum Dauid. Vnde quamquā domus Obededom non longè esset a domo Dauid: magno tempore morati sunt ducendo arcam cum tanta solennitate. *Et Dauid saltabat totis viribus ante Dominum*, scilicet, faciebat tripudia coram arca, & quoscunque ludos deuotionis, & non dissolutionis ad exprimēdum affectum suum in Deum: erat enim vir valde deicola. *Porrò Dauid accinctus erat ephod lineo*, ideſt, indutus erat quadam veste de lino, & non habebat insignia regalia, quia nolebat videri coram Domino honoratus: sed humiliabat seipsum sumendo vestes simplices. Propter quod indignata fuit Michol, & dixit increpando Dauid: quàm gloriosus fuit hodie rex Israel discooperiens se ante ancillas seruorum suorum, & nudatus quasi nudetur vnus de scurris.

Cum Dauid non esset Sacerdos, cur dicitur indutus fuisse ephod. Quæst. XVIII.

QVAERET aliquis, quomodo Dauid indutus est ephod. Nā ephod est vestis vnius Sacerdotis summi, vt patet Exod. 28. & tamen nullus de laicis indui debebat veste Sacerdotali. Respondendum est, quòd istud ephod, quo erat indutus Dauid non erat vestis pontificis, quia illa erat ex multis coloribus, vt patet Exod. 28. habebatque lapides pretiosos. Ephod autem quo Dauid indutus erat, solùm erat de lino: vt dicitur hic, & 1. Paralip. 15. vnde iterum dicitur, quòd Dauid erat indutus tunica byssina. Istud autē ephod lineum etiam pertinebat ad Leuitas, vt patet de Samuele, qui erat indutus ephod lineo, vt patet præced: lib. ca. 2. istud autem ephod non solùm ad Leuitas, sed etiam ad omnes laicos pertinebat: cùm non esset vestis sacra. *Et Dauid & omnis domus Israel ducebant arcam testamenti Domini*, scilicet, erant præsentes, quando ducebatur, quia ipsi non tangebant eam. *In iubilo*, ideſt, in uociferatione. *Et clangore buccinæ.* ideſt, etiam clangebant buccinis coram arca. Per ista duo intelliguntur omnes solennitates, quæ fiebant coram arca, scilicet, per iubilum intelliguntur omnes melodiæ; & per clangorem tubæ intelliguntur omnia uasa musica, in quibus canebant: sic dicitur 1. Paralip. 15. Dauid & uniuersus Israel ducebant arcam fœderis Domini in iubilo, & sonitu buccinę; & tubis, & cymbalis, & nablis, & citharis concrepantes. *Cumque intrasset arca Domini in ciuitatem Dauid, Michol filia Saul prospiciens per fenestram*, scilicet, arca erat extra ciuitatem Dauid, ideſt, extra castrum montis Sion in domo Obededom: & cùm introiret in castrum, Michol manebat in palatio regis, quia non iuerat cum cæteris mulieribus ad portandum arcam: & tunc respiciens per fenestram uidit Dauid & omnes portantes eam. *Vidit regem Dauid subsilientem atque saltantem.* Subsilire est modicum saltare: sicut subridere est modicum ridere: & saltare est totis viribus hoc agere: sic dicitur supra: Dauid saltabat coram Domino totis uiribus. & est sensus, quòd Dauid aliquando saltabat aliquando tripudiabat: sic habetur in Hebræo, ubi nos dicimus saltantem & subsilientem. *Coram Domino*, scilicet, coram arca, in qua specialiter erat Deus, quia super eam inuocatum est

nomen

Universidad de Deusto
Biblioteca

nomen Dei sedentis super Cherubim, vt patet supra in litera. *Et despexit eum in corde suo*, idest, non reputauit eum virum magnæ auctoritatis, cùm non ostenderet grauitatem in factis suis, sed saltabat & subsiliebat, quod pertinebat ad quandam puerilem lætitiam, & leuitatem.

An Dauid peccauerit saltando coram Domino. Quæst. XIX.

QVAERET aliquis, an Dauid saltando, & subsiliendo coram Domino peccaret. Aliquis dicet quòd sic, quia per hoc diminuebat dignitatem suam: nam rex est persona honorabilior in toto populo, ad cuius dignitatem pertinet grauitas quædam in habitu, & moribus: si autem leuitatem puerilem habeat, contemnitur dignitas sua: quod malum est, quia ex hoc sequitur violatio iurium, cùm defensor iurium contemnitur. Tenentur igitur omnes rectores populorum, & potissimè prælati obseruare grauitatem in actibus, & habitu, & modestiam in singulis rebus: alioquin si propter eorum leuitatem contemnitur populoris disciplina, vt quia non attenditur ad eos, nisi vt ad pueros, peccant mortaliter per hoc ipsum, quòd se contemptibiles reddunt. De Dauid autem sic erat quodammodo, nam ipse apparuerat leuis in duobus, primò quia saltabat & subsiliebat, quod ad puerilis ludos pertinet, & non ad graues mores. Secundò erat leuis, quia exutus regalibus insignijs, induit se tunica byssina: vnde quodammodo rationabiliter indignata est Michol, redarguens eum. Dauid tamen excusatur, eo quòd egerit omnia ista ex affectu cordis. Erat enim vir valde Deicola, & nesciens qualiter Deo placeret, humiliabat se coram eo quantum poterat: & faciebat hæc ex affectu: ideo quamquam ista secundum se non essent regi digna, tamen Deus accipiebat illa gratè a Dauid. Vnde quamquam fuerit increpatus a Michol, non propter hoc erubuit, tanquam malè egisset, sed potiùs dixit: ludam & vilior fiam ante dominum, qui elegit me. Si tamen Dauid egisset ista ex gaudio coram populo, & non ad solennitatem arcæ: satis videtur quòd peccasset grauiter minuens auctoritatem suam. De prælatis autem nostris dicendum est, quòd quantumcunque sint Deicolæ, & vellent vt se humilient ista facere ad Deum, peccarent, quia Deus in illis vult grauitatem. Nam quomodocunq; ista facerent, minueretur eorum auctoritas: nec solùm de his, quæ sunt totaliter sæcularia, sed etiam si sint aliqua spiritualia, in quibus vellent se humiliare prælati, si ad officiũ eorum non pertinent, & non fit ex necessitate, peccant: vt si episcopus vellet subministrare sacerdotibus dicentibus missam, sicut subministrant paruuli assistentes eis; aut vellet canes eijcere de ecclesia; vel continuè assistere cantantibus in choro & cantare cum eis, & generaliter in omnibus alijs, in quibus notabiliter perderetur grauitas sua: nam in talibus dicendũ quòd peccaret mortaliter semper, etiam si ex humilitate hoc ageret. Sed dicendum quòd humilitas episcopi debet esse in animo, ita quòd habeat animum paratum humiliandi se in quibuscunque rebus etiam minimis; etiam si sint ministeria ancillaria, quando oportuerit pro salute animæ suæ, vel gregis sui: sicut fecit vir ille laudabilis, quem valde commendat Gregorius in quarto Dialogorum, scilicet, Paulinus Ecclesiæ Nolanæ Episcopus, qui, vt redimeret gregem suum, qui a Barbaris premebatur, seipsum vendidit, deposito episcopali habitu: & factus est hortulanus regis: quod cùm postea cognitum esset de viri prudentia, & de benignitate sua erga gregem, ipse cum toto grege libertate donatus est. Cùm autem casus necessitatis aut euidentissimæ vtilitatis non occurrit, studeat episcopus in omnibus suam seruare grauitatem, ne cõtemnatur disciplina ecclesiastica, & in hoc apud Deum nimis meretur. Per quoscunque autem actus prælati Ecclesiarum perdunt grauitatem suam in opinione subditorum, peccant. Sic enim admonebat Apostolus dicens: In omnibus exhibentes vos, sicut Dei ministros, ne vituperetur ministerium vestrum: vt patet 2. ad Corin. cap. 6. Vituperatur autem ministerium prælatorum, quando per aliquem actum eorum perditur ipsorum grauitas, & opinio. In Dauid autem tolerata sunt hæc ex feruore religionis: etiam quia populus non scandalizabatur in illo, sed magis putabat eum dignum honore: quia coram Deo se humiliabat. Etiam quia Dauid erat Dominus temporalis: & in istis non requiritur tanta grauitas, sicut in ecclesiasticis prælatis. *Et introduxit arcam Domini*, scilicet, in domum suam. *Et posuerunt eam in loco suo*, idest, in loco, quem constituerat ei Dauid. *In medio tabernaculi, quod tetenderat ei Dauid*, idest, arca erat in quadam domo segregata intra palatium Dauid, & in illa posuit Dauid quoddam tentorium magnum, & pulchrum de pellibus, & illud extendit, scilicet, per funiculos suos, & paxillos: sicut extenduntur omnia tentoria in campo, & posuit arcam intra illud tentorium. Hoc patet 7. cap. cùm dixit Dauid: vides ne quòd ego habitem in domo cedrina, & arca Dei posita sit in medio pelliũ, & tamen non diceretur esse in medio pellium, nisi esset in tentorio facto de pellibus. *Et obtulit Dauid holocausta coram Domino, & pacifica*, idest, non solùm offerebantur victimæ coram arca quando portabatur, sed etiam postquam collocata est, Dauid obtulit holocausta Domino & pacifica. Differunt autem ista duo, quia holocausta sunt sacrificia, quæ totaliter proueniunt Deo, & cremantur in altari. Pacifica autem sunt sacrificia, quorum solùm cremantur adipes. Reliqua autem proueniunt partim Sacerdotibus, & partim offerentibus. Hæc patent Leu. 1. iuncto 3. & 7.

Cui proueniebant iura istorum Sacrificiorum, quæ immolabantur coram arca. Quæst. XX.

QVAERET aliquis, de iuribus istorum sacrificiorum, cui proueniebant: nam multa oblata sunt illa die. Respondendum est, q̃ hic offerebantur duplicia sacrificia, scilicet, holocausta, & hostiæ pacificæ: & hoc per omnes septem choros Leuitarum. De holocaustis dicendum quòd nihil de illis proueniebat cuiquam, sed cremabantur omnes carnes, & adipes, vt patet Leuit. 1. Manebat autem sola pellis, & illa cedebat in ius Sacerdotis, qui immolabat holocaustum: vt patet Leu. 6. Si autem essent hostiæ pacificæ, offerebantur solùm in altaribus adipes, vt patet Leuit. 3. Cætera autem proueniebant Sacerdotibus, & offerentibus, s. pectusculum, & armus dexter cedebant Sacerdoti immolanti, & proueniebant ei, & toti familiæ suæ ad comedendum, s. tam filijs quam filiabus & seruis: vt patet Leuitic. 9. & 22. Cæterę autem carnes proueniebant offerentibus. Credendum est autem quòd Dauid obtulerit omnia sacrificia illius diei ad honorem arcæ: cùm ipse fecisset eam duci in domum suam, & sic proueniebant ei omnia iura hæc de carnibus, credendum est tamen quòd ipse distribuerit ea per populum, dando omnibus mãducare ad gaudium illius festiuitatis: nam & præter hoc dedit cuilibet de populo assaturam bubalæ vnã, & similam frixam oleo, vt patet infra.

Humilitas epi qualis ei se debeat.

An

An facta fuerunt sacrificia coram arca in domo Dauid. Quæst. XXI.

QVAERETVR vlterius, postquam fuit posita arca in domo Dauid, an fiebant coram ea aliqua sacrificia aut cęremoniæ. Aliquis respõdebit quòd non, quia sic dictum est supra quæst. 12. quòd non fuerunt facta sacrificia, nec cæremoniæ coram arca, dum maneret in domo Obededom, nec in domo Abinadab. Sed dicendum est q̃ Dauid, quando posuit arcam in domo sua habebat intentionem fabricandi ei templum, in quo esset arca cum omnibus vasis sanctuarij; sicut ipse dixit ad Prophetam Nathan sequen. c. quòd vellet ædificare templum Domino, & quia si templum illud fuisset ædificatum, in eo fuissent facta sacrificia, voluit Dauid q̃ coram arca eo tempore, quo ibi maneret offerentur sacrificia. Quod patet, quia immediatè vt posita est ibi, Dauid obtulit coram illa holocausta & pacifica, vt patet hic; ideo dicendum quòd toto tempore, quo mansit arca in domo Dauid, quod fuit toto tempore regni eius super Israel vsque ad tertium annum regni Salomonis, fecit Dauid de sumptibus suis exhiberi per singulos dies magnum cultum Deo coram arca. Vnde ipse constituit ministros de Leuitis, vt cantarẽt quotidie coram illa, & alios, vt prophetarent, & alios vt psallerent in varijs musicis instrumentis. Nã Asaph erat princeps primus omnium ministrorum arcæ, & Zacharias erat princeps secundus. Asaph enim canebat in cymbalis: alij autem psallebant in psalterijs, & lyris: Sacerdotes verò canebant tubis. Isti autem tam Sacerdotes quàm Leuitæ multi erant, sed distincti sunt per vices suas, scilicet, vt diuersis temporibus ministrarent. Obededom autem, & 68. fratres eius facti sunt ianitores arcæ. Constituit etiam Sacerdotes ad immolandum quotidie coram arca. De his omnibus patet 1. Paralipo. 16. Omnia verò hæc soluebat Dauid de proprijs expensis, quia ista non erant sacrificia publica, sed priuata. Etiam quia Dauid fecerat adduci arcam in domum suam.

An cessauerunt sacrificia quæ olim fiebant in sanctuario propter sacrificia arcę. Quæst. XXII.

QVAERETVR vlterius, an propter sacrificia, & cæremonias, quæ fiebant coram arca cessarent cæremoniæ, quæ fiebant olim in sanctuario. Aliquis dicet quòd sic, quia olim quando arca erat extra sanctuarium in domo Abinadab cùm non fierent coram ea aliquæ ceremoniæ; sed solùm maneret ibi in custodia, vt declaratum est præceden. lib. ca. 7. fiebant sacrificia, & cæremoniæ in vrbe Nobe, vbi erat tabernaculum, vt patet præce. lib. cap. 21. nunc vero offerebantur sacrificia coram arca, & fiebant cæremoniæ, & cantica; ideo videtur quòd non erat necesse iam aliquid fieri in sanctuario. Respondendum, quòd necesse erat secundùm legem fieri in sanctuario nunc sacrificia, & alias cæremonias. Quod patet, quia Moyses fabricauerat altare æneum. Exod. 27. & iussum erat, quòd super illud offerentur omnia holocausta. Etiam quandocunq; in Leuitico, & in aliis locis dicitur de oblatione sacrificij subijcitur, quòd immolabatur coram hostio tabernaculi: immo Leuit. 17. dicitur, quòd quicunque offerret sacrificium, & non duceret illud ad hostium tabernaculi, reus esset tanquam si sanguinem effudisset: non ergo propter sacrificia, quæ fiebant coram arca poterant cessare sacrificia iussa fieri in lege, cùm corã arca non immolaretur iure communi, sed dispensatione, vel priuilegio. Ideo dicendum quòd cùm Dominus iusserit quotidie fieri sacrificium matutinum, & vespertinum, quod vocatur iuge, & in sabbatis, & alijs festiuitatibus alia sacrificia specialia, de quibus omnibus Numer. 28. & 29. ista debebant fieri temporibus suis in sanctuario, & non coram arca; & si quis contraniteretur, peccaret grauissimè. Erant etiam alia sacrificia, & cæremoniæ ex necessitate, vt in muliere post partum. Leuit. 12. & in emundatione leprosorum: de qua Leuit. 14. In his & alijs similibus necesse erat fieri immolationes, & cæremonias in sanctuario, cùm lex hoc expressisset. Si quis autem hoc faceret coram arca, peccabat mortaliter, & non satisfaciebat, sed tenebatur iterum hoc facere in sanctuario. Item in votis, si quis vouisset aliquid offerre, etiam si non nominasset locum, tenebatur illud offerre in sanctuario: nisi expresè nominasset in voto quod vouebat offerre tale sacrificium coram arca; quia tunc cùm vota a principio sint libera potest quilibet apponere quamcunq; conditionem voluerit, dum tamen licitam: & sic poterat vouere offerre in quocunque loco vellet, duntamen non esset a lege reprobatus. Postquam autem vota sunt emissa, sunt necessaria: ideo si a principio vouens nullam cõditionem apposuisset, etiam si postea velit, non potest eam apponere: sed sunt vota intelligenda secundum interpretationem iuris communis: & sic cùm lex iuberet omne sacrificium offerri ad hostium tabernaculi, Leuit. 17. si quis uoueret offerre, & non nominaret locum, etiam si postea uellet offerre coram arca, non posset, quia lex interpretatur quòd debeat offerri in sanctuario. In sacrificijs autem spontaneis erat licitum, quòd offerret illa quicunque ubi uellet, siue in sanctuario, siue coram arca; eo quòd sacrificia spontanea sunt libera simpliciter, & omni tempore, ideo potest quicunq; offerre illa, ubi uoluerit: duntamen non sit locus ille prohibitus a lege. Hæc autem omnia patent Paralip. 16. ubi dicitur q̃ Dauid constituit Sadoc Sacerdotem magnum & fratres illius Sacerdotes coram tabernaculo Domini in excelso, quod erat in Gabaon, ut offerrent holocausta dño super altare holocaustomatis iugiter mane & uespere iuxta omnia, quæ scripta sunt in lege Domini. Constituit etiam in eodem sanctuario Leuitas ad canendũ semper coram Dño in tubis, & cymbalis, & omnibus organis musicorum, quorum principes erant Heman & Idithun, & consequenter filij eorum, vt patet cap. allegato. Dicendum igitur, quòd in sanctuario fiebant omnia, quæ solebant fieri à principio cùm arca, & sanctuarium erant simul: ea autem, quæ nunc fiebant coram arca, erant supererogationis, & non diminuebatur propter hoc aliquid de illis, quæ fieri solebãt prius in sanctuario. *Cumque compleßet*. Hic ponitur liberalitas Dauid ad populum dando singulis munera propter honorem arcæ nunc adductæ: & dicitur. *Cumque compleßet offerens holocausta, & pacifica*. Idest, postquam compleuit offerre holocausta, & hostias pacificas. Dicuntur autem ista compleri, quando carnes animalium oblatorum totaliter combustæ sunt in altari, & tunc nihil manet explendum de cæremoniis sacrificij. Intelligitur autem hoc de sacrificijs, quæ obtulit Dauid coram arca postquam illa posita est in loco suo. *Benedixit populo in nomine domini exercituum*. Idest, orauit super illos benedictionem proferens nomen domini, & dicens: dominus exercituum benedicat nobis. *Et partitus est multitudini vniuersę Israel*. Idest, diuisit cibos per totam multitudinem. Est autem sensus, quòd totus Israel conuenerat ad istam secundam portationem arcæ: sic patet 1. Paralipom. 15. Scilicet: Cõgregauit Dauid vniuersum Israel in Ierusalem, vt afferretur arca domini in locum suum. Conuenerat autem ex

Sacrificia quotidie fiebant in sanctuario.

Liberalitas Dauid erga populum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tem ex deuotione ad hanc portationem tam viri, F
quàm fœminæ; ideo Dauid ad honorem festiuitatis
arcæ voluit dare cibos omni populo, qui conue-
nerat. *Tam viro, quàm mulieri.* Ideſt, venerunt viri,
& mulieres, & omnibus dedit portiones æquales.
Collyrida quid. *Singulis collyridam panis vnam.* Vocatur collyrida panis
aliquis, qui ſufficit homini ad comedendum pro ſe-
mel. Et in Hebræo habetur *torta*, ſcilicet, quòd dedit
ſingulis tortam panis. *Et aſſaturam bubalæ vnam.* Ideſt,
dedit cuilibet de carnibus bubalæ vnam aſſaturam,
ideſt, tantum quantum ſufficeret vni homini ad'co-
medendum poſtquam eſſet aſſatum. Sic patet, 1. Pa-
ralip. 16. Scilicet, diuiſit vniuerſis per ſingulos à viro
vſque ad mulierem tortam panis, & partem aſſæ car-
Bubalus qd mis bubalæ. Eſt autem bubalus ſpecies quædam bouis, G
qui differunt ab alijs bobus in figura, & qualitate, &
labore, & ſunt bubali quaſi boues agreſtes. *Et ſimilam*
Similæ. *frixam oleo.* Eſt enim ſimila panis factus de farina deli-
cata, & eſt panis leuis. Frigebatur autem in oleo, ſicut
deberet coqui in clibano: & de his conſuetum erat
offerri cum ſacrificijs, vt patet Leui. 2. & 7. dabatur au-
tem cuilibet de populo vna ſimila frixa, ideſt vnus pa-
nis de ſimila, quia iſte reputabatur cibus ſpecialis. In
Hebræo habetur. *Vnam phialam vini.* Ideſt, dedit cuili-
bet vnam phialam vini: & hoc ſatis conueniebat, quia
cùm dediſſet panem, & carnes cuilibet de populo,
debebat dare eis vinum, vt eſſet plenus cibus: & poni-
tur hic, *Aſſiſa* In Hebræo pro phiala. Alibi tamen non
ſignificat phialam, ſed poma, vel flores. Iuxta illud can H
ticorum. 2, Fulcite me floribus, & ſtipate me malis,
quia amore langueo. Et vbi ponit litera noſtra flori-
bus, in Hebræo habetur, aſſiſâ. Hieronymus tamen
voluit quòd aſſiſa acciperetur hic pro ſimila frixa o-
leo. Nec obſtat quòd Hebræi communiter exponant
de phiala vini, quia nomina apud Hebræos ſunt mul-
tum æquiuoca, & quidam exponunt ea ſic: alij vero
aliter. *Et abijt omnis populus.* Ideſt, receſſit à domo Da-
uid vbi poſita fuerat arca poſtquam ſingulis diſtribu-
tus eſt cibus. *Vnuſquiſque in domum ſuam.* Ideſt, in hoſpi-
tium ſuum, nam non habebant omnes hi, qui conue-
nerant domos in Ieruſalem, quia conuenerant de to-
to Iſrael, vel dicitur vnuſquiſque in domum ſuã, ideſt,
in terram ſuam, vbi habebat domum: nam poſtquam I
ſuſceperunt cibos à rege poſita arca in loco ſuo; nihil
habuerunt facere in Ieruſalem, ideo receſſerunt in lo-
ca ſua. *Reuerſusque eſt Dauid.* Ideſt, ceſſauit iam ab illa
occupatione, quã ſe occupauerat circa ſolennitatem
arcæ ducendæ. *Vt benediceret domui ſuæ.* Ideſt, conuer-
tit ſe ad habendum iam curam de familia ſua, & rebus
ſuis: nam dum ſolennitas arcæ ducendæ durauit, non
habuit Dauid curam de vlla re alia, qua expleta redijt
ad habendum curam de domo ſua. Et dicitur benedi-
cere, ideſt, augere, quia per curam patrisfamilias au-
gentur res domeſticæ; vel dicitur quòd reuerſus eſt vt
benediceret domui ſuæ, ideſt, vt lætaretur cum dome
ſticis ſuis, *Et egreſſa Michol.* Hic ponitur Dauid ve-
ra humilitas, ſcilicet, quia quamquam increpuit eum K
Michol vxor ſua, non reſpondit ei durè, ſed humili-
Humilitas Dauid. ter. Et dicitur. *Egreſſa Michol filia Saul in occurſum Dauid,*
ideſt, quando Dauid finito miniſterio arcæ redijt in
domum ſuam, Michol vxor eius, quæ manſerat in do
mo, exiuit obuiam Dauid ad honorandum eum, &
tunc increpuit illum. *Et ait: quàm gloriosus fuit hodie*
rex Iſrael. Ironicè dicuntur hæc, & modo irriſorio,
ita vt ex modo proferendi videantur contrarium im-
portare, quaſi dicat, multũ vituperatus fuit hodie rex
Iſrael, *Diſcooperiens ſe ante ancillas ſeruorum ſuorum*, q.d.
magnum dedecus fuit diſcooperiendo ſe. Dixit autẽ
hoc Michol, quia Dauid exuerat ſe inſignijs regalib⁹,
& indutus fuerat tunica byſſina, vt patet 1. Paralip. 16.

qui habitus pertinebat ad homines parui honoris &
ſtatus: ideo quamquam Dauid fecerit contra dignita-
tem regiam ſaltando, & ſubſiliendo coram toto po-
pulo, tamen intolerabilius viſum eſt Michol quòd
rex nudauerit ſe, quia ſaltatio aliqualiter poterat tole-
rari, & ob hoc non increpuit eum de ſaltatione. Dici-
tur autem ante ancillas ſeruorum ſuorum, quia pro
turpiori habuit Michol quòd Dauid apparuiſſet nu-
datus coram fœminis quam coram viris, quia ſicut
mulier ſi facit aliquid turpe, magis dehoneſtatur ſi co
ram viris illud faciat, quàm coram fœminis, ita & vir
faciens aliquid turpe, magis eſt inglorius coram fœ-
minis quàm coram viris. *Et nudatus quaſi vnus de ſcurris,*
ideſt, taliter nudatus eſt qualiter nudantur ſcurræ. i.
viles homines. In hoc enim durè locuta eſt Michol, G
quod fortè egit ex magnitudine doloris concepti pro
vilificatione Dauid, vel quia Dauid tolerabat Michol,
eo quòd diligebat eam nimis, & ipſa ex confidentia
locuta fuit hæc. *Dixitq; Dauid ad Michol: Viuit Dominus,*
ideſt, iuro per vitam Dei, vel per Deum viuum. *Quia*
ludam ante Dominum, quaſi dicat, verum eſt, quòd ego
aliàs ad ſolacium non debuiſſem nudari, & ſaltare, &
tamen ad honorem Dei coram arca ſua non eſt mihi
dedecus quòd luſerim, nec doleo quòd hoc fecerim,
ſed propono ex hinc iſtud abundantius facere. *Qui*
elegit me, ideſt, ludam coram Domino, quia me elegit
in regem, quaſi dicat, ego teneor Deo impendere iſtũ
honorem ludendo coram eo, velut ſi eſſem homo
paruæ conditionis, eo quòd ipſe me elegit in regem,
quod fuit maximum beneficium cùm prius eſſem
paſtor,

An Dauid debuit honorare Deum propter beneficia accepta
ab eo. *Queſt.* XXIII.

QVAERET aliquis, quomodo Dauid dixit
hic quòd luderet coram domino, eo quòd
elegerat eum, nam Deum diligere debe-
mus, & honorare propter ſeipſum, quia
ſummè bonus eſt, & non præcipuè pro
pter beneficia nobis tradita: nam quodlibet beneficiũ
nobis traditum minus eſt quàm infinitum, bonitas
autem Dei immenſa eſt, magis ergo ille naturaliter I
mouere poteſt nos ad diligendum & colẽdum Deũ,
quàm beneficia collata. Quamquàm igitur ſimplices,
qui Deum non nouerunt, colant eum propter benefi
cia collata, vel quia maiora ſperant: viri tamen ſapien-
tes Deum propter ſeipſum ſolum colunt, & ſic Da-
uid cùm eſſet vir ſanctus debebat Deum colere pro-
pter ſe, & non quia inſtituerat eum regem. Reſpon-
dendum quòd homo tenetur ad colendum, & dili-
gendum Deum in gradu, in quo colit: quia Deus eſt,
& non quia benefactor. Vnde dato per impoſſibile,
quòd aliqua creatura potuiſſet nobis facere, & feciſ-
ſet omnia beneficia, quæ Deus egit: non teneremur
ei impendere latriam, quam Deo impendimus: im-
mo ſi impenderemus, peccaremus mortaliter: Deo
autem etiam ſi eſſet poſſibile quòd nihil nobis bene-
faceret propter hoc, quòd Deus eſt: teneremur im-
pendere cultum latriæ. Sic autem Dauid Deum ho-
norabat cultu latriæ, quia ſolùm Deus erat, & nõ pro-
pter beneficium impenſum, iſta tamen latria non eſt
totaliter determinata, ſcilicet, ad tales vel tales cære-
monias; vel ad exhibendum tantum uel tantum: ideo
cùm homines impenderint Deo latriam quantum
voluerint, quia Deus eſt, poſſunt impendere ſpeciali-
ter alia obſequia Deo, quia benefactor eſt; & ſic Da-
uid non tenebatur ſpecialiter ad iſtud obſequiũ, quod
nunc impendebat; ſed voluit illud impendere ſpecia
liter in recognitionem beneficij magni ſuſcepti, ſcili-
cet,

cet, quia elegerat eum in regem'. Cùm autem obijci- A
tur, quòd Dauid debebat potius impẽdere iſtud Deo,
quia Deus erat. Dicendum quòd Dauid impenderat
Deo cultum latriæ, ad quam tenebatur ex lege, & hoc
quia Deus erat: nunc autem voluit facere aliquid ſu-
pererogationis portando arcam, & ludẽdo coram ea:
& hoc habendo ſpecialem intentionem ad beneficiũ
collatum, & non ad Deum, quia Deus eſt. *Potius quã*
patrem tuum, & quam omnem domum eius. Iſtud fuit im-
properium Michol, quia Dauid improperauit ei do-
mum patris ſui: dicens quòd debebat ludere coram
Domino potius ipſe quàm quilibet alius homo, ſcili-
cet, quia Deus ei magis benefecerat quàm alijs, cùm
noluiſſet eligere Saulem in regem, nec aliquem de do
mo ſua: ſed reprobatis illis elegit Dauid. B

Quomodo nullum elegit Deus de domo Saulis nec idem Saul
ad regnandum, ſed de domo Dauid.
Queſt. XXIIII.

QVAERET aliquis, quomodo dixit Dauid
quòd Deus elegerat eum potius quã Saul,
& aliquem de domo eius; quia Saul regna-
uit tota vita ſua ſicut Dauid: etiam de
domo Saulis accepit Deus aliquem in
regem, ſcilicet, ipſum Isboſeth, vt patet ſupra 2. capit.
Reſpondendum quantum ad domum Saulis quòd
Deus nullum elegit de domo illa ad regnandum, ſed
iam omnes reprobauerat, vt patet præceden. lib. c. 15. C
& 28. ſcilicet, quòd Deus ſcidit regnum Iſrael a Saule,
& tradidit illud Dauid. Cùm autem obijcitur de Isbo-
ſeth, qui fuit rex de domo Saulis. Dicendum quòd
hunc non elegit Deus in regem, ſed per humanam
importunitatem procuratum eſt, quòd eſſet rex, ſcili-
cet, quia Abner induxit ad hoc totum populum: vt pa
tet ſupra 2. De Saule autem dicendum, quòd Deus
elegit eum in regem a principio, poſtea tamen repro-
bauit eum, & doluit de electione illa. Sic patet præce-
den. lib. c. 15. ſcilicet: Factum eſt verbum Domini ad
Samuelem, dicens: Pœnitet me, quòd conſtituerim
Saul regem, quia dereliquit me: dicebat ergo Dauid
quòd Saul non fuit electus, eo quòd ſtatim fuit repro
batus; ſicut ille, qui natus ſtatim moritur, dicitur non D
natus, & habetur tanquam nunquam fuerit homo:
vt patet extra de verborum ſignifica. cap. nam & ego.
Dauid autem erat electus a Deo, vt nunquam repro-
bandus: quia Deus dixerat de eo præcede. lib. cap. 13.
Inueni virum iuxta cor meum: & ſequenti c. dicitur,
quòd Deus ſtabiliret thronum Dauid in æternum:
non ſicut fecerat in Saule, quem expulerat a facie ſua:
ideo dicebat de ſe, quòd erat electus. *Et præcepit mihi,*
vt eſſem dux ſuper Iſrael, ideſt, diſpoſuit de me, quòd
ego eſſem rex Iſrael: iſta diſpoſitio ſiue præceptum
habetur præceden. lib. c. 13. ſcilicet: Quæſiuit ſibi Do-
minus virum iuxta cor ſuũ, & præcepit ei, vt eſſet dux
ſuper populum ſuum: & iſtud intelligebatur de Da-
uid. Vocatur autem hic Dauid dux, ideſt, rex. Sic enim E
patet præced. lib. cap. 9. cùm dixit Deus ad Samuelem:
& cras mittam ad te virum de terra Beniamin, & vn-
ges eum ducem ſuper populum meum; & tamen
Saul rex fuit, & ſic dux, princeps, & rex idem ſignant:
licèt non conuertibiliter. *Et ludam*, ſcilicet, tripudiando
& ſaltando coram Domino, ideſt, non doleo quòd lu
ſerim, ſed propono vlterius ludere, quia in hoc non
male egi. *Et vilior fiam pluſquam factus ſum.* ideſt, ego hu
miliabo me magis me nudando, & ſaltando coram
domino quàm prius ſaltaueram. Et ſi forte in hoc vi-
lis fum ego, fiam vilior exercitando magis iſta. Sunt
autem hæc verba reprehenſoria ad Michol, quia ipſa
mordaciter increpuerat Dauid: non enim putabat

Dauid ſe ex hoc vilem effici, ſed magis honorari, cũ
propter Deum ſe humiliaret. *Et ero humilis in oculis*
meis, ideſt, ego humiliabo me ſecundum æſtimationẽ
meam, ſcilicet, quòd quamquam alij homines exiſti-
ment vilem me, quia ſum rex: tamen ego
in corde meo æſtimabo me tãquam nihil ſim; & hoc
propter Deum, qui benefecit mihi. Vnde non ſolum
exiſtimabat ſe Dauid parvum hominem, ſed etiam
exiſtimabat ſe vt beſtiam, quando conſiderabat Deũ
benefactorem ſuum, vt patet Pſalmo 73. Cum dici-
tur: Vt iumentum factus ſum apud te, & ego ſemper
tecum. Accepit autem Dauid magnam humilitatem
ſciens, quòd Saul aſſumptus fuerat in regem propter
humilitatem, & poſtea reprobatus fuerat propter ſu-
perbiam, vt patet præcedenti lib. cap. 15. Scilicet: Et ait
Samuel: nonne cùm paruulus eſſes in oculis tuis, ca-
put in tribubus Iſrael factus es? Et poſtea ſequitur ib⁹,
quomodo Deus reprobauit illum propter ſuperbiã:
voluit ergo Dauid ſemper tenere humilitatem pro-
fundam: ne dignus eſſet priuari regno collato. *Et cum*
ancillis, de quibus locuta es, gloriosior apparebo. Ideſt, quã-
quam tu putas, quòd ego vilificatus ſum ludendo nu
dus coram ancillis ſeruorum meorum: tamen non
fuit hoc verum, ideo ego ludam rurſus coram domi-
no. *Et apparebo gloriosior.* Scilicet, in oculis Dei, quia
tunc Deus magis me reputabit quàm ſi indutus re-
galibus inſignijs ſuperbirem. Vel apparebo gloriosior
cum ancillis, de quibus locuta es, ideſt, illæ ancillæ re-
putabunt me glorioſum ſic ludentem coram domi
no: quamquam tu reputes me vilificatum: & appare-
bo glorioſior, ſcilicet, in oculis meis, quia ego maxi-
me me exiſtimo, cùm nudus coram domino ſalto:
quàm cum indutus regalibus inſignijs in magnifico
throno ſedeo.

An Michol peccauerat increpando Dauid, quia ſaltabat co-
ram domino. *Quæſt.* XXV.

QVAERET aliquis, an Michol peccauerit in-
crepando Dauid, quòd ſaltauerit coram do-
mino. Reſpondendum videtur, quòd ſic, quia
Deus non punuiſſet eam, niſi peccaſſet:
pœna tamen ſubditur hic immediatè, quòd Michol
non eſt natus filius vſquè ad diem mortis ſuæ; ergo
peccauit. nec valet ſi aliquis dicat, quod hoc factum
eſt, quia erat ſterilis, quia hoc non conſtat: & ſi conſi-
teamur, quòd ſterilis erat: ſuperuacuum erat dici hic,
quòd non eſt natus ei filius. Si autem dicas, quòd iſtud
euenit ex alia cauſa: nõ eſt rationabiliter dictum, quia
ſcriptura non poſuiſſet iſtud hic de Michol, niſi ha-
buiſſet aliquam colligantiam cum his, quæ dicuntur
hic: ſed hic dicitur dẽ increpatione eius ad Dauid,
ideo videtur dicendum, quòd propter hanc increpa-
tionem punita eſt à Deo, ne haberet filios. Sciendum
autem, quòd Michol peccauit, ſed non grauiter: & nõ
fuit hoc, quaſi malo animo increpuiſſet Dauid, ſed
quia non tenuit modum increpando. Nam Michol
diligebat nimis Dauid magis quàm patrem ſuum: &
liberauit eum ſemel a morte: vt patet præceden. lib.
cap. 19. Dauid quoque diligebat eam valde: nam fecit
illam ad ſe reduci quamquam cognita fuiſſet ab alio
viro: nec voluit videre Abner quoniquè duceret eam
ſibi, vt patet ſupra tertio: ideo ipſa non increpauit eũ
malo animo tanquam habẽs illum exoſum, ſed quia
diligebat eum, & dolebat dẽ vilificatione ſua: appare-
bat autem nimis vilis factus cùm ſe nudauerit coram
toto popnlo: ideo ipſa zelõ ipſius non potuit iuſtum,
vt ſibi videbatur, continere dolorem: non tenuit tamẽ
modum, quia nimis exceſſit in increpando: nam da-
to, quòd Dauid fuiſſet verè reprehenſibilis, non de-

buiſſet

Universidad de Deusto
Biblioteca

buisset eum tam durè increpare Michol: præcipuè, F
quia non consideraurit ipsa causam, pro qua hoc faciebat Dauid, scilicet, quia propter Deum: ex quo sequebatur, quòd non vilesceret ex hoc Dauid: & dato ꝙ in aliquo errasset, erat hoc tollerabile fauore religionis, propter quam hoc faciebat: & quia redarguerat eum pro honore, quem Deo impendebat: Deus vindicauit iniuriam Dauid: non dando filios Michol tota vita sua. *Igitur Michol filiæ Saul non est natus filius vsq; ad diem mortis suæ*, ideſt, propter hoc quod fecit Michol nunquam habuit filios vsq; ad diem mortis suæ, ideſt, simpliciter nũquam natus est ei filius, quia illud dicitur non fieri vsque ad mortem alicuius, quod nunquam fit. Alij autem econuerso volunt, scilicet, quòd Michol habuerit filium in die mortis suæ, scilicet, G
quia partu occubuit, sicut Rachel in partu perijt, Geneſ. 35. & nurus Heli summi Sacerdotis incuruauit se, peperit, & mortua est, præced. lib. ca. 4. Historia autem scholastica vult, quòd habuit Michol aliquem filium, & quòd mortua est in partu, eo quòd vicina partui descendit in Hebron, & ibi peperit, & mortua est. Rab. Dauid Kimhi vult quòd Michol peperit duos filios, scilicet, vnum in Hebron, qui vocatur Iethram, de quo exponit quod habetur supra 3. scilicet, quòd Dauid genuit sextum filium Iethram de Egla vxore sua, & dicit quòd Egla est Michol. Alium autem dicit eam peperisse in morte, & hunc peperit in Ieruſalem. Primum autem non suscipitur ab omnibus: nam & H
quidam potius volunt quòd Egla, de qua ibi dicitur quòd erat vxor Dauid, fuerit vxor Saulis, & post mortem eius suscepit eam in vxorem Dauid. quando probant, quia infra 12. dixit Dominus ad Dauid: ego erui te de manu Saul, & dedi tibi domum Domini tui, & vxores Domini tui in sinu tuo. Et hoc satis verisimile est, quòd fortè aliquam de vxoribus Saulis acceperit Dauid, & quia illa erat regina antequam acciperetur, meruit vocari per excellentiam vxor Dauid. De filio autem, quem dicit peperisse eam in morte non est verisimile: nam iste modus loquendi potius inducit negationem quàm affirmationem aliquam. Simile patet præced. lib. ca. 15. cùm dicitur quòd Saul non vidit Samuelem vsq; ad diem mortis suæ; & tamen ibi est sensus quòd nunquam viderit eum, etiam in die mortis suæ. Hoc tenet Ioſephus 7. Antiquitatum, scilicet, Dauid de Michol nullos filios accepisse, & istud tenendum est. Sed obijcietur, quia infra 21. dicitur quòd Michol habuit quinq; filios, & illos crucifixit Dauid propter Gabaonitas. Respondendum quòd nullos filios habuit, & illi qui ibi nominantur, fuerunt filii adoptiui: Nam Merob soror sua genuit illos, & Michol adoptauit eos, cùm nullum haberet; ideo in aliquibus Biblijs nostris aliqui emendauerunt ponentes quinque filios Merob, vbi dicebatur quinque filios Michol, eo quòd sciebant Michol nullos filios habuisse. Sed isti cùm putarent literam corrigere, corruperunt eam: nam secundùm veritatem debet ibi poni Michol, quia sic habetur in Hebræo. Illi tamen filij intelliguntur de adoptiuis, & non de conceptis ab ea. Dicendum igitur quòd nullum vnquam filium habuit Michol saltem post ea, quæ dicuntur hic: & hoc in penam peccati sui, scilicet, redargutionis iniustæ,

Cap. VII.

CAP. VII.

EACTVM est autem cùm sedisset rex in domo sua, & Dominus dedisset ei requiem vndique ab vniuersis inimicis suis, dixit ad Nathan Prophetam: Vides ne quòd ego habitem in domo cedrina: & arca Dei posita est in medio pellium?

DESCRIPTO in superioribus de deuotione Dauid erga Deum in ducendo arcam, hic subditur de deuotione eius in volendo ædificare domum cedrinam. Et diuiditur in tres partes, quia primò ponitur humana consultatio. Secundò diuina prohibitio ibi. *Factum est autem*. Tertiò de Christo repromissio ibi. *Et nunc dices*.

An ordo sit continuus, & immediatus. Quæst. I.

QVAERETVR circa primum, an ea, quæ habentur hic, habeant continuatum ordinem ad præcedentia, vel sit aliqua mutatio ordinis, & an fuerint hæc immediatè facta post illa. Respondendum quòd ordo continuus est, nam prius duxit Dauid arcam in domum suam, & hoc vt maneret ibi quandiu ædificabatur ei sanctuarium: nunc autem voluit ei ædificare illud. Et videtur quòd arca iam esset in domo Dauid, quando ista acciderunt, quia Dauid dixit ad Nathan Prophetam: vides ne, quòd ego habitem in domo cedrina, & arca Domini sit in medio pellium? & tamen quando erat in domo Dauid, dicebatur esse inter pelles: eo quòd erat in quodam tentorio, quod extenderat ei Dauid: vt patet præced. cap. & istud tentorium erat de pellibus: fuit autem istud quasi immediatè factum post præcedentia, quia cùm Dauid duxisset ad se arcam Domini, vt ædificaret ei locum ad habitandum: non est credendum quòd magno tempore postquam duxit eam, manserit quin voluerit ædificare domum, & quæsierit hoc a Propheta: ideo nec hic, nec in libris præall. interponitur aliquid inter ductionem arcæ in domum Dauid, & inter istam consultationem de ædificando. *Factum est autem cum sedisset rex in domo sua*, ideſt, sederet quietus cessando a bellis. *Et Dominus dedisset ei requiem vndique ab vniuersis inimicis suis* ideſt, totaliter erat quietus ab hostibus, quia nullus molestabat eum, ut patet supra 5. de Philisthinis K
qui in principio regni Dauid pugnauerunt bis contra ipsum, & cùm frangerentur ab eo, non ausi sunt redire ad eum vlterius.

Quare Dauid volebat ædificare templum Domino. Quæst. II.

QVAERET aliquis, quare Dauid uolebat nunc ædificare templum Domino. Respondendum quòd propter duo. Primò quia cùm Dauid esset Deicola desiderauit semper ædificare templum Domino: tamen imminentibus bellis undiq; non poterat: nunc autem dominus dederat ei requiem ab hostibus, ideo uolebat

volebat ædificare templum dum poterat. Secunda A
causa erat, quia Deuter. 12. dicitur ꝙ quando Israelitæ haberent requiem ab omnibus hostibus suis per circuitum, & habitarent sine timore, dominus eligeret quendam locum in quo offerrentur ei holocausta, & sacrificia cætera, & cæremoniæ: nunc autem erat data requies Israelitis tempore Dauid, & non fuerat temporibus præcedentibus; ideo credidit quòd ei potius quàm omnibus prioribus incumberet onus ædificandi sanctuarium. Ideo tangitur in litera causa motiua ad hoc, scilicet, quia Dauid sedebat quietus, & dederat ei Deus requiem ab vniuersis inimicis suis.

Dauid non tenebatur facere templum Domino. Q. III.

QVAERETVR vlterius, an Dauid, vel aliquis alius rex obligabatur Domino facere templum postquam esset habita pax de hostibus. Aliquis dicet quòd sic, quia Dauid dixit hic ad Nathan: Videsne, B
quòd ego habitem in domo cedrina, arca autem domini sit in medio pellium? quasi dicat, malum & irrationabile est, ergo obligabatur facere templum Dauid. Item Deut. 12. dicitur quòd habita pace ab hostibus, Deus eligeret vnum locum, in quo Israelitæ offerrent omnia, quę oblaturi erant, sed iam habita erat pax, ergo tenebatur iam Dauid ad faciendum habitaculum illud. Respondendum quòd non tenebatur Dauid, nec aliquis alius de principibus Israel prioribus, vel sequentibus ædificare templum Domino: C
ideo quando Dauid hoc voluit, Deus gratias egit ei tanquam vellet facere aliquod opus supererogationis, vt patet infra. Item apparet hoc cùm dicitur: Nunquid locutus sum ad vnam de tribubus Israel, cui præcepi vt pasceret populum meum, dicens: quare non ædificasti mihi domũ cedrinam? quasi dicat, ego non iussi alicui de populo, ꝙ ædificaret mihi domum, ita etiam nec iubeo tibi, sed tu voluisti hoc facere, ideo ego benedicam tibi. Ad rationes in contrarium respondendum. Ad primam cùm dicitur, Dauid dixisse, Vides ne ꝙ ego habitem in domo cedrina, & arca domini in medio pellium? Dicendum ꝙ hoc intelligebatur de honestate, quasi dicat, quòd habitante rege D
in domo præciosa, non erat rationabile, quòd habitaret arca Domini in medio pellium; tamen non tenebatur ad faciendum ei mansionem, quia Deus non iusserat. Ad secundam rationem cùm dicitur, ꝙ data pace, fieret vnus locus sacrificiorum. Respondendum quòd ex illo non iubetur alicui principi populi, vel ipsi populo, quòd ędificaret domino aliquam domum: sed solùm denũciatur quòd habita pace in terra Chanaan non facturi erant Israelitæ sicut in deserto, vbi quilibet faciebat quod sibi rectum videbatur, scilicet, complendo legem, vel non complendo: sed habita pace Deus eligeret vnum locum, in quo maneret sanctuarium, & fierent omnes cæremoniæ. Iste autem locus iam erat, quia a principio fuit in Sylo, vt patet Iosue 18. postea autem fuit in Nobe, de quo præcedenti E
lib. c. 21. deinde fuit in Gabaon, de quo 1. Paralipo. 16. & 2. Paralip. 1. Nam ibi erat fixum tabernaculum, & Sacerdotes faciebant omnes cæremonias impositas a lege. Ad faciendum autem domum domino non obligabantur, nisi ipse postea iussisset.

An Dauid esset quietus ab hostibus, quando voluit ædificare templum. Quæst. IIII.

QVAERETVR vlterius, quomodo dicitur hic, quòd cùm Dauid esset quietus ab omnibus hostibus suis, voluit ædificare templum

Alph. Tost in Secundum Regum.

Domino. Sed videtur quòd non erat nunc quietus ab hostibus, quia sequen. cap. agitur de multis bellis, quæ Dauid egit contra Idumæos, Moabitas, Philisthinos, & Syros. Etiam infra 10. dicitur de bellis, quæ egit contra filios Ammon: & illa fuerunt post hoc. ideo nondum erat quietus. Item infra 21. fuit quoddam bellum Dauid contra Philisthinos, in quo periturus fuit Dauid. Item Dauid nunquam potuit ædificare templum propter bella imminentia, ideo nunquam habuit pacem plenam cum hostibus. Patet antecedẽs infra. 3. lib. c. 5. nam dixit Salomon ad regem Hiram: tu scis voluntatem Dauid patris mei, & quia non potuerit ædificare domum nomini Domini propter bella imminentia per circuitum: ergo nunquam habuit pacem plenam. Respondendum quòd Dauid erat in pace perfecta, quando voluit nunc ædificare templũ, quia sic dicitur in litera. Etiam quia ista causa motiua fuit ædificandi, & quærendi a Propheta, an ædificaret. Ad rationes in contrarium respondendum, quòd aliquis est quietus ab hostibus dupliciter, vno modo quia hostes non inquietant eum, alio modo, quia ipse non inquietat hostes. Primo modo Dauid habebat quietem ab omnibus hostibus nunc. s. quia nulli hostes inquietabant eum: nam postquam Philisthini bis ab eo effugati sunt, non ausi fuerunt aliqui per circuitum insurgere contra eum. Secundo modo Dauid non erat quietus ab hostibus, quia ipse inquietauit hostes post hoc faciens multa bella. Cùm autem dicitur quòd sequenti cap. pugnauit contra multas gentes, dicendum quòd illæ non mouerunt bellum contra Dauid, sed Dauid cõtra eos, ideo si ipse voluisset, quietus erat in domo sua. Item cùm dicitur infra decimo capitulo de bello Ammonitarum, dicendum quòd illud non fecerunt Ammonitæ contra Dauid, sed Dauid contra Ammonitas. Quod autẽ obijcitur infra 21. Dicendũ quòd illud bellum fecerunt Philisthini contra Dauid. Sed illud fuit multo tempore post hoc circa senectutem Dauid. Et de illo nullo modo presume batur nunc, quia fuit nimis accidentale; ideo illo non obstante dicebatur nunc Dauid quietus ab omnibus hostibus, quia illi, qui tunc pugnauerunt, nunc nihil pugnabant. Cùm autem dicitur infra 3. lib. ca. 5. quòd Dauid non potuit ædificare templum propter bella imminentia in circuitu. Dicendum quòd non intelligitur de bellis, quæ solùm hostes faciebant contra ipsum, sed tam de illis, quæ ipsi faciebant quam de illis, quæ faciebat Dauid contra eos. Nam Dauid non solũ debebat se defendere ab hostibus, sed etiam incumbebat ei onus eripiendi terram de manibus eorum, cùm illa pertineret ad Israel, & ob hoc quamquam Philisthini non pugnarent contra Israel, Dauid debebat pugnare contra eos. vt erueret terram de manu eorum, quia ipsi erant de Chananæis. Contra Moabitas autem, & Ammonitas, ac Idumæos, & Syros pugnauit non vt terram eorum acquireret per Israel, sed propter aliquas iniurias, quas suscipiebant Israelitæ ab illis, vt patet de Ammonitis infra 10. quousq; igitur Dauid subijceret sibi omnes istas gentes, non habebat locum faciendi tabernaculũ domino, & istud dixit Salomon infra. 3. lib. c. 5. ꝙ non potuit Dauid ædificare domum domino propter bella imminẽtia per circuitum, donec daret dominus eos sub vestigio pedum eius, & sic quamquã nunc voluisset Dauid ædificare domino templum, quia tamen restabant ei multa bella, ꝓ quæ impediretur ab hoc opere, noluit Deus quòd ipse ædificaret templum, sed filius eius. *Dixit ad Nathan Prophetam.* Iste Propheta erat semper cum Dauid, quia erat vir sanctus, & nimis laudatus in scriptura, sic patet Ecclesiast. scilicet, post hoc surrexit Nathan Propheta in diebus Dauid, & quasi adeps

Prima ratio.
Secunda ratio.
Tertia rõ.
Ad primam rationem.
Ad secundã
Ad tertiam.

F separatus

Universidad de Deusto
Biblioteca

separatus est a carne. *Videsne, quòd ego habitem in domo cedrina.* Ista erat domus, quam construxerat Dauid in castro Sion: nam Hiram rex Tyri miserat ei artifices, & ligna cedri, nam & illi ædificauerunt domum Dauid, vt patet supra quinto, & primo Paralip. 14. *Et arca Dei posita sit in medio pellium*, ideſt, in tentorio facto de' pellibus, quia Dauid parauerat quendam locum arcæ, in quo erat tentorium quoddam, sub quo posita erat arca, vt patet præced. c. quasi dicat, irrationabile est, quòd ego habitem in domo cedrina, & arca Domini in tentorio, ideo iustum erat, q̃ ædificaret ei domum pulchram.

Quare Dauid petijt a Nathan, an deberet ædificare templum. Quæst. V.

QVAERET aliquis, ad quid Dauid petebat ista a Propheta Nathan. Respondẽdum quòd hoc fecit, quia volebat Dauid scire responsionem a Nathan ex parte Dei super hoc, cùm esset Nathan Propheta. Sed aliquis obijciet, cùm Dauid esset Propheta, ad quid quærebat ab alio Propheta sententiam Dei, nam inter Prophetas non est sicut inter sapientes, quia vnus sapiens est sapientior alio, Inter prophetas tamen non est vnus sapientior alio, quia nihil per ingenium suum nouerunt, nec per laborem, sed quantũ dominus actualiter reuelat, ideo non potest vnus erudiri ab alio. Responderi potest dupliciter ad hoc, vno modo quòd Dauid non erat Propheta de illis, quibus Deus aliqua reuelabat abscondita de his, quæ eueniunt; sed solùm dabat illi spiritũ propheticum ad componendum Psalmos, & formandum laudes diuinas, quas alij formare nescirent. Et quia scire an Deus vellet, quòd ædificaretur templum per Dauid, vel non, erat de his, quæ eueniunt, ideo Dauid non poterat illud scire, sed oportebat quòd inquireret illud ab alio Propheta, cuiusmodi erat Nathan. Secundò responderi potest, quòd dato quòd Dauid esset de illis prophetis, quibus Deus reuelabat futura abscondita; tamen tunc non mouebat eum actualiter ad cognoscendum hoc, ideo oportebat quòd consuleret dominum per alium prophetam: non est enim spiritus propheticus, sicut habitus scientiæ, vel artis, quia per illum possit habens considerare quandocunque voluerit: spiritus enim propheticus non est habitus, sed lumen a Deo infusum, & transiens, quod postquam transierit, propheta nihil potest intelligere de occultis, etiam si ad hoc conetur, & sic si non erat tunc spiritus propheticus in Dauid, oportebat quòd ipse peteret ab alio propheta, qui tunc haberet spiritum propheticum. Sed prima responsio melior est: nam si Dauid fuisset de prophetis, quibus releuantur abscondita, licèt nunc nõ haberet actualiter spiritum propheticum, vt intelligeret, posset consulere dominum, & responderet ei: sicut fecit Ieremias, quando petierunt Israelitæ ab eo, an deberent descendere in Aegyptum: nam tunc non potuit eis respondere, orauit autem ad dominũ super hoc, & post decem dies respondit ei, vt patet Ier. 42. *Dixitque Nathan ad regem*, Istud respondit Nathan immediatè vt consultus est, non habita deliberatione super hoc, vel responsio a Deo, ideo errauit, vt patet infra. *Omne quod est in corde tuo vade, & fac*, ideſt, incipe facere omne, quod proposuisti facere de ædificando domum. *Quia Dominus tecum est*, ideſt, Dominus te adiuuabit. Hoc autem dixit Nathan putans, quòd cùm res ista bona esset, Deus non recusaret eam, sed ei gratissima esset, ideo respondit quasi non dubitans, postea tamen contrarium dixit iussu Dei.

Quomodo Nathan errauit respondendo falsum, cùm esset Propheta. Quæst. VI.

QVAERET aliquis, quomodo errauit hic Nathan, cùm esset Propheta; nam sermo prophe ticus est firmissimus, & firmius eis, quæ nos videmus, sic patet 2. Pet. c. 1. vbi cùm dixisset Petrus, q̃ viderat Christum transfiguratum, subdit: habemus autem firmiorem propheticum sermonem, i. firmior est ad assentiendum ei propheticus sermo, q̃ ea quæ videmus. Respondendum est, q̃ aliquis fortè dicet, prophetas vt cõiter verũ dicere, sed aliqñ mentiri, & sic Nathan errauit hic. Sed istud est absurdum, quia si concedimus q̃ aliquis propheta semel mentiatur, semper dubitabitur, an mẽtiatur, & sic quamquã sermo suus sit aliqñ verus; nunquã tamen erit certus, quia semper manet ratio dubitandi: & tamẽ B. Petrus dixit vbi supra, q̃ propheticus sermo est certior eis, quæ nos videmus. Item si concederemus prophetas aliquando mentiri, cùm sacra scriptura per prophetas scripta sit, non maneret in illa aliqua auctoritas, quia admisso vno mendacio, dubitabitur de omnibus an mẽdacia sint: sic patet in Decretis dist. 9. c. si ad sacras. Item si concederetur aliquod mendacium in scriptura, liceret nobis disputare de illa, an vera vel falsa essent, quæ dicuntur, ne deciperemur: sed nulli licet disputare de sacra scriptura, an vera, vel falsa sit. ea. dist. c. quis nesciat. Sed credendum est, q̃ scriptor eius mentiri non potuit. ea. dist. c. ego solis. ergo non est concedendum q̃ propheta aliquando mentiatur. Item prophetæ loquuntur spiritu sancto dictante. 2. Petri c. 2. s. Non voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed spiritu sancto inspirante locuti sunt Dei homines. & tamen spiritus sanctus non potest mentiri, ergo prophetæ nunquam mentientur. Dicendum igitur, q̃ propheta loquens propheticè nunquam potest mentiri. Dr autem loqui propheticè, qñ habet spiritũ propheticũ, non tñ habent semper prophetę spñ propheticum, sed qñ Deus vult immittere eis illum. Sic patet de Moyse, qui aliquando nesciebat respõdere ad quę̃sita, quousque iret ad consulendum Dominum; sicut fuit in quæstione filiarum Salphaad, Nu. 27. Sic etiam Ieremias nesciuit respondere, quousq; per decem dies orauit Dominum, & reuelatum est ei quod quę̃rebat. Ierimiæ 42. Daniel quoque affligebat animam suam per multos dies, vt Deus ostenderet ei reuelationem visionis, vt patet Daniel. 8. & 9. Eliseus quoque nesciuit respondere quousq; venit citharista coram ipso, & audita melodia, factus est in eo spiritus Domini. infra 4. lib. c. 3. Iterum aũt Eliseus nescIuit, quid mulier quæreret, cùm ait ad Giezi, dimitte illam, anima enim eius in amaritudine est, & dominus celauit a me, & non indicauit mihi. infra 4. lib. cap. 4. Hoc autem est, quia spiritus propheticus non est sicut habitus scientiæ, per quem possunt habentes semper intelligere, sed est lumen supernaturaliter illustrans intellectum prophetæ, & raptim transiens, quod cùm transierit, nullũ manet vestigiũ prioris intellectionis, sed manet tunc propheta, sicut quilibet alius homo simplex nihil intelligens. Sic etiam fuit de Nathan, quia qñ quæsiuit hoc Dauid ab eo, non habebat spiritũ propheticum, ideo errauit, sicut quilibet alius homo errare poterat. Sciẽdum ergo pp hoc, q̃ quamquam aliquis propheta dicat aliquid, non tenemur immediatè assentire ei, q̃q̃ sciamus illum esse prophetã, quia fortè non loquitur spiritu prophetico: ideo ad hoc vt credamus ei, debet habere vnũ de duobus. Primũ est, q̃ ostendat aliquod signũ, per qđ ei credaꝫ, vt q̃ dicat, ego ꝓnũcio vobis talę, vel tale ex parte Dei, & in signũ huius fiet talis, vel talis res: & isto modo credebatur prophetis in veteri testamento. De hoc Deut. 13. & 18. Secundum est, q̃ illa dicta prophetarum approbata sint, s. q̃ certificentur, an sint dicta propheticè, & hoc fit auctoritate Ecclesiæ, quæ recepit certas scripturas in canone suo: & de istis iam non licet dubitari propter auctoritatẽ Ecclesiæ, quin sint propheticè dictæ. De prophetis autẽ dicit Glo. ordi. q̃ Spiritus Sanctus non semper irradiat mentes eorum, sed vbi vult spirat, quod ex dispensatione pietatis disponit: quia dum prophetis spiritũ dat & subtrahit, prophetarum mentes eleuat in celsitudine, & custodit in humilitate, vt accipientes spiritum inueniant quid in eo sint, & rursum eum non habentes recognoscant quid sunt in semetipsis.

Factum est autem. Hic ponitur secundum huius cap. s. diuina prohibitio de ædificando templum, sicut dispositerat Dauid. *In nocte illa*, i. in eadem nocte, in qua Dauid consuluerat Nathan super ædificatione templi, apparuit ei dominus. Dicit autem Rabbi Benina, q̃ Dauid erat homo valde velox in opere suo, & cùm dixisset ei in die præcedenti Nathan, q̃ faceret quod habebat in corde, forte sequenti die inciperet Dauid illud operari, ideo vt non frustra laborare inciperet, Deus voluit immediatè prohibere. Dicit autem Rabbi Cimon, quòd Dauid erat vir promissor, & audita responsione Nathan, fortè sequenti die voueret ædificare templum, ideo vt non frustra votum emitteret, prohibuit istud in nocte illa. Quòd autem Dauid esset promissor, & vouerit super ædificatione templi patet Psal. 131. s. Sicut iurauit Domino, votum vouit Deo Iacob, si introiero in tabernaculum domus meæ; si ascendero in lectum strati mei; si dedero somnum oculis meis, & palpebris meis dormitationem, & requiẽ temporibus meis donec inueniam locum Domino, tabernaculum Deo Iacob. Sic igitur fortè nunc voluisset Dauid super ædificatione templi, & hoc nolebat Deus. *Et ecce sermo Domini ad Nathan*, ideſt, factus est sermo Domini ad Nathan nocte illa.

Multipliciter Deus poterat loqui ad Nathan. Quæst. VII.

QVAERET aliquis, quomodo Deus locutus fuerit nunc ad Nathan. Respondẽdum q̃ poterat multipliciter ei loqui. Primò apparendo ipsi. s. q̃ aliquis angelus in forma humana appareret ei, & loqueretꝫ, sicut factũ est ipsi Iosue in agro Ierico, vt patet Ios. 5. Gedeoni quoq; apparuit. Iudie. 6. Manue etiam patri Samsonis. Iudi. 12. Alio modo poterat loqui ei, q̃ formaretur aliqua vox in aere, & nõ videretur corpus formans eam, sicut fuit in datione legis. Deut. 4. Alio modo poterat hoc fieri, q̃ per somniũ Deus immutaret phantasiam Nathan ad intelligendum ea, quæ ponuntur hic, & q̃ videretur sibi ista videre. Alio modo poterat hoc fieri per immutationẽ solius intellectus, ita q̃ Deus eleuaret intellectum Nathã supernaturaliter ad aliquid intelligendum, quod prius nõ intelligebat: & hoc poterat fieri dupliciter, s. per estasim, vel sine estasi, & quomodocunq; fieret, oportebat esse in vigilia, pręterq̃ in tertio modo, cùm fit immutatio phantasiæ per somnium: de his magis dictum est præced. lib. c. 8. & 9. In præsenti autem dicendum, q̃ quãquã omnibus istis modis posset fieri locutio ad Nathan, tamẽ verisimilius est, q̃ fuerit facta tertio modo, s. per somnium, & hoc pp duo. Primò quia dicitur hic, q̃ factũ fuit istud per noctem, quæ magis accommoda est visioni per somnium quàm alteri, sicut dicit Daniel: Aspiciebam in visione noctis, i. in somnio qđ fit per noctem; sicut dicitur Daniel 7. Secundò patet hoc quia in veteri testamento iste erat modus communis prophetarum, s. q̃ prophetarent per somnium, sic patet Nume. 12. s. Si quis fuerit inter vos propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum, modus ergo iste cõior erat. *Vade, & loquere ad seruum meum Dauid.* Deus vocat hic Dauid specialiter seruum suum, quia voluit facere ad honorem Dei aliqđ opus supererogationis, quod nullus in toto veteri testamento facere disposuerat. *Hæc dicit Dominus; Nunquid tu ædificabis mihi domum?* quasi dicat, tu non ædificabis mihi domũ. Non est enim hæc increpatio, quasi Deus nollet acceptare istud obsequiũ de manu eius, sed est sensus, non ędificabis mihi domum, quia impeditus es bellis. *Nec enim habitaui in domo ex die, qua eduxi filios Israel de terra Aegypti vsque in diem hanc.* Loquitur Deus de se quasi ipse sit arca fœderis, nam Deus non habitat in domo, nec habitare potest, cùm cęlum & terram ipse impleat. Ier. 23. Sed arca Dei habitare debebat in domo, & huic volebat facere Dauid domum, Deus etiam de hac loquebatur. Et est sensus, non habitaui in domo ex die, qua eduxi filios Israel de terra Aegypti, i. non est necesse, q̃ tu nunc mihi ædifices domum, quia si ego consueuissem habitare in domo, & nunc non haberem domum, tu deberes festinare ad ædificandum mihi domum; tamen non habitaui in domo, ex quo exiui de Aegypto vsq; nunc; ideo etiam non est necesse q̃ mihi domum ædifices. In quo sciendum q̃ Deus excusat se hic de Dauid, quia fortè Dauid haberet molestũ, q̃ nollet Deus suscipere hoc obsequium de manu eius; ideo vt hoc non existimet, excusat se Deus dupliciter. Primò dicens q̃ non est necesse domum fieri, quia non habitauit in domo ab exitu de Aegypto; ideo etiam nunc non est necesse habitare in domo. Secundò excusat se dicens, q̃ multi alij principes fuerunt in Israel ferè de omnibus tribubus, sed Deus nulli illorum iussit q̃ ædificaret ei domum, ideo etiam nunc non vult iubere Dauid. Sciendum autem, q̃ dicitur hic, q̃ ab exitu de Aegypto Deus non habitauerat in domo, & non dicitur de præcedenti tẽpore, quia hic accipitur Deus pro arca fœderis, illa autem non fuerat facta ante exitum de Aegypto, nam primo anno post exitum de Aegypto fuit facta arca, & totum tabernaculum in monte Sinai; cùm in principio secundi anni recesserint inde Israelitæ, & arca præcedebat eos tunc in via, vt patet Nume. 10. ideo ex tunc Deus dicebatur habitare, vel non habitare in domo.

Arca Domini an habitauerit in domo ab exitu de Aegypto. Quæst. VIII.

QVAERET aliquis, quomodo est verum, quòd Deus, ideſt, arca Dei nunquam habitauerat in domo a die, qua exierat de Aegypto, nam arca Dei fuit in Silo, vbi fixum est totum tabernaculum, & ibi positum erat in domo. Fuit autem post arca in domo Abinadab, præceden. lib. cap. 7. postea autem in domo Obededom, supra cap. 6. deinde in domo Dauid, vbi nunc erat: tabernaculum quoque in domo fuit, quia postquam ductum est de Silo mansit in Nobe, deinde illa deleta mansit in Gabaon, vbi nunc erat: ergo in domo fuit vtrumque. Aliqui respondent, q̃ dicitur, q̃ non habitauit Deus in domo, scilicet, permanẽter, habitauit tamen mobiliter, s. quia mouebatur de vno loco in alterum. Sed ista responsio non stat, quia dicit hic, q̃ nunquam habitauit in domo, sed in tentorio, & tabernaculo; ergo intelligitur, q̃ habitauit firmiter in tẽtorio. Sed falsum est, quia tẽtoriũ, & tabernaculum Domini mouebantur de loco ad locum; ergo nullo

Universidad de Deusto
Biblioteca

modo habitabat immobiliter. Dicēdum igitur,quòd non habitauit a die,qua egressus est de Aegypto in domo,quia licèt poneretur arca in aliqua domo tam in Silo,quam in alijs locis, tamen non erat habitaculum suum principale, & immediatum ipsius domus, sed tabernaculum:erat autem modus,quòd sicut in deserto arca erat intra tabernaculum quod ambiebatur tabulis,& cortinis,& postea in circuitu columnis,& velamentis. Ita cùm erat in Silo,vel in quocunque alio loco extendebatur tentorium, & locabatur tabernaculum,intra quod erat arca; & ista omnia erant intra aliquam domum; ideo tūc non dicebatur habitare in domo ipsa arca,sed in tabernaculo. Postea vero qñ factum est templum in Ierusalem;non mansit arca sub tabulis, & cortinis tabernaculi, sed facta est quædam domus specialis pro illa.Pro cæteris quoque vasis sanctuarij facta est alia domus, & non erant ibi cortinæ, nec tabulæ, aut tentoria, ideo tunc propriè habitauit in domo arca Dei; nunquam autem simile habuerat ab exitu de Aegypto, nec ēt habebat nunc in domo Dauid, nam habitabat in medio pellium,vt patet supra in litera. *Sed ambulaui in tabernaculo, & tentorio per cuncta loca.* Dicitur ambulasse in tabernaculo & tentorio,quia habebat duo operimenta ipsa arca in sanctuario. Primū erat ipsum tabernaculum,quod erat factū de tabulis deauratis, & opertum cortinis, & in quadā parte secretiori huius,quæ vocabatur sancta sanctorū, erat posita arca.Secundum operimentum erat ipsum atrium tabernaculi,quod vocatur hic tētorium, quia extētū erat paxillis, & funibus: nā istud atriū erat factū de columnis positis in quadro in circuitu tabernaculi, fm longitudinem 100.cubitorū,& latitudinem 50.& pendebant vela de bysso de his columnis, & affigebātur terræ per paxillos & funes. De figura autem tabernaculi & atrij habetur Exod.26.& 27. & ibi declaratū est, *Quæ transiui cum omnibus filijs Israel.* Istud principaliter intelligitur de deserto,in quo ambulabat Deus cū Israelitis,qui gradiebantur de mansione in mansionē. In terra quoq; Chanaan transiuit arca Domini de loco ad locum, & ibi iam non erat in tabernaculo, & tentorio sanctuarij, quia tabernaculum fuit in Nobe, & ibi non fuit arca. In Gabaon quoq; fuit,& ibi non erat arca, sed fuit tunc in domo Abinadab, & postea in domo Obededom & Dauid. Tunc tamen velabatur arca aliquo tentorio extraneo, ſ.quod non fecerat pro ea Moyses.Sic Dauid locauit eam in quodam tentorio intra domum suam, vt patet præced.c. *Nunquid loquens locutus sum ad vnam de tribubus Israel.* Ista est secunda ratio excusationis cur Deus nollet ꝙ faceret Dauid templum, ſ. quia Deus non præceperat alicui de tribubus Israel ante hoc, quòd edificaret templū: ideo nec etiam volebat nunc iubere Dauid. *Cui præcepi,vt pasceret populum meum Israel,* q.d.cuilibet de tribubus Israel aliqñ dedi curam regendi populum, & tamen a nulla petij,ꝙ ædificaret mihi templum.Considerandum autem,ꝙ ferè de omnibus tribubus fuerūt aliqui rectores populi ante hoc.Nā de tribu Leui fuerunt primi rectores,ſ.Moyses & Aaron, de tribu Iuda fuit rector Othoniel,vt patet Iudi.3. de tribu Ephrain fuit rector Iosue,vt patet Nume.13. de tribu Manasse fuit rector Gedeon. Iudic. 6. & post eum filius eius Abimelech. Iudic. 9. de tribu Beniamin fuit rector Aod iudex, de quo Iudic.3. & postea Saul fuit rex de eadem tribu.præceden.lib.cap.9.de tribu Dan fuit iudex Samson, vt patet Iudic.13. de tribu Nephtali fuit iudex Barac, de quo Iudic.4. & 5. de tribu Zabulon fuit iudex Ahialon,vt patet Iudic.12,de tribu Gad fuit iudex Thola, & Iair, & Iephte: quia omnes tres vocantur Galaaditæ.Iudic.10.& 11.& tamen Galaad est in sorte Gad. Et sic raræ tribus sunt, quibus non derit aliquos rectores super Israel,& tamen non petijt ab aliqua tribu istarum ædificationem templi. *Dicens, quare non ædificas mihi domum cedrinam?* ideſt,non dixi alicui tribui Israel, quòd ædificaret mihi domum cedrinam,ita etiam non dico tibi.

De omnib? fere tribub? fuerunt aliqui rectores

Et nunc hęc dices. Hic ponitur tertium huius cap.ſ.de Christo promisso.Et diuiditur in duo,quia primò ponitur promissio,secundò gratiarum actio ibi. *Ingressus est autem.* Prima in duas,quia primò beneficium exhibitum recolitur, secundò exhibendum promittitur ibi. *Et ponam locum.* Circa primum dicitur. *Et nunc hęc dices seruo meo Dauid*, ideſt, quia Dauid seruus meus proposuit facere aliquid ad cultum meum,quod ego non iusseram,ego dabo ei bona muita.*Hæc dicit Dominus exercituum.* Ista sunt verba,quæ debebat loqui Nathan ad Dauid, vt intelligeret ꝙ Deus prænunciabat ei ista. *Ego tuli te de pascuis sequentem greges.* Hic narratur beneficium præteritum, ſ.quia Dauid erat pastor, & Deus accepit eum de gregibus vngendo illum in regem.præc.lib.c.16.quod fuit maximum beneficium, ſ.mutatio de paruo statu ad maximum. In Hebræo dicitur hic. *Ego tuli te de habitaculo post oues*, quod idem est,ſ.ego tuli te,quando habitabas cū ouibus, scilicet, sequendo illas, vt dicit litera nostra. *Vt esses dux super populum meum Israel.* Scilicet,faciendo te regē transferendo sine medio de opilione in regem. *Et fui tecum in omnibus vbicunque ambulasti.* Ideſt, adiuui te in omnibus negocijs, in quibus fuisti, & in omnibus locis, in quibus stetisti. Nā quamquam Dauid sæpe sustineret angustiam, & videretur breuiter moriturus, sicut qñ persecutus est eum Saul.præc.li.c.23.& vsque ad 27.tū nunquam traditus fuit in manus Saulis, nec passus est mala. *Et interfeci vniuersos inimicos tuos à facie tua.* Ideſt, occidi coram te omnes hostes tuos:vel feci,quòd non possent resistere vultui tuo. Et isti hostes erant populi Philisthinorum,qui surrexerant sæpe contra Dauid supra,5.c.Saul quoq;,& Doegh,& omnes serui Saulis,ꝙ querebant malum contra Dauid,mortui sunt in bello Philisthinorum & in alijs bellis. Deus autē dicitur occidisse istos, eo ꝙ ipse principaliter pugnabat pro Dauid. *Fecique tibi nomen grande.* Ideſt, dedi tibi magnum honorē & famam: ita ꝙ nomen tuū sit famosum per totum orbem,sicut noīa aliorum magnorū principū. *Iuxta nomen magnorum, qui sunt in terra.* Ideſt,nomen tuū est magnum,sicut nomen cuiuscunq; principis terreni.Dī autem hoc,ꝙ nomen Dauid non erat magnum simpliciter,eo ꝙ non poterat multum diuulgari,nā ēt si per totam terram habitabilem diuulgaretur nomen eius,qđ nulli vnquam mortaliū cōtigit:nō esset nomē valde famosum,cùm tota terra respectu cęlestis ambitus obtineat rōnem puncti, vt declarat Boetius inducens multa alia ad signandum paruitatem terræ. 2.lib. de consola. prosa. 7. sed dicitur, ꝙ nomen Dauid erat magnum iuxta nomen magnorum, qui sunt in terra, quia in comparatione ad alios nomen Dauid satis diuulgatum fuit. *Et ponam locum.* Hic ponitur beneficium exhibendum, & diuiditur in duo, quia primò promittitur beneficium circa temporale regnum.Secundò quantū ad spūale, & æternum ibi. *Cumque compleri fuerint.* Circa primū dicitur. *Et ponam locum populo meo Israel.* Ideſt,non solùm ego benefaciam tibi,sed ēt benefaciam populo propter te:nā toti posteritati Dauid benefecit Deus pp Dauid,quia alioquin pp peccata Salomonis, & posterorum eius Deus abstulisset regnum de manu posterorum Dauid,vt patet.ĵ.3.li.c.11. & 14.erat aūt hoc bonum Dauid,quia populus primet ad regem, & benefaciendo populo bonū fit regi; & è contrario:ideo Deus ꝓmisit locū populo Israel.i.locū firmum.Nam nunc locum hēbat,tū nō erat firmatus pp bella hostiū:cessante aūt omni turbatione Israel dicetur habere locum,& hoc significat litera sequēs, scilicet. *Et plantabo eum.* Plantare enim firmare signat, quia quod plātatur radices agit,per quas terræ immobiliter adhæret. *Et habitabo cum eo.* ſ.faciendo ei bona. Deus.n.vbique est, ideo potest dici vbique habitare, dicitur tamen ibi specialiter habitare, vel esse,vbi specialia bona agit, & sic homines, quibus Deus benefacit specialiter,dicuntur Deum hre secum habitātem. *Et non turbabitur amplius.* Ideſt, non venient hostes ad persequendum populum Israel,sicut fuit à princ.Glo. ordi.vult ꝙ intelligantur ista de vita æterna,vbi erit locus populo Israel.i.viris videntibus Deū:& plantabuntur.i.radicabuntur,quia iam non mouebuntur per varietatem angustiarum: & non turbabuntur amplius, ſ.quia non veniet super eos dolor,nec gemitus,& absterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorū,quia priora transierunt.Apo.7.Ista autem expositio est, inconueniens quia non videtur,ꝙ Israelitæ cōsecuti fuerint istam tranquillitatem post mortem Dauid, & tñ ista expositio est multum allegorica,quia Deus loquebatur hic Dauid de statu populi sui, quia aliàs nō erat aliquod beneficium Dauid,ꝙ viri sancti,qui vocantur Israel,gaudeant in vita æterna.Motiuum ēt non est satisfaciens, quia cùm dī, & non turbabitur amplius,nō negat oēm turbationem simpliciter,sed solū assiduitatem tribulationum, qualis erat prioribus tpibus, cùm cōiter affligerentur Iudæi quolibet tempore,& qñ nō affligebantur,erant in timore,ꝙ affligerētur. Hoc aūt satis signat litera sequens.ſ. *Nec addent filij iniquitatis, vt affligant eum sicut prius.* Ideſt,hostes Istael,qui vocantur filij iniquitatis, eo ꝙ mali erant, & Deo exosi: non redibunt ad affligendum populum meum sicut prius. Et non dicitur hic, ꝙ non affligerent eum, sed quòd non affligent sicut prius: nam prius, scilicet, tempore iudicum erant hostes Israel multi, & potentes,& non audebant Israelitę liberè facere,quæ facturi erant propter ipsos,nam non ambulabāt publicè per vias, sicut dicitur Iudic. 5. scilicet. In diebus Samgar cessauerunt semitæ, & qui ingrediebantur propter eas,ambulauerunt calles deuios. Post Dauid autem licèt aliquando hostes Israelitarum insurrexerint contra Israel, tñ non poterant opprimere eos,sicut à principio,ēt non insurgebant multoties sicut in tpe iudicum. Causa huius erat,quia Dauid subiecit omnes gentes Chananæorū Israelitis: vnde quando Salomon regnabat, tota terra Chanaan soluebat ei tributum. 2.Paralip.8.ſ.Omnem populū,qui derelictus fuerat de Hethæis,& Ammorreis,& Pherezęis,& Heuæis,& Iebusæis,qui non erant de filijs Israel, subiugauit Salomon in tributarios, & sic ipse dixit mortuo Dauid,quòd iam non erat Satan nec occursus malus,sed Deus dederat requiem per circuitum.seq.li.c.5.Tēpore autem iudicum erant multi hostes Israel,& non poterant se defendere Israelitæ de eis:& si aliquando miraculosè superarent illos,denuo redibant,& superabant Israelitas. *Ex die,qua constitui iudices super populum meum Israel.* Ideſt,ab illa die hostes incęperunt affligere populum meum,sed iam non sic affligent. Hoc patet, quia ante iudices fuit Iosue,& tēpore illius nunquam Chananæi potuerunt affligere Israelitas, sed potius Israelitæ delebant Chananæos: quia Dominus dixerat, quòd nullus posset resistere Israelitis toto tēpore vitæ Iosue, vt patet Iosue primo, mortuo autē illo successerunt ei seniores,qui aliquāto tempore rexerunt populum: & tunc non peccabant Israelitæ, vt patet Iosue vlt.& Iudi.2.ſ.Seruierunt Dño cunctis diebus Iosue,& Seniorum,qui longo tpe vixerunt post Iosue:mortuis autem Senioribus surrexerūt aliqui qui non nouerant Dñm, & seruierunt Israelitæ Baalim,& Astharoth.Iudic. 2. tunc Deus tradidit illos in manus Cusan Rasathaym regis Mesopotamiæ, qui oppressit illos annis.8. & ista fuit prima pśecutio. Tūc clamauerunt ad dominum, & dedit eis primum iudicem noīe Othoniel.Iudi.13. Et iste modus postea fuit in Israelitis.ſ.ꝙ sæpe colebant Idola,& sæpe affligebantur ab hostibus,quod patet ex toto processu libri Iudicum. *Et requiem dabo tibi ab omnibus inimicis tuis.* Istud erat speciale beneficium ipsi Dauid: nam licèt nunc videretur sibi quietus ab omnibus hostibus,tamē post hoc multa bella egit mirabiliora,quā egisset ante hoc .ſ.contra Philisthinos, Moabitas, Idumæos, Syros, & Ammonitas, vt patet seq.c.& infra 10. & in his omnibus promisit Dominus Dauid victoriam de hostibus, & postea pacem subiectis omnibus sibi. *Prædicitque tibi Dominus,quòd domum faciat tibi.* Ideſt,prænunciat tibi, quòd faciat domum de stirpe tua:dī.n.aliquis hre domum,qñ eo moriente,manent posteri,qui succedunt illi in dignitate sua. Et sic quia Dauid habiturus erat posteros regnaturos post se vsq; ad magnum tempus, dicebatur hre domum. Saul autem nō habuit domū, quia non succesisit ei aliquis de stirpe sua in dignitate regali,nisi Isbosteth,& iste ad modicum tēpus,& transiuit illico ad Dauid.Postea autem non fuit noīata domus,vel posteritas Saul:sic patet infra, cùm dr. Mīam autem meam non auferam ab eo,sicut abstuli à Saul.

Cumque completi. Hic ponitur promissio de regno spirituali futuro, vt volunt doctores nostri. Pro quo sciendum,ꝙ hic est controuersia in modo exponendi vsque ad partem illam. *Ingressus est autem rex,* & plurimi exponunt solùm de Christo, & sic dicunt pertinere ad regnum spirituale, hoc autem quia ponūtur hic aliqua,quæ non pertiuent nisi Christo.Vnde Gl.ordi. & August. in lib.de Ciuit.Dei, sic exponunt, scilicet, *Cumque impleti fuerint dies tui*, ideſt, quando mortuus fueris. *Et dormieris cum patribus tuis,* ideſt,dormieris somno mortis cum oībus progenitoribus tuis, qui iam mortui sunt. *Suscitabo semen tuum post te,* ideſt,suscitabo Christum,qui erit de semine tuo secundùm carnem; & fuit post Dauid,quia multo tempore post mortem Dauid natus est Christus.Vnde dicit Glo.ord. ꝙ dictū fuit specialiter hoc,vt intelligeretur, ꝙ non dicebatur de Salomone,quia domus Salomonis cępit ante mortem Dauid,ſ.eo viuente factus est rex; imò dicit illa Glo.ꝙ non ob aliud cœpit regnare Salomon viuente patre, quod nulli aliorum regum contigit, nisi vt appareat ipsum non esse,quem prophetia præsignat, dicens: cum completi fuerint dies tui,suscitabo semen tuum post te. *Quod egredietur de vtero tuo,* i.erit de stirpe tua:nam filius fuit in lumbis patris,& Christus fuit in Dauid secundū carnem.Sed apertius dī 1.Paral.17. ſ.suscitabo semen tuum post te,quod erit de filijs tuis. *Et firmabo regnum eius.* Hoc fuit in Christo, qui fuit rex regum,& dominus dominantium, & princeps oīum regum terræ.Ieremiæ 23.vocatur Messias rex,scilicet, Ecce dies veniunt,dicit dominus, & suscitabo Dauid germen iustum,& regnabit rex, & sapiens erit, quod de messia intelligitur ad literam. Regnū autem istud Christi fuit firmum, quia nunquam mutatum est ad aliam gentē sicut regnū Salomonis,sed manet in ęternū.De quo dī Dan.2. In diebus aūt regnorū illorū suscitabit Deus cœli regnum,quod in æternū non dissipabitur,& regnū eius populo alteri nō tradetur: istud autem est regnum Ecclesiæ, quod est regnū Christi, & durat vsq; ad diem iudicij. *Ipse ædificabit domum nomini meo*, scilicet, Christus ædificabit Ecclesiam verbo ptædicationis suæ, & sanguine, quæ domus est ex lapidibus viuis,& est ædificata nomini domini,i.ad honorem nominis Dei: nam nulla domus tñ pōt esse ad cultū Dei,sicut ipsa catholicorū Ecclesia,cùm ipsa met Deum colat:domus aūt factæ de lapidibus largè sunt ad cultum Dei. *Et stabiliam thronum regni eius vsq;*

Universidad de Deusto
Biblioteca

in sempiternum, scilicet, nūquā mutabitur regnum eius F in alias gentes, sed manebit firmū. *Ego ero ei in patrem, & ipse erit mihi in filium.* Hoc ad literam de Christo intelligitur, qui erat uerè filius Dei, & sic introducit Apostolus ad Hebræos primo, differentiā Christi ad angelos; quia de Christo dicitur, ego ero ei in patrem, & ipse erit mihi in filium, quod de nullo angelo dicitur, nec.n. Deus habet alium filium naturalem, nisi Christum. Homines aūt largè vocantur filij Dei. s. per adoptionem. *Qui, si iniquè aliquid gesserit.* Ista particula non potest intelligi de Christo in propria persona, sed exponunt eā doctores de Christo in membris suis, quia Christus est verus homo, & ēt est caput corporis mistici, vt patet ad Ephe. 4. inquantum autem ipse est homo verus peccare non potest, sed inquantum ipse est G caput corporis mystici attribuuntur ei peccata: cùm membra huius corporis possint peccare, & aliqñ peccent, & de hoc dr̄ in Ps. 71. qui totus de Christo scribitur: Lōge a salute mea, verba delictorū meorum, i. delictorum membrorum meorū. Scriptura aūt facit frequenter istam transitionem, s. de corpore Christi, vero ad corpus mysticum, & è contrario. *In virga virorum.* Ad membra Christi refertur, quæ nos sumus, quia Deus nos arguit virga virorum, i. qñ peccamus nō occidit nos sicut hostis, sed corripit nos virga sicut pater. Hoc aūt signum est, q̄ filij eius simus, quia ab eo corripimur, sic dicit Apostolus ad Hebræos. 12. quem enim diligit dñs castigat, flagellat autem omnē filium, quem recipit, quis est filius, quem non corripit pater? q̄ si extra disciplinam estis, cuius participes facti sunt homines, iam non filij, sed adulteri estis. *Et in plagis filiorum hominum.* Eadem sententia est, s. q̄ quando peccarent membra Christi, punirentur in plagis filiorum hominum, i. non occideret eos Deus, sed daret eis plagas paruas, sicut dant homines filijs suis. *Misericordiam autem meam non auferam ab eo.* Hoc tā de Christo quàm de membris intelligi potest: nam Deus semper misertus est Christo homini, & exaudiebat atque clarificabat eum, sicut ipse dixit Ioann. 12. quamquam ipse dicat ad modicū se derelictū a Deo, s. Deus meus, Deus meus vt quid dereliquisti me? Mat. 27. De membris quoq; Christi verum est, q̄ nūquam Deus aufert ab illis misericordiam suam, sed miseretur, bona semper conferens, & in æterna gaudia ducens. *Sicut abstuli a Saul*, q.d. ego misertus sum illi faciendo eum regem, sed postea abstuli misericordiam meam ab eo tollendo regnum de manu eius, & filiorum suorum. *Quem amoui a facie mea*, s. faciendo q̄ non esset rex de posteritate sua. *Et fidelis erit domus tua.* Hoc benè intelligitur de Christo, quia Ecclesia fidelis est, quæ est domus Christi, imò extra ecclesiam nullus est fidelis. *Et regnum tuum vsq; in æternum ante faciem meam*, idest, regnum tuum erit fidele, quod idem signat. Nam principatus ecclesiasticus, qui est monarchicus, vel regnatiuus fidelis est. *Et thronus tuus erit firmus iugiter*, idest, sedes regni Christi erit firmissima semper, scilicet, sedes Apostolica, in qua est auctoritas regni Christi. 1. Paralip. 17. dicitur: Et thronus eius erit firmissimus in perpetuum, quod idem est. Hucusque est differentia in expositione; cętera autem, quæ sequuntur, eodem modo exponuntur ab omnibus. Alij autem exponūt ista mixtim, s. partim de Christo & partim de Salomone, sic exponit Nico. & inducit rationem ad hoc, quia ista dicuntur de Salomone, ad Christum tñ pertinent. Pro quo considerandū dicit, q̄ res gestæ veteris testamenti fuerunt figura noui testamenti 1. ad Cor. 10. s. Oīa in figura contingebant eis. & sic Salomon filius Dauid fuit figura Christi, qui etiā de Dauid natus est s̄m carnem, vt patet ad Ro. 1. quod aūt est figura alterius, oportet q̄ s̄m se sit aliqua res: nisi enim circulus

Expositio Nicolai.

pendēs ante tabernam esset in se aliqua res, nō posset esse signum vini existentis in celario: sic igitur quod est figura alterius potest tripliciter considerari, uno modo vt est in se solùm, secundo modo vt est solùm figura alterius, Tertio modo ut est utrunq;. Sic etiam in sacra scriptura aliqua dicuntur de Salomone s̄m se inquantum non est figura Christi, ut quòd fecit idola & coluit ea. 3. reg. lib. cap. 11. alia dicuntur de ipso solùm inquantum fuit figura Christi, & illa non possunt verificari de Salomone, sed de Christo, vt patet in Ps. 71. scilicet, Dominabitur a mari vsq; ad mare, & a flumine vsque ad terminos orbis terrarum., quod non fuit verum de Salomone, qui non fuit monarcha, sed habuit regnum satis limitatum: sed verum fuit de Christo homine: cui in sua resurrectione data est omnis potestas in cœlo, & in terra. Matth. vlti. Alia aūtem dicuntur de Salomone secundùm vtrumq;, & ipsa uerificantur de ipso minus perfectè, & de Christo perfectius: cuiusmodi sunt quæ ponuntur hic, saltem aliqua illorum. Vnde vult Nico. ista ad Christum ducere & ad Salomonem, & aliqua ad solum Salomonē. Alij autem solùm volunt exponere literam istam de Salomone quantum ad omnia, quæ in ea continentur, & isti sunt Hebræi.

An sit accipienda de Salomone, vel de Christo ista promissio, quæ fit hic ad Dauid, & de vario modo exponendi. Q. IX.

H QVAERET aliquis circa, hoc quomodo exponenda sit ista litera: vel de quo. s. anto tā de Christo, vel tota de Salomone, vel mixtim. Respondet Gl. ord. & Aug. in lib. de Ciuit. Dei, q̄ exponenda sit de Christo totaliter, & non de Salomone. Et est sensus q̄ cùm in omnibus precedentibus dictū fuisset de regno temporali Dauid, Deus introduxit hic de spirituali regno Christi, & hoc quia pertinebat regnū Christi aliquo modo ad Dauid, cū Christus esset de semine Dauid. Quòd aūt non intelligantur hæc de Salomone, patet primo, quia dr̄: Cūq; dormieris cū patribus tuis, & tamen Salomon regnauit ante mortem Dauid. Item quia dr̄, & stabiliam regnum eius vsq; in sempiternū: I tamen regnum Salomonis non durauit nisi vsq; ad captiuitatem Babylonicam, vel saltem vsq; ad Christi aduentum: nam paulò ante ablatū erat regnū Iudæorū, cū regnaret Herodes, qui erat Idumæus. s. filius Antipatri viri Idumæi. Item quia dicitur hic, ego ero ei in patrem, & ipse erit mihi in filium: quæ verba Apostolus de Christo exponit ad Heb. 1. ad probandum differentiam inter eum & angelos, & non ponuntur ibi in sensu allegorico, sed in literali, quia in sensu mistico nunq̄ fit argumentū potens, vt ait Dionysius. Itē quia dr̄ hic: misericordiam autem meam non auferam ab eo, sicut abstuli a Saul, & tamen a Salomone ablata est, cùm non durauerit regnū semper in domo eius, sicut nec durauit in domo Saulis, Item quia dr̄ hic: & K fidelis erit domus tua: domus tamen Salomonis non fuit fidelis, sed fuit plena mulieribus alienigenis idolacolentibus, & Salomonem ad colendum inducentibus, vt patet seq. lib. ca. 11. Item non dicuntur de Salomone, quia hic promittitur pax in regno isto maior, quàm fuerit tempore Iudicum, cū dr̄: non addent filij iniquitatis, vt affligant eum sicut prius ex die, qua constitui iudices super populum meū. Et iterum dicitur: habitabo cum eo & non turbabitur amplius: fuit tamen maior pax aliquando tēpore iudicum quàm tpe Salomonis, sicut fuit tempore Aod, qñ dr̄, q̄ quieuit terra, 80. ann. Iudi. 3. Tpe tñ Salomonis solùm quieuit 40. annis, quia ipse non plus regnauit. Sequ. lib. cap. 11. Item patet ex simili, quia in Psal. 71. ponitur titulus in

Salo-

Salomonem, & tamen ibi ponuntur multa, quæ non A possunt intelligi de eo, sicut cùm dr̄: Et dominabitur a mari vsq; ad mare, & a flumine vsq; ad terminos orbis terrarum. & tñ Salomon non fuit dñs totius terræ. Oppositū In contrarium vr̄, q̄ ista litera debeat exponi de Salomone, & non mixtim, sed totaliter. Primò quia Deus in hoc volebat Dauid promittere magna bona dando regnum posteritati suæ: si tamen intelligatur de regno Christi, quod est regnū Ecclesiæ, hoc non pertineret ad Dauid, quia in Ecclesia non regnant homines de posteritate Dauid. Item patet, quia Dauid intellexit ista verba, sicut Deus illa locutus est: ipse tamen intellexit illa solùm de posteritate sua regnatura, vt patet infra, scilicet: Sed hoc parū visum est in conspectu tuo nisi loquereris de domo serui tui in ęternum. B aliàs longinquum. ergo intelligitur de regno Salomonis, & posteritatis eius. Item, quia Deus volebat se excusare hic de Dauid, q̄ ipse non ædificaret domum Domini, sed filius eius: & ad hoc dicitur infra ipse: ædificabit domum nomini meo. hoc tñ intelligebatur de Salomone quantum ad literam: nam sic Dauid dixit, q̄ Deus prohibuerat ipsum ædificare domum, & dixerat q̄ filius suus ædificaret eam: & ob hoc orauit principes, vt adiuuarent Salomonem ad ędificandum domum istam. vt patet 1. Paralip. 22. Item quia dr̄ hic: Qui si iniquè aliquid gesserit, arguam eum in virga virorum: quod de Salomone intelligitur, qui peccare poterat & peccauit, & nō de Christo, cui peccare erat impossibile. Item non stat q̄ ista litera mixtim exponatur, s. partim de Christo: partim de Salomone, quia C sententia est hic tota continuata. Quòd ergo aliqua de vno intelligenda essent, & aliqua de alio: esset rumpere totam congeriem sententiarum: & redderetur hoc inintelligibile ipsi Dauid, quod est incōueniens. Respondēdum igitur, q̄ ista litera tota debet exponi de Salomone sine aliqua mixtione, vt appareat oīa dicta esse ad gaudium ipsius Dauid pro posteritatis suæ felicitate. Nec obstant rationes in contrariū adductę. Primam quō au. Ad primam cùm dr̄, q̄ Salomon incepit regnare viuente patre. Dicendum q̄ non obstat, quia cùm dr̄ hic, sitscitabo semen tuum. susscitare non intelligitur de natiuitate, sed de elevatione in potestatem, sic patet Iud. 2. & 3. & per totum librum, cùm dr̄ q̄ susscitauit Deus D talem, vel talem in iudicem, & tamen non intelligitur de natiuitate, quia plurimi istorū erant veteres, quando iudices efficiebantur. quòd ergo natus fuerit Christus mortuo Dauid, & Salomon ante mortem eius: nihil confert ad hoc q̄ intelligatur de Christo. Cùm aūt dicis q̄ non solòm Salomon natus erat, sed etiam assumptus in regem. Dicendum q̄ quamquam fuerit factus Salomon rex viuente patre, fuit ad tollendum discordias fratrum: tamen, viuente patre, nullam habuit potestatem regiam, sed Dauid iubebat omnia, iō tunc Salomon erat tanq̄ non esset rex. Mortuo aūt Dauid Salomon cępit in oībus iubere tanq̄ solus rex, iō tunc propriè dr̄ susscitatus in regem, & nō tempore Dauid. Etiā non vr̄ esse verū quod dicit Glos. ord. s. q̄ ad hoc E solū fuit factus Salomon rex viuente patre, vt signaret q̄ non erat iste, de quo Prophetia intelligebatur: nam causa institutionis eius in regē non fuit hęc, sed discordia fratrū. Dauid. n. non intendebat aliquē de filijs suis regē efficere se viuente, sed solùm nominare sibi successorē: viuente tñ Dauid, & ignorante, Adonias quartus filius regis, habita factione cū militia, fecit se instituī regē, vt patet seq. li. c. 1. quod Dauid sciens, putans q̄ hoc esset ad magnū scādalum, iussit illico Salomonem vngi in regem: si tñ Adonias nihil fecisset, non fuisset Salomon vnctus viuente Dauid. Ad rationem secundam, cū dicitur, q̄ regnum Salomonis non fuit stabilitum in sempiternum, sicut hic dr̄. Dicendum q̄ accipitur hic sempiternū pro aliquo tempore satis magno, licèt non semper duret: sic patet in oībus legalibus, nam dr̄ de circuncisione, q̄ erat fœdus sempiternum. Gen. 17. sic ēt de oībus cęremonijs, vt patet sæpe in Leuitico, tñ non erant duratura ista, nisi vsq; ad tps Christi, & hac intētione instituta sunt, vt non semper durarent. Rectè igit̄ vocari poterat regnū Salomonis regnum sempiternum, quia cessaturū erat in aduentu Christi, quando cessauit circuncisio, & cætera cæremonialia, quæ sempiterna vocantur: & non solū hoc, sed etiam aliqñ sempiternū vocatur paruum tempus, quod est minus ann. 50. sicut patet Exo. 21. de illo, qui nolebat exire de seruitute anno 7. redēptionis, q̄ maneret seruus in æternum, & tamen non poterat esse inter Hebræos aliqua seruitus maior quam vsque ad Iobelæum, vt patet Leui. 25. a quibus subtrahantur ad minus 7. anni redemptionis, manebunt 43. anni vsque ad Iobelæum, & istud tempus vocatur sempiternum: nec est in hoc magna vis. Ad tertiam rationem, cùm Ad tertiam. dicebatur: ego ero ei in patrem, & ipse erit mihi in filium. Dicendum quòd ista est ratio efficacior, eo q̄ Apostolus exponit istam de Christo in sensu literali. Et nisi esset dictū Apostoli deberemus dicere, q̄ oīa ista exponebantur ad literam de Salomone, & q̄ nihil illorū exponeretur ad literam de Christo, nunc tamen dicere debemus, q̄ omnia hæc intelliguntur ad literā de Salomone, & etiam omnia, vel quædam illorū intelligantur ad literā de Christo. Nec est inconueniēs, Non est incōueniēs ali quem textū habere duos sensus litera les. q̄ aliquis textus sacræ scripturæ habeat duos sensus, quorū vterq; sit literalis. Sic patet de cęremonijs agni Paschalis. Exo. 12. De quibus nullus dubitat q̄ intelligerentur sic ad literam de agno Paschali: alioquin Iudæi non obligāti fuissent seruare illud literaliter, quod falsum est; & tamen eædem ceremoniæ intelliguntur de immolatione Christi in cruce: quod patet Ioan. 19. cùm dicitur: Ad Iesum autem cùm accessissent, non fregerunt eius crura, & sequitur: Facta sunt autē hæc, vt scriptura impleretur: os non comminuetis ex eo. ergo apparet, quòd illa scriptura literaliter intelligebatur de passione Christi, quāquā dicta fuisset de agno Paschali, alioquin nō diceretur, vt impleretur scriptura, quia scriptura nunq̄ impletur, nisi in sensu literali, nec fit contra eam, nisi qñ fit cōtra sensum literalem, cùm ad obseruationē aliorū sensuum nō obligemur. Sic igitur hic dicēdum est, q̄ ista scriptura intelligitur ad literam de Christo, quia sic exposuit eam Apostolus, & intelligitur ēt ad literam de Salomone, ex modo tñ loquendi directiùs vr̄ conuenire Salomoni quā Christo, quia dr̄: Ego ero ei in patrem, & ipse erit mihi in filium, i. accipiet me ipse in patrem, & ego accipiā eum in filium, quod pertinet ad adoptionem: si autē directè intelligeretur de Christo potiùs q̄ de Salomone, cùm Christus sit filius Dei naturalis, & eadē filiatione sit filius Dei cū est Deus, & cū est homo Christus, quia Christus dicit personam diuinam, & nō humanam, diceretur: ego sum pater eius, & ipse est filius meus, cū ista filiatio semper sit, qa æterna est. Istū modum loquendi habuit scriptura Psal. 2. s. Dñs dixit ad me, filius meus es tu, ego hodie genui te. & hoc quia intelligitur ille Psal. solùm de Christo: hic tñ dicitur: ego ero ei in patrē, ergo directè intelligitur de filiatione adoptiua ad Salomonem, & non de filiatione naturali ad Christum, quæ iam erat. Item quia dr̄ hic: ego ero ei in patrem. & non dr̄: ego ero pater eius. (in) aūt significat (quasi) scilicet, ego ero ei in patrem, i. ero quasi pater eius, quia habebo eū in filium adoptiuū. Si autem intelligeretur de filiatione naturali, quæ est ad Christū, diceretur, ego ero pater eius. De Salomone ergo directè intelligitur. Dicendū tñ q̄ licèt intelligāt de Salomone directiùs, intelligitur tñ de Christo

Universidad de Deusto
Biblioteca

perfectiùs,eo q̃ filiatio, qua Christus est filius Dei est perfectior filiatione,qua Salomon est filius Dei; quia illa est naturalis,& ista adoptiua. Quòd autem ista particula,scilicet,ego ero &c. intelligatur de Salomone: ad literam patet 1.Paralip.22. Ad quartam rationem, cùm dicebatur,q̃ Deus abstulit misericordiam suam a Salomone,quia nō fuit regnum eius sempiternum. Dicendum q̃ non abstulit, quia Deus obseruauit ei quicquid promisit:fuit aũt promissio q̃ esset regnum eius sempiternum,& sic fuit, nō q̃ semper durauerit, sed magno tẽpore, quod scriptura vocat sempiternũ. Ad quintam rationem cùm dicebatur,q̃ domus Salomonis non fuit fidelis, posset responderi ſm Nicol. q̃ quamquam aliqui de stirpe Salomonis fuerunt idolatræ,tamen alij erant viri boni,qui couuertebant populum ad Deum.Sed ista responsio non stat,quia denominatio debet fieri ab eo,quod plus est:plures tamen fuerunt de successoribus Salomonis infideles quàm fideles: imò omnes successores Salomonis fuerunt infideles præter duos,ſ.Ezechiam,& Iosiam, vt patet Eccles.49.ſ.præter Dauid,& Ezechiam, & Iosiam oẽs reges pctm̃ commiserunt.Magis ergo debebat vocari domus infidelis quã fidelis.Itẽ non stat ista responsio, quia non vocatur domus fidelis,i.domus colentium Deum,sed domus fidelis,i.firma,quę non perit.Quod patet,quia 1.Paral.17.loco huius dr̃: Et statuam eũ in domo mea,i.faciam domũ istam stabilẽ: simile patet præc.li.c.2.1.Suscitabo mihi Sacerdotẽ fidelem,& ædificabo ei domũ fidelem,i.perpetuã, quod intelligitur de Sadoc,apud quem debebat manere summum Sacerdotium in æternũ translatum de domo Heli summi Sacerdotis.Et patet quia subditur ibi:& ambulabit coram Christo meo cunctis diebus; quod notat perpetuitatem. Et sic procedit argumentum ex ignorantia significati nominis. Vnde dato q̃ omnes de posteritate Salomonis essent idolatræ, vocaret̃ domus eius fidelis,quia semper maneret.Ad sextam rationem,cũ dicitur,q̃ fuit maior pax tempore Iudicum quàm Salomonis.Respondendum q̃ nunquam tempore Iudicum fuit longa pax. Et cùm dr̃ de Aod q̃ fuit quieta terra sub eo.80.annis: Dicendũ q̃ non cessauit in omnibus his a bellis:quamquam dicatur,quieuit:sed modus scripturæ est specialis in libro Iudicum: q̃ totum tẽpus,quod transiuit sine iudice,& tempus sub iudice includatur sub illo tempore,quo dr̃ terra quieuisse:sicut demonstratum fuit ratione necessaria in 3.c.Iudi. & in prologo eiusdem libri:& sic in.80.annis computatis sub Aod,debent intelligi omnes anni,qui fuerũt a morte Othonielis prioris iudicis.Et 18,anni, quibus fuerunt Israelitæ oppressi ab Eglon rege Moab;& deinde reliquum tempus,quo præfuit Aod. Vnde forte pax ista sub Aod non fuit.55.annorũ. sed dato q̃ fuisset.80.annorum,maior fuit pax sub Salomone,quàm sub Aod:eo q̃ non est computandum hic solum tempus regni Salomonis,quod fuit 40.ann.sed totum tps successorum suorum vsq; ad captiuitatem Babylonicam,in quo tẽpore dr̃ fuisse pax:eo q̃ non fuerunt tot bella sicut tẽpore Iudicũ,vt supra declaratum fuit. Ad septimam rationem,cùm dr̃,q̃ titulus Ps.71.est de Salomone:tamen ibi ponuntur aliqua, quæ non conueniunt ei.Dicendum q̃ quamquam ille Psalmus possit totus intelligi de Christo, vel quantũ ad aliquã partẽ suam ad literam, tñ totus ad literam exponitur de Salomone.De versu autem illo,ſ.Et dominabitur a mari vsq; ad mare.Dicendum q̃ ẽt intelligitur de Salomone quantum ad literam: sed est error in arguentibus, quia putant in isto versu significari dominium totius terræ,sed falsum est, quia solum significatur hic tota terra Chanaan.Et est sensus, q̃ in tpe aliorum regum, & iudicum ante Salomonẽ non erat subiecta tota terra Chanaan Iudæis, & tñ tempore Salomonis subiecta erat, vt patet 2.Paral.8.ſ.Omnẽ populum, qui derelictus fuerat de Hethæis, & Ammorreis, & Pherezæis, Heuæis, Iebusæis, qui non erant de stirpe Israel subiugauit Salomon in tributarios: termini tñ terræ Chanaan sunt illi, qui ponuntur in hoc versu,ſ.a mari vsq; ad mare, & a flumine vsq; ad terminos orbis terrarum.Quod patet,quia termini terrę Chanaan erant quatuor,ſ.a parte orientali mare rubrum, a parte occidentali mare mediterraneum,quod vocatur mare Palæstinorum,ab Aquilone est fluuius magnus Euphrates,a Meridie sunt deserta Arabica, vt patet Exod.23. scilicet, ponam autem terminos vestros a mari rubro vsque ad mare Palæstinorum, & a deserto vsque ad fluuium,i.a deserto Arabico vsq; ad fluuium Euphratem,sic patet Gen.15.& partim Num.34.& Deut.11. & Iosue 1. isti autẽ quatuor termini ponuntur in versu illo, ſ.Et dominabitur a mari usq; ad mare, i.a mari rubro ex parte Orientis,vsq; ad mare,ſ.Palæstinorum. & a flumine,i.a flumine Euphratę a parte Aquilonari vsque ad terminos orbis terrarum, i. vsque ad deserta Arabica,quæ vocantur termini orbis, quia ibi deficit terra habitata ex parte terræ Chanaan.Nam inter terram Chanaan & Aegyptum sunt deserta Arabica, & quia illa sunt malè habitata, videtur tam Aegyptus quàm terra Chanaam terminus terræ habitabilis ea parte, qua adhæret desertis Arabicis. De Salomone igitur intelligitur hoc quantum ad literam. Concluditur etiam ex prædictis quòd distinctio Nico.non tenet,scilicet, q̃ aliqua dicantur de Salomone secũdum se solum,& aliqua solùm inquantum est figura Christi; sicut illud,& dominabitur a mari vsque ad mare, & alia secundũ vtrumq;. nam illud quod ipse putauit solùm dici de Salomone solùm inquantum est figura Christi,intelligitur de ipso Salomone ſm literam. Itẽ non potest exponi mixtim ista litera,ſ.aliquid de Christo,& aliquid de Salomone, sed necesse est totam intelligi de Salomone, quia 1.Paral.22. ponitur tota ista sententia de Salomone ad literam: ita q̃ nullo modo possit ibi intelligi de Christo. Nam cùm Dauid vellet hortari Salomonẽ, q̃ ædificaret templũ,dixit q̃ Deus prohibuerat eum ædificare & dixerat,q̃ filius suus ædificaret: vnde ait: fili mi voluntatis meæ fuit,vt ædificarem domum domino: sed dixit ad me: multum sanguinem effudisti,ideo non poteris ædificare domũ nomini meo:filius qui nascetur tibi, erit vir quietissimus, faciam enim eũ requiescere ab omnibus inimicis suis per circuitum, & pacem & ocium dabo in Ierusalem cunctis diebus eius: ipse ędificabit domũ noꝰ meo,& ipse erit mihi in filium,& ego ero ei in patrẽ, firmaboq; solium regni eius super Israel in sempiternum,nunc ergo fili mi sit dñs tecum,& prosperare,& ædifica domum dño.Ecce qualiter Dauid dixit ad Salomonem oĩa uerba ista, & q̃ de eo intelligebantur: & pp hæc suadebat ei ædificare templum. necesse est igitur, q̃ omnes clausulæ hic positæ intelligantur de Salomone quantũ ad literã, & sub isto sensu protulit eas Nathan ad Dauid,& intellexit eas Dauid.Sed spũs sanctus, qui ista uerba faciebat proferri per os Nathã, uolebat etiam per illa quantum ad literam significare Christum:ideo Apostolus potuit allegare aliquid istorum in sensu literali de Christo, scilicet, ego ero ei in patrem &c. Hoc dato, exponatur tota litera; impermixtè de Salomone,ſ.*Cumque completi fuerint dies tui,* i. quando mortuus fueris. *Et dormieris cum patribus tuis,* i. ideſt, dormieris somno mortis, sicut iam dormiunt omnes progenitores tui. *Suscitabo semen tuum*, scilicet, Salomonem, qui erat filius Dauid. *Postę*, ideſt, suscitabitur post mortem tuam:nam licèt natus fuerit Salomon uiuente Dauid,non dicebat̃ suscitatus quousque

quousque acquireret maximam potestatem regni, & quia ista non tenuit viuente Dauid, non dicebatur tunc suscitatus: & dicitur aliquis suscitari tanquam tunc esse inciperet:sicut dicimus aliquem creari in regem, & tamen creari dicit fieri simpliciter. *Quod egredietur de vtero tuo*. Ideſt, de lumbis tuis:nam materia seminalis, de qua soboles procreatur, non est in vẽtre, sed in vasis seminarijs,quæ adhærent lumbis. Vocatur tamen large esse in vtero quidquid est intra corpus. Ex hoc autem patet, quòd post Dauid non poterat regnare Absolon,qui conatus est regnare expulso patre,vt patet infra 15.vsque ad 18.nec etiam habebat ius regnandi Adonias, qui viuente patre, & nesciente regnare voluit.seq.li.cap.1.nec aliquis de filijs Dauid iam natis,quia dicitur hic, quòd ille egressurus erat de vtero Dauid, qui regnaret post eum, sed omnes alij iam nati erant. *Et firmabo regnum eius*. Scilicet,quia Salomon possedit regnum pacificè, & firmiter non habẽs aduersarium. *Ipse ædificabit domum nomini meo*. Ideſt, faciet templum. Istud est quod principaliter Deus volebat hic inducere:Nam Dauid dixerat,quòd volebat ædificare domino domum,& Deus non acceptauit:si autem simpliciter dixisset Deus,quòd nolebat sibi tẽplum ædificari per Dauid,habuisset hoc Dauid molestum, ideo dixit quòd non ædificaret Dauid domum sibi propter multa bella, sed filius eius ædificaret sibi domum, & in hoc consolaretur Dauid sciens, quòd non dedignabatur Deus eius obsequia. *Et stabiliam thronum regni eius vsque in sempiternum*. Ideſt, sedes regni sui semper durabit. Non est autem intelligẽdum simpliciter, quòd semper duraret, quia tunc duraret etiam post diem iudicij, sed more scripturæ vocatur sempiternum quod magno tempore durat:sic fuit regnum Salomonis, quod durauit vsque ad captiuitatẽ Babylonicam directè:& vsque ad Natiuitatem Christi per quandam adhæsionem cum tribu Leuitica.Dicitur autem istud regnum sempiternum comparando ad regnum Saulis, quod paruo tempore durauit,scilicet, in vita eius,& postea pauco tempore viuente filio suo Isbosetḥ: regnum autem Salomonis durauit per multas successiones regum,& per multos annos:nam à principio regni Salomonis vsque ad Christi Natiuitatem fuerunt quasi mille anni,quibus durauit regnũ Salomonis. *Ego ero ei in patrem*. Ideſt, ero ei loco patris, quia (in) significat vicem vel locum,vel quasi. *Et ipse erit mihi in filium*. Ideſt, erit quasi filius meus,quod intelligitur per adoptionem,cùm non dicatur: ego ero pater eius,& ipse erit filius meus;sed ero ei in patrẽ. Vocatur autem homo filius adoptiuus Dei, quando habet eadem iura apud Deum, quæ habent filij adoptiui apud patres, filij enim adoptiui succedunt patribus, sicut filij nati & legitimi. dato, quòd secundùm constitutiones aliquarum gentium non succedunt æqualiter adoptiui cum filijs natis, Nos igitur cùm filij simus Dei per adoptionem,debemus succedere ei in aliquo. Deo tamen nullus succedit,quia Deus non moritur, & sic non possumus percipere iura filiorum per successionem, sed per participationẽ. Sicut enim filij morientibus patribus succedunt in bonis eorum, & viuentibus eis communicant bonis paternis inquãtum aluntur ab eis, ita & nos cùm non possumus succedere Deo non morienti, habemus iura adoptionis nostræ in participatione bonorum Dei, & quãtum ad hoc vocantur hæredes eius: principaliter tamen Christus est hæres, quia ipse est filius naturalis, nos verò adoptiui: vnde vocamur cohæredes eius. De hoc patet ad Ro. 8. scilicet: Non accepistis spiritum seruitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum. In quo clamamus Abba pater:ipse enim spiritus testimonium reddit spiritui nostro, q̃ sumus filij Dei, si autem filij & hæredes, hæredes quidẽ Dei, cohæredes autem Christi. Quia tamen Christus est filius naturalis Dei, participat maiora bona patris, & hoc est in duobus, primò quia communicat substantiam eius,& virtutem,scilicet,quia tota essentia,& virtus patris est in filio.Secundò participat magna bona, quia quantum ad extrinseca est hæres vniuersalis Dei. Ista duo patent ad Heb. 1.scilicet:Locutus est nobis in filio, quem constituit hæredem vniuersorum, scilicet, omnium rerum vniuersi,quæ sunt extra Deũ, & hoc quantum ad secundum, & sequitur:per quem fecit secula,qui cùm sit splendor gloriæ,& figura substantiæ eius portãs omnia verbo virtutis, sedet ad dexteram maiestatis in excelso: & hoc quantum ad primum. Nos autem qui sumus particulares hæredes Dei, & quasi legatarij, non participamus in illis duobus: nam non habemus primum, scilicet, communicationem substantiæ diuinæ, quia illa solùm communicatur ad intra inter personas:nec etiam habemus secundum,quia nulli hominum datum est esse hæredẽ vniuersorum, sed soli Christo, qui de se dicit:Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra. Matth. vlti. Nos verò sumus hæredes Dei inquantum participamus aliqua bona naturæ, scilicet, esse & consortiari. Nam ipse Deus est,à quo hæc recipimus,cùm ipse sit, in quo sumus,viuimus,& mouemur. Act.17. Et quantum ad hoc omnes homines sunt filij Dei,& hæredes eius,quia omnes participant his,cùm ipse faciat solem suum oriri super bonos & malos,& pluat super iustos & peccatores.Matth.5. Quia tamen hæres,& filius dicunt aliquid spirituale, scriptura non vocat omnes homines filios Dei hæredes, sed solùm illos, qui participant quibusdam bonis spiritualibus Dei: sunt autem hæc bona vitæ æternæ, quæ diferunt nimis ab istis tẽporalibus, quia sine comparatione maiora sunt his. Iuxta illud. 1.ad Cor.2. Oculus non vidit,nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus his,qui diligũt illum: omnes ergo homines,qui sunt potentes recipere hæc bona,vel habent ius ad recipiendum ea,vocantur propriè hæredes Dei, & quia salus omnium hominum ab exordio sœculi vsque ad finem est per passionem Christi, sunt hæredes Dei, qui participãt fructum passionis: participamus autem fructum hunc per charitatem, & fidem: ideo omnes homines recipientes Deum per hęc duo vocantur filij eius:sic patet Io.1,scilicet.Quotquot autem receperunt eum,dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius. Ista etiam est causa, quare in veteri testamento nunquam vocantur homines hæredes Dei, & in nouo testamento sæpissimè vocat eos Apostolus hæredes Dei:scilicet,quia in veteri testamẽto nondum erat passio Christi, per quam homines efficiebantur hæredes Dei. Infideles autem & quicunque pagani, quamquam participent bona naturalia à Deo: tamen hæredes eius non vocantur, quia non habent ius suscipiendi hæreditatem æternam. Illa autem vocatur solùm hæreditas, & bona temporalia quasi pro nihilo reputantur,sic patet ad Hebr.1.scilicet: Omnes sunt administratorij spiritus ĩ ministeriũ missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis, ideſt, vitæ æternæ. De Salomone autem dicendum est, quòd erat filius Dei adoptiuus non ex hac parte, quia nondum erat passio Christi,per quam ineſſet nobis ius suscipiendi vitam æternam: sed quia Deus erat colaturus ei specialia bona,quæ nulli regi ante ipsum, vel post ipsum contulit, scilicet, sapientiam, diuitias, potestatem,honorem, & celebritatem nominis, dicebatur eum habere in filium. *Qui si iniquè aliquid gesserit*. Rectè hoc dicitur de Salomone, quia peccare poterat,& peccauit. Nec dicitur hic istud, quasi Deus dubitaret

Ad quartã.
Ad quintã.
Ad sextam.
Ad septimã
Regnũ qua dicatur sempiternũ.
Filij adopti succedũt patribus filis legitimis.
Quare non omnes homines filij Dei vocãtur hæredes.

Universidad de Deusto
Biblioteca

bitaret an peccaturus erat Salomon, quia nouerat hoc, sed ponitur modo humano, quasi dubitaret de futuris,

Quare dicitur hic, quòd si filij Dauid iniquè agerent, non auferret Deus eis regnum. Quæst. X.

QVAERET aliquis, quare dicitur hic, q̃ si iniquè egerit. Respondendum, quòd Deus volebat lætificare Dauid in hoc, promittendo ei bona pro posteritate sua, & Dauid sciebat, quòd aliquando ea, quæ Deus promittit prospera, eueniunt aduersà propter peccata eorum, quibus promittuntur: solicitus esset de ista promissione timens, quòd filij sui post eum peccarent, & Deus priuaret eos bonis promissis, ac traderet in magnas calamitates. Sic enim factum est de Hely summo Sacerdote, cui promiserat Deus summũ Sacerdotium in æternum, & postea abstulit. præced. li. c. 2, scilicet. Loquens locutus sum, vt domus tua ministraret in conspectu meo in æternum: nunc autem absit hoc à me, sed quicunque glorificauerit me, glorificabo eum, & qui conẽtnunt me, erunt ignobiles. Sic etiam fuit de Saulę, qui regnaturus erat in æternũ, nisi peccasset. præced. lib. 13. postea autem ablatum est regnum de domo eius propter peccatum. præced. li. c. 15. & 28. Ita ergo fieret in filijs Dauid, propter quod quamquam ipse gauderet de promissis istis: tamẽ non nimis gauderet, sed esset solicitus in filij sui perderent ista bona: & vt Deus tolleret ei hanc solicitudinem dixit, quòd quamquam peccarent filij Dauid, non auferretur regnum ab eis, sed solùm Deus castigaret eos leuiter, scilicet, in plagis virorum: & tunc Dauid gauderet certificatus de regno sempiterno posteritatis suæ.

Quare Deus noluit certificare Dauid filios suos iniquè acturos. Quæst. XI.

QVAERETVR vlterius, quare Deus dixit, q̃ si iniquè egerint: nam sciebat, quòd Salomon peccaturus erat, & alij posteri eius: vnde potuisset dicere, quòd iste filius Dauid aliqd iniquè acturus erat, sed Deus propter hoc non priuaret eum regno, sed argueret in virga virorum. Respondendum, quòd Salomoni, & posteris eius multa aduersa euenerunt, scilicet, quòd diuisum est regnum, & mansit minima pars eum posteris Dauid. Postea etiam omnes hi in Babylonem ducti sunt: si verò Dauid cognouisset ista viuens, affligeretur nimis semper pro calamitatibus futuris posterorum suorum. Deus autem nolebat contristare Dauid sine causa, ideo noluit ei reuelare pœnas posteritatis suæ: & hoc fuit determinatè aliquid exprimendo. Noluit etiam Deus confusè dicere, quòd filij Dauid peccaturi erant & puniendi, quia tunc Dauid solicitus esset pro peccato illo, timens, quòd magnum esset, & Deus infligeret illis magnas calamitates pro eo: vt ergo non tristaretur noluit Deus in speciali, nec in generali prædicere sub certitudine peccata posterorum Dauid, sed dixit sub conditione ad tollendum anxietatem Dauid, de qua supra dictum est, *Arguam eum in virga virorum.* Ideſt, puniam eum læuiter in virga virorum, ideſt, sicut solent viri percutere filios suos virga: quod non est ad occidendum, sed ad castigandum. Vel dicitur in virga virorũ, ideſt, correctio, quæ dabitur, erit, quòd viri insurgant contra eum pro peccato: sic fuit in Salomone. Nam cùm peccauisset nimis in senectute sua, suscitauit ei Deus quendam aduersarium Idumæum, qui nimis afflixit eum, de quo seq. li. c. 11, sed prima sententia melior est, *Et in plagis filiorum hominum.* Eadem sententia est, vocantur plagæ filiorum hominum plagæ leues, quas filij hominum infligunt filijs suis ad castigandũ, & non occidendum. In Hebræo habetur. *In plagis filiorum adam.* Accipitur ibi adam pro nomine communi, sicut nos dicimus hominem, sic patet Gen. 5. scilicet, vocauit nomẽ eorum adam, ideſt, masculum, & fœminam vocauit adam: si tamẽ esset nomen proprium, vni soli conueniret, ideo litera nostra posuit hic filiorum hominum. Hebræi autem dicunt, quòd accipitur hic adam pro primo homine, pro quo referũt quãdam fabulam, quę potius est infania, scilicet, quòd Adam in cẽtum annis, & amplius quibus abstinuit ab Heua deflens mortem Abel, iungebatur dęmonibus succubis, & gignebat dęmones, & dicũt, quòd isti dęmones filij Adam incitauerunt Salomonem ad peccandum: ipsi etiam fuerunt, qui diuiserunt regnum tempore Roboam: ipsi etiam pugnauerũt contra Salomonem in senectute sua venientes cum hoste suo Idumæo: & istos dęmones filios Adam Deus destinauit ad puniendum pro peccatis posteritatum Dauid. Sed istud ad insaniam pertinet, quia hic multa inconuenientia tanguntur. Primum est, quòd Adam coierit cum dęmonibus succubis: nam istud peccatum grauissimum esset, scilicet, quòd relicta vxore sua coiret cum dęmonibus. Adam tamen fuit iustus vir nimis, nisi quantum ad illam primam prævaricationem, qua nos damnauit: vnde laudatur sapientiæ. 10. scilicet. Hęc illum qui primum formatus est à Deo pater orbis terrarum, cùm solus esset creatus custodiuit, & eduxit illum à delicto suo. Secundò isti errant contra principia naturæ, quia putant dœmones posse gigni ab homine: est enim dęmon spiritualis substantia, quę gigni non potest, sed simpliciter à Deo producitur per creationem. Isti tamen ignari rerum putant dęmones esse animalia, in quo nimis desipiunt. Item si dęmones geniti fuissent ab Adam, non potuissent esse nisi homines, quia de semine humano solùm homo gignitur, nisi sit commixtio ad pecora, in qua poterit esse generatio æquiuoca, sed oportet genitum esse animal, dęmon autem non est animal. Tertiò isti errant nescientes quid sit dęmon succubus, ideo putauerunt, q̃ per accessionem ad illos poterat Adam aliquid gignere. Sed falsum est, nam ad hoc quòd mediante dęmone succubo fiat generatio, oportet ipsum primò in specie fœminæ suscipere seminalem humorem in loco matricis: deinde ipsemet dęmon factus incubus effundit semen illud in matricem fœminæ, sicut in coitu virili. Si autem ipse dęmon retinuerit semen, necesse est illud perire, cuius causa est multiplex. Prima quia hoc modo fieret generatio de semine solius viri, sed falsum est, quia vt declarat Arist. 9. de Animalibus, q̃ semen fœmininum est tota materia fœtus formandi: de semine autem masculino non fit aliqua pars fętus, sed solùm apponitur ad digerendum sanguinem mẽstrualem fœminæ, ideo videtur magis necessarium semen femininum quàm masculinum. Item errãt, quia ad conseruandum fœtum in vtero, & ad hoc q̃ producatur ad debitam magnitudinẽ, necessaria est alimenti susceptio de eo, quod à matre digestum est: dęmon autem non potest suscipere alimentum, nec digerere: ideo peribit fœtus: necesse est ergo teneri fœtum in vtero fœminæ. Item quia dęmon non habet locum conuenientẽ ad cõseruandum tanto tempore semen susceptum, vt exinde fętus perfectus producatur, ideo oportet deriuari semen illud in matricem fœminæ, sed tunc non erat aliqua fœmina nisi Heua, ergo oportebat, quòd dęmones succubi cũ quibus coibat Adam effecti incubi coirent cum Heua: sed hoc isti non concedunt, quia isti manifestè essent filij Heuæ, & apparerent: isti tamen vocant eos filios dęmonum. Est igitur ista

ista insania magna, quam superuacuè dicunt: nam accipitur hic, *adam*, pro nomine communi, sicut in alijs locis: teneatur ergo expositio supra posita. *Misericordiam autem meam non auferam ab eo.* Ideſt, quamquam castigem eum propter peccata, non auferam misericordiam, ideſt, non auferam regnum: quod ex misericordia ei dedi. Aliqui autem volunt ex hoc, quòd Salomon non sit damnatus, eo quòd Deus non abstulit ab eo misericordiam, sed de hoc dicetur in fine c. *Sicut abstuli à Saul.* Scilicet, ab illo abstuli misericordiam meam, quia cùm peccauit, abstuli regnum ei, & toti posteritati suæ. *Quem amoui à facie mea.* Ideſt, quem priuaui regno: est modus loquendi largus: nam quæcunque res sit, ante oculos domini est, quia in omni loco oculi domini contemplantur. Prouer. 15. sed quia non manebat posteritas Saulis in dignitate illa, in qua pater suus fuerat, dicebatur Saul amotus à facie Domini. *Et fidelis erit domus tua.* Aliqui putant accipi fidelem pro colente Deum, & sic exponit Nico. dicens, quòd quamquam aliqui reges de posteritate Dauid essent idolatræ, alij boni erant, qui populum ad Deum conuertebant. Sed falsum est, quia fidelis non accipitur hic nisi pro firmo, vt declaratum est supra. Et est sensus, quòd domus Dauid, ideſt posteritas eius in dignitate regia esset fidelis, ideſt, firma, scilicet, quòd non perderet illam dignitatem, *Et regnum tuum vsque in æternum ante faciem meam.* Ideſt, regnum tuum & filiorum tuorum manebit in æternum ante faciẽ meã, ideſt, me vidente, & faciente. Vocatur autem hic æternum id quod magno tempore durat, & non semper: sic fuit regnum Dauid, & posterorum suorum, quia duratuit quasi per mille annos, scilicet, vsque ad Natiuitatem Christi ablato regno Aristobolo, & Hircano, & regnante Herode. *Et thronus tuus erit firmus iugiter.* Ideſt, sedes regni tui semper manebit, quod idem signat. *Secundum omnia verba hæc, & iuxta vniuersam visionem istam sic locutus est Nathan ad Dauid.* Ideſt, omnia verba supra posita, & tota visio demonstrata Nathan, fuerunt sic dicta ipsi Dauid. Et est sensus, quòd ista verba supra dicta fuerunt verba Dei ad Nathan: postea autem Nathan retulit illa Dauid, & vt signetur, quòd integrè illa retulit, dicitur quòd locutus est secundùm omnia verba hæc: ponuntur autem hic verba & visio, quia verba pertinent ad ea, quæ reuelãtur: visio autem ad modum reuelationis, scilicet, quòd fuit reuelatio facta in visione nocturna, quæ est quædam immutatio phantasiæ, secundùm quam quilibet videtur sibi videre ea, quæ concepit in somno. Sic dicit Daniel: Aspiciebam in visione noctis. Daniel. 7. Et iterum: Visiones capitis mei conturbabant me, ideſt, somnia, quæ sunt in phantasia.

Ingressus est autem. Hic ponitur gratiarum actio. Et diuiditur in duo, quia primò gratias agit Dauid pro facta promissione. Secundò orat pro eius impletione ibi. *Nunc ergo.* Circa primum dicitur. *Ingressus est autem rex Dauid, & sedit coram Domino.* Scilicet, quando Nathan Propheta venit ad Dauid nuncians ei ista bona ex parte Dei, erat Dauid in domo sua sedens, & vt daret gratiarum actiones Deo de tam magnifica promissione introiuit in domum, vbi erat arca, quia illa erat in quodam loco segregato domus suæ, vt declaratum est præcede. c. & ibi humiliauit se coram arca: & vocatur hic sedere, sed non est propriè dictum. Dicitur autem sedere coram domino, quia coram arca erat, in qua specialiter Deus monstrabatur, vt declaratum est Exod. 25. *Et dixit, quis ego sum Domine Deus, & quæ domus mea?* Ista est oratio Dauid, & incipit à magna humilitate, reddendo se indignum omnibus his, vt Deus ei promissa augeat. Et dicit, quis ego sum? ideſt, non sum ego talis, vt ista merear. Et quæ

A domus patris mei: ideſt, etiam cognatio vel familia patris mei non est tanta, vt mereatur hæc. *Quia adduxisti me hucusque.* Ideſt, eleuasti me vsque ad præsentem statum. q. d. ego eram pastor, & tu fecisti me regem, quod dicit Dauid se non meruisse, vnde non solùm ad magna bona, quæ nunc promittebantur dicit se indignum, sed etiam ad omnia illa, quæ iam susceperit: sic enim Iacob orabat dominum, dicens. Domine minor sum omnibus miserationibus tuis, ideſt non mereor aliquod de bonis, quæ mihi dedisti per misericordiam tuam. *Sed hoc parum visum est in conspectu tuo Domine Deus, nisi loquereris de domo serui tui in longinquum.* Ideſt fecisti me regem tollendo de pascuis: quod erat aliqd valde magnum, & tamen tibi visum est parum nisi B loquereris de domo serui tui in longinquum, ideſt, nisi adhuc promitteres mihi successionem in regno. Hic patet qualiter accipiatur sempiternum pro tempore longo; tamen non semper durante, quia Deus dixerat, quòd faceret durare domum Dauid in sempiternum. Dauid autem dixit, quòd ista promissio erat in longinquum, ideſt, ad longum tempus. *Ista est lex adam Domine Deus.* Hic accipitur adam pro nomine communi, scilicet, pro homine. Et est sensus, ista est lex adam, ideſt, talis est lex hominis. q. d. nihil magis homo facit pro seipso: quàm tu facis pro eo. Nam homo solicitus est semper pro statu suo, & posterorum suorum: nec se putat plenè fœlicem, nisi filios quoque suos fœlices futuros putauerit, ita tu fecisti mihi, quia non solùm benefecisti mihi, sed etiam disposuisti regnum pro filijs meis. Vel aliter: ista est lex adam, ideſt, ista est lex, quam debẽt homo tenere cum Deo, scilicet, q̃ homo humiliet se coram Deo, & colat Deum quantum potuerit: & Deus erit solicitus pro eo. Vel aliter legitur interrogatiuè: ista est lex adam? ideſt nihil quid ista est lex, quam tu domine Deus habes cum homine, vt tantum pro eo solicitus sis? q. d. istud ad magnam benignitatem tuam pertinet. *Quid ergo addere poterit adhuc Dauid, vt loquatur ad te.* q. d. cùm tanta bona mihi dederis atque promiseris, nihil manet, quòd ego petere possim: nam fortè ego non ausus fuissem ista petere. Vel intelligitur hoc de oratione, scilicet, qd ergo addere poterit adhuc Dauid, ideſt postquam ego D humiliaui me in oratione coram te, nihil habeo quòd addam, scilicet, satis est, quòd homo humiliet se corã Deo in oratione, etiam si nihil petat, quia Deus scit, quid opus est illi, & huic consonat litera præcedens, scilicet, ista est lex adam, ideſt ista lex hominis, vt soli inclinet se coram te. Consonat etiam litera sequens, scilicet, tu scis enim seruum tuum, ideſt, tu cognoscis me. q. d. non est opus, quòd ego multa petam, quia tu cognoscis me, & scis quid mihi opus est. Hæc autem est sententia Christi Matth. 6. dicentis: orantes autem nolite multum loqui, sicut Ethnici: putant enim q̃ in multiloquio suo exaudiantur, nolite ergo assimilari eis: scit enim pater vester quid opus sit vobis antequã petatis eum. *Tu enim scis seruum tuum Domine Deus.* Ideſt, E tu cognoscis me, qui sum seruus tuus; & potes mihi dare, quæ conueniunt, etiam si non petam: ego verò nescio quid mihi expediat: ideo petendo fortè errabo. *Propter verbum tuum, & secundum cor tuum fecisti omnia magnalia hæc.* Hic laudat Dauid dominum pro his promissionibus, dicens quòd facta sunt ista propter verbũ tuum, ideſt, non facta sunt propter merita mea, quia nihil ego sum, aut domus mea, sed propter verbum tuum, ideſt, quia tu promisisti mihi benefacere, quando instituisti regem, & vis nunc benefacere: dicitur etiam secundum cor tuum, ideſt, propter voluntatem tuam. q. d. nihil ego merui, sed tu fecisti solùm, quod voluisti, scilicet, propter liberalitatem tuam. *Ita vt notum faceres seruo tuo.* Ideſt, vt ostenderes mihi seruo

tuo

Universidad de Deusto
Biblioteca

tuo magnificentiam tuam. Alia litera habet. *Vt notum faceres seruum tuum*, Ideſt,feciſti mihi omnia bona hæc, vt notum faceres omnibus hominibus me eſſe ſeruum tuum,& quòd propter hoc mihi benefacis. *Idcirco magnificatus es domine Deus*. Dicitur aliquis magnificatus, quando in opere ſuo apparet magnificus. Pertinet autem ad magnificum maiora dare quàm homines mereantur,ſic Deus dedit valde maiora Dauid,quàm merebatur:ideo magnificatus erat,De hoc Ethic,lib. 4. cap. de magnificentia. *Quia non eſt ſimilis tui*. Dat cauſam quare Deus appareat magnificus in opere ſuo,Ad magnificum enim duo pertinent, ſcilicet,habere pecunias maximas, quia in parua ſubſtantia,vel mediocri non eſt facile eſſe magnificum,cùm non poſſint ibi multa dari.Secundum pertinet ad magnificum,ſcilicet,voluntatem habere liberaliſſimam. Deus autem vtrunque horum habet: eo quòd nō eſt aliquis ſimilis ei,ſcilicet,in bonitate, & ob hoc nullus habet liberaliorem voluntatem. Etiam nullus eſt ſimilis ei in potentia, & per ſe ſufficientia, ideo nullus poteſt tanta dare ſicut ipſe. *Nec eſt Deus extra te*. Ideſt, non ſolùm nullus eſt Deus tibi ſimilis:imò etiam nullus eſt Deus tibi æqualis extra te,ideſt præter te. *In omnibus, quæ audiuimus auribus noſtris*. Ideſt, multos Deos audiuimus nominari inter gentes, & tamen nullus illorum eſt tibi ſimilis:nec eſt verè Deus, quia Dij gentiū erant dæmonia,& nō poterant facere miracula ſicut Deus Hebræorum, ideo faciliter apparebat differentia inter eum ad alios Deos. *Quæ eſt autem gens, vt populus tuus Iſrael in terra*. Laudauit Dauid Deum quātum ad operationem, quam habuerat ad ipſum: hic laudat eum propter operationem,quam habet ad populum,ſcilicet, quia populus Iſrael erat nimis gloriosus propter Deum ſuum: cùm nulla alia gens haberet talem Deum. *Propter quam iuit Deus, vt redimeret eam ſibi*. Ideſt, Deus iuit in Aegyptum ad educēdum ibi populum iſtum inde. In Hebræo habetur. *Propter quam ambulauerunt Dij, vt redimeret eam ſibi*. Ra. Sa.exponit de Moyſe,& Aaron, qui iuerunt ſæpe coram Pharaone,vt permitteret exire Iſraelitas de Aegypto, Et iſti dicuntur eam redimiſſe, quia fuerunt miniſtri in redimendo,& vocantur iſti duo Dij: nā Deus dixit ad Moyſen,ego poſui te Deum Pharaonis, Exo. 7.Ita & Aaron vocaretur Deus. Litera chaldaica dicit, quòd iuerunt nuncij Dei ad redimendum populum, Sed hoc nihil eſt, quia Dauid vult hic deſignare magnam excellentiam Iſrael, cùm dicit. Quæ eſt autem gens, vt populus tuus? Et hoc vult probare per eductionem de Aegypto. Si tamen diceretur hic, q̄ homines eduxerunt eam: non haberet magnam excellentiam, ſed cùm dicitur, quòd Deus iuit pro iſta gente in Aegyptum,vt redimeret eam ſibi:eſt magna excellentia,ſcilicet,quòd Deus tantum curaret de iſto populo, quòd iret in Aegyptum ad redimendum illum, quod non fecit pro aliquo alio populo. Patet etiam,quòd intelligatur de Deo,& non de Moyſe,& Aaron:quia dicitur hic,vt redimeret eam,ſcilicet,gentem iſtam ſibi in populum, & tamen Moyſes, & Aaron non fecerunt iſtam gentem eſſe populum ſuum, ergo non ſunt ipſi Dij qui iuerunt ad redimendum eam. Item dicitur hic. & poneret ſibi nomen, ideſt, quòd iſta eductio fuit ad ponendum iſtam gentem ſibi in nomen,ſcilicet,quòd nomen eius in iſta gente nominaretur, Moyſes tamen, & Aaron non poſuerūt ſibi iſtam gentem in nomen, ſed Deus hoc fecit:ideo non poteſt intelligi litera iſta,niſi de Deo, & ſic exponunt Doctores noſtri. Dicit autem Nico. & multi de noſtris conſentiunt ei, quòd hic probetur pluralitas perſonarum in diuina eſſentia, quia dicitur propter quam iuerunt Dij,ideſt,tres perſonæ:& quia iſta diuina eſſentia vnica eſt, ſubditur verbum in ſingulari,ſcilicet,vt redimeret eam ſibi. Sed hoc nihil eſt. Primò, quia non conuenit modo catholicorum: nam nō deberet dici Dij pluraliter, quia tres perſonas non vocamus Deos,ſed Deum. Item, quia dicitur iuerunt, vel ambulauerunt: & tamen catholici non prædicant talia verba pluralis numeri de tribus perſonis: ſed cùm omnes actus iſti trinitatis qui ad extra ſunt, ſint indiuiſi,& ob hoc ſint vnus actus: fit prædicatio in ſingulari tanquam ſit vnum principium agens: hic autem ponitur plurale. Item non conuenit modo loquendi Hebræorum: nam litera iſta ſi attendatur ſecundùm Hebræos, non dicit propter quam iuerunt Dij, ſed propter quam iuerunt Deus,& tunc non ſignificatur pluralitas in perſonis,vel ſubſtantijs diuinis,ſed ſolùm eſt impropriet as in verbo,quia deberet poni in ſingulari,& ponitur in plurali.Iſtud autem eſt propter barbariem huius linguæ: nam interdum non ſeruat numeros, nec genera, nec perſonas. Sic enim patet Iſa. 19. vbi dicitur in litera noſtra, & tradam Aegyptum in manu dominorū crudelium. Dicitur in Hebræo: tradam Aegyptum in manu dominorum duri, vel crudelis:nam dicitur. *Adonim caſeth*. Sed Adonim eſt pluralis numeri de Adonai pro domino:& caſeth: eſt ſingularis numeri ſignificans durum, vel crudelem. Deberet ergo dici in litera iſta: propter quam iuit Deus:& dicitur propter quam iuerunt Deus. Si autē aliquis dicat, quòd ibi ponitur Elohim: quod eſt pluralis numeri. Dicendum, quòd quantum ad declinationem Elohim eſt plurale, ſed quantum ad ſignificationem eſt ſingulare, quia ferè in omnibus locis vbi litera noſtra dicit Deus, ponitur in Hebræo. Elohim: nec diſtinguunt in hoc Hebræi, an dicatur El ſingulariter,vel Elohim pluraliter pro Deo. Hoc autem attēdit Hieron.noſter peritus in idiomate Hebraico:ideo noluit ponere hic aliquam varietatem numeri ad ſignificandum pluralitatem perſonarum,ſed dixit,propter quam iuit Deus: ſciens, quòd non poſitum eſt hoc ex induſtria ad probandum pluralitatem perſonarum, ſed ex barbarie idiomatis: alioquin Hieronymus, qui erat magnus zelator pluralitatis perſonarum contra Hebræos, poſuiſſet hic ſignificationem aliquam ad probandum pluralitatem iſtam. Nihil igitur poſſumus ex hoc probare, aut ex ſimilibus locis, ſcilicet, Ioſue vlt.& Eccl. 2. ad quæ Nico.& alij de noſtris communiter attendunt tanquam ad ſolida fundamenta: ideo habent locum irridendi nos Hebrei, & quicunque periti in idiomate Hebraico. *Vt redimeret eam ſibi in populum*. Ideſt, propter hoc eduxit Iſraelitas de Aegypto: vt emeret ſibi quendam populum ad ſeruiendum,ideo dedit illi legem,& cœremonias,vt in eis ſe occuparet:quas nō dedit alteri populo. *Et poneret ſibi nomen*. Ideſt,poneret ſibi famā ex facto iſto, quaſi dicat, vt Deus haberet magnam famam inter omnes gentes eduxit Iſraelitas de Aegypto.Vel dicitur:vt poneret ſibi nomen,ideſt,vt poneret nomen ſuum in ea ad hoc quod coleretur in illa, & inuocaretur ab ea. *Faceretque eis magnalia, & horribilia*. Iſtud refertur ad Aegyptios ſuper quos Deus fecit magnalia, ideſt, aliqua mirabilia, quæ erant ſuper vires naturæ, & etiam erant horrenda, quia aliqua de illis mirabilibus erant penalia:ſicut patet in decē plagis poſitis ſuper Aegyptum. *Super terram*. Ideſt, fecit Deus magnalia ſuper terram,In Hebræo habetur. *Terræ tuæ*. Ideſt, fecit magnalia terræ tuæ. Et eſt ſenſus, quòd Deus fecit magnalia ſuper terram Iſrael, quæ erat nunc terra ſua: & hoc fecit, quando tenebant eam Chananæi: ſicut patuit in diuiſione Iordanis, & in ſtatione ſolis, & in proiectione lapidum de cęlo ſuper Chananæos. De hoc Ioſue 3.& 10. *A facie populi tui*. Ideſt,coram populo tuo,

Deus redemit populū Iſrael quomodo exponatur diuerſimode.

lo tuo,ſcilicet, omnia mirabilia hæc feciſti cōram populo tuo. *Quem redemiſti tibi ex Aegypto*. Iſtam redemptionem ſæpe repetit, quia fuit magnum beneficium Iſraelitis præſtitum. *Gente, & Deo eius*. Refertur ad verbum ſuperius, ſcilicet,redemiſti tibi populum de Aegypto,& hoc de gente,& de Deo eius, ideſt,faciendo mirabilia ſuper gentem, & Deum eius: nam plagæ à Deo inflictæ non ſolùm fuerunt ſuper gentem Aegyptiorum:ſed etiam ſuper Deos eorum, vt patet Nume.33. Scilicet: Nam & in Deos eorū exercuerat vltionem. Fuit autem iſta vltio, quòd omnia idola Aegyptiorum tam lapidea, quam lignea,& metallina cōminuta ſunt in puluerem illa nocte, qua Deus duxit Iſraelitas de Aegypto; & in qua occidit primogenitos. *Et firmaſti tibi populum tuum Iſrael in populum ſempiternum*. Ideſt, ex illo tempore accepiſti populum Iſrael in populum tuum: ita, quòd eſſet ſpecialiter populus tuus,ſcilicet, quòd tu haberes curam ſpecialem de eo:& ipſe tibi ſpecialiter ſeruiret. Et dicitur firmaſti tibi populum, ideſt, firmiter accepiſti, quaſi dicat, non accepiſti pro pauco tempore, & vt dimitteres illum.ſed firmaſti,ideſt,firmiter accepiſti illum ad nunquam dimittendum.quod patet,quia dicitur in populum ſempiternum.In Hebræo habetur. *Et paraſti*. Vbi litera noſtra dicit,firmaſti:ſed idem ſignant. *Et tu Domine factus es eis in Deum*. Ideſt,factus es Deus illorum. Deus enim Iſrael, quia eſt verus Deus, abſolutè eſt Deus,& reſpectu cuiuſcunque gentis, etiam ſi a nulla coleretur: quia tamen Deus à gentibus colitur, vocatur Deus illarum gētium,à quibus colitur, & quia ſoli Hebræi colebant Deum, vocabatur Deus Iſrael ſolùm Deus Hebræorum,ideo dicitur in Pſal.75. Scilicet:Notus in iudæa Deus ī Iſrael magnū nomē eius.

Quomodo populus Iſrael vocatur populus Dei ſempiternus, cum iam dereliquerit eum.
Quæſt. XII.

QVAERET aliquis,quomodo dicatur populus Iſrael populus ſempiternus Dei, cùm iam dereliquerit eum.Aliquis reſpondebit, quòd vocatur ſempiternum id, quod magno tempore durat,& quia Iſraelitæ fuerunt magno tempore,ſcilicet,vſque ad Chriſti aduētum populus Dei, dicuntur populus ſempiternus:ſic enim de regno Salomonis dicitur, quòd erat ſempiternū, quia magno tempore durauit.Idem dicitur de circūciſione, quòd erat fœdus ſempiternum, & durauit vſque ad Chriſti aduentum.Sed dicendum eſt, quamquam iſto modo poterant Iſraelitæ vocari populus Dei ſempiternus, tamen adhuc alio modo propriori poterant vocari ſempiternus,ſcilicet, quia Deus aſſumpſerat illos, vt eſſent populus eius ſemper,ſcilicet,vſque ad conſummationem ſæculi,& fuiſſent, niſi propter eorum peccatum fuiſſet impeditum. Non eſt enim ſimile de circuncíſione, & legalibus, quæ vocantur ſempiterna, quia legalia non erant inſtituta a Deo, vt ſemper manerent; ideo licet Hebræi nūquam peccaſſent: illa abolata fuiſſent aduenientе Chriſto, quia prophetæ pronunciauerant legem nouam eſſe dandam per Meſſiam. De populo autem Iſraelitarum ſecus erat, quia poterat manere ſemper populus Dei, niſi peccaſſet: vnde ſi Iſraelitæ nuuquam peccaſſent vſque ad Chriſtum, nō fuiſſent traditi in aliquam captiuitatem,ſed manſiſſent ſemper in terra Chanaan: & ſi,aduenientе Chriſto,ſuſcepiſſent illum, nullam inferentes moleſtiam, ceſſaſſet tunc lex verus, & tenuiſſent Hebræi legem Euangelij:ſemper tamen manſiſſent in illa terra,quam eis dominus dederat: & non expellerentur inde ab aliqua gente: eſſet tamen iam populus Gentilis conuerſus ad Chriſtum vnus populus cum populo Iudaico,& tamen ſemper maneret populus Iudaicus populus Dei: etiam eſſet aliquo modo ſpecialis: non quidem quantum ad legem,& cultum,quia omnes homines quotquot vellent poterant habere partem in lege euangelica,ſed quantum ad priuilegia antiquitus eis conceſſa,ſcilicet, quòd manerent ſemper in terra Chanaan, & quòd Deus benefaceret eis: peccauerunt tamen ſæpe Iſraelitæ ante aduentum Chriſti: ideo traditi ſunt ſæpe in manus hoſtium, & aliquando expulſi ſunt de terra Channaā,ſcilicet, quando ducebantur in captiuitates,vt in Aſſyrios, & in Babylonem.Poſtea autem aduenientem Chriſtum non gratis ſuſceperunt, ſed occiderunt, & tunc deſierunt eſſe populus eius, nam per alia peccata non deſierāt. Sic patet Daniel 9.Scilicet: Et poſt hebdomadas 60. occidetur Chriſtus, & non erit eius populus, qui negaturus eſt eum. Si autem Hebræi omnes conuerſi fuiſſent ad Chriſtum non offendendo eum, fortè ipſi fuiſſent principes in Eccleſia conuerſis gentilibus, quia tamen peccauerunt, non acceperunt principatum, ipſi tamen conati ſunt accipere illum; vnde inter Romanos conuerſos de Gentilitate, & inter Iudæos conuerſos erat in alterutrum contentio de prælatione,ſcilicet,qui maiores haberentur.Apoſtolus autem in tota epiſtola ad Romanos vtroſque redarguit probans neutros eſſe dignos prælatione, ſed debere eſſe æquales:ſic declarat Hieron.in quodam prolo. ſuper eandem epiſtolam. Sed hoc non obſtante ipſemet Apoſtolus, & alij diſcipuli ſeruauerunt quandā dignitatem in Iudæis incipientes ab eis prædicationē Euangelicam.ſic patet Act. 13. Scilicet: Vobis quidē oportebat primò loqui de regno Dei, ſed quia indignos vos feciſtis verbo uitæ: ecce conuertimur ad gētes. Voluerunt quoque Iudæi habere prælationem magnam in conuerſis ad Chriſtum, ſcilicet,quòd ipſi ſoli ſuſciperent ſpiritum ſanctum, & loquerentur variis linguis:& quia ſemel prædicante Petro cecidit ſpiritus ſanctus ſuper Gentiles, & cœperunt loqui uarijs linguis, turbati ſunt Iudæi conuerſi ad Chriſtum, & indignati ſunt Petro, quaſi propter eum ſuſcepiſſent Gentiles ſpiritum ſanctum. Vnde ipſe reſpondit illis: nunquid aliquis prohibere poteſt, vt non baptizentur hi qui ſpiritum ſanctum ſuſceperunt? Act.10. Sed poſtea facta eſt magna turbatio contra eum, quia prædicauerat Gentilibus, & acceperunt ſpiritum ſanctū: & vix potuit ſe defendere Petrus ab illis. Act. 11. Nō ergo manſerunt Iudæi in populum ſempiternū Dei: non quidem, quia non poterant, ſed quia noluerunt conuerti:conuertentur autem poſtea ad finem ſæculi,iuxta illud ad Rom. 11. Cæcitas ex parte contigit in Iſrael,donec intraret plenitudo gentium;& ſic omnis Iſrael ſaluus fieret. *Nunc ergo domine Deus* Hic orat Dauid pro promiſſionis impletione, ſcilicet, quòd Deus inciperet facere aliquid de his,quæ promiſerat: vt ſucceſſiuè implerentur omnia:& dicitur. *Nunc ergo domine Deus, verbum quod locutus es ſuper ſeruum tuum,& ſuper domum eius ſuſcita in ſempiternum*. Ideſt,fac quòd iſta, quæ locutus es ſint in ſempiternum: & dicitur ſuper ſeruum tuum, & ſuper domum eius, ideſt, iſta verba erant de ſtatu ipſius Dauid, & de ſtatu domus eius, ideſt,poſterorum ſuorum, quod haberēt regnum in ſempiternum: omnia autem petit Dauid nunc impleri. *Et fac ſicut locutus es*. Ideſt, nihil tranſeat irritum de his,quæ dixiſti.Hoc autem non orabat Dauid, tanquam dubitaret,an ea, quæ à Deo pronunciata erant euentura eſſent,quia hoc certum erat:ſed orauit,quia Deus ſępe ea,quę nobis promittit vult nobis non euenire, niſi prius ea orationibus, & laboribus mereamur:& ad hoc orationem neceſſariam eſſe putabat:

etiam

Universidad de Deusto
Biblioteca

etiam quia dato, quòd non esset oratio necessaria ad F
aliquid, saltem Dauid debebat ostendere affectũ suum
circa hæc, ne videretur ea contemnere, & ob hoc ora-
uit pro illis, vt fierent, *Et magnificetur nomen tuum in sem-*
piternum. Ideſt, fac quòd nomen tuum appareat ma-
gnificum, & lauderis de magnificentia semper. Voca-
tur autem magnificus ille, qui magna dona confert, &
quia Deus promiserat vsque in sempiternum: conser-
uare regnum in domo Dauid, orauit Dauid, vt Deus
appareret magnificus conferendo illa, quæ dixerat, &
quòd conferret ea vsque in sempiternum: & quia ista
magna erant, laudaretur nomen domini de magnifi-
centia in sempiternum. Si autem aliquo tempore non
seruaret ea, quæ dixit, iam non laudaretur de magni-
ficẽtia, ideo vt semper sic laudaretur, oportebat quòd G
semper conseruaret ea, quæ dixerat Dauid. *Atque dica-*
tur Dominus exercituum Deus super Israel. Ideſt, fac quòd
dicatur in laudem tuã: Dominus exercituum est Deus
super Israel, scilicet, ille, qui est Deus super Israel, non
est Deus impotens: sed fortissimus atque potentissi-
mus, quia potest complere ea, quæ promittit. Si autẽ
Deus non compleret promissum Dauid, diceretur q̃
Deus, vel non erat bonus, & verax, quia nolebat com-
plere promissa, vel non erat potens, quia non poterat
implere, quod dixerat: non ergo diceretur Dominus
exercituum Deus Israel, nisi ipse compleret quæ dixe-
rat Dauid. *Et domus serui tui Dauid erit stabilita coram*
Domino. Ideſt habebit firmiter regnum Deo iubente.
Vel potest intelligi aliter, scilicet, quòd sicut dicitur in H
laudem Dei: dominus exercituum Deus Israel; ita etiã
dicatur domus Dauid est stabilita coram domino, sci-
licet, quia ipse promisit eam esse stabilitam. *Quia tu do-*
mine exercituum Deus Israel reuelasti auriculam serui tui.
Ponit Dauid causam quare fudit istã orationem ad do
minum, scilicet, quia Deus reuelauit auriculam eius,
ideſt aperuit, scilicet, mittendo ad eum Nathan Pro-
phetam, vt reuelaret ei hęc. Reuelare enim auriculam
alicuius est denunciare ei aliquid occultum. Sic habe-
tur præced. li. c. 9. scilicet, Dominus autem reuelauerat
auriculam Samuelis ante vnam diem. Sic etiam patet
eo. li. c. 20. cum dixit Ionathas ad Dauid, si autem per-
seuerauerit malitia patris mei aduersum te, reuelabo
aurem tuam. *Dicens, domum ædificabo tibi*. Ideſt, tu di- I
xisti, quòd ędificares mihi domum, ideſt, faceres, quòd
haberem progeniem succedentem mihi in regno.
Propterea inuenit seruus tuus cor suum, vt oraret te oratione
hac. Ideſt, verbum tuum fuit causa, vt ego venirem ad
orandum ista. q. d. si tu non promisisses mihi per pro-
phetam, quòd faceres mihi domum, ego non orassem
pro hoc. Est sensus: tu mouisti me ad hoc, ergo perfice
orationem meam. *Nunc ergo domine Deus tu es Deus.*
Ideſt, ex hoc quòd tu es Deus, es summè potens, &
verax, & potes complere, & debes, quòd promisisti.
Et verba tua erunt vera. Ideſt, ex hoc quòd tu es Deus,
sequitur, quòd verba tua sint vera: hoc autem est, quia
Deus fidelis est, & seipsum negare non potest, vt ait
Apostolus, & dicit Dauid: Verba tua vera erunt per K
modum affirmandi. Et non dicit: oro vt verba tua ve-
ra sint per modum optandi, vt notetur maior confi-
dentia eius ad Deum. *Locutus es enim ad seruum tuum*
bona hæc. Ideſt, tu promisisti mihi seruo tuo omnia
bona, quæ dicta sunt. *Incipe igitur, & benedic domui ser-*
ui tui. Ideſt, incipe multiplicare domum serui tui con-
ferendo aliqua de his bonis, quæ promisisti. Et orat
Dauid specialiter hic pro filio suo, quem dominus di-
xerat nasciturum, & incipere debebat regnum poste-
ritatis suæ, & qui ædificaturus erat domum Domino.
Vt sit in sempiternum coram te. Ideſt, posteritas mea ma-
neat in solio regni in sempiternum coram te, ideſt, te
vidente, & faciente illud. *Quia tu domine Deus locutus*

Cap. VII.

es hæc. Ideſt, fiant ista, quæ ego oro, non ex meritis
meis, nec quia ego oro, sed quia tu locutus es ea, dicẽs
quòd faceres mihi domum. *Et benedictione tua benedi-*
cetur domus serui tui in sempiternum. Ideſt, domus mea
benedicetur, ideſt, multiplicabitur benedictione tua,
ideſt multiplicatione à te missa. q. d. multiplicatio in
bonis, quæ eueniet in domo mea erit tanta, quòd ma-
nifestè appareat à te venire: ponit autem hoc Dauid
per modum affirmationis, vt concludat in fine ora-
tionis se habere firmam spem de euentu omnium pre-
dictorum, ne ambiguus manere videatur.

An Salomon fuerit damnatus. Quæst. XIII.

QVAERET aliquis circa ea, quæ supra di-
cta sunt de Salomone: an damnatus fuerit
ęternaliter, vel saluus. Aliqui arguunt, quòd
non fuerit damnatus, quia supra, in lite-
ra dicitur, quòd si iniquè aliquid egerit,
arguam eum in virga virorum, misericordiam autem
meam non auferam ab eo. Idem patet Psal. 88. ergo
non perijt, quia aliàs fuisset ablata ab eo misericordia
Dei. Itẽ scripturæ Salomonis recipiuntur in canone,
ergo non fuit damnatus, quia aliàs Ecclesia non susci-
peret scripturas illius, qui non est membrum suum.
Item Salomon ponitur in Genealogia Saluatoris: er-
go saluatus fuit, quia inhonestum erat, quòd damnati
ponerentur tanquam proaui Christi. In contrarium
videtur, quòd fuerit damnatus, quia Salomon pecca-
uit grauissimè, & mansit vsque ad mortem suam in
peccatis, ergo perijt æternaliter. Patet hoc, quia seq.
lib. c. 11. dicitur quòd in senectute deprauauerunt mu-
lieres cor eius. Item scriptura sacra descripsit peccatũ
Salomonis diligenter, si ergo pœnituisset, diligentius
scripsisset eius pœnitentiam, sed non describit: ergo
mortuus est in peccato. Item opera Dei sunt perfecta.
Deute. 32. scriptura autem est opus Dei, ergo perfectè
describit quicquid tangit, sed tangit de vita Salomo-
nis, & peccatis, & non tangit de eius pœnitentia, ergo
videtur quòd non pœnituerit. Respondendum, quòd
ista quæstio est problema neutrum, ideſt, non est ma-
gis determinata pro vna parte, quàm pro alia: eo quòd
certitudo istius non poterat haberi nisi per reuelatio-
nem propheticam, vel auctoritatem sacræ scripturæ,
de quo nihil habitum est. Si autem nos deberemus iu-
dicare eius condemnationem per peccata, manifesta
esset condemnatio, quia peccata fuerunt grauissima:
potest tamen aliquis pœnitere, & saluabitur. Propter
hoc autem est opinio quorundam, quòd saluatus fue-
rit, nam Hebræi communiter dicunt, quòd pœniten-
tiam egit, & liber Ecclesiastes est de pœnitentia sua,
vbi reprehendit se nominans vanitatem omnia, in
quibus laborauit, vt patet Ecclesiastes. 2. Hoc etiam vi-
detur tenere beatus Isidorus in libro de Ortu, & obitu
patrum: & idem vult tenere Hieronymum, & Am-
brosium: dicit enim Hiero. super Ezech. q̃ Salomon
pœnitentiam egit scribens librum prouerbiorum, vbi
dicit: Respexi, vt eligerem disciplinam. Item Hiero. su-
per Ecclesiasten ait: Hebræi dicunt hunc librum esse
Salomonis pniam agentis. Ambrosius quoq; in Apo-
logia ait: Salomonem sanctum noĩat, vt nobis de pnia
eius dubietatem tollat. Item Ambro. in libro de Satyro fratre suo dicit: hoc ait sanctus Salomon: si tamen
damnatus esset, non vocaret eum sanctum. Item
Ambro. dicit: Hebræi aiunt Salomonem venisse in
templum quod ipse ædificauerat cum quinq; virgis,
quarum quatuor tradidit peritis legis, vt verberaretur
ab illis pro pœnitentia, qui communi consilio diffi-
nierunt nõ esse mittendam manum in Christum do-
mini: quia Dauid dixerat, Nolite tangere Christos
meos:

meos: à seipso autem depositus est, & retinuit solùm A
tribum Ephraim, & bipartitum fecit imperium. Item
aiunt Salomonem quinquies tractum fuisse per pla-
teas Ierusalem in pœnitentiam, & per hoc satisfecit.
Alij autem è conuerso volunt, quod Salomon dam-
natus sit: nam peccata sua fuerunt maxima, scilicet,
quia fuit idolatra, & hoc est peccatum maximum: sic
ait Glo. super illum locum Psalmi, scilicet, Emunda-
bor à delicto meo maximo: dicit idolatriam esse ma-
ximum delictum. Secundò peccauit durè in multitu
dine peccatorum, quia ædificauit altaria multa, & tẽ-
pla idolis, pro singulis enim vxoribus suis faciebat alta
ria, vt patet sequ. lib. cap. 11. Tertiò peccauit, quia in-
duxit magnum scandalum in populo: nam ædificauit
templa idolorum in monte oliueti, qui est ex aduer- B
so templi domini in Ierusalem, ita quod poterant exi-
stentes in templo videre quomodo immolabantur sa
crificia idolis in monte oliueti, quod erat scandalo-
sum populo, quia erat pronus ad idolatriam: de hoc
sequ. lib. cap. 11. Item quartò peccauit ex dignitate p-
sonæ; nam erat rex, & potens, & diues, & propter hoc
multi exemplo eius traherentur ad idola, sicut quan-
do sacerdos magnus peccat facit delinquere populũ,
vt patet Leui. 4. Scilicet: Si sacerdos, qui est vnctus pec
cauerit, delinquere faciens populum &c. Quidam au
tem propter hanc magnitudinem peccatorum mo-
uentur ad dicendum Salomonem perisse æternali-
ter. Mihi tamen hoc non multum videtur, sed quod
potissimum me mouet est, quia grata nimis est Deo
pœnitentia peccatoris, iuxta illud: Maius gaudium est
in cęlo super vno peccatore pniam agẽte q̃ super no-
nagintanouem iustis, quia non indigẽt pnia. Luc. 3. Si
ergo scriptura describit peccata alicuius in detestatio-
nem illius, gratius describeret illius conuersionem ad
emendationem multorum, si pœniteret: scriptura ta-
men describit multa enormia facta Salomonis sequ.
lib. cap. 11. Et tamen non ponitur pœnitentia eius in
aliquo loco scripturæ, ergo non pœnituit. Item in Ec-
clesiastico intentio scriptoris fuit ex medio libri, vel
quasi laudare viros glorioſos, & exprimere omnia,
quæ pertinent ad eorum laudem, vt patet Eccle. 44.
Scilicet: Laudemus viros glorioſos, & parentes no-
stros in generatione sua: postea autem cùm peruenit D
scriptor ille ad Salomonẽ in c. 47. Retulit omnia bo-
na magnifica, quæ habuerat in iuuentute sua. In sene-
ctute verò narrat omnia peccata, in quibus finem fa-
cit: si tamen pœnituisset, cùm intentio scriptoris fuis-
set laudare eum, descripsisset illius pœnitentiam, sed ni
hil dixit: ergo videtur, quòd putauerit eum sine pœ-
nitentia mortuum fuisse. Item, quod satis forte est:
Deus misit ad Salomonem, vt nunciaretur ei regnũ
auferendum esse de manu posteritatis suæ propter
peccata sua, & tamen post mortem suam sic factum
est, ergo videtur, quòd ipse nõ pœnituit: quia alioquin
Deus exaudiuisset illum, & non diuisisset regnum cũ
promisisset ei benefacere propter Dauid, sed diuisit,
ergo ipse non pœnituit. Item postquam Deus dixit Sa E
lomoni auferendum regnum de manu eius, Ahias
Silonites propheta inuenit Ieroboan in agro, & diui-
sit pallium eius in duodecim partes signans diuisionẽ
regni Salomonis, & hoc fiebat viuente Salomone, er
go non pœnituerat, quanquam sibi Deus denunciaue-
rat diuisionem futuram: ita ergo satis verisimiliter ad
mortem præsumitur, quòd non pœnituerit, quia alio-
quin fuisset exauditus, sicut Ezechias exauditus est plo
rans, cui dominus mortem comminatus fuerat. infra
4. lib. 20. cap. & Isa. 38. Niniuitæ quoque pœnitentes
exauditi sunt, ne deleretur ciuitas sua, vt patet Ionæ. 3.
& 4. Item postquam aliquis pœnituit, peccata non ma
nent, sed post mortem Salomonis dicitur, quòd diui-
sum est regnum propter peccata eius: ergo adhuc
peccata manebant, & sic non pœnituerat Salomon.
Item si Salomon pœnituisset de peccatis suis: deleuis- Ratio fortissima contra Salomonem
set omnia templa, & altaria, quæ fecerat in terra Ieru-
salem: tamen ipse non destruxit illa, sed manserunt vs-
que ad regem Iosiam: ergo non pœnituit: patet hoc
infra 4. lib. cap. 23. Et ista ratio est magis necessaria,
quàm præcedentes: nam non pœnitet aliquis verè cũ
permanet in peccato, nec aliquis verè dolet de forni-
catione dum tenet concubinam in domo: sic etiam
nullus de idolatria dolet, dum non destruxit altaria,
quæ ædificauit idolis: Salomon tamen non destruxit
illa: nam dicitur prælleg. cap. Excelsa quoque quæ
erant in Ierusalem ad dexteram partem montis of-
fensionis, quæ ædificauerat Salomon rex Israel, & A-
staroth idolum Sidoniorum, & Chamos offensionis
Moab, & Melchon abominationis filiorum Ammon
polluit rex, & contriuit statuas, & succidit lucos. Con-
firmatur aũt hoc, quia cùm Salomon esset rex, si pœ-
nituisset, & voluisset delere altaria, & templa idolo-
rum: subito fecisset, quia rex erat potentissimus, &
nullus sibi repugnaret, maximè super hoc. Quam-
quam igitur sacra scriptura non dicat apertè, an Salo-
mon damnatus fuerit, satis constanter asseri potest,
quòd fuerit damnatus: & ista est causa, quare cùm de-
scribantur eius peccata diligenter, non fit aliqua men
tio de pœnitentia, scilicet, quia nulla fuit, alioquin fa-
cta fuisset mentio. Sic patet de Manasse rege Iuda: nã
C ipse peccauit nimis in idolatria plus quàm Chananei,
& omnes reges Israel, & Iuda, qui præcesserunt eum:
& insuper fudit sanguinem innoxium in Ierusalem
multum nimis: donec impleretur Ierusalem vsque ad
os, vt patet infra. 4. lib. cap. 21. Postea tamen pœnituit,
& describitur pœnitentia eius. 2. Paralip. vlt. & Deus
misertus est ei: à fortiori enim fuisset hoc de Salomo-
ne si pœnituisset. Ad rationes in contrarium. Respon Ad rõnes.
dendum ad primam cùm dicitur: Misericordiam au
tem meam non auferam ab eo. Dicendum, quòd Ad primã.
hoc non intelligitur de misericordia, qua Deus remit
tit peccata, quia istã à nullo homine aufert, sed qua-
cunque hora ingemuerit peccator, Deus non recor-
datur peccati eius. Ezech. 18. Sed intelligitur de mise-
ricordia, qua Deus remittit pœnas debitas pro pecca-
to, vel commutat eas in alias: & istam aliquãdo Deus
aufert ab homine, nam quamquam remiserit culpã,
non vult remittere pœnam. Et est sensus, misericor-
diam autem meam non auferam ab eo, ideſt, quam-
quam aliquando peccet, & mereatur totaliter perde
re regnum, non auferam ei regnum, sed miserebor,
& dabo alias leuiores pœnas. Quod patet, quia dicitur
ibidem in litera, sicut abstuli à Saul, quem amoui à fa-
cie mea, ideſt, abstuli ab eo misericordiam meam: sed
manifestum est, quòd non intelligitur de misericor-
dia, qua peccata remittit, quia illa à nullo homine au-
fertur: alioquin quamquam pœniteremus, Deus non
misereretur, sed intelligitur de misericordia, qua tollit
pœnas, & istam abstulit à Saule: quia quamquam o-
rasset pro eo Samuel, & ipse confiteretur se peccasse:
nihil profuit ad hoc, quòd nõ auferretur ei regnum.
præceden. lib. cap. 15. Istam autem misericordiam nõ
abstulit Deus à Salomone: quia quamquam peccaue
rit, semper posteri eius tenuerunt regnum, vt patet se-
quen. lib. cap. 11. Ad secũdam rationem cùm dicitur, Ad secũdã.
quòd recipiuntur scripturæ eius in canone. Respon-
dendum, quòd nihil obstat, quia quamquam aliquis
non sit sanctus: Deus per illum loquitur: sicut fuit de
Balaã, qui erat pessimus vir, & idolatra: tamen erat p-
pheta domini, vt patet Num. 22. & 23. & 24. Nam scri
ptura sacra magis attendit in doctrina veritatem cũ
probitatem eius, qui loquitur: & quia Salomon bona,

& recta

Universidad de Deusto
Biblioteca

& recta dixit, quamquam ipse malus fuerit, scriptura susscipit dicta sua. Item quia Salomon, quando scripsit libros illos, qui habentur in canone Bibliæ: erat vir sanctus, & dilectus Deo: postea peccauit in senectute: sic patet seq. lib. c. 11. scilicet. Cumque iam esset senex, deprauatũ est cor eius per mulieres, vt sequeretur Deos alienos. Ante hoc autem fuerant omnes probitates eius, vnde scriptura omnem sapientiam & gloriã eius narrat ante peccata, vt colligitur seq. li. ex. c. 2. vsque ad

Ad tertiam. 12. Ad tertiam rationem, cùm dicitur, quòd ponitur in Genealogia Saluatoris. Dicendum quòd non tollitur ex hoc quin sit damnatus: nam sicut in Genealogia illa ponuntur multi tam viri quam fœminæ peccatores, & hoc non fuit inconueniens: ita etiam non est

Ad quartã. inconueniens multos de illis fuisse damnatos. Ad quartam rationem, cùm dicitur, quòd Hebræi ponunt Salomonem pœnituisse. Dicendum, quòd non est verisimile, quia tunc destruxisset idola, quæ non destruxit: vt patet infra 4. lib. cap. 23. Hebræi quoque multa

Hebræorũ dictis minꝰ, quàm poetis credendum est. dicunt valde fabulosa, & insana: sicut patet super illud Ezech. 21. Vbi dicit Glo. illorum, quando dominus recordatur de destructione templi, dolens percutit manus suas ad inuicem, & hoc est tonitruum, & lachrymæ eius cadunt ad terram, & hoc est fulgur: quod est nimis insanum. multa quoque alia dicunt in suo Thalmud, quæ sunt absurdissima: ideo Hebræorum dictis minus quàm poetis de auctoritate tribuendum est.

Ad beatum Isido. Ad aliam rationem, cùm dicitur quòd Beatus Isidorus vult tenere saluum esse Salomonem. Dicendum, quòd Doctoribus nihil magis auctoritatis dãdum est, quàm inquantum possunt ratione, vel auctoritate aliquid melius, quàm alij persuadere: non tamen ideo credendum est aliquid sic esse, quia ipsi dixerunt: sic patet in Decretis dist. 9. in cap. ego solis, & est dictum Augusti. ad Vincẽtium Donatistam: sed beatus Isidorus quamquam sit magnæ auctoritatis vir, non sufficienter persuadet: ideo non est ei assentiendum: si autem esset omnino quæstio dubia, ita quòd nihil magis pro vna parte, quàm pro alia esset verisimilis, auctoritati istorum immanendum erat: sed probatum est sufficienter Salomonem non pœnituisse, ideo nihil præiudicamus auctoritati istorum si contrarium teneamus. Ad aliud cùm dicit Hieronymus super Ezechielem, quòd Salomon pœnitentiam egit. Dicendum, quòd I hoc non videtur dicere ex propria opinione, sed recitando dictum Hebræorum, quibus in nullo assentiendum est: & dato quòd esset ista intentio Hieron. non propter hoc est ei assentiendum, sicut diximus de Isidoro. Nec obstat dictum allegatũ per eum. s. respexi, vt eligerem disciplinam, quia isti libri fuerũt facti à Salomone antequam peccaret: & dato quòd fuisset illud scriptum post peccatum, non respuitur vitium ꝑ illud dictum, sed insipientia. Ad aliud cùm dicit Hierony. super Ecclesiasten, quòd aiunt Hebræi vnum librũ esse Salomonis pœnitentiam agentis. Dicendum istud nullius esse auctoritatis, cùm ipse non dicat à se. Etiam dictum Hebræorum non habet verisimilitudinem, quia Hebræi putant Salomonem pœnituisse, quia dixit, ꝙ respexit ad omnia opera sua, in quibus laborauerat, & inuenit illa esse vanitatem, vt patet Eccle. 2. Sed K hoc non obstat, quia ibi Salomon non enarrat nisi ædificationes, & thesauros, & alia, quę fecit ad ministeriũ, & delectationem suam: de cultu tamen idolorum nihil dixit, ideo non patet quòd pœnituerit de illo. Ad aliud cùm Ambrosius vocat Salomonem sanctum. Dicendum, ꝙ potest referri ad tempus, quo scribebat libros, qui habentur in canone, propter quos ipse allegatur. Cùm autẽ dixit, ꝙ hoc dicitur, vt tollatur nobis ambiguitas de eius pœnitentia, non est assentiendũ ei, sicut nec Isidoro, nec Hiero. Item cùm dicit Ambro-

F uenisse Salomonem in templum cum quinque virgis &c. & cùm dicit eum tractum fuisse quinques per plateas Ierusalem in pœnitentiam, non est verisimile, nec est his assentiendum: quia Ambrosius recitat ista, ab Hebræis sumens. Patet igitur, quòd quamquam scriptura nihil expresse diffiniat de condemnatione, vel salute Salomonis, & quãtum ad hoc sit problema neutrum: tamen certissimè asseri potest Salomonem non pœnituisse.

CAP. VIII.

G EACTVM est autem post hæc, percussit Dauid Philisthijm, & humiliauit eos: & tulit Dauid frænum tributi de manu Philisthijm, & percussit Moab, & mensus est eos funiculo coæquans terræ. Mensus est autem duos funiculos, unum ad occidendum, & vnum ad viuificandum.

H IN superioribus descripta deuotione Dauid ad Deum. Hic describitur fortitudo eius contra aduersarium: & diuiditur in duo, quia primò ponitur hostium debellatio, secũdò regni Dauid ordinatio ibi. *Et regnauit Dauid.* Prima in quatuor, secundùm quòd Dauid pugnauit contra quatuor gentes, scilicet, contra Philisthinos, Moabitas, Syros, Idumæos. Secunda ibi. *Et percussit Moab.* Tertia ibi. *Et percussit Dauid Adarezer.* Quarta ibi. *Fecit quoque sibi.*

An sit ordo continuus ad præcedentia, & immediatus. Q. I.

I QVAERETVR circa primum, an ea quę dicuntur hic, habeant ordinem continuatum ad præcedentia, vel sit aliqua mutatio: & an fuerint ista facta immediatè post illa. Respondẽdum, quòd hic est ordo continuus, nam dicitur hic in principio literæ, factum est autem post hoc percussit Dauid Philisthijm. s. ꝙ post ea, quæ habentur præc. fuit facta percussio Philisthinorum, & consequẽter omnia, quæ habentur hic. Idem patet 1. Paralip. 18. vbi ponitur quidquid habetur in hoc c. & ibidem in 17. ponitur id quod habetur præc. c. & dicitur sicut hic. s. factum est post hoc, vt percuteret Dauid Philisthijm. Cùm autem quæritur an fuerint immediatè ista post præcedentia. Respondendum, ꝙ non apparet quantum tẽporis interciderit, tamen credendum est, quòd fuit paucum, quia Dauid non erat multum ociosus. *Factum est autem post hoc.* Ideſt, accidit post superiora, in quibus enarratur de deuotione Dauid, & quòd voluerit ædificare domum domino. *Et percussit Dauid Philisthijm.* i. pugnauit contra eos, & vulnerauit plurimos.

An ista quæ sequuntur sint facta post præcedentia. Q. II.

QVAERET aliquis, qũo dicitur hic, factũ est autem post hoc, nam ista bella non videntur potuisse fieri post ea, quæ habentur præce. cap. quia ibi dicitur: cùm sedisset Rex in domo sua, & dñs dedisset ei requiem ab vniuersis inimicis suis: ergo nunquam Dauid habuit postea aliqua bella, sed pacem continuam. Dicet ergo aliquis, quòd hic sit mutatio

mutatio ordinis per anticipationem, vel recapitulationem, sicut sæpe accidit in scripturis. Sed dicendum, ꝙ non stat, quia scriptura excludit hic omnem anticipationem, & recapitulationem asserens cõtinuatum ordinem cùm ait: Factum est aũt post hoc. i. istud qđ habetur hic fuit post præcedentia. Item patet hoc, quia Dauid ferè tota vita sua non habuit pacem cum hostibus, ergo nondum habuerat, sic dixit Salomon seq. li. c. 5. s. tu scis voluntatem patris mei, quòd non potuerit ædificare domum domini propter bella imminentia per circuitum: ergo parua pars vitæ superfuit ei, in qua non pugnaret: alioquin potuisset tunc ædificare templum. Dicendum ergo, quòd post ea, quæ habentur præc. c. Dauid fecit multa bella. Cùm verò dicitur, ꝙ erat quietus ab vniuersis inimicis suis. Dicendum, ꝙ dupliciter poterat esse quietus, vno modo ꝙ ipse non inquietaretur ab hostibus. Alio modo ꝙ ipse non inquietaret eos. Primo modo dicebatur Dauid quietus, quia iam nulli de hostibus insurgebant contra ipsum timentes eum, & sic erat in arbitrio suo habere quietem, vel non. Secundo modo Dauid nondum habebat quietem, quia post hoc plus ipse pugnauit contra hostes quàm prius pugnauerat faciens multa bella magnifica.

Quare Dauid pugnabat contra Philisthinos. Quæst. III.

QVAERETVR vlterius, quare Dauid pugnabat contra Philisthinos. Aliquis respondebit, ꝙ Philisthini offenderent in aliquo Israelitas, & Dauid volebat bello iniurias, & dãna repetere, sicut fuit contra filios Ammon, qui intulerunt iniuriam Dauid turpiter confundendo nũcios eius, infra. 10. & pugnauit Dauid contra illos. Aliter dici potest, & melius, ꝙ Dauid pugnauit contra Philisthinos, quia incumbebat ei onus pugnandi contra illos: nam Philisthini erant de habitatoribus terrę Chanaan, vt patet Iosue. 13. & Iudic. 2. De omnibus autem Chananæis iusserat dominus, ꝙ Israelitæ non permitterent eos viuere in terra, sed delerent, ideo vt obediret mandato domini, Dauid pugnauit cõtra Philisthinos. Potuit etiam hoc esse, quia Philisthini cùm essent coniuncti terræ Israel: sæpe inferebant molestias Israelitis, vt patet in duobus bellis, quæ ipsi fecerunt contra Dauid, supra quinto: ad hoc ergo voluit Dauid eos affligere, sicut ipsi affligebãt Israel. *Et humiliauit eos.* Ideſt depressit superbiam eorum, & fecit eos humiles, ideſt impotentes tollendo fortitudinem exercitus eorum, & occidendo plurimos de viris bellatoribus: ante hoc enim Philisthini erant superbi, & premebant Israelitas, nunc autem intantum erant depressi, quòd non poterant respirare. *Et tulit Dauid frenum tributi de manu Philisthijm.* Ideſt, tulit tributa quæ accipiebant ab Israelitis. Vocatur. n. frenum tributi, quia sicut frenum est, quo tenetur iumentum, & cogitur ad diuersa, ita populus cogitur sub eo, cui tributum præstat. Et est sensus, quòd Israelitæ ante hoc præstabant tributa Philisthinis: Dauid autem abstulit istam seruitutem, quæ erat quasi quoddam frenum, quo tenebantur Israelitæ, & post hoc nunquam soluerunt tributum, sed potius Philisthijm soluebant tributum regibus Israel. Fuerunt autem à principio Iudæi sub potestate Philisthinorum. s. ex tempore Samsonis: nam dicitur Iudi. 13. ꝙ Deus tradidit Israel in manu Philisthinorum. 40. annis, & fuerunt postea in ista seruitute toto tempore Samsonis: nam dicitur Iudi. 14. ꝙ eo tempore dominabantur Philisthijm in Israel: tempore etiam Heli summi Sacerdotis erant in seruitute sub Philisthinis, quãquam aliquando insurgerent contra eos, vt patet præ-

Alph. Tost. in Secundum Regum.

A ced. li. c. 4. manserunt etiam postea tempore Samuelis sub seruitute Philisthinorum, quia licèt dicatur eo. li. c. 7. ꝙ liberauit Samuel de manibus Philisthinorum Israelitas, tamen non fuit ista liberatio plena, quia adhuc mansit quędam seruitus: nam Philisthini habebant in Israel semper magnam turmam de seipsis, vt cogerent Israelitas ad seruandum statuta Philisthinorum, & vt colligerent tributa, & vt non insurgerent contra Philisthinos, & ista turma vocabatur statio Philisthinorum, de qua patet præce. li. c. 10. & 13. Tẽpore autem Saulis viuente tunc Samuele fuit tanta seruitus Israelitarum, ꝙ non haberẽt in tota terra Israel saltem vnum fabrum ferrarium, vt non possent facere aliqua arma: & quãdo debebant parare vomeres, & ligones,

B & alia instrumenta agriculturæ, descendebant in terram Philisthinorum, & ibi parabant, vt patet præced. lib. c. 13. in tantum ꝙ in die belli, quando pugnare debuit Saul contra Philisthinos, non est inuenta lancea, aut gladius in manu totius populi, nisi in manu Saulis, & Ionathæ. eo. cap. postea autem fecit Saul duo bella magna contra Philisthinos eo. lib. c. 14. & 17. & postea fecit multotiens alia bella particularia: in quibus alleuiabat iugum Israelitarum, sed nunquam penitus ablatum est quousque nunc Dauid pugnauit cõtra Philisthinos, & abstulit frenum tributi de manu eorum. In Hebræo dicitur. *Abstulit stimulum maiorem.* Quod ipsi exponunt de quadam ciuitate terræ Philisthinorũ, scilicet, de Geth, eo quòd illa erat Iudæis quasi stimulus affligens eos grauiter. Quòd autem istam abstulerit patet. 1. Paralip. 18. & satis rationabilis sensus est iste, litera tamen nostra accepit de tributo, quia necesse

C est, ꝙ intelligatur hic ista litera per metaphoram, & vocauit stimulum maiorem, vel stimulum asini frenũ tributi, quia populus stimulatur tributo, sicut asinus pungitur stimulo. Quidam autem Hebræi dicunt, scilicet Ra. Eliezer: vt ait Ra. Dauid Kimhi quòd quando Abimelech rex Philisthinorũ pepigit fœdus cum Isaac dedit ei Isaac partem stimuli asini in signum fœderis, scilicet, diuisit stimulum, & dedit vnam partem Abimelech, & iurauerunt ambo supra fœdere: nunc autem Dauid non poterat pugnare contra Philisthinos propter iuramentum, & fœdus quousque

D auferret eis stimulum: abstulit autem, & tunc potuit pugnare, & de hoc dicitur hic, quòd tulit stimulum maiorem de manu Philisthinorum. Sed ista ridicula sunt, quia tunc ad recuperandum stimulum oportebat, quòd pugnaret contra Philisthinos, & tunc incurrebat in periurium: si verum est, quòd interpositum erat tale pactum, sed omnia ista falsa sunt: ideo teneatur sensus literę, scilicet, quòd ablata est seruitus tributorum quam patiebantur Israelitæ sub Philisthinis.

Et percussit Moab. Hic ponitur bellum contra secundam gentem, scilicet, contra Moabitas, habitabant enim Moabitę in confinio terrę Chanaan ad partem Orientalem iuxta Iordanem, & inde poterant Israelitæ pugnare contra eos, vel è conuerso. *Et percussit*

E *Moab.* Scilicet, occidit multos de Moabitis in bello. *Et mensus est eos funiculo.* Hoc potest referri ad sequentia, scilicet, quòd fecit duos funiculos vnum ad occidendum, & alium ad viuificandum: & tunc est sensus, mensus est eos funiculo, ideſt, numerauit illos per funiculum: in quo innuitur, quòd Dauid subijciens sibi Moabitas, occidit pro libito suo quos voluit, & quos voluit viuificauit, & tanquam non agens magnam differentiam, vel appreciationem in occidendo illos, vel viuificando: non curabat diligenter inquirere, quẽ occideret, vel quem viuificaret, sed claudebat multos intra vnum fiuiculum non numerando illos, & alios claudebat intra alium funiculum non numerando: primos autem viuificabat, secundos verò occidebat.

G *Coæquans*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Coæquans terræ. Ideſt, Dauid æquabat Moabitas terræ, ſcilicet, faciendo eos claudi intra funiculum, & deijci in terram ad magnam conculcationem & improperium. *Menſus eſt autem duos funiculos.* Ideſt, numerauit Moabitas per duos funiculos. Non eſt autem ſenſus quòd omnes Moabitæ caperentur intra duos funiculos, ſed quòd ad quemcunque locum iret Dauid, & caperet Moabitas, faciebat de eis duas partes, & vnam claudebat ſub funiculo mortis, & aliam ſub funiculo vitæ, licèt multi funiculi eſſent pro morte, & multi pro vita, vocantur tamen duo, ſcilicet, in officio, numero tamen plures erant. Sciendum autem quòd Dauid non menſurabat, vel numerabat Moabitas funiculis quaſi ipſe neſciret alio modo inquirere quos deberet occidere, & quos viuificare, ſed fecit iſtud ex induſtria, ſcilicet, quia non ſolùm volebat occidere Moabitas, ſed etiam inferre eis aliam pœnam dedecoris: iſta autem erat quòd de Moabitis nulla fieret mentio, ſed quòd quaſi pecora, & beſtiæ intra laqueos, & funiculos caperentur, & non habita diſtinctione occiderentur. *Vnum ad occidendum, & vnum ad viuificandum.* Ideſt, vnus funiculus erat ad hoc, quòd omnes comprehenſi intra ipſum occiderentur, & alius erat, vt omnes intra eum exiſtentes, viuere permitterentur. In Hebræo habetur. *Menſus eſt duas chordas ad occidendum, & plenam chordam ad viuificandum.* Ideſt, Dauid fecit tres chordas, & duas impleuit hominibus morituris, tertiam autem impleuit viuificandis. Dicunt autem Hebræi, quòd hoc fecit Dauid, quia Moabitæ occiderant patrem, & matrem eius. Litera autem noſtra ponit ſolùm duos funiculos. Ratio autem diuerſitatis eſt in punctuatione, quia in Hebræo punctuatur litera ſic: menſus eſt duas chordas ad occidendum. Et hic eſt punctus. Et poſtea ſequitur: Et plenam chordam ad viuificandum: & ſecundùm iſtam punctuationem oportet poni tres chordas, Litera autem noſtra punctuat aliter. ſ. menſus eſt duos funiculos, vel chordas. Et ibi eſt punctus. Et tunc ſequitur ad occidendum, ſcilicet, vnum: & iſtud deficit in Hebræo: & plenam chordam ad viuificandum, ideſt, etiam fecit aliã chordam ad viuificandum eos, quos ibi ponebat: multotiens autem in Hebræo ſicut eſt modus loquendi barbaricus, ita & modus punctuandi. *Factuſque eſt Moab ſeruiens Dauid ſub tributo.* Ideſt, ex illo tempore cœperunt Moabitæ ſoluere tributum Dauid: iſti erant qui poſiti fuerant in funiculo ad viuificandum, & manſerunt poſtea in terra. Vel intelligendum eſt, quòd illos funiculos fecit Dauid quantum ad viros belli, ſcilicet, quia quoſdam occidebat in vno funiculo, & alios viuificabat in alio: agricolas autem non poſuit in funiculis, ſed omnes permiſit viuere, & poſtea omnes manentes fuerunt tributarij Dauid. Glo. ordin. dicit, quòd non eſt intelligendum, quòd Dauid coæquaret terræ ipſos Moabitas, quia viuentes homines non tantum humiliabat, vt ſuper extenſo funiculo terræ apparerẽt æquales: ſed adeo viles, & contemptos eos fecit, quòd in nullo plus valerent quàm terra, quæ nihil eminens habet, funiculum autem pro ſorte poſuit, quia funiculo ſolent terræ menſurari ſecundùm illud: Sorte diuiſit eis terram: & ſignificatur in funiculo quòd tam liberè dedit Dauid regiones Moabitarum, quam poſſeſſionem, & agros proprios. In eo autem quod dicit, menſus eſt duos funiculos vnum ad viuificandum & vnum ad occidendum, ſignat quòd occidit quos voluit, & permiſit viuere quos voluit. Nicolaus autem aliter exponit, ſcilicet, *Menſus eſt eos funiculo.* Ideſt, rigore iuſtitiæ egit contra Moabitas. *Coæquans terræ.* Ideſt, diruit fortalitia Moab, & æquauit illa terræ, vt poſtea non poſſent inſurgere Moabitæ. *Menſus eſt duos funiculos.* Ideſt, habuit Dauid duos ordines procedendi contra Moabitas. *Vnum ad occidendum.* Ideſt, vnus ordo erat ad occidendum magis culpabiles via iuſtitiæ. *Et vnum ad viuificandum.* Ideſt, ad permittendum viuere minus culpabiles via miſericordiæ: quilibet autem iſtarum expoſitionum trium eſt ſatis rationabilis, ſed prima eſt melior, & conuenientior literæ.

Expoſitio Nicolai.

Quare Dauid pugnauit contra Moabitas.
Quæſt. IIII.

QVAERET aliquis, quare Dauid pugnauit contra Moabitas. Reſpondet Rab. Salomon, quòd Moabitæ præuaricati fuerant contra Dauid, quia ipſe dimiſit patrem, & matrem, & amicos quoſdam apud regem Moab quando manebat in terra Moab in præſidio fugitiuus à Saule. præceden. lib. cap. 22. cùm autem inde receſſit, dicunt Hebræi, & præcipuè Rab. Sal. quòd rex Moab occidit patrem, & matrem Dauid, & amicos: & hoc dicunt, quia nunquam poſtea fit mentio de illis. Sed iſtud non multum tenet: non enim veriſimile eſt, quòd occiderit rex Moab patrem & matrem Dauid, cùm receperit benignè Dauid, qui nunquam ei nocuerat. Aliter autem dici poteſt ſecundùm quoſdam, quòd Dauid pugnauit hic ad vindictam malorum, quæ Moabitæ intulerant Iſraelitis, ſicut tempore regis Eglon oppreſſerunt Moabitę Iſraelitas. 18. annis. Iud. 3. in quo tempore multa damna eis intulerunt, quia tributa extorquebant, & violentias multas inferebant: ad ſatisfactionem ergo horum & vindictam Dauid potuit pugnare contra terram Moab. Sed hoc non multum ſtat, quia iſta iam videbantur remiſſa eſſe Moabitis à Dauid: nam ipſe transfugit ad regem Moab quando erat fugitiuus à facie Saulis, & rex Moab habuit ſe clementer cum eo. Dauid quoque commendauit patrem ſuum & matrem regi Moab, vt manerent apud eum, præceden. libro capit. 22. In quo apparet, quòd erat plena amicitia inter eos, & non manebat aliqua inimicitia ex tempore præterito, ita vt propter offenſas illas maneret aliquod ius Dauid agendi contra Moabitas bellicè ad reſartiendum damna, & tollendum iniurias. Alij dicunt, quòd non oportebat Moabitas aliquid egiſſe contra Iſrael ad hoc vt pugnaret contra illos Dauid, ſed poterat pugnare ſine cauſa, ſicut dictum fuit ſupra de Philiſthinis. Sed dicendum quòd non ſtat, quia contra Philiſthinos poterat pugnare Dauid nulla alia cauſa ſubeunte, quia erant de terra Chananęorum, & tenebãt occupatam quandam partem terrę debitam Iſraelitis: ideo ad recuperandum illam poterant Iſraelitę pugnare contra Philiſthinos. non exiſtente alia cauſa, Moabitę autem non tenebant aliquam partem terrę Chanaan, ideo non poterant pugnare Iſraelitę contra eos, niſi aliqua cauſa ſubeſſet, ſcilicet, illatarum iniuriarum, damnorum datorum. Dicendum igitur, quòd cum Moabitę eſſent vicini Iſraelitis, aliquando fortè facerent aliquod impetum in terram Iſrael, propter quem poſſet Dauid repetendo damna agere bellum contra eos, vel fortè egerunt Moabitę aliquid tale contra Iſrael, quale egerunt Ammonitę confundentes turpiter nuncios Dauid, ideo poſſet pugnare contra illos, de hoc infra decimo.

An

An Iſraelitis licuerit aduerſus Moabitas pugnare.
Quæſt. V.

QVAERETVR vlterius, an licitum erat Iſraelitis pugnare contra Moab. Aliquis dicet, quòd non, quia Deus hoc vetuit, nam Deute. ſecundo dicitur: non pugnes cõtra Moabitas, nec ineas aduerſus eos prælium. Reſpondendũ, quòd poterant Iſraelitæ pugnare contra Moab: illa autem auctoritas non prohibet bellum contra Moab ſimpliciter, ſed ſolùm pro illo tempore, quo tranſibant Iſraelitæ per terram Moab, quando dictum fuit eis hoc. quod patet allegato cap. Scilicet: Venimus ad iter, quod ducit ad deſertum Moab: dixitque dominus ad me, non pugnes contra Moabitas &c. nunc ergo non tenebantur illa lege. Item illa lex intelligebatur de pugna, quæ fiebat ad acquirendum terram, nam dicitur eod. cap. non pugnes contra Moabitas, nec ineas aduerſus eos prælium: non enim dabo tibi quicquam de terra eorum, quia filijs Loth dedi eam in poſſeſſionem: hoc autem dicebat Deus, quia cùm terra Moab eſſet coniuncta terræ Iſrael, deſiderarent Iſraelitæ pugnare contra Moabitas, vt acquirerent terram illorum, & iungerent eam terræ ſuæ; ideo Deus dixit, quòd non pugnarent ad hoc, quia non daret eis quicquam de terra Moab in poſſeſſionem: ſi tamen bellum Iſraelitarum contra Moab nõ eſſet ad capiendum terram illorum in poſſeſſionem, non videtur prohibitum hac lege, Dauid autem obſeruauit hoc, quia quamquam occiderit multos Moabitas, non cepit aliqua loca terræ eorum iungens illa terræ Iſrael; ſed ſolùm fecit ſibi tributarios Moabitas. Item illa lex intelligitur, quando Iſraelitæ nullam cauſam habebant pugnandi, & ſic erat tunc quando tranſierunt per terram Moab; nunc autem tempore Dauid habebant cauſam pugnandi, ſicut ſupra declaratum eſt, ergo poterant pugnare, alioquin Deus excluſiſſet defenſionem per legem ſuam, quod eſt iniuſtiſſimum: patet hoc, ſi non liceret alicui homini pugnare contra alium, etiam ſi haberet cauſam. Item & fortius dicendum, quòd Iſraelitæ habebant ſemper cauſam pugnandi contra Moabitas, & poterant pugnare quandocunque vellent nulla alia cauſa ſubſiſtẽte, ſcilicet, quia Deus dixerat Deuteron. 23. Ammonites, & Moabites etiam poſt decimam generationẽ non intrabunt eccleſiam domini in æternum, & ſubditur infra: non facies cum eis pacem, nec quæres eis bona cunctis diebus vitæ tuæ in ſempiternum: non ſolùm ergo poterant contra illos pugnare, ſed etiam merebantur in hoc, quia implebant præceptum domini. Non fiebat autem bellum iſtud ſine cauſa, quia cauſa inſtitutionis illius legis erat cauſa ſufficiens ad pugnandum contra eos: & ſubduntur ibi duæ cauſæ, ſcilicet, quia noluerunt vobis occurrere cum pane, & aqua in via quando egreſſi eſtis de Aegypto, & quia conduxerunt contra te Balaam filium Beor de Meſopotamia Syrię, vt malediceret tibi. ex illa autem maledictione ſecuta ſunt multa damna, & mortes inter Iſraelitas, ſcilicet, quia ſuſpenſi ſunt de eis viginti quatuor millia, vt patet Num. 25. Ad reſarciendum ergo iſtam iniuriam, & damna: malitiam, & fraudes Moabitarum, poterant ſemper Iſraelitæ pugnare cõtra eos non ſubſiſtente alia cauſa, & fortè iſta fuit principalior, propter quam Dauid pugnauit contra Moabitas.

Alph. Toſt. in Secundum Regum.

An Dauid potuit licitè imponere tributum Moabitis. QVI.

QVAERETVR vlterius, an Dauid potuit licitè imponere tributum Moabitis. Aliquis dicet quod ſic, quia cùm victi in bello, lege bellica efficiantur ſerui ſecundùm ius gentium: à fortiori poterunt victores imponere tributa victis, cùm minus hoc ſit quàm perſonas, & bona ſibi accipere. Sed dicetur ad hoc, quòd lege belli hoc fit: ſed non eſt licitum omne, quod lex bellica introduxit, quia de iure gentium non ſolùm habent iſta locum in bello iuſto, ſed etiam in quocunque bello: in bello tamen iniuſto quicquid fit peccatum eſt, ſiue occiſio, ſiue rapina: ex parte eorum, qui bellum iniuſtum fouent: in bellis autem iuſtis poteſt fieri occiſio, & latrocinium: inquantum illud bellum poteſt durare iuſtum. Hoc autem dico, quia fortè bellum iuſtum ſit ad repetendum aliqua ablata, vel ad ſatisfaciẽdum pro iniuria, in quibus non vult pars ſine bello ſatisfacere: nam tunc bellum iuſtum eſt quouſq; repetantur omnia damna, & ſumptus facti in bello ad repetẽdum illa. Si autem victores fouentes bellũ iuſtũ vltra hęc voluerint aliquid capere, vel cędi vacare, iam bellum iniuſtum efficitur; & tũc nihil poteſt licitè ſumi, vel inferri violentia aliqua. De Dauid autem pugnante contra Moabitas dicendum eſt, q̃ fouebat iuſtum bellum, vt patet ex prædictis, ideo aliquis dicet nõ eſſe dubium, quin poſſet imponere tributum. Sed dicendum eſt, q̃ iſta rõ non eſt ſufficiens, quia fortè id pro quo Dauid gerebat iuſtum bellum, non erat magnũ, & occidendo multos de Moabitis, & accipiendo aliquid ab eis reſartiebatur id, pro quo bellum infligebatur; ideo ſi aliquid vltra hoc exigeret à Moabitis, peccaret, & ſic cũ tributa ſuperexcederent ad id pro quo bellum iuſtum erat, non poterant licitè poni. Dicendum ergo aliter, ſcilicet, quòd Dauid licitè potuit ponere tributũ. Et hoc propter duo, primò quia cã, propter quã Dauid pugnabat contra Moab, erat magna, ad quam non ſufficiebat pœna pauci tpis. ſ. q̃ occiderẽtur aliqui de Moabitis, & raperentur aliqua bona eorum, ſed etiã q̃ ſubiicerentur in ſeruitutem: quia ſuffi ciebat cauſa illa ad non habendum pacẽ cũ eis: nec ad quærendum eis bona in æternũ, vt patet Deut. 23. Iõ bene poterat eis poni tributũ. Secũda rõ, & efficacior eſt ex lege Dei, quia q̃ficunq; pugnarent iſraelitę contra aliquam ciuitatem, q̃ non eſſet de terra Chanaan, debebant offerre ei pacẽ, & ſi illa aperiebat portas, debebat ſeruire ſub tributo, ſi autẽ non aperirent portas, & caperetur: debebat tota illa gens occidi p̃ter fœminas, & paruulos. Deut. 20. Si ergo antequã ciuitas inciperet repugnare (dum tamen Iſraelitę haberent iuſtam cauſam pugnandi contra eã) poterant facere illam tributariam, à fortiori poterant illam ſubijcere tributis poſtquam inciperet repugnare, & eã caperẽt. Sic autem fuit de Dauid contra Moabitas, quia ipſe habuit iuſtam cauſam pugnandi contra illos, vt ſupra declaratũ eſt, & tñ nunc non ſuſceperunt eũ aperiendo portas, ſed reſtiterunt, ergo à fortiori poterat eos ſubijcere tributis. Sed aliquis obijcet, q̃ Dauid peccauerit faciendo Moabitas tributarios, quia tenebatur eos occidere, cùm dicatur Deuter. 20. Quòd ſi ciuitas nollet aperire portas ſuſcipiẽdo pacem, debebant omnes, qui in ea erant occidi in ore gladij præter paruulos & fœminas. Reſpondendum, q̃ hoc poterat intelligi dupliciter. Vno modo, quòd importaret lex iſta poteſtatem, vel eſſe licitum, & non neceſſitatem, & tunc eſt ſenſus, quòd ſi ciuitas nollet aperire portas, & poſtea caperetur, occiderẽtur omnes gladio, ideſt, poſſent occidi, vel licitum eſſet eos occidi, & tũc q̃

Universidad de Deusto
Biblioteca

Omnes de ciuitate nolente aperire portas debere occidi quomodo intelligitur.

Dauid posset occidere omnes Moabitas, quia tñ non obligabatur, noluit: sed imposuit pœnam minorẽ. s. tributum. Si autem intelligatur lex secundo modo. s. q̃ erat necessarium, quòd Israelitæ occiderent illos, qui se nollent tradere, dicendum est quòd ista lex poterat suscipere dispensationem, & sic fuit sub Dauid, quia cum ipse esset prophera, verisimile est, quòd Deo mouente ageret hoc, scilicet, quòd non occideret omnes, sed subijceret tributis.

Et percussit Dauid. Hic ponitur tertium bellum, qđ Dauid habuit contra Adarezer regem Syriæ, & dicitur. *Et percussit Adarezer.* Idest, pugnauit contra illum, & percussit exercitum eius: ipsum autem non percussit, quia infra dicitur, q̃ venit etiam Syria Damasci, vt præsidium ferret Adarezer: si tamen mortuus fuisset facto bello non venisset Syria ad adiuuandum eum: dicitur tamen: Percussit Adarezer, quia percussus est exercitus eius. Et hoc verum est, quia rex Adarezer superuixit, & postea pugnauit contra Dauid, vt patet infra decimo. *Filium Rohob regem Soba.* Nominatur hic progenies huius quia pater eius Rohob fuerat etiam rex potens in regno Soba. Est autem Soba quædam prouincia in Syria apud Euphratem ex parte Septemtrionali terræ Israel: de isto rege Adarezer dicit Iosephus. 7. Antiquitatum, q̃ Nico. Historiographus Damascenus meminit huius regis. 4. li. historiæ suæ dicẽs: Post hæc transacto iam multo tempore quidam prouincialium nomine Adadus valde fortissimus in Damasco & alia Syria præter Phœnicem imperauit, & habuit bellum contra Dauid Iudææ regem: cumque multis prælijs dimicasset, nouissimè circa Euphratem victus est, qui tunc optimus regum robore & fortitudine habebatur. Ad hæc autem & eius liberos dicit, q̃ post mortem illius suscipiebant ab alterutris regnum, & nomen, his verbis: Illo siquidem moriente eius nepotes vsque ad decimam generationem regnauerũt, singulis quibusque à patre mox in ipso principio nomen accipientibus, sicut in Aegypto Ptolemæi: quorum tertius valde potens, & reparare volens aui perditionem, bello illato Iudæis, vastauit prouinciam, quæ modo Samaria appellatur. Non est autem Historiographus veritate priuatus. Is est vtique Benadab siue Adadus, qui pugnauit in Samaria regnante Achab. *Quando profectus est vt dominaretur super flumen Euphratem.* Iste erat rex potens in tota Syria: præterquam in Phœnice. Est autem terra Phœnicis apud Euphratẽ: ideo ibat iste Adarezer, vt dominaretur in terra Phœnicis, & tunc pugnauit contra illum Dauid. Sciendum autem quòd fluuius Euphrates est vnus de quatuor fluuijs Paradisi. Gen. 2. qui in varijs locis terræ absortus, in alijs locis rursum renascitur, & ob hoc apud auctores varia de eius origine habetur opinio, vt declaratum est præalleg. cap. Iste fluuius transit per limites terræ Chanaan, vnde ab eo incipit terminus Septẽtrionalis terræ Chanaan, vt patet Gen. 15. & Deut. 11. & Iosue. 1.

Quare Dauid fecit tot bella postquam locutus est ei Deus.
Quæst. VII.

QVAERET aliquis, quare Dauid nunc faciebat tot bella: nam antequam loqueretur ei Deus rara bella agebat, scilicet, solùm pugnabat contra illos, qui inquietabant eum: vt contra Philisthinos, supra quinto, nunc autem pugnabat contra alias gentes, quorum bella non erant necessaria. Respondendum est, quòd Dauid à principio institutionis suæ in regem habuit spiritum domini, qui mouebat eum ad pugnandum, & confortabat eum. præceden. lib. cap. 16. scilicet, spiritus domini directus est in Dauid à die illo, & in reliquo: non tamen adhuc habebat Dauid magnam confidentiam pugnandi, quia nesciebat, an prosperaretur in bellis, vel non, & ob hoc non agebat nisi bella necessaria, scilicet, quando hostes inquietabant eum: & ista adhuc non faciebat, nisi interdum consuleret dominum, sic patet præced. lib. cap. 23. vbi bis consuluit dominum pugnaturus contra Philisthinos propter Ceilam. Item etiam pugnaturus contra Amalecitas consuluit dominum, an pugnaret. præceden. lib. cap. 30. Iterum etiam cùm pugnaturus esset cõtra Philisthinos, Deus sibi locutus est, supra cap. 5. Et quia Deus nondum certificauerat eum generaliter de prosperitate in omnibus bellis, non intendebat plura bella agere, ideo tãquam habens pacem totaliter voluit ædificare templum domino: sic dicitur præceden. cap. scilicet, cùm sederet Rex in domo sua, & dominus dedisset ei requiem vndique ab vniuersis inimicis suis, dixit ad Nathan &c. idest, dixit ei quòd volebat ædificare tẽplum domino: si tamen intendisset adhuc inferre bella sicut à principio non intendisset ædificare templum, quod erat opus magnæ quietis: postea autem audiuit à domino quòd ipse adiuuaret eum in omnibus, & quòd prosperaretur in sempiternum. præced. cap. ideo iam non timuit, quòd in aliquo bello posset succumbere, & ob hoc confidenter omnia bella tam necessaria, quam non necessaria subibat. Vocantur autem bella necessaria illa, quæ fiunt ad defensionem suam, vel suorum, vel terræ suæ. Et sic fecit Dauid post hoc vnũ bellum contra Philisthinos, in quo ipsi fuerunt aggressores, infra. 21. Bella autem non necessaria vocantur, quæ fiunt propter alias causas, & sic videtur de omnibus bellis, quæ nunc fecit Dauid contra Philisthinos, Moabitas, Syros, Ammonitas, & Idumæos, quia fiebãt ex alijs causis particularibus, & erat Dauid semper aggressor. Sciendum tamen quòd in omnibus his Dauid non egit aliquod bellum sine causa rationabili, alioquin peccasset: nam moueret bella iniusta. Sciendum etiam, quòd Ra. Sa. dicit, quòd omnia bella, quæ hic fecit Dauid nominata sunt hic, eo quòd supra dicebatur de desiderio Dauid ad ædificandum tẽplum præcede. c. omnia autem, quæ acquisiuit in his bellis consecrauit domino ad ędificandum illud: ideo tangitur hic de bellis postquam dictum est de desiderio ędificandi sanctuarium.

Dauid quare pugnauit contra Adarezer.
Quæst. VIII.

QVAERETVR vlterius, cur pugnauit Dauid contra regem Adarezer. Respondendum, quòd rex Saul pugnauerat etiam contra istum regem Adarezer. præce. li. c. 14. s. Pugnabat Saul aduersus omnes inimicos eius contra Moab, & filios Ammõ, & Edom, & reges Soba, & Philistheos: sed iste Adarezer erat rex Soba, vt patet in litera, ideo poterat esse quòd ex illo tempore maneret Israelitis aliqua ratio pugnandi contra Adarezer, & nunc Dauid habita opportunitate voluit pugnare contra eum. Aliter potest dici, q̃ rex Adarezer morabatur in confinibus Israelitarum. s. in terra Syrię, & tamen inter terra Syrię & Chanaan nulla regio media est, ideo poterat esse, quòd ex conuicinitate aliquando Adarezer inuaderet aliquid de terra Israel, & ob hoc quod pugnaret contra eum. Alia causa & rationabilior esse potest, scilicet, quòd nunc Adarezer conabatur accipere quandam partem terręIsrael, & ob hoc quod pugnauit contra

contra ipsum. Ista causa tangitur in litera, cùm dicitur q̃ pugnauit contra eum, quando ibat vt dominaretur super Euphratem: terra autem super Euphratem est terra Phoenicis: & in illa computatur Tyrus, & Sidon. Nam à Phœnice rege Tyri tota illa terra Phœnicia appellata est, vt declaratum fuit Iud. 3. Terra autem ista pertinebat ad Israelitas, & ponitur in sorte Asser, vt patet Iosue. 19. Ideo Dauid pugnauit contra istum regem, vt defenderet terram suam. Ista causa videtur esse verior quàm præcedentes, & ob hoc litera tangit eam. *Et captis Dauid ex parte eius mille septingentis equitibus.* Idest pugnauit Dauid contra Adarezer, & occidit multos de exercitu eius, alijque fugerunt: & cepit viuentes mille septingentos equites. *Et viginti millibus peditum.* Idest, etiam cepit istos pedites viuentes, plures autem alij pedites, & equites fuerunt: sed illorum pars quædam fugit, alia verò gladio cęsa est. *Subneruauit omnes iugales curruum.* Idest, amputauit neruos omnium equorum ferentium currus. Est autem subintelligẽdum, quamquam hic non dicatur de curribus, quòd Dauid ceperit currus multos in bello ipsius Adarezer, & conbussit currus, equos autem ferentes currus subneruauit, præter centum currus, de quibus immediatè dicitur. Est autem subneruare scindere neruos crurum, & fiunt equi inutiles ad omnia opera. Credendum est autem magis, quòd non solùm isti equi subneruabantur, sed etiam occidebantur, quia frustra esset imò nociuum facere equos impotentes ad opera, & relinquere eos ad frustra vorandum segetes.

An Dauid potuit licitè capere equites viuentes.
Quæst. IX.

QVAERET aliquis, an licuit Dauid accipere istos mille septingentos equites, & viginti millia peditum, vel an tenebatur eos occidere.

Aliquis dicet, quòd debebat eos occidere, quia iubebat dominus, quòd quandocunque hostes non se traderent ante bellum, occiderentur postea omnes in ore gladij. Deuteron. 20. sed isti pugnauerunt resistentes, ergo occidendi erant. Respondẽdum, quòd illa lex intelligitur de bellis, quæ fiebant contra aliquam ciuitatem, vt patet ibidem, cùm dicitur: si quando accesseris ad expugnandam ciuitatẽ &c. istud autem fuit bellum in campo: ideo non tenet lex, & sic manebat in dispositione Dauid, quid vellet agere de viris captis. Sed adhuc dicetur, quòd Dauid tenebatur occidere istos, quia dicitur Deuter. 20. quòd occiderentur omnes in ore gladij. Respondendum, quòd illud intelligitur de Chananæis manentibus in terra, quæ debita erat Israelitis, in alijs autem gentibus non tenebantur occidere omnes, vt patet Deuter. 20. Viri autem regis Adarezer erant Syri, qui non pertinent ad terram Chanaam, ideo non tenebantur occidere illos, sed poterant seruare.

Quid agere tenebatur Dauid de uiris in bello captis.
Quæst. X.

QVAERETVR vlterius, cùm Dauid caperet istos viros, quid tenebatur agere de eis.

Respondendum, quòd cùm capti essent in bello habebat idem ius super illos, quod habent aliæ gentes, quando capiunt hostes suos, scilicet, quòd possint eos vendere in seruos, vel facere sibi seruos: poterat ergo Dauid vendere istos gẽtibus, quæ erant in circuitu iure belli, vel poterat sibi facere seruos, sic patet Leuit. 25. scilicet. Seruus, & ancilla sint vobis de nationibus, quæ in circuitu vestro sunt, & de

aduenis, qui peregrinantur inter vos: nec erat inconueniens, quòd isti manerent in terra Israel, & communicarent cum Iudæis, quia solùm erat prohibita ista communicatio cum Chananæis, ideo illos non poterant accipere in seruos, vel sub aliqua conditione pacis, sed tenebantur occidere illos. Deut. 20. Sciendum autem, quòd si isti efficerentur serui, debebant cogi ad circuncisionem, & omnem ritum Iudaicum, vt patet Exod. 12. scilicet. Omnis autem seruus emptitius circuncidetur, & sic comedet. Item patet, quia serui habebant potestatem comedendi de sanctificatis, quę pertinebant ad Sacerdotes. Leuit. 22. & tamen nullus alienigena habebat licentiam comedendi de illis, vel tangendi ea, imò si vellet aliquid offerre in sacrificium non recipiebatur: vt patet eo. cap. Item in festiuitatibus magnis iubebatur, quòd offerrent Israelitæ sacrificia pacifica, & darent seruis suis, & ancillis partem illorum coram domino. Deut. 12. & 16. si tamen non essent conuersi ad Iudaismum, nihil daretur eis de partibus sacrificiorum, ideo lex præsupponebat, q̃ deberent obseruare ritum Iudaicum. Item quia dicitur quòd deberent isti comedere coram domino, scilicet, in atrio tabernaculi in loco sancto, gentilibus tamen non licebat introire in sanctuarium, vt patet Ezechi. 44. scilicet. Sufficiant vobis omnia scelera vestra domus Israel, eo quòd inducitis filios alienos incircuncisos corde, & incircuncisos carne, vt sint in sanctuario meo, & polluant domum meam. Idem patet Thren. c. 1. scilicet. Manum suam misit hostis ad omnia desiderabilia eius, vidit gentes ingressas in sanctuarium suum, de quibus præceperas ne introirent in Ecclesiam tuam: ob hoc autem Iudæi accusauerunt Paulum ad mortem obijciẽtes, quòd introduxisset in sanctuarium Gentiles. Act. 21. debebãt ergo isti serui Hebræorum conuerti ad Iudaismum & seruare cęremonias legis, & si recusarent circuncidi, vel aliquid aliud obseruare, Hebræi debebant cogere eos ad hoc. *Dereliquit autem ex eis centum currus.* Idest, cepit multos currus in bello: & de omnibus his dimisit solùm centum, non quidem ipsos currus, sed equos, quia Iudæi non vtebantur curribus ad bella. Sed postea tempore Salomonis fuit vsus curruum, nam ipse habebat currus multos, ut patet seq. lib. cap. 9. & 10. Continet autem quilibet currus quatuor equos, ut patet seq. lib. cap. 10. scilicet, quòd egrediebatur currus ex Aegypto sexcentis siclis argenti, & equus. 150. & sic erant quatuor in quadriga, cùm tota quadriga constaret, 600. siclis.

An peccauit Dauid tenendo currus, & seruando equos regis Syrię. *Quæst. XI.*

QVAERET aliquis, an licuerit Dauid seruare istos centum currus: uel tenebatur illos delere subneruatis equis. Aliquis respondebit, quòd tenebatur subneruare equos, & cõburere currus: sic patet Iosue. 11. cùm iussit dominus dicens, Equos eorum subneruabis, & currus eorum igne combures. Item patet quia dicitur supra quòd Dauid subneruauit omnes iugales curruum, idest, omnes equos qui ligati erant ad iuga curruum, si tamen Dauid non obligaretur subneruare equos, non subneruasset eos, quia illi erant magni ualoris, & poterant ei ualde proficere ad usus suos, uel si uellet uendere acquireret inde magnum precium. Respondendum, quòd Dauid non peccabat retinendo istos centum currus, nec obligabatur subneruare equos, quia solùm tenebatur ad illud quod lege cautum erat,

Arguitur primo.

Secundo.

Universidad de Deusto
Biblioteca

vel quòd Deus specialiter iubebat; sed neutrum horum erat de subneruatione equorum: nam non est hoc in tota lege Moysi, nec etiam legitur, quòd dominus nunc reuelauerit Dauid, quòd deberet subneruare equos. Ad primam rationem cùm dicitur: equos eorum subneruabis. Dicendum, quòd istud fuit mandatum speciale directum ad solum Iosue, & non erat mandatum legis, ideo non obligabat aliquem alium, & consequenter nec Dauid. Ad secundam rationem cùm dicitur, quòd subneruauit Dauid omnes equos præter centum currus. Dicendum, quòd non erat Dauid obligatus ad hoc, sed quòd sponte egit. Et cùm dicitur, quòd erant ei vtiles ad opus, vel ad vendendum. Dicendum, quòd nō erant vtiles Dauid, quia Hebræi non vtebantur curribus ad bellum, sicut aliæ gentes: forte, quia non nouerant modum pugnandi in curribus, vel terra sua non erat conueniens pro illis, vel Deus nolebat quòd pugnaretur in curribus, ne tribueretur victoria apparatui bellico. Prima autem causa vera est, Dauid quoque non poterat conuenienter sumere equos illos ad vendendum, quia intra terram suam non poterant vendi, cùm nō esset vsus curruū, & equorum, extra illam autem poterant vendi. Sed hoc putabat Dauid illicitum, quia gentes in circuitu existentes erant hostes Hebræorum, & vendere arma hostibus, & quoscunque apparatus bellicos magna insipientia est: vnde leges omnium politiarum hoc vetant: non ergo restabat Dauid nisi vt occideret siue subneruaret equos. Et ista fuit causa quare Deus iussit Iosuæ, vt omnes equos subneruaret, & combureret currus, scilicet, quia Iudæi nesciebant vti curribus, & non erat bonum, quòd venderentur hostibus. De Dauid autem dicendum, quòd reliquit centum currus, idest quadringentos equos: quia istis egebat forte non ad vtendum eis in curribus, sed ad equitandum, vel forte reliquit centum currus, vt in illis possent exercitari Israelitæ ad pugnandum in curribus sicut Chananæi. *Venit quoque Syria Damasci.* Hic ponitur bellum Dauid contra adiutores Adarezer. Nam cùm victus esset, & exercitus suus perijsset, non poterat instaurare bellum contra Dauid, ideo Syri de Damasco venerunt in adiutorium huius. Vel forte Adarezer percussus fuerat, & captus à Dauid: Syri autem voluerunt eruere eum de manibus eius, & collegerunt exercitum magnum contra eum, vnde Dauid occidit plurimos de illis. De ista Syria Damasci est dubium an esset de regno Adarezer, vel esset aliud regnum. Secundum Ioseph. 7. Antiquitatum deberet dici, quòd Syria Damasci erat pars regni Adarezer, cùm ait. Post hæc transacto iam multo tempore quidam prouincialium nomine Adadus, idest, Adarezer valde fortissimus in Damasco, & alia Syria præter Phœnicem imperauit. Et secundùm hoc debet dici, quòd serui Adarezer videntes regem suum succubuisse in bello, congregati sunt, vt ei præsidium ferrent. Litera tamen ista videtur innuere, quòd Syria Damasci non erat pars regni Adarezer, sed aliud regnum distinctum, & finitimum. Nam dicitur hic: Venit quoque Syria Damasci: si tamen esset de regno suo, non deberet poni Damasci quasi ad differentiam, sed diceretur: venit quoque Syria, vel venerunt serui Adarezer de Syria. Item, quia dicitur hic: vt præsidium ferret Adarezer regi Soba: deberet tamen dici: vt præsidium ferret Adarezer regi suo. Innuitur igitur, quòd regnum Soba, & Syria Damasci non sint idem regnum. Pro quo sciendum, quòd Syria est magna terra, & erat diuisa in aliqua regna: nam terra Idumææ pars quædam Syriæ est: quædam autem regio Syriæ vocatur Syria Damasci, quia Damascus ciuitas est caput prouinciæ illius: est enim Damascus ciuitas magna nimis, & opulentissima, apud quam Beatus Paulus audiuit à Christo: Saule Saule, cur me persequeris? & cecidit de equo in terram, & ad manus ductus Damascum baptizatus est ab Ananias: Actuum. 9. Regnum Soba erat etiam quædam pars Syriæ propinqua regioni Damascenorum, in qua dominabatur Adarezer, ideo Damasceni pietate moti iuerunt in subsidium regis Adarezer. *Vt præsidium ferret Adarezer regi Soba.* Scilicet: Adarezer non poterat adiuuari à suis, quos in bellum tulerat, quia illos Dauid ex parte cœpit, & ex parte occidit. Erat autem Adarezer captus à Dauid, vt quidam volunt, & iuerunt isti Damasceni, vt eriperent eū de manibus Dauid. Alij volunt, quòd non erat captus à Dauid, sed effugerat: quia tamen gens sua in bello perierat, non poterat reparare exercitum contra Dauid, ad quod eum adiuuerunt Syri. Sed primum verius est, scilicet, quòd captus fuisset à Dauid, vt alij volunt: sed falsum est, quia superuixit Adarezer, & pugnauit postea contra Dauid. infra decimo: *Et percussit Dauid de Syria vigintiduo millia virorum.* Idest, de Syria Damasci, quæ nunc venerat cum magno equitatu, & apparatu bellico, occidit vigintiduo millia virorum. Iam enim in isto bello non videbantur esse aliqui viri de seruis regis Soba. *Et posuit Dauid præsidium in Syria Damasci.* Idest, posuit defensores in fortalitijs: est sensus, quòd Dauid vicit Damascenos in bello, & postea subiecit sibi omnes ciuitates illorum, quas fecit tributarias, & vt illæ non rebellarent negantes tributum, posuit Dauid de viris suis præsidium, idest, defensores in singulis locis Syriæ Damasci. *Factaq; est Syria Dauid seruiens sub tributo.* Idest, inceperunt ex illo tempore Syri de Damasco esse tributarij Dauid.

An licuit Dauid iungere terram Syriæ terræ Israel. Q. XII.

QVAERET aliquis, cur Dauid non iunxit terram Syriæ cum regno suo, cùm totaliter fuisset ei subiecta, ita vt poneret in singulis locis custodes fortalitiorum ex parte sua. Respondendum, quòd non licuit Dauid iungere terram istam terræ Israel, quamquam Syri hoc paterentur, quia Deus posuerat certos terminos terræ Chanaan, & ob hoc illos designauit Num. 34. Scilicet: vt Israelitæ essent contenti illa possessione: & non contenderent iungere illi aliquam aliam terram: illam namque solam Deus eis specialiter concesserat: non ergo habuit Dauid aliquid quod ageret contra Syros, nisi vt eos sibi tributarios faceret. Cùm autem quæritur, an hoc liceret Dauid. Respondendum, q̄ licuit, quia Damasceni non erant de viris terræ Chanaan, quos tenebantur Israelitæ occidere, sed erant extra illam: ideo poterant Israelitæ componere cum eis quamcunque conditionem pacis, vel tributi, aut seruitutis. Sed obijcietur, quòd non poterat istos subdere tributis, sed tenebatur occidere, eo quòd pugnauerant contra eum. Deut. vigesimo. Respondendum, quòd illud intelligitur de bello contra aliquam ciuitatem, cui pax oblata fuit, & nolens recipere pugnauit: de pugna tamē, quæ est in cāpo. s. q̄n exercitus pugnat contra exercitum, non tenet, vt patet eo. cap. ideo poterat Dauid imponere Syris quācunque conditionem vellet, siue mortis, siue tributi, siue seruitutis; elegit autem potius facere eos sibi tributarios. *Seruauitque dominus Dauid in omnibus ad quæcunque profectus est.* Hic declaratur quomodo Dauid potuit in his omnibus bellis prosperè se habere; & hoc fuit; quia seruauit eum dominus, scilicet, ne hostes possent ei nocere: sic enim promiserat, & ob hoc Dauid audebat facere multa bella. *Et tulit Dauid arma aurea, & torques, quę habebant filij Adarezer.* Omnia enim spolia Adarezer, & Syrorū accepit Dauid, quæ varia erant tam in armis, quàm in alijs suppellectilibus: fit tamen specialiter mentio de armis, & torquibus aureis, quia erant ista præciosiora, & consecrauit ea Dauid domino. Non vocantur autem arma aurea. i. q̄ essent de auro purissimo, sed erant aurea. i. deaurata: sic enim fuit in alijs gentibus eiusdem terræ, quæ vtebantur armis deauratis maximè clypeis: & erant pulchri, quoniam percussi à sole radiabant: sic enim dicitur. 1. Mach. c. 16. s. Refulsit Sol in clypeos aureos, & ab eis splenduerunt montes: erat autem hoc in eadem terra Syriæ. In Hebræo habetur. *Tulit pharetras, & torques aureas.* Scilicet, quòd non erant arma aurea, sed solùm pharetræ & torques: nam fortè apparatus pharetrarū erat de auro purissimo: torques autem erant ornamenta colli, & ducebant ea serui Adarezer ad magnā gloriam: sicut nunc quibusdam consuetum est: fuit quoque antiquitus hoc. Nam Manlius, qui postea Torquatus dictus est, pugnauit contra quendam Gallum habentem torquem in collo, eique victo torquē abstulit, sibique imponens, Torquatus dictus est: & tota progenies eius dicta est Torquatorum, de qua progenie fuit Boetius, de hoc tangit Paulus Orosius. 3. de Ormesta mundi. Dicit Iosephus. 7. antiquitatum, quòd aureas pharetras, & arma diuersa, quæ custodes corporis Adadi portabant, dicauit Deo Ierosolimis, quæ postea Aegyptiorum rex Sisacus, qui alio nomine vocatur Sesac, dum pugnasset contra Roboam nepotem Dauid, cœpit, & multas alias diuitias secum deportauit. Et dicitur hic, quæ habebant serui Adarezer. s. Non omnes, sed illi solùm, qui erant custodes corporis eius: hi enim propter magnam generositatem & familiaritatem regis arma aurea deportabant. *Et detulit ea in Ierusalem.* Ibi consecrauit ea domino: sed postea Rex Aegypti illa abstulit cum alijs diuitijs multis, de hoc patet seq. lib. cap. 14. *Et de Bete, & de Beroth ciuitatibus Adarezer.* Istæ duæ erant ciuitates Adarezer, & cœpit eas Dauid cum cœteris ciuitatibus Syriæ Damasci. *Et tulit rex Dauid æs multum nimis.* Idest, de his duabus ciuitatibus accepit Dauid multum de ære, quod valde pretiosum erat: & tulit illud in Ierusalem. *De quo fecit Salomon vasa ænea in templo.* Idest, istud æs consecratum est domino à Dauid, & postea Salomon de illo fecit vasa ænea, quæ erant necessaria in templo: erant autem in templo multa vasa ænea, scilicet, labrum æneum, quod fecit Moyses, loco cuius positum est in templo mare æneum super boues æneos, fuerunt etiam multa vasa ad vsum altaris holocaustorum tam ad aquas, quàm ad ignem & cineres, quæ omnia facta sunt ænea: sic enim Deus iusserat Exod. 27. quòd omnia vasa altaris ænea essent. Istud non habetur in Hebræo, sed aliquis de nostris posuit illud pro glosa interlineari, & postea imperitia librariorum textui admixtum est: est tamen verum, quòd de hoc ære fuerunt facta vasa ænea in templo, quia istud æs pretiosum erat: de hoc ait Iosephus. 7. Antiquitatum, Dauid contra bacham & machon ciuitates Adarezer pugnans belloque capiens vastauit: inuentumque est in eis aurum multum, & argentum, insuper & æs, quod auro melius esse dicebant, ex quo etiā Salomon illud magnum vas, quod mare vocabatur effecit, & optimos cantaros, cùm Deo templum ædificasset. De isto ære dicitur, quòd erat æs Corinthium: est autem ęs Corinthium pretiosius quolibet ære, fuit namque in Corintho quoddam templum idolorū ex ære, & auro, & argento, quo exusto metalla confluxerunt, & quia maior pars erat ænea generali nomine talis commixtio æs Corinthium appellata est, sic ait Paulus Orosius. 5. de Ormesta mundi: & Historia Alph. Tost. in Secundum Regum.

scho. super loco isto. *Audiuit autem Thou.* Hic ponitur propter bellum factum sequens confœderatio, nam cùm Dauid expugnasset regem Adarezer, confœderatus est ei Thou Rex, quia Adarezer erat hostis Thou: & dicitur. *Audiuit autem Thou rex Emath.* Idest, audiuit per famam, quia regnū Emath propinquum est regioni Soba. est autem Emath quædā ciuitas magna extra terram Chanaan, quæ tamen ponitur in latere Septentrionali eius, vt patet Num. 34. ista ciuitas vocatur alio nomine Reblata: postea autem vocata est Antiochia, & sic nunc vocatur: ista ciuitas erat caput regni Thou, & ob hoc vocatur rex Emath. *Quod percussisset Dauid omne robur Adarezer.* Idest, percussit totam militiam eius, quia plurimos occidit, alios verò viuentes cœpit, scilicet, currus multos, & mille septingentos equites & 20. millia peditum, & istud erat totum robur militiæ Adarezer.

An locus iste de numero equitum Adarezer, quos cepit Dauid sit contrarius his, quę dicuntur primo Paralipomon. Quæst. XIII.

QVAERET aliquis, quomodo dicitur supra de militia regis Adarezer. scilicet, quòd ceperit Dauid mille septingentos equites: nam primo Paralip. 18. vbi ponitur ista historia dicitur, q̄ cœpit Dauid septem millia equitum ab Adarezer. Respondendum, q̄ secundùm morem consuetū scripturæ, quando idem sæpe dicitur, non scribitur semp completè, sed alicubi plus, & alicubi minus. Interdum etiam fit mutatio, sic patet, quia hic non dicitur quot currus acceperit Dauid de curribus Adarezer, & primo Paralip. 18. dicitur quòd accepit mille currus. Item hic ponitur quòd erant mille septingenti equites, & primo Paralipo. 18. dicitur quod erant septem millia, fortè autem ratio expressionis diuersi numeri fuit, q̄a mille septingenti equites erant de custodibus regis, qui portabant arma aurea, & isti nominati sunt specialiter, reliqui autem erant de communibus, ideo nō nominati sunt hic. Sed primo Paralip. 18. vbi supplentur ea, quæ omissa sunt in alijs libris, additur etiam aliquid, quia hic non dicitur secundùm literā Hebraicam, quid factum fuerit de isto ære, & tamen præall. c. dicitur, q̄ de hoc fecit Salomon mare æneum, & columnas, & vasa ænea. Item mutatur aliquid hic & ibi, quia hic vocantur duæ ciuitates Adarezer Bethe, & Beroth: & ibi vocantur Cebac, & Chin. mutatur etiā, quia hic dicitur quòd Dauid tulit aurea arma, ibi autē dicitur, q̄ tulit aureas pharetras. *Misit Thou Ioram filium suum ad regem Dauid.* Primo Paralipo. 18. vocatur iste Aduram, & fortè est idem nomen apud illas gentes Ioram, & Aduram. *Vt salutaret eum congratulans.* Idest, vt salutaret eum ex parte Thou tanquam amici sui: & congratularetur ei, idest, gauderet cum ipso, & denunciaret ei, quòd Thou nimis gauderet de victoria quam habuit Dauid de Adarezer. *Et gratias ageret eo quòd expugnasset Adarezer.* De hoc agebat gratias Thou tanquam de præstito beneficio sibi: nam cùm Adarezer esset hostis Thou, & esset vir potens, molestabat eum nimis, & fortè violenter opprimebat, nunc autem illo debellato securus erat Thou, quod reputabat maximum beneficium: & quia per Dauid istud obtinuerat, agebat ei gratias, quamquam Dauid non egisset hoc propter Thou, sed propter se. Hoc etiam benè nouerat Thou: voluit tamen vrbaniter gratias agere Dauid, vt per hoc haberet modum confirmandi pacem cum ipso. primo Paral. 18. dicitur loco omnium istorum, q̄ Thou misit filiū suū ad Dauid, ut postularet ab eo pacē, & fortè ista erat intentio prin-

principalis Thou, quia ipse timebat quòd cùm Dauid F
expugnasset Adarezer potentissimum regem, facilius
eum expugnare posset: propter quod uoluit habere
pacem cum eo, & vt Dauid non putaret, quòd ex ti-
more hoc ageret Thou misit indirectè ad petendum
pacem, scilicet, gratias agens, quòd expugnasset Ada-
rezer. *Et percussisset eum*, Idest, exercitum suum, sic dici-
tur supra. Audiuit Thou, quòd percussisset Dauid
omne robur Adarezer: vel dicitur quòd percussit eũ,
idest, occidit, quia fortè cœpit eum cũ exercitu suo,
& occidit: ne rursus insurgere posset. Sed falsum est,
quia non cœpit eum, imò fugit a facie Dauid: &
postea pugnauit contra Dauid infra decimo. *Hostis*
quippe erat Thou Adarezer. Idest, isti duo reges erãt sem
per hostes, & Adarezer erat potentior: ideo Thou ga- G
uisus est nimis illo pereunte. *Et in manu eius.* Idest, in
manu Ioram filij Thou, scilicet, quia ipse tulit ista va-
sa ad Dauid in Ierusalem. *Erant vasa argentea, & uasa au*
rea, & vasa ærea. De omnibus his metallis tulit Ioram
vasa multa ad Dauid: vt appareret regium munus
magnificentissimum: & vt conciliaretur animus Da-
uid ipsi Thou magnitudine donorum. *Quæ, & ipsa san*
ctificauit rex Dauid domino. Idest, omnia ista uasa appli-
cuit Dauid ad cultum Dei, scilicet, vt de illis fieret ali-
quid in templo. *Cum argento, & auro, quæ sanctificauerat*
de vniuersis gentibus, quas subegerat. Idest, sanctificauit do
mino argentum, & aurum quod accepit à Thou; &
etiam argentum, & aurum, quod habuit ab omnibus
gentibus, contra quas pugnabat, & quas subegit, scili- H
cet, in tributarias. Nam omnes gentes, quæ nomina-
tæ sunt supra, & infra, subiectæ fuerunt Dauid solùm
quantum ad tributa, præter Philisthinos, quorum ciui
tates accipiebat, & iungebat terræ Israel, primo Para-
lipom. 18. Ratio diuersitatis erat, quia nulla de his gẽ-
tibus morabatur in terra Israel præter Philisthinos,
qui tenebant partem eius: illam ergo suscipiebat Da-
uid: terras autem aliarum gentium non vniebat ter-
ræ Israel, sed constituebat eas tributarias: eo quòd nõ
licebat Israelitis dilatare terminos suos vltra id, quod
Deus præfixerat. Num. 34. *De Syria.* Hic ponuntur ter-
ræ, de quibus Dauid accepit aurum, & argentum in
pugna: & vna est Syria, de qua accepit multa metalla,
quando pugnauit contra Adarezer de duabus ciuita- I
tibus suis. Accepit etiam de Sytia Damasci, quam fe-
cit sibi tributariam, vt patet supra in litera. *Et Moab.*
Idest, etiam accepit vasa aurea, & argentea de terra
Moab: istud fuit quando pugnauit contra Moabitas
mensusque est eos funiculo: non legitur enim habuis
se aliud bellum contra Moabitas, nisi illud. *Et filijs Am*
mon. Idest, etiam pugnauit contra filios Ammon, &
accepit de terra eorum argentum, & aurum. Istud bel
lum fuit quando pugnauit contra eos propter iniu-
riam factam, infra decimo. *Et Philistijm.* Idest, etiam
accepit de terra Philisthiim, istud fuit quando humi-
liauit Philisthinos, & tulit frenum tributi de manu
eorum. supra in litera: accepitque ciuitatem Geth, &
filias eius de manu Philisthiim. primo Paralipom. 18. K
Et Amalec. Non legitur Dauid habuisse bellum con-
tra Amalec postquam fuit rex, sed pugnauit sæpe con
tra Amalecitas, quando erat in terra Philisthinorum
profugus à facie Saulis. præceden. lib. cap. 27. Nam cõ-
tra istam gentem potius ibat in pugnam, quàm con-
tra aliquam aliam: pugnauit etiam iterum contra A-
malecitas, quando illi succenderunt ciuitatem Sice-
leg, & persecutus est eos Dauid, cepitque ab eis præ-
dam magnam. præceden. lib. cap. 30. de omnibus au-
tem his bellis, siue antequã esset Dauid rex, siue post
seruauit uasa argentea, & aurea, vt expenderet in vsus
templi. *Et de manubijs Adarezer filij Rohob regis Soba.*
Idest, consecrauit manubia Adarezer: vocantur autẽ
manubia, idest, spolia: ista erant arma aurea, & tor-
ques, de quibus dicitur supra in litera, vel pharetræ
aureæ, sicut dicitur primo Paralipom. 18. de Idumea
autem non ponitur hic, & tamen primo Paralip. 18.
dicitur, quod accepit de Idumæa vasa aurea, & argẽ-
tea, sicut de aliis gentibus.

Terræ de quibus Dauid accepit aurum, & argentum in pugna Syria.

Quando licuisset Dauid vti isto auro, & argento.
Quæst. XIIII.

QVAERET aliquis, cùm Dauid consecraret
domino istud aurum, & argentum, an liceret
ei habere illud in vsus suos. Respondendum,
quòd aut loquimur de vsu, per quem res
non desinit esse, nec deterioratur, aut de vsu, per quẽ
esse desinit. Primus vsus est, vt si Dauid biberet, uel co
mederet in vasis quæ sanctificauerat pro templo. Se-
cundus usus erat, ut si Dauid alienaret argentum, vel
aurum donando, uel uendendo: uel comminueret in
parua frusta ad picturas, uel ad ornamentum calcia-
mentorum, vel vestium, in quibus peribat argentum,
& aurum, & non poterat rehaberi. De secundo vsu di
cendum, quòd nullo modo licebat Dauid conuerte-
re aliquid istorum ad tales vsus, quia per hoc infringe
bat sanctificationem factam. De primo vsu dicendũ,
quòd aut argentum illud actualiter dabatur domino,
ita quòd non maneret penes Dauid, sed in custodia
alicuius alterius, vel manebat apud Dauid, & ipse so-
lùm disposuerat penes se dare domino argentum il-
lud, & aurum. Si autem detur secundus modus, Da-
uid poterat vti argento, & auro ad vsus mundos, per
quos non deterioraretur, scilicet, ad ostensionem co-
ram populo, vt pateret regalis celsitudo in magnitudi
ne diuitiarum: etiam ad comedendum, & bibendum
in his vasis. Ratio autem huius est, quia licèt ista vasa
pertinerent ad dominum quantum ad ius inquantũ
Dauid vouerat illa dare domino: tamen quia nondũ
actualiter dederat, nec venerat tempus dandi, nõ per-
tinebat totaliter dominium illarum rerum ad Deũ,
ideo poterat Dauid vti rebus illis: non tamen aliena-
ret eas, vel deterioraret: quia tunc perderetur ius Deo
quæsitum. Si autem detur secundus modus, scilicet,
quòd illa vasa non mansissent penes Dauid, sed tradi-
ta fuissent domino, & posita in custodiam penes ali-
quem leuitam, aut sacerdotem: aut illa applicata fue-
rant administrationi sanctuarij, scilicet, coram altari
holocaustorum, vel thymiamathis, vel in aliis mini-
strationibus; aut nunquam applicita fuerant alicui mi
nistrationi, sed solùm custodiebantur tanquam vasa
Dei. Si primo modo, non licebat Dauid applicare illa
ad vsus suos, bibendo, vel comedendo in eis: nam gra-
uissimè peccaret. Sic em̃ fuit de Balthasar rege Baby
lonis, qui bibit in vasis domini cum vxoribus suis, &
concubinis: & in ipsa hora apparuerunt tres digiti scri-
bentes in pariete, & denunciantes mortem regis, vt
patet Daniel. 5. Si autem illa vasa nõdum essent appli-
cita ad ministerium aliquod, quamquã essent in san-
ctuario, poterant applicari ad aliquem vsum Dauid, si
ille vsus esset necessarius, & mundus: ita quòd si non
vteretur illis vasis esset sibi magnum damnum. Sic
patet de gladio Goliath, quem Dauid consecrauerat
domino, & erat in tabernaculo inuolutus pallio apud
Ephod. præceden. li. cap. 21. Et tamen cùm Dauid nõ
haberet gladiũ, & egeret gladio pro via: dedit ei sum-
mus sacerdos gladium Goliath. eod. cap. Si tamẽ fuis-
set gladius vas applicitum ad diuinum ministerium,
nunquam fuisset Dauid datus: quia non licebat ei tan
gere illum; imò nec videre, nisi esset inuolutus pallio.
Nam etiam Leuitæ si viderent sacra vasa antequam
inuoluerentur, moriebãtur. Num. 4. Ista distinctio ve-
ra est:

ra est: & tamen ad casum istum non est necesse, quòd A
distinguamus, quia modus consecrandi aliquid domi
no erat quòd ille, qui vellet illud dare non retineret
penes se, sed traderet in custodiam Leuitis, qui erant
Thesaurarij rerum sanctuarij, & istum modum seruã-
uit Dauid, & omnes qui in Israel aliquid Deo consecrauerunt, sic patet primo Paralipo. 26. sed & huius fi-
lius Selemith, & fratres eius super thesauros sanctorũ,
quæ sanctificauit Dauid rex, & principes familiarum,
& tribuni, & centuriones, & duces exercitus de bellis,
& manubijs præliorum, quæ consecrauerant ad instau
rationem, & suppellectilem templi domini: hæc autẽ
vniuersa sanctificauerunt Samuel videns, & Saul filius
Cis, & Abner filius Ner, & Ioab filius Saruiæ, patet
ergo quòd non solùm tempore Dauid, sed etiam tem B
pore Samuelis, & à principio ea, quę sanctificabantur,
tradebantur Leuitis. & sic Dauid consecrauit omnia
ista, scilicet, quia dedit ea illicò in manus Leuitarum
ad custodiam quousque de illis aliquid fieret in tem-
plo domini, & nunquam postea applicuit ista ad vsus
suos.

An licitum fuit applicari omnia ista vasa ad ministerium
Dei. Quæst. XV.

QVAERETVR vlterius, an licitum erat
ista vasa applicari domino. Aliquis dicet, q̃
non, quia detestabatur nimis aurum, & ar-
gentum idolorum, vt patet Deut. 7. sed C
omnia ista erant de auro, & argẽto ido-
latrarum, ergo non licebat illa sumere ad minis-
terium domini: maximè autem esset hoc in vasis, quæ
accepta essent de terra Philisthinorum: cùm isti essent
magni idolatræ, quia erant Chananæi. Respondẽdum
est, quòd licitum erat applicari omnia ista vasa ad mi-
nisterium domini, quamquam essent sumpta de terra
Gentilium: sic patet de auro & argento, quod Israelitę
acceperunt de Aegypto, quod fuit multum nimis.
Ezod. 3. & 12. & tamen postea omne aurum, & argen-
tum istud fuit oblatum ad faciendum tabernaculum,
& vasa eius. Sic dicitur Exo. 35. Omne vas aureum in
donaria domini separatum est. Deus autem hoc ius- D
sit, ideo à fortiori liceret accipere vasa aurea, & argen-
tea nunc pro ministratione sanctuarij, scilicet, quia nõ
accipiebatur pro re tam sanctissima, sicut aurum, &
argentum ductum de Aegypto, quia illud fuit ad ope
riendum arcam, & faciendum propitiatorium de au-
ro purissimo & Cherubim super arcam. Istud tñ fuit
vas sanctissimũ totius sanctuarij: ideo vniuersaliter de
quibuscunque gentibus acceptum aurum & argentũ
poterat applicari ad vasa sanctuarij. Quod patet in
anathemate Ierico: nam illa erat ciuitas Chananæo-
rum: & tamen omne aurum, & argentum, æs, & ferrũ
ibi reperta, in thesauris domini recondita sunt. Iosue. 6.
Ad rationem in contrarium Deut. 7. dicendum, quòd
ibi non agitur de auro, & argento idolatrarum, sed
idolorum: nam si esset idolum de auro & argento, vel E
alio metallo, Israelitæ non debebant accipere illud
pro se, nec ad consecrandum Deo, alioquin essent ana
thematizati, cùm dñ: sculptilia eorum igne cõbures,
non concupisces argentum & aurum, de quibus facta
sunt: nec assumes ex eis quicquam tibi, ne offendas
propter ea, quia abhominatio est domini Dei tui, nec
inferes quippiam ex idolo in domum tuam, ne fias
anathema sicut & illud est. Idem autem intelligen-
dum est de omnibus vasis, quæ applicita erant ad cul-
tum idolorum: nam de illis nihil assumendum erat,
sed omnia cremanda, quia eadem ratio est vtrobiq;.
Et quia idem ius est de accessorio, & principali: omnia
autem vasa, quæ Dauid cõsecrauit, quamquam essent

ad rationẽ 1 principij.

idolatrarum, tamen nullum erat idolorum. *Fecit quo-*
que sibi Dauid nomen. Hic ponitur quartum bellum,
idest fecit sibi famam: nomen enim vocatur hic ipsa
extensio nominis, quæ est celebritas famæ.

Dauid quod nomen sibi fecerit. Quæst. XVI.

QVAERET aliquis, quod fuit istud no-
men, quod sibi fecit Dauid. Respõdet Hie-
rony. quòd fuit quidam arcus triumpha-
lis, scilicet, fecit in aliquo loco aliquem
arcum, siue fornicem, in quo descri-
psit figuram belli. sic enim fecit Saul, quando reuer-
tebatur de bello Amalec. Idem etiam tenet Historia
scholast. Nicolaus autem dicit, quòd nõ est istud veri-
simile, quia Saul peccauit faciendo fornicem, vt patet
præced. li. c. 14. Ideo dicit cum Ra. Sal. quòd Dauid oc-
cidit 18. millia de Idumæis, & fecit illos sepeliri: & ex
hoc acquisiuit famam magnam, & hoc propter opus
misericordię, quod exercitabat, scilicet, quia sepeliebat
hostem. Secundò quia faciebat hoc, quia erant Idu-
mæi fratres Israel. Nam Deu. 23. dicitur. Non abhomi
naberis Idumæum, quia frater tuus est. Item apparet
hoc, scilicet, quòd Dauid sepeliret hic mortuos, quia
seq. li. c. 11. dicitur quòd Dauid misit Ioab ad sepelien-
dum omnes Idumæos, qui interfecti fuerant. Aliter
autem dici posset, quòd Dauid fecit sibi famam ma-
gnam occidendo. 18. millia in valle salinarum. & 23.
millia in Gebelem. ista autem magna occisio faciebat
victoriam suam esse famosam. Sed dicendum, quòd Opinio au-
Dauid fecit nomen, idest, fornicem triumphalem ad toris.
memoriam illarum victoriarum magnarum. Cùm
autem Nicolaus dicit, quòd peccaret faciendo forni-
cem, & quòd peccauerit Saul falsum est: nam præced.
lib. c. 14. declaratum est, quòd ille fornix poterat fieri
sine peccato: imò quòd ex aliquibus causis fieret me-
ritorię. Dauid autem cùm esset vir iustus faciens om-
nia ad Dei laudem, credendum est quòd fecerit for-
nicem ad memoriam magnificorum bellorum in
laudem Dei, & non in laudem suam. Cùm autem di-
citur, quòd Dauid fecit sepeliri mortuos Idumeos, con
cedendum est. Si autem dicatur, quòd ex hoc Dauid
acquisiuit sibi famam, concedi potest, etiã si non con-
stet: non tamen videtur dicendum, quòd istud fuerit
nomen, quod ipse fecerit, quia differt facere nomen,
& acquirere nomen: quia acquirere est quandocun-
que per aliqua opera fama nobis prouenit, siue illa
opera bona, siue mala sint. facere autem nomen est
ædificare aliquid quod proficiat ad dilatationem no-
minis, & sit ad hoc institutum, vt per illud nomen di-
latetur. Hic autem non dicitur, quòd Dauid acquisi-
uit nomen quasi ex alijs hoc haberet, sed quòd fecit
sibi illud, idest, ipse per se fecit, & sic videtur, q̃ esset
aliquod ædificium factum ad famam, sicut consueue-
runt facere victores bellorum. *Cùm reuerteretur capta*
Syria. Idest quando reuertebatur de Syria Damasci, &
cœperat eam, subieceratque tributis, nam tunc venit
Dauid per terram Idumeæ: & pugnans contra Idu-
mæos superauit illos. *In valle salinarum cęsis. 18. millibus.*
Idest Dauid occidit. 18. millia in valle salinarum. Est
enim vallis salinarum quædam pars terræ Moab ha- In valle sali-
bens valles, in quibus est aqua salsa, & efficitur ibi sal narũ fuisse
artificio humano sicut in multis alijs locis, & accidit occisos. 18.
quòd pugnaret ibi Dauid contra Idumæos, & occidit millia Idu-
18. millia. Aliquæ Bibliæ habent. 12. millia, sed litera mæos.
corrupta est. Nam hic, & primo Paralip. 18. ponuntur.
18. millia. Aliter autem potest hoc saluari. Nam in tit.
Psalmi Deus repulisti nos, ponitur istud bellum con-
tra Idumæos, & dicitur quòd occisa sunt. 12. millia;
ideo dicitur à quibusdã q̃ Ioab, & Abisai duo fratres

fuerunt

Universidad de Deusto
Biblioteca

fuerunt duces huius belli, quia erant principes militum,& vnus eorum occidit 12.millia,& alius sex millia,& in titulo Psalmi ponuntur 12.millia,quę occidit vnus; & hic ponuntur 18.millia, scilicet, summa totalis occisorum ab vtroque. Sed dicetur contra,quia 1.Paralip.18.dicitur quòd Abisai filius Saruiæ occidit 18.millia in valle salinarum. Dicendum quòd Dauid occidit ista 18.millia,quia cùm ipse esset princeps,omnia facta exercitus sui oportet quòd ascribantur ei. Abisai autem erat dux sub ipso Dauid,& fortè ipse in hoc bello principaliter pugnauit, vt si non fuit præsens Dauid: ideo dicitur quòd occidit Abisai illos 18. millia. *Et Gebelem ad 23.millia*, ideſt, occidit in terra Moab in alio loco, qui dicitur Gebelem 23.millia virorum.Istud bellum non exprimitur 1.Paralipom.18. & hoc quia scriptura, quando aliquid describit in diuersis locis, nunquam in aliquo loco illud perfectè enarrat, sed alicubi ponitur, quod alibi non habetur. Sciendum autem quòd ista litera potest dupliciter punctuari,& sic habebit varium sensum. Primo modo sic, fecit sibi Dauid nomen cùm reuerteretur capta Syria in valle. & ibi sit punctus; tunc est sensus, quòd quando reuertebatur Dauid de capiendo Syriã fecit sibi nomen in valle salinarum, ideſt, constituit ibi fornicem ad memoriam facti sui: & tunc quod sequitur,scilicet,cesis 18.millibus,& in Gebelem ad 23. millia,facit alium sensum,scilicet, quòd tunc quando Dauid in valle salinarum constituit fornicem,occidit 18. millia virorum, & occidit in Gebelem quasi 23. millia. Sed ista punctuatio est inconueniens, quia est contra modum punctuandi in litera, etiam quia non facit bonum sensum, quia hoc modo non diceretur, vbi occisa sunt 18. millia,& diceretur vbi occisa sunt. 23.millia,quod est inconueniens, ideo punctuandum aliter, scilicet. Fecit sibi Dauid nomen,cùm reuerteretur capta Syria. Et ibi sit punctus,& tunc est sensus, quòd Dauid fecit nomen, ideſt, fornicem triumphalem,sed non ponitur vbi illum construxerit, & sequitur.in valle salinarum occisis 18.millibus. & in Gebelem ad 23.millia.quod potest dupliciter exponi. Vno modo quòd Dauid fecit sibi nomen,ideſt, acquisiuit famam,& hoc fuit occisis 18.millibus in valle salinarum,ideſt, quando occidit 18. millia in illa valle,& 23. millia in Gebelem.Et tunc non debet dici, quòd Dauid construxerit aliquem fornicem triumphalem, quia nomen suum fuit hic occidere 23. millia & 18. millia.Alio modo est sensus,quòd Dauid cùm reuerteretur a Syria fecit sibi nomen, ideſt, constituit fornicem triumphalem. & hoc fuit occisis 18. millibus in valle salinarum, ideſt, quando occidit 18.millia. Et tunc occisio 18.millium, & 23. millium non fuit nomen Dauid,sed aliquid,quod fieri accidit tunc quando Dauid fecit sibi nomen. *Et posuit in Idumæa custodes*, scilicet, postquam subiecit sibi Dauid Idumæos,posuit in fortalitijs custodes,vt non possent rebellare Idumæi. *Statuitque præsidium*, ideſt, statuit homines ad defensionem terræ.In Hebræo habetur.*Statuit œconomos*, scilicet ad colligendum tributa, & satis rationabile est: quia cùm dicatur,quòd constituerit custodes,scilicet,ad seruanda fortalitia,nihil restabat nisi,vt poneret exactores tributorum. *Et facta est vniuersa Idumæa seruiens Dauid sub tributo*, ideſt, omnes Idumæi seruierunt tunc Dauid soluendo tributa. Et tunc completum est quod habetur Gene.27. scilicet,maior seruiet minori,ideſt,populus Edom, qui erat populus maior seruiet Israelitis, qui erant populus minor. Nam Idumæi erant ab Esau,& Israelitæ a Iacob: maior tamen erat Esau, in personis autem eorum nunquam completum est,quoniam Esau semper fuit potentior ipso Iacob.Vnde Iacob timuit valde Esau.Genes.32.& coram eo incuruatus est sæpe.Genes.33.nam cum Esau erant quadringenti equites, & cum Iacob solùm erant pastores ouium.e.cap.

An licuisset Dauid pugnare contra Idumæos.
Quæst. XVII.

QVAERET aliquis, an licuit Dauid pugnare contra Idumæos. Aliquis dicet quòd non, quia Deut.2.dicitur. Transibitis per terminos fratrum vestrorum filiorum Esau: videte diligenter, ne moueamini contra eos: & intelligitur de bello,ergo non licebat pugnare contra illos. Respondendum quòd licuit Dauid pugnare contra Idumæos,quia nunquam mouebat bellum iniustum.Ad auctoritatem dicendum quòd illa intelligitur, quòd sit mandatum temporale Israelitarum pro tunc: & non extenditur ad omne tempus. Patet hoc, quia in eadem auctoritate solùm vetatur pugna,quando transirent Israelitę per terram Idumæorum.Nam dicitur: transibitis per terminos fratrum vestrorum filiorum Esau,videte diligenter ne moueamini contra eos. Itẽ illa lex prohibet pugnam,quæ fit ad capiendum loca. quod patet, quia dicitur in eadem, videte ne moueamini contra eos. Nec enim dabo vobis de terra eorũ quantum potest vnius pedis calcare vestigium.Dauid autem non pugnabat nunc ad capiendum terram Idumæorum, quia nihil de illa sumpsit in possessionẽ Israelitarum, sed solùm fecit eam tributariam, vt patet hic. Item dicendum quòd illa lex solùm vetabat pugnam sine causa:nam Israelitæ tunc non habebant aliam causam pugnandi contra Idumæos, sed solùm cupidine possidendi terram illorum volebant mouere bellum,& hoc Deus prohibet, dicens: Nec enim dabo vobis de terra illorum quantum potest vnius pedis calcare vestigium.Dauid tamen habebat nunc aliquam causam pugnandi contra Moabitas,vt quia forte ipsi fecerant insultum in terram Israel. Vel quia adiuuerant Syros ad pugnandum contra Dauid, cùm essent finitimi eorũ, vnde haberet Dauid ius pugnandi contra illos. Sed aliquis obijciet, quòd non liceret pugnare contra eos,quia Deuter.23.dicitur: Non abhominaberis Idumæum, quia frater tuus est, ergo a fortiori non pugnabis contra eum. Respondendum quòd Israelitæ non deberent abhominari Idumæos propter cognationem, & ideo si Idumæi nihil iniustum agerent contra Israelitas, non debebant pugnare contra eos,nunc vero aliquid mali egerunt,& tunc licebat pugnare, & etiam ipsi prophetæ prædicebant mala,sic patet Abdiæ vnico.c.nam ibi solùm prophetа cominatur mala filijs Esau,scilicet, Idumæis, & alij prophetæ sæpe mala prædicunt contra eos. Nam Ieremias prædixit mala multa contra Idumæos. Ier.49. & sic nunc creditur, quòd aliquod malum fecerint contra Israel,& ideo fuit pugna iusta.

An licuit Dauid facere Idumęos sibi tributarios.
Quæst. XVIII.

QVAERETVR vlterius, an licuit Dauid facere Idumæos sibi tributarios. Aliquis dicet, quòd non,quia Idumæi restiterant Israelitis in pugna, ideo debebant omnes occidi, & non constitui tributarij. Respondendum quòd istud verum est,quando Israelitæ pugnabant contra aliquã ciuitatem,quæ non esset in terra Chanaan. Secus cũ pugnabant in campo, quia tunc lex, quæ habetur Deuter.20.non obligabat eos, & sic erat in electione eorum quid vellent agere super victos. Dauid autem misertus est Idumæis, & noluit occidere omnes, sed constituit

constituit eos tributarios,quia hoc benignius erat, & vtilius Dauid.Satis tamen puniuit eos acriter,quia occidit omne masculinum in Idumæa, vt patet sequ.lib. cap.11.quomodo autem stet q occidit omnes masculos,& constituerit Idumæos tributarios,ibidem declarabitur. *Et seruauit Dominus Dauid in omnibus ad quęcunque profectus est*, ideſt, quamquam Dauid multa bella egerit, tamen in omnibus his liberauit eum Deus,s. q nunquam incidebat in manus hostium, nec vincebatur, nec peribat aliquis de suis, & hoc quia Deus promiserat ei seruare eum.*Et regnauit Dauid.*Hic ponitur secundum principale huius cap.s.dispositio regni, & hoc quantũ ad officiales Dauid. In hoc.n.consistit totus bonus status politiæ, si exterius per fortitudinẽ militarem ab hostibus defendatur,& interius per iustitiam regatur.*Et regnauit Dauid super omnem Israel*,s.exercens potestatem regis omnibus sibi obedientibus. *Faciebat quoque Dauid iudicium, & iustitiam omni populo suo*, ideſt, habebat se iustè in negocijs omnium expediendis.Dicitur autem facere iudicium,ideſt,iustè sententiare,& facere iustitiam, ideſt, iustè exequi sententiata,vnum autem sine altero non sufficit.

Dispositio regni quo ad officiales.

Quomodo Dauid faciebat iustitiam. Quæst. XIX.

QVAERET aliquis,quomodo dicitur hic, q Dauid faciebat iudicium,& iustitiam,cũ dixerit Absalom infra 15.videntur mihi sermones tui boni & iusti,sed non est,qui te audiat cõstitutus a rege,i.non est qui possit expedire causam tuam.Respondendum,q Dauid iudicabat in causis populi quantum sufficiebat,& constituerat multos iudices in domo sua, qui diffinirent causas,sicut est in curijs aliorum regum. Absalõ autem mentiebatur dicendo, q nullus erat in domo regis,qui posset diffinire causam. Hoc autem dicebat ad solicitandum animum populi,vt eum regem faceret,vt patet ibidem,cùm dicitur: Dicebatque Absalom, quis me constituat iudicem super terram, vt ad me veniant omnes,qui habent negocium,& iustè iudicem,sed & cùm accederet ad eum homo, vt salutaret illum,extendebat manum suam,& apprehendens osculabatur eum, faciebatque hoc omni Israel, qui veniebat ad iudicium, vt audiretur a rege, & solicitabat corda virorum in Israel.*Ioab autem filius Saruiæ erat super exercitum*. Istud erat maximum officium in domo regis,s.principari toti militiæ.Hoc autem dederat Dauid ipsi Ioab, quando pugnauerunt contra Ierusalem ad arcem Sion, & dixit Dauid q qui percuteret in primis Iebusæum,esset dux belli.Ioab verò ascendit primus,& tetigit fistulas domatum, & factus est princeps,supra 5.& 1.Paral.11.Sciendum autem,q quamquam isti esset data cura exercitus, tamen Abisai frater eius regebat magnam partem exercitus, & erant ambo tanquam duces belli,vnde infra 10.ambo diuiserunt inter se exercitum, quando pugnauerunt contra Ammon.Et pugnauit Abisai contra Syros. Etiam 1.Paralip.18.dicitur, quòd Abisai occidit 18.millia de Idumæis.*Porro Iosaphat filius Ahiud erat a commentarijs.* Istud erat aliud officium in domo Dauid, scilicet,esse relatorem causarum,quæ veniebant ad regem,vel rememoratorem,& ordinatorem,scilicet, q quãdo rex obliuiscetur aliquorum negociorum deductorum ad ipsum,iste reduceret ei illa ad memoriam, & ordinatim proponeret secundùm tempora,quibus fuerãt proposita ab ipsis,qui ea adduxerunt coram rege. Est autem hic a commentarijs vna dictio indeclinabilis, & accipitur per somnem casum. Et sic accipiuntur quædam nomina antiqua,vt a caliculis. *Et Sadoc filius Achitob, & Abimelech filius Abiathar erant Sacerdotes*, ideſt, isti duo erant Sacerdotes magni tempore Dauid,scilicet,Abiathar,& Sadoc. De minoribus autem non fit hic mentio,quia illi valde multi erant.

Quomodo erant nunc duo summi Sacerdotes, cùm non deberent esse nisi vnus. Quæst. XX.

QVAERET aliquis,quomodo erant nunc duo summi Sacerdotes,quia nunquam esse debebat nisi vnus,& illo mortuo alius de filijs eius succedebat ei, vt colligitur Exod.29.& Leuit.6.& 8.& 21.Respondendum est, quòd a principio Deus vnicum summũ Sacerdotem instituit, scilicet, Aaron: omnes autem filij eius erant minores Sacerdotes, & postea procedente tempore semper fuit vnicus Sacerdos magnus, nunc autem accidit, quòd essent duo Sacerdotes magni,scilicet,Sadoc,& Abiathar. Modus autẽ fuit,quia quando Saul destruxit vrbem Nobe, in qua erant Sacerdotes,occisi sunt ferè omnes de stirpe Ithamar,saltem enim de domo Hely nullus videtur remansisse nisi Abiathar,qui fugit ad Dauid quando alij Sacerdotes occidebantur.præced.lib.c.22.Et quia pater huius Achimelec erat Sacerdos magnus,& iste fuit cum Dauid in omnibus laboribus, & periculis Dauid, voluit Dauid quòd esset summus Sacerdos. Interim autem Saul ordinauit alium summum Sacerdotem, scilicet, Sadoc, cùm nullus mansisset de stirpe Achimelech patris Abiathar,qui deberet esse Sacerdos magnus, & postea Dauid suscepit vtrumq; horum in summum Sacerdotium. Et quia non poterant ambo ministrare in eodem tempore,& aliquando se impedirent,distinxit eis Dauid tempora ministrandi, & fecit vices pro Abiathar, & vices pro Sadoc, constituens sub quolibet illorum certas vices Sacerdotum minorum de stirpe sua,vt patet 1.Paralip.24.

Quare Dauid permisit Sadoc in summo Sacerdotio cùm eum feciset Saul. Quæst. XXI.

QVAERETVR vlterius, quomodo Dauid permittebat hoc,vt Sadoc esset in summo Sacerdotio,nam debuisset expellere eum,& retinere solum Abiathar, hoc autem, quia Abiathar erat filius summi Sacerdotis,scilicet,Achimelech,vt patet præced.lib.c.22.Et si Saul non occidisset Sacerdotes,iste erat accessurus in summo Sacerdotio. Quod autem Sadoc institutus fuisset a Saule in summum Sacerdotem, non multum proficere debebat ei,quia sicut Saul violenter,& iniustè occidit omnem domum Achimelech,ita iniustè posuit summum Sacerdotem loco eius, ideo cùm Dauid regnaret debebat restituere Abiathar dignitatem ei debitam,excluso Sadoc, potissimè quia Dauid debebat ad hoc nimis affici, eo quòd Abiathar fuit semper cum eo in omnibus periculis. Sic patet sequenti libro capitulo secundo, cùm ait Salomon ad Abiathar, scilicet, tu portasti arcam coram patre meo, & sustinuisti laborem in omnibus, in quibus sustinuit pater meus. Respondendum est, quòd Dauid afficiebatur nimis ad Abiathar, eo quòd ille fuerat cum eo semper, & si potuisset eum iustè solum instituere in summo Sacerdotio destituendo Sadoc, fecisset, sed non potuit. Pro quo sciendum quòd summum Sacerdotium ab initio pertinuit ad Eleazar filium maiorem Aaron. Numer.20.deinde Phinees filius eius accepit promissionem de summo Sacerdotio,scilicet, quòd in æternum maneret in domo eius, quia habuit zelum Dei. Numer.25. mansit autem sacerdotium in domo eius per aliquos successores usq; ad expleta quasi tempora

iudicum,

Universidad de Deusto
Biblioteca

Iudicum, scilicet, tempore Samsonis: tunc autem cũ filij Eleazar dedissent se peccatis, & essent remissi circa populum, & opera sacerdotalia: populus priuauit eos summo sacerdotio, & tradidit illud Heli sacerdoti qui erat de domo Ithamar, ad quam non pertinebat sacerdotium magnum, & pariter fecerunt illum iudicem, qui iudicauit quadraginta annis, dum fuit summus sacerdos. præced. lib. cap. 4. Deus autem promisit huic Heli, quòd ipse, & omnes posteri sui vsq; in sempiternum tenerent summum sacerdotium, si colerent Deum: quia tamen duo filij Heli, scilicet, Ophni, & Phinees fuerunt pessimi, & non correxit eos Heli sciens iniquitates eorum, Deus priuauit eũ in posteris suis summo sacerdotio, vt patet præceden. lib. cap. 2. Scilicet: Locutus sum, vt domus tua ministraret in conspectu meo in sempiternum: nunc autem absit à me, sed quicunque glorificauerit me, glorificabo eum; & qui contemnunt me, erunt ignobiles. Et sequitur ibi: Ecce dies veniunt, & præcidam brachium tuum, & brachium domus patris tui, vt nõ sit senex in domo tua: & videbis æmulum tuum in tẽplo in omnibus prosperis Israel: & non erit senex in domo tua omnibus diebus. Ecce qualiter prænuncium est summum sacerdotium præscindendum de domo Heli: & quòd institueretur alius æmulus eius, ideſt, alius summus sacerdos simul cum eo: postea autem subditur ibi de illo summo sacerdote instituendo, scilicet, Et suscitabo mihi sacerdotem fidelem, qui iuxta cor meum, & animam meam faciat; & ædificabo ei domum fidelem, ideſt, sempiternam. Ecce qualiter instituendus erat sacerdos, qui non esset de domo Heli; & ille habiturus erat sacerdotium in sempiternum exclusis omnibus posteris Heli: cùm dicatur ibidem: & non erit senex in domo tua omnibus diebus, ideſt, nullus summus sacerdos erit post hoc. postquam tamen ista verba dicta sunt ad Heli, non fuit immediatè ablatum sacerdotium de domo eius, sed ipse tenuit illud, filius quoque eius Phinees ministrauit in eo iam patre inueterato, & impotente. Dein de mortuus est Phinees in bello, quando capta est arca domini, & successit ei Achitob filius suus, vt colligitur præceden. lib. cap. 14. Qui fuit sacerdos tempore Samuelis. Deinde fuit sacerdos Achias frater Achitob, vt quidam volunt: & iste erat cum arca, quando Saul iuit in bellum contra Philisthinos, præalleg. cap. post hunc fuit sacerdos Achimelech filius Achitob, & iste fuit viuente Saule, & incipiente Dauid manere apud Saulem. præceden. lib. cap. 21. Hunc autem Achimelech occidit Saul cum octogintaquinque viris indutis Ephod. præceden. lib. cap. 22. Et ibi cessauit pro tunc summum sacerdotium in domo Hely. Abiathar autem filius Achimelech fugit ad Dauid: fuitque semper cum eo, Saul verò instituit interim alium summum sacerdotem, scilicet, Sadoch, qui non erat de progenie Heli summi sacerdotis: nec Ithamar; sed de domo Eleazari: & iste erat sacerdos, de quo Deus dixerat, quòd faceret ei domũ fidelem, & quòd semper essent sacerdotes de genere suo: nam postquam Dauid factus est rex, voluisset libenter amouere Sadoc à summo sacerdotio, & instituere solum Abiathar, quia tamen Sadoc erat ille, de quo Deus dixerat, quòd faceret ei domum fidelem, non est ausus priuare eum summo sacerdotio: ipsum quoque Abiathar noluit priuare, quia erat filius summi sacerdotis, & quia videbatur nimis indignum, quòd cùm ipse fuisset cũ Dauid in omnibus laboribus, quòd Dauid priuaret eum honore paterno, fecit quòd essent isti duo summi sacerdotes, & nullus eorũ percipiebat iura sũmi sacerdotij totaliter, sed diuidebant inter se: tẽpora quoque ministrandi erant diuisa, vt patet 1. Paral. 24,

F

Cap. VIII.

An Dauid peccauit tolerando Abiathar in summo sacerdotio. Quæst. XXII.

QVAERETVR vlterius, an peccauit Dauid tolerando Abiathar in summo sacerdotio, vel instituendo eum. Aliquis respondebit, quòd sic, quia iam constabat, quòd sacerdotiũ summum præscindendum erat de domo Heli, & transferendum in domum Sadoc: quamquam ergo Dauid permitteret Sadoc esse sacerdotem magnum iuxta prænuntiationem Dei, tamen præiudicabat ei, quia status summi sacerdotij, & redditus, & honor ad vnicum pertinere debebant. Dauid autem diuidebat ista in duos. Respondendum est, quòd non peccauit Dauid. Primò, quia cùm Abiathar fuisset filius summi sacerdotis, satis rationabile videbatur, quòd aliquid perciperet de summo sacerdotio. Item fauendum erat ei in aliquo, quia ipse fuerat semper cum Dauid in omnibus laboribus. Item non faciebat Dauid aliquatenus contra Dei dispositionem; nam licèt summum sacerdotium debitum esset Sadoc, nõ debebatur ei soli, sed Deus prædixerat, q̃ futuri essent duo summi sacerdotes simul: nam dixit ad Heli: videbis æmulum tuum in templo in omnibus prosperis Israel. præceden. lib. cap. 2. Æmuli autem vocantur competitores, qui eandem rem amant, & in eandem tendunt, & propter eam sibi æmulantur, ideſt, inuident: sed tempore Heli summi sacerdotis, & successorum suorum ante Abiathar nunquam illud fuit, quia sacerdos erat vnus, & de stirpe Heli, ideo incipiente nunc summo sacerdotio Sadoc, debuit esse alius summus sacerdos de domo Heli ad hoc, quòd essẽt duo æmuli in templo: non ergo peccauit Dauid qui egit iuxta Dei prænuntiationem, quam credendum est, quòd ipse intellexerit. Sed non mansit semper hoc, nam Abiathar, & Sadoc fuerunt summi sacerdotes tempore Dauid, sed incipiẽte regno Salomonis Abiathar priuatus est summo sacerdotio: nam Salomon priuauit eum, & volebat etiam ei mortem infligere, quia fuerat in coniuratione cum Adonia, quia tamen fuit Abiathar cum Dauid in omnibus laboribus, noluit eum occidere Salomon. seq. lib. cap. 2.

G

H

I

An fuit contra legem duos sacerdotes simul esse. Quæst. XXIIII.

QVAERETVR vlterius, an peccatũ esset, & contra ordinem legis esse simul duos summos sacerdotes. Respondendum est, quòd contra legem erat, quod patet. Primò ex institutione Dei: nam cùm Aaron, & filij eius facti sunt sacerdotes, solus Aaron factus est vnus summus sacerdos. Exo. 29. & Leui. 8. Iussit quoque Deus mortuo summo sacerdote succedere ei vnum de filijs suis, scilicet primogenitum, vt patet præalleg. cap. & Leui. 6. & 21. Vbi summus sacerdos vocatur maximus inter fratres suos, ideſt, primogenitus inter illos, vel maior ætate. Hunc autem modum seruauit Moyses; nam mortuo Aaron non instituit duos filios eius, scilicet, Eleazar, & Ithamar summos sacerdotes, sed solum Eleazar, & hoc Deus iussit Num. 20. Secundo patet hoc ex vestibus summi sacerdotis: nam Deus iussit fieri vestes tam pro sacerdotibus minoribus, quã pro magno: & de vestibus minorum fecit mentionem. De vestibus autem summi sacerdotis fecit pro vnico, vt patet Exo. 18. Demonstrauit autem Deus vnitatẽ istius vestis, quia iussit, quòd quicunque de posteris Aaron vngeretur in summum sacerdotem, induere-tur illa veste Aaron, vt patet Exo. 29. Tertiò pareſ hoc

K

hoc ex nomine, nã vocatur summus Sacerdos: istud autem nomen pluribus non conuenit, quia tunc non essent plures summi, sed essent æquales, sicut Sacerdotes minores inter se. Quartò patet ex redditibus, quia Deus instituit redditus summi Sacerdotis indiuisos, iubens ei dari certam partem fructuum seperatim. Numer. 18. Si tamen voluisset esse plures summos Sacerdotes, diuisisset illis redditus. Quintò patet hoc ex officio, quia ad summum Sacerdotem pertinebat facere aliqua mysteria, quæ non poterant facere alii: sicut erant cæremoniæ diei expiationis. Leuit. 16. Deus tamen non diuisit ministerium inter summos Sacerdotes, ergo vnicum esse voluit. Dauid autem quia tempore suo instituti sunt duo summi Sacerdotes, diuisit illis tempora ministrandi 1. Paralipo. 24. Sextò patet, quia Nume. 35. & Iosue 20. dicitur quòd homicida casualis deberet manere in vrbe refugij vsque ad mortem summi Sacerdotis, qui illo tempore erat. Si tamẽ essent multi summi Sacerdotes simul, oporteret dicere quis Sacerdos illorum moriturus esset, ergo præsupposuit scriptura quòd vnicus summus Sacerdos erat semper futurus. Cùm autem quæritur an esset peccatum instituere duos summos Sacerdotes, cùm esset contra legem. Dicendum quòd quicumq; conaretur introducere multos summos Sacerdotes, peccaret: vel si multi permitterent se simul in summo Sacerdotio instituj, peccarent. Nunc autem Dauid instituit duos, vel institutos tolerauit, quod non fuit sola voluntate humana, sed Dei dispensatione, qui voluit esse duos æmulos in summo Sacerdotio tempore Sadoc, & prænunciauit hoc præced. lib. cap. 2. Noluit tamen, quòd istud postea maneret, quia nolebat abrogare legem priorem, sed solùm dispensare in ea ad tempus, ideo antequam moreretur Abiathar, priuatus est summo Sacerdotio, & incepit esse solus Sadoc summus Sacerdos, & tunc completum est, quod dictum fuerat de domo Heli. Sic patet sequen. lib. cap. 2. scilicet, Dixit Salomõ Abiathar Sacerdoti. Vade in Anathoth ad agrum tuum; & quidem vir mortis es, sed hodie non interficiam te, quia portasti arcam coram patre meo, & sustinuisti laborem in omnibus, in quibus ille sustinuit. Eiecit ergo Abiathar, vt non esset Sacerdos Domini, vt impleretur sermo Domini, quod locutus est super domum Heli in Silo. Solùm ergo fuerunt duo summi Sacerdotes simul tempore Dauid: Omnibus autem alijs temporibus erat vnicus summus Sacerdos, siue ante hoc, siue post istud: licèt differrebat, quia toto tempore antequam Romani dominarentur super Hebræos, erat vnicus summus Sacerdos quàmdiu viueret, postea verò dominantibus Romanis nequitia Hebræorum, & auaritia Romanorum cepit summum Sacerdotium esse venale, & non vendebatur ad semper, sed per singulos annos, vnde quando Christus passus est, erat Sacerdos summus Caiphas, & præcedenti anno fuerat summus Sacerdos Annas socer eius, vt colligitur Matt. 26. & Mar. 14. & Luc. 22. Vnde Beatus Ioannes dixit: capit. 11. Quòd Caiphas non dixit a seipso, sed cùm esset Pontifex anni illius prophetauit.

An peccaſſet qui ſola humana diſpoſitione voluiſſet inſtituere duos ſummos Sacerdotes.

A

B

C

D

E

Quomodo dicatur quòd Achimelech filius Abiathar esset summus Sacerdos cum Abiathar esset filius Achimelech. Q. XXIIII.

QVAERETVR vlterius, quomodo dicitur hic, quòd Achimelech filius Abiathar, & Sadoc erant Sacerdotes; quia potius erãt è contrario, scilicet, quòd Abiathar filius Achimelech erat Sacerdos. Aliquis autem respõdebit, quòd Abiathar erat iam mortuus, & filius eius Achimelech fuerat institutus in summum Sacerdotem. Sed hoc non stat, quia Abiathar viuebat, & vixit vsq; ad regnum Salomonis. Ipse enim expulit eum de Sacerdotio, vt patet seq. lib. c. 2. Aliquis autem aliter respondebit, scilicet, quòd Abiathar erat hic summus Sacerdos, & tamen nominatur Achimelech, quia ille erat pater suus. præced. lib. c. 22. & nominabatur Sacerdotium Achimelech, quia susceperat illud Abiathar vice patris sui. Sed dicendum, quòd hoc non stat, quia istud teneret si diceretur hic quòd Abiathar erat filius Achimelech, & tamen dicitur quòd Achimelech erat filius Abiathar. Idem ẽt ponitur 1. Paralipo. 24. vbi ponuntur duo Sacerdotes magni, scilicet, Sadoch, & Achimelech. Dicendum ergo, quòd Abiathar fuit hic summus Sacerdos, & viuens erat, vixitque etiam post mortem Dauid. Dicitur tamen quòd Achimelech filius Abiathar factus est summus Sacerdos, quia fortè Abiathar erat senex, & non poterat ministrare, ideo filius eius efficiebatur summus Sacerdos ad ministrandum, vt suppleret locum patris, & tamen quàmdiu viueret pater, ipse vocaretur summus Sacerdos, ita enim euenit, quia mortuo Dauid dicitur, quòd Salomon eiecit Abiathar de summo Sacerdotio, & tamen non potuisset eijci de illo, nisi tunc esset summus Sacerdos. Sic etiam fuit in Heli summo Sacerdote, qui cũ esset iam grandæuus non potens ministrare constituit filium suũ Phinees, ut ministraret pro eo in summo Sacerdotio, vt ait Iosephus 5. Antiquitatum, & colligitur præced. lib. ca. 2. Sed ista ratio nõ multum stat, quia Abiathar non erat nunc senex, cùm etiam post mortem Dauid superuixerit, & tunc eiectus fuerit de summo Sacerdotio: immo & ipse Abiathar erat in factione cum Adonia. sequen. lib. cap. 1. Sed uidetur dicendum quòd cùm Abiathar fuisset cũ Dauid in omnibus laboribus suis, & consuluisset pro eo Dominum sæpe, diligebat eum Dauid nimis, & uolebat illum habere semper apud se in consiliarium, unde non poterat ire in sanctuarium ad ministrandum. Erat autẽ sanctuarium in Gabaon: Dauid autem semper morabatur extra locum illum in Ierusalem, ideo uoluit quòd filius eius consecraretur in summum Sacerdotem ad ministrandum loco patris, ut ille postea semper maneret cum Dauid, & tamen ipse pater retinebat sibi dignitatem, unde post hoc uocabatur summus Sacerdos Abiathar, ut patet seq. lib. cap. 1. ubi ipse, & Sadoc uocantur Sacerdotes, i. summi Sacerdotes. *Et Sarias scriba*, ideſt, iste erat scriba regis. Aliqui uolunt, quòd erat scriptor historiarum, & gestorum annalium. Alij autem uolunt, quòd est scriba, ideſt, prothonotarius regis, scilicet, quia ipse ordinabat super omnes scribas, & ista erat magna dignitas in domo regis. *Banaias autem filius Ioiadæ super Cerethi, & Pheleti.* Iste Banaias fuit unus de uiris fortissimis Dauid, & fuit postea magnus princeps in domo Salomonis, nam fuit princeps exercitus. seq. lib. cap. 4. ipse enim occidit Ioab mandato Salomonis. seq. li. c. 2. interfecit etiam Adoniam fratrem Salomonis. e. cap. erat autem iste princeps super Cerethi, & Pheleti, i. super baliſtarios, & fundibularios, ut exponit litera Caldaica: erant autem isti fortissimi bellatores, & nõ computabantur cum reliquo exercitu, nam Ioab erat princeps militiæ, ut patet supra, & tamen non erat princeps super Cerethi, & Pheleti. Alij autem uolunt quòd Cerethi, & Pheleti erant iudices magni, sed istud non stat, quia nominantur legiones Cerethi & Pheleti, ut patet 1. Paral. 18. cùm dicitur, quòd Banaias erat super legiones Cerethi, & Pheleti. Item patet infra 15. quia cùm fugeret Dauid a facie Absalom, dicitur quòd ambulabant iuxta eum legiones Cerethi, & Pheleti, & omnes Gethæi pugnatores ualidi, ergo nõ

erant

erant Cerethi, & Pheleti iudices, quia non habuisset eos Dauid apud se ad defensionem, sed erant custodes capitis Dauid. Volunt autem quidam Cerethi, & Pheleti fuisse. 70. iudices, quos elegit Moyses, vnde Cerethi interpretantur exterminatores, & Phelethi admirabiles, sed quod dictum fuit immediatè verùm est, *Filij autem Dauid Sacerdotes erant.* Habebat enim tũc Dauid multos filios: nam sex genuerat in Hebron, alios autem postea genuit in Ierusalem.

Quomodo filij Dauid poterant esse Sacerdotes. Quæst. XXV.

QVAERET aliquis, quomodo poterant esse filij Dauid Sacerdotes, nam Sacerdotes solùm erant de tribu Leui, & de sola progenie Aaron, si quis autem de extraneis conaretur accedere ad ministrandum cum Sacerdotibus, moreretur. Nume. 3. & 18. filij autem Dauid erant de tribu Iuda, in qua nullus erat Sacerdos. Sic ait Apostolus ad Heb. 7. arguens quòd Christus non poterat esse Sacerdos secundùm legẽ Moysi, qui erat de tribu Iuda. Ait enim: In quo hæc dicuntur de alia tribu est, de qua nullus altario præsto fuit. manifestum est enim quòd ex Iuda ortus sit dominus noster, in qua tribu nihil de Sacerdotibus Moyses locutus est, ideo si aliquis de ista tribu conaretur accedere ad ministrandum coram domino, moreretur, sic fuit de Ozia, rege Iuda, qui volens thus offerre coram domino, percussus fuit lepra in fronte, & mansit leprosus vsque ad mortem, vt patet infra 4. lib. cap. 15. Non ergo erant Sacerdotes filii Dauid, nec aliquando ministrauerunt, sed vocantur Sacerdotes, ideſt, potentes, & excellentes: quia sacerdos significat principem, vel honorabilem virum, & hoc erat in filijs Dauid, quia ipsi erant honorabiliores omnibus de populo. Et est sensus quòd quamquam reliquis data fuerint officia, & dignitates: non fuerunt data filijs regis, eo quòd ipsi erant domini omnium istorum, & non oportebat quòd eis daretur aliquod officiũ, istud patet 1. Paralip. 18. vbi ponitur ista historia, & dicitur: Porro filij Dauid primi ad manum regis, vbi dicitur hic, quòd erant Sacerdotes. Sic enim dicit Glosa, & historia scholastica, quòd Iethro vocatur Sacerdos Madian, ideſt, princeps terræ Madian: communiter tamen dicitur quòd esset verè Sacerdos.

CAP. IX.

ET dixit Dauid. Putas ne est aliquis, qui remanserit de domo Saul, vt faciam cum eo misericordia propter Ionathan? Erat autem Dauid de domo Saul seruus nomine Siba. Quem cùm vocasset ad se, dixit ei: Tu ne es Siba? Et ille respondit: Ego sum seruus tuus. Et ait rex: Nunquid superest aliquis de domo Saul, vt faciam cum eo misericordiam Dei? Dixitque Siba regi; Superest filius Ionathæ debilis pedibus.

DESCRIPTO in superioribus de bona habitudine Dauid ad populos hostium, hic agitur de pietate eius ad proximum, & ista ostensa est in tribus. Primò filium Ionathæ inquirendo. Secundò ne timeret ei ammonendo. Tertiò ei & familiæ suæ diligenter prouidendo. Secunda ibi. *Et ait Dauid.* Tertia ibi. *Vocauit itaque rex.*

An ordo sit continuus, & quæ sequuntur fuerint immediatè facta. Quæst. I.

QVAERET aliquis circa ea, quæ habentur in hoc capitulo, an habeant ordinem continuatum ad præcedentia, vel sit aliqua mutatio; & an fuerint ista immediatè facta post præcedentia. Respondendum quòd non potest constare de his, quæ habentur hic, an fuerint ante præcedentia, vel post: cùm ista sit aliena historia. Satis tamen uidetur dicendum, quòd fuerint ista facta post præcedentia, quia nunquam credendus est in scriptura ordo mutatus, nisi euidenter constet ex aliquo: alioquin ponere mus ordinem turbatum in scriptura, & sine causa, quod est valde irrationabile. Cùm autem dicitur, an fuerit istud factum immediatè post præcedentia. Dicendum, quòd non patet, satis tamen videtur dicendum, quòd fuerit hoc 7. vel 8. annis postquam Dauid cœpit regnare super totum Israel. Quod patet, quia quando mortuus est Saul in bello, & Ionathas: iste Miphiboseth filius Ionathæ, de quo hic, erat annorum quinque, vt patet supra 4. nunc autem habebat iam filium paruulum, vt patet infra in litera, ergo ad minus esset annorum viginti, vel quasi, sed Dauid cœpit regnare super Iudam eo anno, quo mortuus est Saul, & regnauit septem annis, & dimidio, qui si addãtur quinque annis Miphiboseth, quos egerat, quando mortuus est Saul erunt duodecim. Ad complendum ergo viginti annos Miphiboseth, quos nunc haberet quando iam habebat filium paruulum, oportebat addi. 7. vel 8. anni. & sic essent isti septem, vel octo anni postquam cœpit Dauid regnare super totum Israel: tunc autem verisimile est, quòd iam fecisset omnia bella, quæ habentur præceden. cap. *Et dixit Dauid.* Ideſt, quæsiuit pro filijs Ionathę. Et istud dixit seruis suis, & non Sibæ seruo Miphiboseth: quia adhuc nesciebat, an ille seruus esset. Sed ordo fuit, quòd inquisiuit Dauid à seruis suis, an supereſſet aliquis de domo Saulis, illi autem nullum cognoscentes, dixerunt se cognoscere quendam seruum domus Saulis, qui consuerat esse tẽpore Saulis nimis familiaris illi, & ob hoc dixerunt, quòd rex posset scire veritatem: ideo vocauit illum, & ab eo quæsiuit. *Vtas ne est aliquis qui remanserit de domo Saul?* Ideſt, nũquid est aliquis residuus de progenie Saulis? Ista verba diriguntur ad seruos suos, & non ad Sibam, quia nondum venerat. *Vt faciam cum eo misericordiam propter Ionatham.* Hoc dixit Dauid, quia fortè aliqui de viris suis putantes, quòd Dauid inquireret residuos de domo Saulis ad occidendum illos, pietate moti subticerent, ideo dixit, q̃ volebat inquirere ad faciendum misericordiam illis propter Ionatham.

Cur quæsiuit Dauid, an supereſſet aliquis de domo Saulis, cùm non teneretur facere misericordiam nisi cum eis qui erant ex Ionatha. Quæst. II.

QVAERET aliquis, quare Dauid quæsiuit hic, an supereſſet aliquis de domo Saul, quia ipse non facturus erat misericordiam cum omnibus

nibus de domo Saul, sed solùm cum illis qui erant de progenie Ionathæ; nam cum eo solo fecerat pactum de miserendo. præceden. lib. cap. vigesimo. Aliquis respondebit, quòd Dauid solùm erat obligatus facere misericordiam cum progenie Ionathæ: voluit tamen ex benignitate quærere omnes de domo Saulis ad faciendum misericordiam cum illis: & hoc propter Ionatham, scilicet, vt non solùm benefaceret filijs eius propter eum; sed etiam omnibus filijs Saulis, qui erant cognati Ionathæ. Sed hoc non stat, quod patet ex duobus. Primò, quia cùm Dauid quæsiuit à Siba, an supereſſet aliquis de domo Saulis, & respondisset, quòd supererat Miphiboseth filius Ionathæ, nõ quæsiuit amplius Dauid de aliis: si tamen intentio sua fuisset miserendi omnibus de stirpe Saulis, non solũ quæsiuisset pro Miphiboseth: sed etiam quæreret, an supereſſent alij filii Saulis. Itẽ non stat, quia Dauid nõ misertus fuit oĩbus de domo Saulis, sed soli Miphiboseth, vt patet infra vigesimo, quando Gabaonitæ petierunt filios Saulis ad occidendum, & Dauid dedit eis duos filios Saulis, quos peperit Respha, & quinque nepotes eius, quos peperit Merob filia Saulis. Et dicitur ibi quòd pepercit Dauid Miphiboseth propter iusiurandum, quod habuerat cum Ionatha, ergo nõ misertus fuit filiis Saul. Respondendum, quòd intentio Dauid, quando dixit ista non erat, quòd vellet misereri omnibus de domo Saulis, sed solis filiis Ionathæ. Quod satis apparet cùm dixit: ut faciam misericordiã propter Ionathan. Si tamen intellexisset de omnibus posteris Saulis, dixisset absolutè, vt faciam misericordiam cum eis; & non dixisset propter Ionathan. Item patet, quòd ex modo loquendi Dauid sic apparebat. Nam Siba cùm audiuit, an supereſset aliquis de domo Saulis: solùm respondit, quòd supererat Miphiboseth; & tamen ipse sciebat supereſse duos filios Saulis, & quinque alios nepotes: intellexit igitur, quòd Dauid solùm quærebat de posteritate Ionathæ: hoc autẽ verum est, nisi fortè dicas, quòd accipitur hic facere misericordiam largè, scilicet, non pro impendere aliquod bonum, sed pro non inferre malum. Et hoc modo Dauid fecit misericordiam cum omnibus de progenie Saulis nunc, cùm nullũ eorum occiderit, quãquam posset propter patrem. Non accipitur tamen hic facere misericordiam sic, quia ad non occidendũ posteros Saulis, non oportebat inquiri eos: sed satis erat, quòd non inquireret ad persequendum. Hic autem inquisiuit illos ad benefaciendum, vt patet ex sequentibus, ergo solùm intelligebatur de filiis Ionathæ. Dixit tamen de filiis Saul, quia per Saulem intelligebat Ionathan, qui erat primogenitus eius.

An Dauid tenebãtur benefacere filijs Saulis, præter Ionathæ. Quæst. III.

QVAERETVR vlterius, an teneretur Dauid benefacere aliis filiis Saulis præter filios Ionathæ. Aliquis respondebit, quòd sic, quia sicut Dauid tenebatur benefacere filiis Ionathæ propter iusiurandum interpositum. præceden. lib. cap. 20. Ita interpoſuerat Dauid iuramentum cũ Saule circa filios eius. eod. lib. cap. 24. Respondendum est, quod non tenebatur benefacere Dauid posteris Saulis, qui non erant de filijs Ionathæ sicut filiis Ionathæ. & hoc propter tria. Primò, quia iuramentum interpositum inter Dauid & Ionathan semper tenuit, eo quòd non superuenit aliquid, propter quod violaretur. iuramentum tamen interpositum inter Dauid & Saulem non tenuit: eo quòd postquam Dauid iurauit Sauli de posteris eius innouauit aliquid Saul cõtra Dauid, scilicet, quia persecutus est eum, vt patet, quia istud iuramentum fuit præce lib. cap. 24. Et postea persecutus est eum Saul. eod. lib. c. 26. Secunda ratio est, quia in iuramento quod præstitit Dauid Ionathæ continebatur, quòd Dauid non amoueret misericordiam suam à semine Ionathæ, sed quòd benefaceret ei in sempiternum. eod. lib. cap. 2. Ad complendum autem hoc non solùm requirebatur, quòd Dauid non noceret posteris Ionathæ; sed etiam quòd aliquod bonum eis impenderet. Iuramentum autem quod præstitit Dauid Sauli non continebat hoc, sed solùm ne Dauid deleret semen Saulis post mortem eius, & ne auferret nomen eius de domo patris sui. Ad complendum autem hoc iuramentum non requirebatur, quòd aliquod bonum præstaret Dauid posteris Saulis, sed quòd non occideret eos, & hoc fecit. Tertia ratio est, quia Dauid non iurauit Sauli de quolibet filio eius, sed solùm q̃ non deleret omnes: dato ergo, q̃ per hoc intelligeretur etiam, q̃ deberet eis benefacere, non sequebatur, q̃ deberet benefacere omnibus, sed satis est, q̃ benefaceret quibusdam, & quia filij Ionathæ erant de filijs Saulis, ad complendũ iuramentum præstitum Sauli, sufficiebat benefacere filius Ionathæ.

An tenebatur Dauid benefacere filijs Ionathæ propter iuramentum præstitum patri eorum, vel solùm propter benignitatem. Q. IIII.

QVAERETVR vlterius, an teneretur nũc Dauid benefacere filijs Ionathæ propter iuramentum præstitum patri eorum, vel faciebat hoc solùm ex benignitate. Respondendum est quòd tenebatur propter iuramentum, & propter illud bene agebat. Sic patet infra 21. cùm dicitur, quòd Dauid pepercit Miphiboseth, scilicet, quòd non tradidit eum ad occidendũ cum aliis filiis Saulis propter iusiurandum. Item patet hoc, quia iuramentum, quod præstitit Dauid Ionathæ fuit ad sempiternum: nam dixit Ionathas, si vixero facies mihi misericordiam Domini; si verò mortuus fuero, non auferes misericordiam tuam à domo mea vsque in sempiternum, fuit autem istud iuramentum multotiens confirmatum. Nam post hoc præced. lib. cap. 20. dixit Ionathas. De verbo autem, quod locuti fuimus ego & tu, sit dominus inter me & te vsque in sempiternum, & iterum eo. ca. confirmatum est cùm dicitur. Quæcumque iurauimus ambo in nomine domini, dicentes, dominus sit inter me & te, & semen meum & semen tuum vsque in sempiternum. Iterũ etiam confirmatum est fœdus, quia Ionathas iuit ad Dauid latenter in syluis, & ibi pepigerunt fœdus, ideſt, confirmauerunt fœdera præterita. præced. lib. cap. 23. ideo non habebat Dauid aliquam causam recusandi ista fœdera. Sed aliquis dicet, quòd iuramentum iam non tenebat, eo quòd post omnes illas confirmationes attentatum fuit aliquid cõtra Dauid, scilicet, quia Saul persecutus est eum. præced. lib. ca. 23. & 24. & 26. Respõdendum quòd hoc nihil obstat, quia Ionathas nihil attentabat contra Dauid, sed Saul hoc faciebat, nihil autem reus erat Ionathas, cùm eo inuito ista fierent. Sed aliquis obijciet, quòd Ionathas non solùm non debebat consentire, quòd aliquis persequeretur Dauid, sed etiam debebat quantum posset exponere se pro eo, ne quis ei noceret, sed hoc non faciebat, ideo non obseruabat fœdus. Respondendum quòd Ionathas egit quantum debuit, & potuit: nam a principio Saul iubebat occidi Dauid, & Ionathas persuasionibus obtinuit ne occideretur. præcede. lib. cap. 19. Iterum etiam cùm Saul iuberet duci Dauid ad mortem;

Universidad de Deusto
Biblioteca

tem: Ionathas publicè respondit pro eo, ita quòd Saul iratus conatus est percutere Ionathã lancea, & fugit Ionathas. præced. lib. cap. 20, non poterat autem, nec debebat Ionathas pluribus se exponere pro Dauid: eo quòd hostis Dauid erat Saul pater eius, contra quẽ non licebat Ionathæ pugnare armis, etiam si Saul conaretur occidere eum, sed magis fugere debebat. A fortiori ergo pro Dauid non debebat pugnare contra patrem suum, iam tamen nihil restabat, nisi vt Ionathas pugnaret contra Saulem, cùm exhortationibus, & precibus non flecteretur ab iniquo proposito. Debuit ergo Ionathas desistere opponere se pro Dauid, non tamen penitus desistebat, nam habita opportunitate reuelabat Dauid mala, quæ tractabantur contra eum, vt euaderet, & confortabat eum. Sic patet præc. lib. cap. 23, cùm dicitur: Surrexit Ionathas, & abijt in syluam ad Dauid, & confortauit manus eius in Deo, dixitque ei: ne timeas, nec enim inueniet te manus Saul patris mei, & tu regnabis super Israel. Non ergo fuit aliquid ex parte Ionathæ, propter quod deberet irritari iuramentum ei præstitum. *Erat autem de domo Saul seruus nomine Siba.* Non est intelligendum, quòd iste esset de domo Saulis, idest, de progenie, sicut accipitur immediatè esse aliquis de domo Saul, sed dicit de domo Saulis, idest, de familia, quia pertinebat ad Saulem. Nam si fuisset de domo Saulis, idest, progenie, non fuissem seruus, hic tamen vocatur seruus. Sciendum autem quòd iste Siba vocatus est a ministris regis, quia putabatur quòd ipse sciret statum progeniei Saulis: erat autem iste seruus, scilicet, quia Saul acceperat eum in aliquo bello, & erat seruus eius, & potuit eum retinere, quia non erat de Chananæis: de omnibus autem alijs gentibus poterant accipi captiui, & conuertebantur ad ritum iudaicum, manebantque inter Hebræos. *Quem cùm vocasset rex ad se.* Fecit illum vocari, quia præsumebatur, quòd ille plenè omnia sciret. *Dixit ei: tu es ne Siba?* idest, nunquid tu es Siba? Dicebat hoc, quia cognoscebat eum. *Et ille respondit, ego sum seruus tuus*, idest, ego sum Siba seruus tuus: alioquin si istud non subintelligatur, non erat conueniens responsio, cùm non esset dubium, quin ille esset seruus Dauid, quia hoc modo omnes Israelitæ vocabantur serui Dauid. *Et ait rex, num superest aliquis de domo Saul?* idest, nunquid est aliquis viuens de progenie Saulis? Putabat enim Dauid quòd omnes perijssent, quia in tanto tempore nullus apparebat coram eo, ipsi tamen abscondebant se ab illo, quia putabant quòd propter Saulem vellet delere totũ genus eius: & intelligitur de domo Saul, idest, de domo Ionathæ, quia domus Saul reseruabatur principaliter in primogenito suo, & iste erat Ionathas. *Vt faciam misericordiam Domini cum eo*, idest, vt faciam misericordiam cum illo, quam iuraui facere in nomine Domini: sic patet præced. lib. cap. 20, vbi in nomine Domini iuratum est. Vel vocatur misericordia domini, idest, misericordia propter Deum: omnia namque, quæ homines faciunt bono animo, & non attendentes ad vtilitatem, dicuntur facere a Deo moti, vel propter Deũ: & quia Dauid misereri volebat filijs Ionathæ non propter aliquam vtilitatem, quam sperabat ab eis, sed sola pietate motus, dicebatur facere misericordiam Domini: sic enim petijt Ionathas a Dauid, præceden. lib. cap. 20, scilicet, si vixero facies mihi misericordiam Domini, idest, propter dominum, vel sicut facit dominus, scilicet, quia Deus non benefacit nobis propter aliquam vtilitatem, quam consecuturus sit a nobis, sed ex mera liberalitate. *Dixitque regi Siba, superest filius Ionathæ* Sciebat Siba, quòd præter Miphiboseth super erant duo filij Saulis, & quinque nepotes, sic patet infra 21, & tamen non expressit de illis, eo quòd sciebat, quòd Dauid nollet misereri, nisi filiis Ionathæ, Supererat etiam quidam filius Miphiboseth, de quo nihil expressit Siba, eo quòd exprimendo Miphiboseth intelligebatur filius eius, & si rex benefaceret Miphiboseth, etiam benefaceret filio eius. *Debilis pedibus*, idest, claudus. Vocauit enim eum debilem pedibus, vt non redargueretur a Dauid, quia fortè putaret Dauid, q Miphiboseth esset aliquis vir pulcher, & fortis sicut Ionathas pater suus, cùm autem videret eum claudũ vtroque pede, & despicabilem, fortè increparet Sibã, dicens: cur duxisti ad me talem virum? vt ergo non haberet postea occasionem redarguendi eum, expressit quòd erat debilis pedibus, vt rex videret, an vellet eum vocare. *Vbi inquit, est?* Hoc dixit Dauid volens mittere immediatè pro illo. *Et Siba ad regem*, scilicet, respondit. *Ecce in domo est Machir filij Amminiel Lodabar.* Ille erat aliquis cognatus Miphiboseth ex patre, vel matre, ideo tenebat apud se Miphiboseth, vt aleretur: erat autem hoc in Lodabar, scilicet, in quædam villa de tribu Beniamin, quamquam ista non describatur in assignatione sortium, vt patet Iosue, a cap. 15. vsque ad 20. eo quòd multa omittuntur ibi. Quòd autem esset in tribu Beniamin, satis apparet, quia Hebræi communiter habitabant in sortibus tribuum suarum. & ibi alebantur. *Misit ergo rex Dauid & tulit eum de domo Machir.* Non est enim passus quòd amplius maneret ibi, sed quòd esset in domo regis, & comederet in mensa regis sicut filij regis. *Cùm autem venisset Miphiboseth filius Ionathę ad Dauid*, scilicet, tũc nesciebat ad quid vocaretur, & an aliquod malum esset. *Corruit in faciem suam, & adorauit*, idest, inclinauit se vsque ad terram super vultum suum, & adorauit regem, idest, exhibuit ei reuerentiam. Quælibet enim humiliatio capitis magna, & inclinatio ad terram, vocatur adoratio modo loquendi scripturę. *Dixitque Dauid, Miphiboseth?* idest, ò Miphiboseth. Erat enim iste modus applaudẽdi, quia diligebat eum Dauid nimis propter patrem suum. *Qui respondit adsum seruus tuus*, idest, si aliquid iubes ego seruus tuus præsto sum. *Et ait Dauid.* Hic ponitur secundum huius cap. scilicet, in quo Dauid Ionathæ filium, ne timeat admonet, & dicitur: *Ne timeas.* Vidit enim Dauid quòd Miphiboseth erat pauidus, quia fortè nesciebat ad quid vocabatur, ideo abstulit ei timorem, dicens: ne timeas. *Quia faciens faciam in te misericordiam propter Ionatham patrem tuum*, idest, non timeas, quia non solùm ego non malefaciam tibi, sed etiam faciam misericordiam magnam tecũ propter patrem tuum, scilicet, quia ille mihi fecit, vel quia ego iurauí ei, quòd facerem. *Et restituam tibi omnes agros Saul patris tui*, scilicet, mortuo Saule, & translato regno in Dauid, progenies Saulis miserabilis erat, & omnia, quę pertinebãt ad eos propter Saulem ablata fuerant a seruis Dauid, & fortè hoc ignorante Dauid, nunc verò volebat quòd omnia, quę pertinuerant ad Saul reducerentur ad Miphiboseth. Vocatur autem Saul pater Miphiboseth, & tamen erat auus eius, eo quòd more sacrę scripturę omnes superiores vsque ad quartam & quintam generationem vocantur patres, & deinceps vocantur maiores. Sic patet de Balthasar, cui dixit Daniel, Nabuchodonosor pater tuus. Danielis 5. & tamen Balthasar erat in quarta generatione a Nabuchodonosor. Sic patet extra de verbor. signific. cap. Nabuchodonosor. *Et comedes panem in mensa mea semper*, idest, quamquam dẽ tibi istos agros, non do vt de redditibus eorum alaris, quia tu semper comedes in mensa mea, sed do tibi istos agros, vt abũdes & alatur familia tua inde. In hoc autem æquiparauit Dauid ipsum Miphiboseth filijs regis, scilicet, q comederet ad mensam, sicut illi cum rege. Plura quoque bona fecisset ei Dauid, si capax fuisset: quędam tũ bona

bona erant, quæ non cadebant in ipsum, eo quòd claudus erat. Dicitur autem comedẽs panem, quia nomine panis intelliguntur omnes cibi. Sic patet infra 4. lib. cap. 6. cùm dixit Eliseus: pone ante eos panem & aquam: & sequitur, quòd apposita est illis magna ciborum præparatio. *Qui adorans eum dixit*, idest, Miphiboseth inclinauit se in terram, quando rex ei ista promisit in signum magnæ actionis gratiarum. Sic enim consuetum est nunc fieri coram magnis dominis, vt cùm aliquid concesserint, vel dixerint se concessuros, impendatur eis actualiter reuerentia magna. *Dixit, quis ego sum seruus tuus*, quasi dicat, ego qui sum seruus tuus nihil horum mereor, quæ tu Domine rex mihi polliceris. *Quoniam respexisti super canem mortuum similem mei*, quasi dicat, magna fuit benignitas tua domine rex, quia voluisti respicere ad me, qui sum vir despicabilis, sicut canis mortuus, nec videor maioris vtilitatis: canis enim mortuus nihil boni præstat, & magnum fętorem emittit, ita & ego cùm sim claudus vtroque pede, nulli prodesse ualeo, & multos impedio cùm circa me occupantur: quasi dicat, si ego essem uir fortis, vel excellens nimis in aliquo, & velles mihi propter patrem meum misereri: non esset tanti pendendum opus tuum: quia tamen ego sum pœnitus inutilis, & vis mihi misereri, inextimabile est opus tuum.

Vocauit itaque rex Siba puerum Saul. Hic ponitur tertium huius capituli, in quo Dauid ipsi Miphiboseth diligenter prouidet, scilicet, ponendo œconomũ pro administratione bonorum Miphiboseth, & dicitur quòd vocauit Dauid Sibam, quia fortè quando loquebatur Dauid ista ad Miphiboseth, non erat præsens Siba, vocatur autem puer Saulis, idest, seruus eius captus in bello, vt supra dictum fuit. Vel puer, idest, minister, quoniam omnis seruiens vocatur puer modo vulgari, & modo sacræ scripturæ. *Et dixit ei, omnia quæcumque fuerunt Saul, & vniuersam domum eius*, scilicet, omnia bona mobilia, & immobilia Saulis, & quicquid ad ipsum aliquo modo pertinuit, ego trado Miphiboseth, & istud est tradere ei domum Saulis: vel vocatur domus Saulis, idest, successio in primogenitura, & familia: ita quòd iam domus Saulis nominetur in solo Miphiboseth, quamquam alij sint de progenie Saulis. *Dedi filio Domini tui.* Aliqui putant quòd hoc intelligatur de Micha filio paruulo Miphiboseth, qa dicitur filio domini tui, & tunc dominus Sibę erat Miphiboseth, & sic fiebat donatio filio Miphiboseth. Sed dicendum quòd non stat, quia ista donata fuerunt Miphiboseth, cùm supra dixerit Dauid ad Miphiboseth, restituam tibi omnes agros Saul patris tui. Cùm autem obijcitur, quia dicitur filio domini tui: non obstat, quia Miphiboseth uocatur filius domini Sibæ. Pro quo sciendum, quòd Siba aliquando vocatur seruus Saulis, & aliquando seruus Miphiboseth. Primò modo filius domini Sibæ vocatur Miphiboseth, sic accipitur supra in litera, scilicet, erat autem de domo Saul seruus nomine Siba: & tunc uocatur Miphiboseth filius domini Sibæ: sic accipitur hic cùm dicitur: Dedi filio domini tui, i. Miphiboseth. Et infra cùm dicitur: Miphiboseth autem filius domini tui comedet semper super mensam meam. Alio modo uocatur Siba seruus Miphiboseth. Sic accipitur infra 19. cùm dixit Miphiboseth, domine mi rex, seruus meus contempsit me, & loquitur ibi de Siba, qui noluit sternere asinum ipsi Miphiboseth, & tunc filius domini Sybę vocatur ipse Micha filius Miphiboseth. Sic accipitur infra in litera, scilicet, operare terram tu, & filij tui, & inferas cibos filio domini tui, ut alatur, quod intelligitur de Micha filio Miphiboseth, quia Miphiboseth comedebat in mensa regis.

Alph. Tost. in Secundum Regum.

A *An Dauid dederit omnia, quę fuerant Saulis filio Ionathę. Quæst. V.*

QVAERET aliquis, quomodo Dauid dedit Miphiboseth omnia, quæ fuerant Saulis, & totam domum eius, quia alij erant de stirpe Saulis, scilicet, duo filij eius, & quinque nepotes, quibus prouenire debebat pars hæreditatis Saulis. Aliquis respondebit quòd hic solùm agitur de possessione Ionathæ; & illa tota prouentura erat Miphiboseth, quia nullus alius supererat de stirpe eius. Cùm autem dicitur quòd Dauid dedit Ionathæ omnia, quæ fuerant Saulis. Dicetur quòd accipitur Saul pro Ionatha, sicut supra accipiebatur, cùm dicitur: Nunquid est aliquis de domo Saul, vt faciam misericordiã cum illo? & tamen ibi accipitur Saul pro Ionatha, vt supra declaratum est. Respondendum, quòd non stat, quia nec esse est, quòd intelligatur litera ista de possessione Saul: cùm dicitur: omnia quæcumque fuerunt Saul & vniuersam domum eius dedi filio domini tui. Ibi autem necesse est distingui Saulem, & dominum Sibæ: dominus tamen Sibæ erat Ionathas, cuius filius erat Miphiboseth, cui ista donata sunt: ergo oportet quòd non solùm donata fuerint hic bona Ionathæ, sed etiam Saulis, quia alioquin non diceretur, omnia quæ fuerunt Saulis, dedi filio domini tui: sed omnia, quę fuerunt domini tui dedi filio eius: non ergo accipitur hic Saul pro Ionatha. Aliter autem respondet Rabb. Dauid Kimhi, quòd omnia ista bona Saulis non pertinebant integrè ad Miphiboseth, Dauid tamen quia erat rex, potuit tollere ius aliorum, & tradere illud Miphiboseth. Hoc probat præceden. lib. cap. 8. cùm dicitur, hoc erit ius regis, qui imperaturus est uobis. Et sequitur: Agros vestros & vineas & oliueta optima tollet, & dabit seruis suis, & segetes vestras & vinearum redditus adecimabit, vt det eunuchis suis. Sed ista responsio non stat, quia hic præsupponitur quòd omnia quæ habentur præall. cap. pertinent ad regem licitè; sed falsum est, quia plurima illorum inducunt magnam violentiam, & peccatum: vt ibidem declaratum est: si ergo de iure pertinebat pars istarum possessionum ad alios successores Saulis, non potuit licitè Dauid dare totam possessionem Miphiboseth. Aliter autem respondet idem Rabb. Dauid, scilicet, quòd tota domus Saulis perdiderat possessiones pertinentes ad Saulem propter rebellionem, quã habuit domus Saulis contra Dauid, scilicet, quia de iure erat debitum regnum ipsi Dauid, & tamen domus Saul fecit, quòd regnaret Isboseth, in quo præiudicatum est ei, & ob hoc potuit omnes de domo Saulis priuare possessionibus suis. Aliter autem & melius dici potest, quòd Dauid dedit Miphiboseth omnia, quæ fuerant Saulis, & in hoc non priuauit alios iure suo, quia ad Miphiboseth pertinebant omnia, nam Miphiboseth erat filius Ionathæ, & illæ erat primogenitus Saulis: primogeniti autem virorum nobilium maximè regum succedunt patri vniuersaliter: alij autem fratres nihil habent, nisi quædam dona in modum legatorum, & non ut hæredes succedentes patri ab intestato. Ionathas autem erat primogenitus regis: ideo omnia bona Saulis pertinebant ad eum, & consequenter ad Miphiboseth filium Ionathæ, qui erat unicus filius eius. Sed obijcietur contra hoc, quòd Ionathas non succederet vniuersaliter ipsi Sauli, quamquã esset primogenitus eius, quia in veteri testamẽto primogeniti solùm susciebant duplum de hereditate ad reliquos filios, vt patet Deut. 21. Respondeti potest quòd illa lex tenet in hominibus communibus, non autẽ in regibus, nã in regno non poterat succedere nisi vnus, s. primogenitus, & tamen iste plus habebat quàm du-

plum,

Universidad de Deusto
Biblioteca

plum, immo plus quam centuplum ad alios fratres: F uidetur ergo quòd in istis non teneret illa lex, & consequenter succedebant in omnibus, sicut nunc succedunt primogeniti virorum magnorum, & illi dicuntur habere domum patris ex integro: sic significatur hic, cùm dicitur in litera: omnia, quæcumque fuerunt Saul, & vniuersam domũ eius dedi filio domini tui. Aliter aũt dici potest, q̃ Dauid dedit omnia bona Saulis Miphiboseth, eo q̃ alii de progenie Saulis non habebant ius succedendi; nam solùm erant duo filii Saulis, & quinq; nepotes præter Miphiboseth, ut patet infra 21. ad nullum tamẽ illorum pertinebat de iure successio, non autem ad duos filios Saulis, quia illi erant illegitimi, s. filij Respha concubinæ Saulis, vt patet eo. cap. illegitimi aũt non succedunt, maximè apud uiros G nobiles: quinq; aũt nepotes Saulis non succedebant, quamquam legitimi essent. Erant namq; filii Merob filiæ Saulis. e.c. In veteri tamen testamento fœminę nõ habebant ius succedendi patri in toto, uel in parte stantibus filijs, vel saltem vnico, etiam si fœminæ multæ essent, sed succedebant fœminæ, filiis nullis stantibus, vt patet Num. 27. Merob ergo filia Saulis non poterat succedere stante Ionatha, & alijs filijs Saulis, & consequenter nepotes Saulis ex Merob non poterant in aliquo succedere Sauli stantibus nepotibus eius ex Ionatha, nullus ergo erat de stirpe Saulis, cui ex iure cõpeteret Sauli succedere in aliquo, nisi Miphiboseth; ideo ei tota Saulis hæreditas cedebat. Nihil ergo iniustum egit Dauid tradens omnia bona Saulis soli H Miphiboseth, & ista ultima est solutio, nullam recipiens calumniam, nam omnes præcedentes in aliquo sunt calumniabiles. *Operare igitur ei terram*, ideſt, cole terrã possessionis pro Miphiboseth. in hoc enim constituit Sibam procuratorem, vel dispensatorem domus Miphiboseth. *Tu & filij tui, & serui tui*, ideſt, omnes colite terram, quam nunc dedi Miphiboseth, quia lata est & multis cultoribus eget. Habebat autem Siba familiam magnam ad colendum, scilicet, 15. filios, & 20. seruos, vt patet infra in litera. In Hebræo solùm habetur hic. *Tu & filij tui*. & non ponuntur serui, translator tamen noster posuit seruos, cùm dicatur infra quòd habebat Siba uiginti seruos, verisimile autem erat quòd etiam cultura imponeretur ser- I uis, cùm ad illos magis pertineat. *Et inferes filio Domini tui cibos*, ideſt, ex cultura dabis cibos filio Domini tui, scilicet, Michæ filio Miphiboseth, nam ipse Miphiboseth non indigebat illis, cùm semper alendus esset in mensa regis, *Miphiboseth autem filius Domini tui*. Ecce qualiter æquiuocatur hic Dominus, nam primò accipitur filius Domini pro ipso filio Miphiboseth, & Dominus vocatur ipse Miphiboseth, Secundò accipitur filius Domini, scilicet, Miphiboseth, & Dominus uocatur Ionathas, alioquin nullo modo stabit litera, vt supra declaratum est. *Comedet semper panem super mensam meam*, quasi dicat, omnia, quæ habueris ex cultu terræ conuertas in alimentum Michæ filij Miphiboseth; nam ipse Miphiboseth hoc non eget, cùm K semper sit comesturus super mensam meam. *Erant autem Sibæ quindecim filij, & viginti serui*. Hoc ponitur ad exponendum superiora, nam dixit Dauid ad Sibã quòd ipse, & filij sui, & serui sui colerent terram Miphiboseth; ideo ponitur quot erant, vt sciatur an possent colere illam. *Dixitque Siba ad regem, sicut iussisti Domine mi rex seruo tuo, sic faciet seruus tuus*. Hic acceptauit Siba procurationem rerum Miphiboseth, scilicet, quòd libenter hoc ageret. *Et Miphiboseth comedet super mensam tuam quasi vnus de filijs regis*, quasi dicat, ego non debeo curare de alendo nisi saltem filium Miphiboseth, quia ipse Miphiboseth semper comedet super mensam regis, sicut vnus de filiis regis, scilicet, quia omnes filii Dauid comedebant super mensam regis, ideſt, dabatur eis cibus regius. *Habebat autem Miphiboseth filium parvulum nomine Micha*. Istud dicitur ad signandum quis esset ille, quem alimentare debebat Siba. Apparet autem ex hoc id quod supra dicebatur, scilicet, quòd iam transierant septem, uel octo anni de regno Dauid super Israel, cùm haberet Miphiboseth filium paruulum & consequenter ipse esset annorum uiginti, uel quasi ad minus. *Omnis vero cognatio domus Sibæ seruiebat Miphiboseth*, ideſt, omnes de domo Sibæ, scilicet, quindecim filii eius, & viginti serui seruiebant Miphiboseth. Vel dicitur, omnis cognatio, ideſt, non solùm familia domus Sibæ, sed etiã omnes cognati sui seruiebant Miphiboseth, s. colendo terras eius, vel seruiebant ei, simpendendo honorẽ & omnem famulatum, nam nullos alios ministros habebat Miphiboseth nisi Sibam & domum eius: ideo quando fugit Dauid de Ierusalem, & voluit illuc ire Miphiboseth, non habuit quis sibi sterneret asinum nisi Siba, & ille sternere noluit. Si autem alios seruos habuisset, licèt non strauisset Siba asinum, alius hoc egisset, Miphiboseth tamen conquestus est regi, dicens: Domine mi rex seruus meus contempsit me. Dixi enim ego ei seruus tuus, vt sterneret mihi asinũ, & ascendens abirem cum rege, Non ergo habebat Miphiboseth alios seruos. *Porrò Miphiboseth habitabat in Ierusalem*. ideſt, Miphiboseth non habitabat in loco, ubi erant possessiones suæ, scilicet, in Beniamin: vel in Lodabar, ubi prius alebatur, sed habitabat in Ierusalem cum Dauid, Filius autem eius Micha manebat in Lodabar, & alebatur a familia Sibæ. *Quia de mensa regis iugiter vescebatur*, ideſt, ex hoc, quòd alebatur de mensa regis, necesse erat quòd maneret semper in Ierusalem, quia Dauid semper morabatur ibi. *Et erat claudus vtroque pede*, Fit enim repetitio huius, quia iam supra dictum fuerat, quòd claudus erat. Ponitur autem ad significandum, quòd Dauid non poterat eum mittere ad bella, uel ad similes expeditiones, quia claudus erat utroque pede.

CAP. X.

EACTVM est autem post hæc, vt moreretur rex filiorum Ammon, & regnaret Hanon filius eius pro eo, Dixitque Dauid: Faciam misericordiam cum Hanon filio Naas, sicut fecit pater eius mecum misericordiam. Misit ergo Dauid consolans eum per seruos suos super patris interitu.

EN superioribus descripto erga proximum Dauid studio habito. Hic agitur de recompensato beneficio, scilicet, qualiter Dauid fuit gratus ei, qui impenderat sibi beneficium. Et diuiditur in tres partes. Primò ponitur Dauid gratitudo propter impensum beneficium. Secundò illata sibi iniuria per malum consilium ibi, *Cùm autem venissent*. Tertiò vindicans iniuriam propter illatum opprobrium ibi. *Cumque audisset*.

An ordo

A

An ordo continuus sit. Quæst. I.

QVAERITVR circa primum, an ista, quæ hic habentur contineant ordinem consequentem ad præcedentia, vel sit mutatus; & an sint facta immediatè vel magno tempore post. Respondendum est, quòd hic est ordo continuatus, nam litera dicit. Factum est autem post hæc, hæc ergo, quæ habentur hic, post præcedentia acciderunt. Cùm autem dicitur, an fuerint facta immediatè post præcedentia, dicendum quòd non apparet, satis tamen videtur dicendum quòd iam maior pars regni Dauid super Israel transierat: regnauit enim Dauid super Israel annis 37. supra quinto, & seq. lib. cap. 2. & B tamen videtur quòd iam transierant quasi 20. anni de regno Dauid quando ista facta sunt, quia hoc tempore genitus est Salomon; quod patet, quia in isto cap. agitur de bello contra Ammonitas, & dum iuisset illuc Ioab, & mansisset Dauid in Ierusalem accepit Dauid Bethsabeæ vxorem Vriæ. sequen. cap. & in primo accessu genuit paruulum, qui illico mortuus est; post quem genuit Salomonem infra 12. & tamen Salomõ erat puer paruulus, & tener quando mortuus est pater suus, vnde propinquus Dauid morti disponens de templo ædificando, dixit Salomon filius meus puer paruulus est, & delicatus. 1. Paralip. 22. Quando etiam incepit regnare Salomon dixit: Ego sum puer par- C uus, & ignorans egressum, & introitum meum, vt patet sequ. lib. capit. 3. ergo esset Salomon in morte Dauid annorum 17. vel 18. alioquin non se vocasset puerum. Dauid tamen regnauit super Ierusalem 33. annis. ergo iam fluxerant de regno eius quasi 20. anni quando genitus est Salomon, quod fuit contemporaneum isti bello contra Ammonitas, vt dictum est, ergo ad minus transierant iam anni 15. vel quasi de regno Dauid super totum Israel, quãdo fuit istud bellum contra Ammon. *Factum est autem post hæc*, scilicet, postquam Dauid suscepit Miphiboseth ad mensam suam, de quo præceden. cap. *Vt moreretur rex filiorum Ammon*, scilicet, Naas vt infra dicitur. Erant enim isti Ammonitæ apud terram Israel ex latere septẽtrionali terræ duarum tribuum & dimidiæ: vnde istæ duæ tri- D bus & dimidia tenebant magnam partem terræ, quæ olim fuerat de regno Ammonitarum, vt patet Iosue 13. *Et regnauit Hanon filius eius pro eo*, ideſt, immediatè post mortem patris fuit institutus in regem Hanon filius eius. Sciendum autem quòd tam iste, quàm filius Dauid primogenitus, de quo infra tertiodecimo vocantur Hanon, & litera nostra non seruauit differentiam in nominibus eorum. Nam secundùm Hebræos iste rex vocatur Hanum, & filius Dauid vocatur Hanon, scilicet, primum incipit per He: secundum incipit per Aleph; sed litera nostra non habet similes differentias. *Dixitque Dauid, faciam misericordiam cum Hanon filio Naas*. Misericordia ista erat, quòd Dauid mitteret ei consolatores super morte pa- E tris hortans, ne affligeretur nimis, & fortè pollicebatur se adiutorem eius in singulis, de quo deberet gaudere Hanon. *Sicut pater eius fecit misericordiam mecũ*.

In hoc apparet gratitudo Dauid, quia noluit beneficia manere irremunerata; & quamquam mortuus esset ille, qui beneficerat, non oblitus est beneficium, sed posteris suis retribuit.

∴

Alph. Tost. in Secundum Regum.

An Dauid peccauerit volendo consolari, & benefacere regi Ammon. Quæst. II.

QVAERET aliquis, an Dauid peccauit volendo consolari & benefacere regi Ammon. Aliquis dicet quòd sic, quia hoc erat vetitũ in lege, nam Deut. 23. dicitur de Ammonitis, & Moabitis: Nõ facias cum eis pacem, nec quæres eis bona cunctis diebus vitæ tuæ in sempiternum. Dauid tamen quæsiuit hic bona regi Ammon, ergo peccauit. Respondent Hebræi, quòd Dauid peccauerit uolendo facere misericordiam regi Ammon, & in pœnam huius peccati di cunt euenisse ei, quòd Ammonitæ, quos volebat consolari persequerentur eum confundendo turpiter nũcios eius. Sed dicendum est, q̃ Dauid non peccauit hic, sed potius benè egit; ideo laudatur de hoc: nam id quod naturaliter bonum est, cùm fit bona intentione, semper est bonum: reddere tamen gratiam in re, vel in voce pro susceptо beneficio est de iure naturali, cùm ratio hoc dictet, faciendo ergo Dauid secundùm hoc non peccabat: ipse tamen susceperat beneficium magnum a rege Naas, & tenebatur naturaliter ad satisfaciendum, satisfacere ergo erat actus virtutis iustitiæ, immo si Dauid nihil voluisset rependere pro hoc beneficio data opportunitate rependendi, peccaret. Cùm autem obijcitur, quòd Israelitæ non debebant quærere bona filijs Ammon. Respondendum quòd hoc intelligitur, quòd non haberent magnam communicationem cum eis, nec desiderarent benefacere illis, sicut amicis. Si tamen contingeret quòd interdum aliquis Ammonita in beneficio præueniret Hebræum, & succurreret ei in angustiis, tenebatur naturaliter Hebræus ad faciendum misericordiam Ammonitæ, cùm posset: non tamen debebant Hebræi præuenire Ammonitas beneficiis quasi incitando eos ad mutuam amicitiam, & communicationem, & hoc propriè vetatur hic. Dauid autem non præuenit regem Naas benefaciendo ei, sed magis susceperat ab eo, cùm nihil adhuc ipse egisset, ideo postea reddens ei vicem, non agebat contra istam legem.

Quis erat iste Naas. Quæst. III.

QVAERETVR vlterius, quis erat iste Naas rex Ammon, qui fecerat misericordiam cum Dauid, an esset ille, cum quo pugnauit Saul, qui uolebat eruere oculos dextros uirorũ Iabes Galaad, præcedenti lib. capit. 11. Aliquis dicet quòd non, quia ille erat hostis Israelitarum, ideo non faceret misericordiam Israelitis. Item Dauid non auderet se committere illi eundo in terram suam, cùm esset hostis. Respondendum est quòd verisimile est illum fuisse Naas, contra quem pugnauit Saul, quod patet ex tempore; nam post illud bellum in terra Israel nullus rex fuerat, nisi Saul, qui tunc regnabat, & egit bellum: nunc autem successerat ei Dauid, ita in terra Ammon ille Naas regnauerat, & nunc dicitur quòd incipiebat regnare Hanon filius eius. Cùm autem obijcitur, quòd ille erat hostis Israel, & non reciperet Dauid. Responderi potest, quòd iam cessauerat illa hostilitas cùm fuisset in principio regni Saulis, ideo libenter sibi in alterutrum benefaciebant Hebræi & Ammonitæ: ideo potuit benefacere Dauid. Aliter dici potest, quòd quamquam duraret hostilitas, benefaceret Naas ipsi Dauid; immo forte magis benefaceret ei manente hostilitate, quàm aliàs. Causa est, quia Naas erat

Universidad de Deusto
Biblioteca

principaliter hostis Saulis, ideo cuicumque faueret contra Saul: Dauid tamen quando suscepit misericordiam à Naas, erat hostis Saulis, scilicet, profugus ab eo, ideo gratis benefaceret ei Naas, vt ille quoque aduersaretur Sauli. Ad secundum cùm dicitur, quòd Dauid non auderet ire ad regem Naas, quia erat hostis. Dicendum sicut prius, scilicet, quòd iam erat remissa hostilitas, & dato quòd non esset remissa, Dauid confidenter descenderet in terram Naas: sic enim fecit, quando fugit ad Philisthinos: nam ideo fugit illuc, quia Philisthini erant inimici Saulis, & sic putabat se manere securum apud eos, & sic factum est: nam illico vt Saul cognouit descendisse Dauid ad Philisthinos, desperauit, cessauitque eum persequi, præceden. lib. cap. 27.

Quam misericordiam fecerit cum Dauid Naas.
Quæst. IIII.

QVAERETVR vlterius, quæ misericordia fuit ista, quam Naas rex Ammon fecit cum Dauid. Aliqui respondent, quòd iste Naas erat simul rex Ammon, & Moab, Dauid autem descendit ad eum, quando fugiebat à Saule, & suscepit eum benignè, mansitque apud eum in præsidio: patrem verò, & matrem posuit cum ipso rege Moab, stetitque ibi Dauid quousque regressus est in terram Iudæ, vt patet præceden. lib. cap. vigesimosecundo: mortuo autem rege Naas, filius eius mansit rex Ammon, & illum voluit consolari Dauid pro beneficio suscepto. Sed ista positio non est satis verisimilis, quia non legimus aliquando fuisse regem qui simul esset rex Ammonitarum, & Moabitarum, sed sicut isti erant duo populi: ita habebant semper reges distinctos: maximè quia tam Naas, quàm filius eius Hanon vocatur hic rex Ammon solùm: ideo dicere eum fuisse regem Moab est aliquid fictum.

Aliter autem dicit Ra. Sa. Scilicet, quòd Dauid fuit apud regem Moab cum viris suis, & patre, & matre, recedente autem Dauid inde rex Moab occidit patrem, & matrem Dauid, & omnes amicos, qui manerant cum rege præter quosdam, qui effugere potuerunt, & illi venerunt ad regem Ammon, qui eos benignè suscepit propter Dauid: quod reputauit Dauid sibi esse magnam misericordiam. Istam positionem tenet Nicolaus, & dicit eam esse verisimilem, quia Dauid habuit se acriter cum Moabitis, scilicet, faciendo duos funiculos vnum ad occidendum, & vnum ad viuificandum, supra octauo. Sed non est ista positio multum verisimilis: non est enim probabile, quòd cùm rex Moab benignè suscepisset Dauid in terra sua, & manserit ibi quantum voluit, quòd illo abeunte nulla causa suborta rex occiderit patrem, & matrem Dauid. Item non est verisimile, quòd cùm Dauid recederet totaliter de terra Moab in terram Iudæ, relinqueret patrem, & matrem in terra Moab, cùm prius secum illos duxisset. Item non est verisimile, quia si Moabitæ occidissent patrem, & matrem Dauid, & amicos, maiori pœna puniuisset eos: nam Ammonitas pro hoc solo, quòd raserunt barbas nunciorum eius, tam durè puniuit, vt serraret eos, & duceret super illos carpenta ferrata, & diuideret eos cultris, duceretque in typo laterum, infra duodecimo, à fortiori puniuisset acrioribus pœnis Moabitas pro occisione patris, & matris, & amicorum: tamen non intulit eis graues pœnas, sed solùm occidebat illos in funiculo morte communi, ergo non occiderant patrem, & matrem eius, sed fecerant aliquod malum minus. Aliter autem dicit Gl. ordin. & Historia schol. Scilicet, quòd cùm Dauid

F iuisset coram rege Geth mutauit faciem suam, & fugit. præceden. lib. cap. vigesimoprimo, tunc autem venit ad regem Naas in terram Ammon, qui eum benignè susceptit: erat autem Dauid tunc quasi solus, ideo vt haberet viros secum redijt inde ad terram Iuda in speluncam Odolam, & illuc conuenerunt ad eum cognati sui, & multi alij vsque ad quadringentos viros: præceden. lib. cap. vigesimosecundo, hoc autem verisimile est, & magis tenendum. *Misit ergo Dauid consolans eum per seruos suos.* Ideò, misit Dauid ad consolandum Hanon regem Ammon per seruos suos, scilicet, quòd dixit eis aliqua verba consolatoria, quæ loquerentur ad Hanon ex parte sua. *Super patris interitu.* Ideò, ista consolatio erat pro morG te Naas patris Hanon: quia putauit Dauid, quòd multum inde tristaretur Hanon. In Hebræo dicitur. *Pro patre.* Vbi nos dicimus: super patris interitu, sed litera nostra expressior est: nam Hanon non indigebat consolatione super patre suo absolutè, sed quia mortuus erat. *Cùm autem venissent serui Dauid.* Hic ponitur secundum huius cap. scilicet, illata Dauid iniuria propter malum consilium, nam consiliarij regis Hanon errauerunt nimis iubendo, quòd nunciis Dauid infligerentur contumeliæ, quæ irrogatæ sunt: nam ex hoc secutum fuit eis malum: & dicitur. *Cùm autem venissent serui Dauid in terram filiorum Ammon.* Non est intelligendum, quòd solùm venerunt, sed etiam propoH suerunt regi verba, quæ iusserat Dauid ad consolandum, alioquin nesciuissent consiliarij regis Hanon ad quid venerant viri Dauid: & tamen sciebant, quia dixerunt, putas quòd propter honorem patris tui miserit ad te consolatores. *Dixerunt principes filiorum Ammon.* Isti erant consiliarij regis, nam cùm essent principes terræ, ipsi disponebant de negocijs regni, & assistebant regi, præsertim quia fortè rex erat iuuenis nunc nouiter præconizatus. *Ad Hanon dominum suum.* Scilicet: Qui iam fuerat assumptus in reI gem. *Putas, quòd propter honorem patris tui Dauid miserit ad te consolatores.* Hoc dixerũt principes Ammon, vt inducerent regem ad occidendum, vel iniuriam inferendum viris Dauid: nam videbant, quòd proposito nuncio rex nihil mali eis infligebat, quasi affentiens illis; ideo dixerunt principes: putas, quòd propter honorem patris tui .i. tu cogitas, q̃ isti venerint pp honorem patris tui: ideo non noces eis, sed falsum est, quia venerunt ad insidiandum terræ. In Hebræo habetur. *Si honorat Dauid patrem tuum in oculis tuis, quia misit ad te consolatores.* Et ad id redit, scilicet, si in oculis tuis, idest in existimatione tua, si Dauid honorat patrem tuum. i. nũquid agit propter honorem patris tui scilicet, mittens ad te consolatores. *Et non ideo vt inuestigaret, & exploraret ciuitatem, & euerteret eam misit seruos suos ad te.* Quasi dicat: Tu non putas, q̃ serui Dauid venerunt, vt viderent habitudinem ciuitatis istius, vt posset eam Dauid capere; sed quòd venerunt ad honorem patris tui: falsum tamen est, quia venerunt vt viderent vrbem. Dicit autem Ra. Sa. & Ra. Dauid Kimhi, quòd isti consiliarij regis persuaserunt ei, dicentes: tu nescis, quòd Israelitæ nolint consolari te, quia in lege eorum cautum est, quòd non quærant Ammonitis bonum, nec habeant cum eis pacem in sempiternum. Deuteron. vigesimoterK tio. Ideo non credas, quòd veniant ad consolandum, sed ad sciendum de statu vrbis: putabant enim illi, quòd cùm ciuitas, in qua tunc erat rex, esset excellens, Dauid desideraret capere eam. Ponitur autem inuestigare, explorare, & euertere: quia inuestigare refertur ad viros, scilicet, quòd volebant videre quot, & qui bellatores essent in ciuitate illa, vt sciret, an Dauid posset pugnare cõtra illos. Explorare est in-

est inquirere partes infimas in ciuitate, per quas capi A
posset: sic enim dixit Ioseph ad fratres suos, quando
iuerunt in Aegyptum pro pane, scilicet, exploratores
estis, vt videatis infirmiora terræ venistis. Gen. 42. *Tulit itaque Hanon seruos Dauid.* Scilicet, iussit eos capi
ad irrogandum eis hanc iniuriam, nam non est verisimile, quòd ipse rex per seipsum egerit. *Rasitque dimidiam partem barbæ eorum.* Ista erat magna ignominia: nam si totam barbam rasisset, quamquam tunc
istud in honestum erat, tamen deformiores erant rasa
dimidia parte barbæ. *Et præscidit vestes eorum medias*
vsque ad nates. Ideò, amputauit etiam vestes illorum
per medium vsque ad nates: istud autem fuit, vt apparerent verenda omnium illorum virorum, quod erat
turpissimum. Et dicitur, amputauit vestes medias, id- B
est, vsque ad medium, quia medietas vestium est à
natibus & supra, & medietas à natibus & infra, eo
quòd Hebræi longis vestibus vtebantur. *Et dimisit eos.*
Scilicet, non intulit eis aliquod aliud malum, sed dimisit redire in terram suam sic vituperatos.

An Ammonitæ peccauerunt faciendo hoc.
Quæst. V.

QVAERET aliquis, an Ammonitæ peccauerunt faciendo hoc. Aliquis dicet, quòd C
non, quia fecerunt hoc illis tanquam exploratoribus terræ, licitum est autem exploratoribus pœnas infligere. Respondendum, quòd Ammonitæ peccauerunt nimis: alioquin Dauid nõ potuisset eis iustum indicere bellum:
sed bellum, quod eis indixit, fuit iustum, & approbatur ab omnibus, ergo peccauerunt Ammonitæ. Item
Dauid irrogauit magna supplicia Ammonitis, scilicet
in cultris ferreis, & serris, & carpentis ferratis, & typo
laterum, vt patet infra, 12. ista tamen fuissent iniustissima, si Ammonitæ non peccassent faciendo hoc, &
tamen Dauid iustè inflixit illis tormenta, & de hoc
non vituperatur, ergo peccauerunt Ammonitæ. Item
Ammonitæ punierunt seruos Dauid contra ius gentium, secundùm quod etiam apud hostes nuncij de- D
bent esse securi, ergo peccauerunt. Item nuncij Dauid erant immunes à crimine, pro quo rex Ammon
puniebat eos, ergo peccabat. Item crimen, quod suspicabantur Ammonitæ de seruis Dauid, non erat notorium, & ipsi sine aliqua discussione veritatis, processerunt ad pœnam ex sola suspitione leui: ideo dato quòd
verum esset crimen, quod obijciebatur, peccabant
Ammonitæ infligentes pœnam sine processu iuris, in
quo irrogabant iniuriam Dauid. Dicendum igitur, q̃
Ammonitæ peccauerunt faciendo hoc, & istud ipsi
intellexerunt: nam ideo se parauerunt ad pugnam cõtra Dauid, scientes, quòd ei intulissent iniuriam: si tamen Ammonitæ certissimè reperijssent, quòd illi erãt
exploratores: poterant eos punire tanquam hostes E
patriæ, volentes gaudere priuilegio nunciorum occulta hostilitate. Cùm autem dicebatur, quòd non
peccauerunt, quia egerunt tanquam contra exploratores. Respondendum, quòd non sufficit, sed oportebat constare eos exploratores per certissimas probationes lucæ clariores, quales requiruntur in causis criminalibus: si autem esset magna suspitio contra istos,
& tamen nondum sufficeret ad ferẽdum sententiam
contra eos, poterant honestè custodiri, non inflicta
eis aliqua contumelia quousque de veritate constaret, tulerunt tamen sentẽtiam immediatè ex leui præsumptione. Sed adhuc dicetur, quòd Ammonitæ iustè egerunt, quia fundauerunt se in quadam præsumptione iuris, nam Deuteron. 23. iussum erat Hebreis, quòd non quærerent bonum Ammonitis, nec haberent pacem cum eis: ideo omnino præsumendum erat quòd Dauid, & serui sui non facerent contra illam legem, & sic quærerent malum Ammonitis explorando terram eorum. Dicendum, quòd hoc non sufficit propter duo. Primò quia ista lex recipit limitationem, scilicet, quòd non quærerent eis bonum, præueniendo illos in beneficijs, & incitando ad amicitiam, & communicationem: non tamen prohibebantur quærere bonum in modum retributionis pro beneficijs susceptis. Secundò non tenet ista præsumptio, quia dato quòd lex diceret indistinctè quòd Israelitæ nullo modo quærerent bonum Ammonitis: tamen
non erat præsumptio violenta contra nuncios Dauid,
quòd venirent ad inquirendum malum Ammonitis,
licèt posset esse præsumptio ista probabilis, talis tamen
non sufficit ad ferendum sententiam, sed requiritur
præsumptio uiolenta, non est autem uiolenta præsumptio, quòd quilibet obseruet ea quę in lege sunt: peccauerunt ergo Ammonitę. *Quod cùm nunciatum esset*
Dauid. Scilicet, quòd rex Ammon vituperasset nuncios suos, hoc autem nunciatum est per aliquem de
illis, qui iuerunt ad regem: nam non est credendum,
quòd rex Ammon omnibus fecisset hoc, sed solùm
principalibus, alij autem erant, quibus hoc facere nulla erat contumelia, sicut famuli, & ministri legatorum
qui infimi erant, & aliquis de illis iret ad Dauid nuncians, quę acciderant. *Misit in occursum eorum.* Scilicet,
vt non venirent quousque crescerent barbę ipsorum,
ne apparerent ita confusi in terra Israel, quia sufficiens
erat, quòd confusi fuissent in terra Ammon. *Erant*
enim viri confusi turpiter valde. Ideò, erat magnum dedecus, quod sustinebant: reputabatur enim tanquam
maxima contumelia, quòd aliquis haberet barbam
precisam, vel esset attonsus eo modo, quo illi erant:
istud autem maxime inter Hebręos, nam inter Ammonitas, qui istud fecerunt Hebreis, non reputabatur
tantum vituperium, eo quòd ipsi aliquo modo tondebantur, sic patet Ier. 9. Scilicet. Visitabo super omnem, qui incircuncisum habet pręputium, & super filios Ammon, & Moab, & super omnes, qui attonsi
sunt in comam habitantes in deserto. Et sic patet, D
quòd Ammonitę, & Moabitę, & habitantes in desertis Arabię tondebantur, ideo non erat istud inter eos
tantum vituperium. Durat autem vsque hodie in terra Chanaan, quòd gentes, quę ibi habitant, reputant
velut fœminas viros si barba pręcisa sit. Inter Iudęos
autem nunquam radebatur barba, cùm esset prohibitum Leuitic. 19. nisi in signum magni doloris, & sic
quando Ismael filius Nathanię occidit Godoliam
principem Israelitarum, viri qui venerunt ad nũciandum, erant rasi barba, & scisis vestibus, & squalentes:
vt patet Ier. 41. *Et mandauit eis Dauid.* In Hebręo habetur. *Dixit eis Dauid.* Sed idem est. *Manete in Iericho*
donec crescat barba vestra, & tunc reuertimini. Hoc iussit
Dauid, quia noluit quòd illi viri paterentur iterum E
aliam confusionem in terra Israel, si apparerent sic
deturpati. Iussit autem, quòd manerent in Iericho, eo
quòd ista ciuitas erat in itinere venientibus de terra
Moab, & Ammon in terram Israel, erat etiam prima
ciuitas in introitu terræ Chanaan apud Iordanem, &
erat nunc depopulata pręter raros viros, qui habitabant circa eam, & ibi poterant manere isti quasi solitarij quousque crescerent barba eorum, scilicet, ad tantam magnitudinem in quantam consueuerant habere alij viri. *Videntes autem filij Ammon, quòd iniuriam*
fecissent Dauid. Scilicet, à principio non cogitauerunt
an male agerent, nunc verò recogitauerunt, quòd
fecissent iniuriam Dauid & parauerunt se ad pugnam,

Universidad de Deusto
Biblioteca

In Hebræo habetur: *Videntes filij Ammon, quòd fœtebant eum Dauid, vel desperati erant cum eo.* Verbũ enim quod hic ponitur in Hebræo propriè significat fœtere, sic patet Exod. 5. cùm dicitur: Videat Dominus, & iudicet, quia fœtere fecistis odorem uestrum. Et ponitur ibi idem uerbum quod hic, litera autem nostra posuit q̃ iniuriam fecerant, i. q̃ prouocauerant Dauid ad irã; & hoc erat fœtere coram eo. *Miserunt & conduxerunt Syrum Rohob.* Hic ponitur apparatus belli, quem fecerũt Ammonitæ contra Dauid: nam sciebant se esse inferiores Dauid, si soli pugnarent, ideo cõduxerunt alios reges in circuitu. Vocatur autem Syrus Rohob, idest, Syrus de terra Rohob, est enim terra Rohob partim in terra Chanaã, & partim in terra Syrię. Est. n. Rohob ad septentrionalem partem terræ Chanaan, vt patet Nu. 13. scumq; ascendissent explorauerunt terram a deserto Sin usq; Rohob intrantibus Emath, est tamẽ Emath in latere septemtrionali terræ Chanaan, vt patet Nu. 34. extẽdebatur etiam per latus septemtrionale terra Moab extra terram Chanaan, & ibi est terra Syriæ, quæ vocatur Syria Rohob, de hac autem terra conduxerunt Ammonitæ multos bellatores. In Hebręo habetur, *Beth Rehoph.* vbi litera nostra dicit Rohob, & idem est; sed Beth Rehoph significat domum Rehoph, & est sensus, q̃ de domo Rehoph, idest, de terra Rohob duxit rex Ammon exercitum. *Et Syrum Soba*, i. conduxerunt Syrum de terra Soba. Est. n. Soba quedã pars in terra Syriæ; & de illa duxerunt bellatores conductos isti Ammonitæ. In terra aũt ista regnabat Adrezer, cum quo Dauid pugnauerat supra 8. & nũc ille misit exercitum suum contra Dauid, sed ipse non fuit in exercitu, sed magistri militiæ suæ, s. Sobac, vt patet infra. *Viginti millia peditum*. Ista viginti millia possunt referri ad solum Syrum Soba, vel ad vtrumq; Syrum, scilicet, Soba, & Rohob, & credẽdum est, q̃ fuerit iste numerus de vtroq; Syro. *Et a rege Maacha mille viros.* Iste rex habitabat circa terram Ammonitarum, & Moabitarum, & inter Israelitas in deserto terræ Arabiæ: & vocatur ista terra Maachati, vt patet Iosue 13. & Deuteron. 3. ab isto enim solùm acceperunt mille viros, quia erat paruus rex. *Et ab Istob duodecim millia virorum*. idest, a quodam rege nomine Istob acceperunt duodecim millia virorum. In Hebræo Istob est diuisum in duas dictiones, scilicet, Is & Tob: Is autem significat virum, & Tob, siue Toph, significat bonum, vnde Hebræi exponunt tanquam sit nomen cõmune, & dicunt, quod a quodam viro bono acceperunt Ammonitæ duodecim millia virorum. Alij autem exponunt quòd Is, sit nomen cõmune, & Tob, siue Toph, sit proprium: & tunc est sensus, quòd a quodam viro de terra Toph acceperunt duodecim millia bellatorum, sed litera nostra accepit tanq̃ Istob sit vna dictio, & nomen proprium, & istud melius est.

Apparatus belli quem fecerũt Ammonitæ contra Dauid.

Cùm Ammonitę offendissent Dauid, quare non petiuerunt veniam immediatè. Quæst. VI.

QVAERET aliquis, quare cùm Ammonitæ sensẽrunt se male egisse, non petiuerunt veniam a Dauid, sed conduxerunt exercitum contra ipsum. Respondendum quòd duo poterant mouere Ammonitas. Primum erat inutilitas petendi propter magnitudinem iniuriæ: nam putabant istam iniuriam fuisse tantam quòd nullo modo remitteret eam Dauid, ideo noluerunt inutiliter petere. Secundum erat, quòd ista iniuria erat lata sine causa, immo quod amplius est pro misericordia reddebatur ei contumelia, & hoc nimis exasperat hominem, si autem aliquam causam habuissent Ammonitæ faciendi hoc, putauissent fortassis Dauid facilius remissurum. Posset autem addi tertia causa, scilicet, quòd Ammonitæ sciebant legẽ datam Hebræis, quòd non quærerent bonum Ammonitis, vel Moabitis, nec haberent cum eis pacem vsque in sempiternum: ideo saltem, vt obedirent illi legi, non parcerent Ammonitis, sed laborarẽt ad eorum deletionem: hæc tamen erat quædam falsa imaginatio: nam si Ammonitæ illico vt peccauerũt supplicassent Dauid pro venia, non colligentes exercitũ, remisisset eis culpam. Quod apparet, quia quamquam Dauid sustulisset iniuriam, nihil moliebatur agere contra Ammonitas, quousque audiuit, quòd illi collegerunt exercitum, vt patet infra; & tunc Dauid erat nimis stimulatus iniurijs, quia non solùm eum pro bona operatione læserunt, sed etiam ad amplius lædendum copiosum exercitum collegerunt, ideo tunc Dauid misit exercitum suum contra Ammonitas. *Quod cum audisset Dauid.* Hic ponitur tertium huius cap. scilicet vindicans iniuriam propter illatum opprobrium, & dicitur. *Quod cùm audisset Dauid*, scilicet quòd Ammonitæ collegerant exercitum contra eum: non refertur ad rasionem barbarum nunciorum suorum, quia propter illud non motus fuit ad mittendum exercitum contra Ammon. *Misit Ioab*, scilicet tanquam principem belli contra filios Ammon: eo quòd iste erat princeps militiæ Dauid, supra octauo, ibat autem cum eo frater suus Abisai, tamen non fit mentio de eo, quia Ioab erat princeps: postea tamẽ ipse fuit princeps vnius partis belli, infra in litera. *Et omnem exercitum bellatorum*, idest omnes, qui descripti erant ad arma, & recipiebant stipendia à rege, alij tamen manserunt potentes pugnare, qui nunc non iuerunt cum Ioab, sed iuerunt postea cum Dauid infra 12. *Egressi sunt ergo filij Ammon*, scilicet filij Ammon erant parati ad bellum, & milites, quos conduxerant, erant cum eis expectantes, quando veniret exercitus Dauid contra vrbem, videntes autem quòd veniret Ioab, egressi sunt filij Ammon de vrbe sua ad pugnandum contra Ioab, qui appropinquabat vrbi. *Et direxerunt aciem ante ipsum in introitu portæ.* Locauerunt Ammonitæ aciem suam contra Ioab, & illa erat ia introiru portæ vrbis, quia Ioab appropinquauerat vrbi. *Syrus autem Soba, & Rohob, & Istob, & Maacha.* Istę sunt gentes, quas conduxerant Ammonitæ in adiutorium suum, & erant simul in vna acie. *Seorsum erant in campo*, idest nõ erant acies Ammonitarum, & militum conductorum simul: sed per se erant omnes conductitij. Causa huius erat, vt Hebræi haberent difficultatem pugnandi, scilicet quòd si dirigerent exercitum contra Ammonitas Syri inuaderent eos à tergo, si autem dirigerent aciem contra Syros, percuterent eos Ammonitæ à tergo, ita vt non possent euadere, & ista fuit causa, quare Ioab diuisit exercitum suum in duas acies, & vnam accepit ipse, & aliam Abisai. In Hebræo habetur. *Soli erant in campo.* vbi dicit litera nostra, seorsum erant, & idem est, quia est sensus, quòd omnes Ammonitæ erant in introitu portæ; in campo autem soli milites conductitij. *Videns igitur Ioab quòd pręparatum esset aduersum se prælium ex aduerso, & post tergum*, idest considerauit Ioab, quòd Ammonitæ disposuissent bellum contra eum ex duabus partibus, scilicet à facie, & à tergo, eo quòd erant diuisi in duas acies, quæ non erant ex eadem parte: ita quòd ambæ venirent ad frontem Ioab. In Hebræo habetur. *Videns autem Ioab, quòd erant ei facies bell.* Idem est, quia facies belli dicitur esse exercitus positus à fronte, hic autem erant duæ facies belli, s. vna facies ex parte Syrorum, & alia ex parte Ammonitarum, quæ erant sicut ante, & retro. *Elegit ex omnibus electis Israel, & instruxit aciem contra Syrum*, s. vidit Ioab, q̃ nullo modo poterant euitare bellũ ex duabus partibus,

partibus, ipsi autem si ex vnica parte pugnauerant, necesse erat multos eorum inutiliter perire, & totum exercitum subito diffugere, ideo etiam ipse voluit instruere duas acies: dedit enim vnam partem populi fratri suo Abisai, & aliam partem ipse accepit, vt pugnaret Abisai contra Ammonitas, & Ioab contra Syros: dicitur autem q̃ elegit Ioab de omnibus electis Israel ad pugnandum contra Syrum, & hoc quia pars Syri erat maior, & fortior: pars verò Ammonitarum erat minor, & debilior, nam de Syris erant. 33. millia peditũ, & multi currus. Quod patet, quia Soba, & Rohob habebant. 20. millia peditum, & Istob habebat. 12. millia virorum, Maacha autem habebat mille viros, erant etiã currus multi, vt patet infra in litera, & 1. Paral. 19. Ammonitæ autem pauci erant. *Reliquam autem partem populi tradidit Abisai fratri suo.* Idest, alios bellatores minus approbatos tradidit Abisai, quia tota virtus belli erat in Syro, erat autem Abisai frater Ionathæ vir fortis, & animosus, ipse enim descendit cum Dauid solus in castra Saulis dormiente Saule, & voluit transfigere eum lancea. præc. lib. c. 26. Iste etiam computatur vnus de viris fortissimis Dauid, vt patet infra. 23. & 1. Paral. 12. erat quoque expertus in bellis, nam ipse fecerat bellum magnum contra Idumęos, & occiderat 18. millia, vt patet 1. Paral. 18. *Qui direxit aciem aduersus filios Ammon.* Iste erat Abisai, & filij Ammon erant in introitu portæ ciuitatis. *Et ait Ioab.* Antequam incipe-rent bellum, tradidit doctrinam Ioab fratri suo Abisai, quomodo se deberent habere in bello. *Si prævaluerint aduersum me Syri.* Idest, si inceperint prævalere, nam cùm inciperent prævalere, debebat Abisai adiuuare Ioab, si autem totaliter prævaluisset Syrus, iam fugatus esset exercitus Ioab, vel cæsus a Syris, ideo nihil prodesset auxilium. Dixit autem Ioab si prævaluerit Syrus, nominans omnes, contra quos pugnabat Syros, quia maior pars eorum erat de Syris, tamen aliqui erant non Syri, sicut viri regis Maacha, qui erant de terra Arabię. *Eris mihi in adiutorium.* Idest, si videris, quòd Syrus incipit prevalere aduersum me, venias ad auxilium meum: istud intelligebatur, si Abisai facilius se haberet contra Ammonitas, quàm Ioab contra Syros. In Hebręo dicitur. *Eris mihi saluatio.* Idest, venias ad saluandum me, quod idem est: sed litera nostra conuenientius dixit, quia saluatio dicit totalem liberationem, & adiutorium dicitur opus, vel actus ad liberationem ordinatus. *Si autem filij Ammon prævaluerint aduersum te.* Idest, inceperint prevalere aduersum te, sicut supra expositum est. *Auxiliabor tibi.* Idest, ibo ad auxiliandum, vel mittam aliquos de acie mea ad adiuuandum te. In Hebręo habetur. *Ambulabo ad saluandum.* Idest, ibo ad liberandum te, quod idem est. *Esto vir fortis.* Hortatur Ioab ipsum Abisai, vt fortiter pugnet, scilicet, quòd quamquam nunc essent diuisi in duo bella, non minus quilibet eorum pugnet, quàm ambo pugnarent si simul essent. *Et pugnemus pro populo nostro.* Scilicet, istud bellum non est pro nobis solis, sed pro toto populo nostro, cùm illa iniuria toti populo inflicta sit. In Hebręo habetur. *Confortare, & confortemur.* Idest, confortare tu contra filios Ammon, & ambo confortemur, quilibet contra hostes sibi obiectos, & hoc pro populo nostro, sic dicitur. 1. Paralip. 10. vbi ponitur ista historia, scilicet, confortare, & agamus viriliter pro populo nostro. *Et ciuitate Dei nostri.* Idest, pro vrbe Ierusalem, in qua est sanctuarium, quia illa est vrbs Dei nostri specialiter inquantum ibi posuit nomen suum. In Hebręo habetur. *Pro ciuitatibus Dei nostri.* Idest, pro omnibus ciuitatibus terrę Israel, quia omnes illę vocabantur ciuitates Dei, eo q̃ Deus illas adduxerat de potestate Chananęorum, & transduxerat in potestatem Israelitarum, vnde dixit: Terra non vendetur in perpetuũ, quoniam mea est. Leuit. 25. & sic habetur 1. Paral. 19. scilicet, agamus viriliter pro populo nostro, & pro vrbibus Dei nostri. *Deus autem faciet quod bonum est in conspectu suo*, Idest, nos faciamus quantum in nobis est, opponendo nos fortissimè hostibus, deinde Deus agat quod bonum est in conspectu suo: idest, si iudicat bonum esse, quòd vincamus, vincamus: si autem iudicat bonum esse, q̃ ab hostibus superemur, cadamus gladio gloriosè. Sic enim ait Iudas Machabęus, quando dixerunt ei viri sui, q̃ reuerteretur, quia pauci erant, & hostes plurimi. sabsit istam rem facere, vt fugiamus ab eis, & si appropiauit tempus nostrum, moriamur in uirtute propter fratres nostros, & non inferamus crimen glorię nostrę. 1. Macha. 9. Dixit autem Ioab, dominus q̃ bonum est in conspectu suo faciat, quia victoria belli nõ est in potestate humana, sed in voluntate Dei: Sic ait Iudas Machabęus primo Machab. c. 3. scilicet. Quia non in multitudine exercitus est victoria belli, sed de cœlo est fortitudo. & iterum: Sicut est uoluntas in cęlo, ita fit. *Iniit itaque Ioab, & populus eius, qui erat cum eo, certamen contra Syros.* Scilicet, facta ista admonitione, incepit pugnare Ioab, & totus populus virorum fortium qui sub eo ordinatus erat contra Syros. i. contra Syrum Soba: & Syrum Rohob, & Istob, & Maacha, ut patet supra, nam istam partem elegerat Ioab. *Qui statim fugerunt à facie eius.* Idest, in primo certamine fugerunt omnes Syri.

Bellum contra Syros.

Cùm esset magna multitudo Syrorum, quare fugerunt immediatè à facie Ioab. Quæst. VII.

QVAERET aliquis, cùm esset tanta multitudo Syrorum, scilicet, vltra. 33. millia, cur fugerunt illico à facie Ioab, cùm ille non haberet tot viros. Aliquis posset respondere, quòd Syri erant milites conductitij, & iam acceperant mille talenta argenti, quæ pro mercede sua susceputi erant, ideo etiam si fortiter pugnarent nihil sibi magis lucri foret, vnde non curauerunt pugnare, sed in primo certamine fugerunt ab intentione, quamquam fugere non compellerentur. Sed obijcietur contra hoc, quòd non fugerent Syri sponte, quia ex fuga poterant eis multa mala superuenire, scilicet, q̃ multi caderent gladio, ideo saltem vt sibi cauerent, non fugerent. Item patet, quòd non fugerint ab intentione, quia post hoc præ verecundia fugæ instauraverunt bellum: nam dicitur infra: Videres igitur Syri, quòd corruissent coram Israel, congregati sunt pariter. si tamen fugissent ab intentione, non redijssent iterum ad bellum. Itẽ quia Syri fecerunt istud bellum secundum non conducti ab Ammonitis, sed sumptibus suis in vindictam prioris belli, vt colligitur infra in litera: ergo dolebant de priori fuga, & consequenter non fugerunt ab intentione. Dicendum ergo q̃ Syri, quamquam essent milites conducti, & nõ tantum interesset sua pugnare sicut Ammonitarũ, quorũ erat bellum, & ob hoc non erant tam dispositi ad subeundum quæcunq, mala sicut Ammonitæ: quia sicut Ammonitæ: quia mercenarius videt lupum venientem, & fugit, quia mercenarius est, & nihil pertinet ad eum de ouibus: vt patet Io. 10. tamen desiderabant superare Israelitas tam propter honorem, quia magnus honor illos superare erat, tum quia hostes eorum erant: nam Dauid oppresserat Syros: vt patet supra octauo, tum quia magnam vtilitatem acquirerent Syri victis Hebræis, scilicet, partem spoliorum eis prouenientem: fugerunt tamen, & omnia hæc perdiderũt. Causa autem vt esse, quia fortè non potuerunt tolerare animositatẽ, & impetum Ioab: nam ipse dixerat fratri suo: esto vir fortis,

Universidad de Deusto
Biblioteca

& pugnemus pro populo noſtro: ideo credendum eſt quòd ipſe nimis confortatus fuerit, & magno impetu ferretur in Syros: Syri autem in primo certamine videntes tantam Ioab animoſitatem, tolerare non potuerunt; potiſſimè quia omnes, qui erant cum Ioab, erant viri fortiſſimi, & electi de toto Iſrael, vt ſupra dictum eſt. Aliter dici poteſt, quòd cùm Dauid foueret hic iuſtum bellum, Deus voluit eum hic ſpecialiter adiuuare, ſicut promiſerat in omnibus bellis, ideo miſit pauorem in cordibus Syrorum, vt fugerent a facie Ioab: ſic enim Deus mittit pauorem in quem vult, & promiſit hoc Hebræis, dicens: Terrorem meum mittam in præcurſum tuum, Exod. 23. Interdum autem Deus tantum terrorem mittit ſuper aliquos, quòd nullo pugnante fugiunt, & corruunt turbati in terra, ſic patet Leuit. 26. ſcilicet, Et qui de vobis remanſerũt dabo pauorem in cordibus eorum in regione hoſtiũ: terrebit eos ſonitus folij volantis, & ita fugient quaſi gladiũ: cadent nullo perſequente, & corruent ſinguli ſuper fratres ſuos quaſi bella fugientes, nemo veſtrũ inimicis audebit reſiſtere, peribitis inter gentes, & hoſtilis vos terra conſumet. Poterat etiam eſſe quòd apparerent aliqui angeli contra exercitum Syrorum, & illi terrerent eos, ſicut fuit quando Dauid pugnauit contra Philiſthinos ſupra quinto: nam angelus domini ſtetit in cacumine pyrorum, & tunc fugerunt Philiſthini a facie Dauid, vel poterat fieri, quòd Deus immitteret ſonitum magnum tanquam exercitus vehementis aduenientis, ſicut fecit contra Syros, qui pugnabant aduerſus Samariam, & illi reliquerunt tentoria ſua infra 4. lib. cap. 7. ſimile etiam fuit contra Philiſthinos: præced. lib. cap. 7. *Filij autem Ammon videntes, quòd ingreſſent Syri, fugerunt & ipſi a facie Abiſai*, ſcilicet, Ammonitæ pugnabant contra Abiſai, & Syri contra Ioab, & quia bellum erat Ammonitarum, non intendebant fugere, ſed fortiter pugnare, quia tamen Syri erant ſibi tota ſpes belli propter multitudinem, & illi fugerunt a facie Ioab, ipſi quoque fugerunt a facie Abiſai. Et hoc propter duo. Primò quia cùm fugiſſent Syri, & hoc vidiſſet Abiſai, confortaretur magis, & pugnaret durius contra Ammonitas, quod ipſi nõ poſſent tolerare. Secundò quia cùm fugiſſent Syri, Ioab conuerteretur ad pugnandum contra Ammonitas in adiutorium Abiſai: vtroque tamen ſimul pugnante contra Ammonitas neceſſe erat illos cito ſuccumbere, ideo voluerunt præoccupare, vt fugerent. *Et ingreſſi ſunt ciuitatem*, ſcilicet, quia acies Ammonitarum conſtituta erat in introitu portę ciuitatis, ideo potuerunt ingredi quando voluerunt, vt patet ſupra. *Reuerſuſque eſt Ioab a filijs Ammon, & venit in Ieruſalem*, ſcilicet, cùm fugiſſent Ammonitæ & Syri noluit magis pugnare, quia Ammonitæ iam incluſi erant in ciuitate, & oportebat ꝙ Ioab obſideret eos, ad quod erat longus labor, & fortè tempus non erat aptum, vt quia non reperiebat cibos, quia fortè iam omnia collecta fuerant de agris, ideo redijt in Ieruſalem, vt ſeq. anno poſſet iterum ire ad pugnam contra Ammonitas, & vaſtaret omnia, quę erant in agris, & ſic cogeret eos in deditionem, quod factum eſt: nam ſequenti anno redijt illuc Ioab, & vaſtauit terram Ammon, vt patet ſequenti cap.

Videntes igitur Syri. Hic ponitur ſecundum bellum contra Syros, quod ipſi fecerunt contra Dauid, nam videntes ſe ſuperatos a viris Ioab congregati ſunt iterum omnes, vt pugnarent contra Iſrael, & tũc Dauid pugnauit contra eos. *Quòd corruiſſent coram Iſrael*, ſcilicet, in bello quod fecit Ioab contra eos, ex hoc enim patet, quòd non ſponte fugerunt, ſed timore coacti, vel intolerantia duri belli Ioab, alioquin non tantum doluiſſent, vt nunc inſtaurarent bellum. *Congregati ſunt pariter*, ideſt, omnes Syri, qui prius venerant, & alij, qui manebant in terra, congregati ſunt, vt præualere poſſent contra Dauid. *Miſitque Adarezer, & eduxit Syros, qui erant trans fluuium*. Iſte Adarezer erat rex, cum quo pugnauit Dauid, & deleuit exercitum eius, ſupra octauo, ideo nunc erat hoſtis Dauid, & cùm ipſe eſſet potentiſſimus in tota Syria congregauit omnes reges Syriæ contra Dauid, & dicitur quòd miſit Adarezer, & eduxit Syros, qui erant trans fluuium, ideſt, trans Euphratem. Nominatur autem hic Euphrates fluuius, non expreſſo nomine proprio, quia cùm trãſeat apud terram Chanaan, vocatur per excellentiam fluuius, quia in terra illa nullus ei æqualis eſt. Sunt autem Syri duplices, quia quidam habitant ad partem Aquilonarem Euphratis, & iſti dicũtur habitare trans fluuium, & ſunt remotiores a terra Iſrael: alij autem habitant ad partem meridianam Euphratis, & iſti ſunt propinqui terræ Iſrael. In bello autem ſuperiori ſolùm venerunt Syri, qui erant ad meridiem Euphratis propter propinquitatem ad terram Ammon, & Iſrael: nunc autem, quia illi victi fuerant, congregauit cum illis Adarezer Syros habitantes vltra fluuium Euphratem. *Et adduxit exercitum eorum*, ideſt, duxit ſecum multitudinem eorum. Non eſt autem ſenſus quòd ipſemet Adarezer eduxerit eos ad bellum, quia ipſe non iuit illuc, ſed eius princeps militiæ Sobac, qui fuit dux totius exercitus. In Hebræo autem dicitur. *Adduxit eos in Elan*, ſcilicet, quòd eduxit Syros de terra trans fluuium, & duxit illos in quandam vrbem nomine Elan: ibi enim fuit bellum, vt patet infra: litera autem noſtra poſuit exercitum, quia iſta dictio Elan, ſignificat locum, & etiam eſt nomen commune ſignans exercitum. Patet hoc, quia infra dicit litera noſtra de Dauid, quòd tranſiuit Iordanem, & venit in Elama, & tamẽ idem nomen eſt apud Hebræos ibi & hic, vbi litera noſtra ponit exercitum, nec differt niſi quia hic dicitur Elam, & ibi Elama, ſed hoc apud Hebræos non facit differentiam, quia conſueuit apud Hebræos eſſe figura Paragoge, per quam in fine dictionum additur litera, vel ſyllaba, vt ſicut nos dicimus angi, vel angier, & amari vel amarier, ita Hebræi dicunt mizraim, vel mizraima, aliquando etiam litera noſtra ſequitur iſtã conditionem Hæbraici ſermonis, vt cùm dicitur Geſſur, vel Geſſuri: Ierameel, vel Ierameeli: ut patet præc. lib. cap. 27. ubi ponitur Geſſuri, & Ierameel: & eo. lib. cap. 30. ponitur Ierameli: & ſupra capit. 3. & infra 13. ponitur Geſſur, ſic etiam dicitur Phalti, & Phaltiel, & eſt idem nomen: ut patet præced. lib. cap. 25. & ſupra tertio. *Sobach autem magiſter militiæ Adarezer erat princeps eorum*, ideſt, non iuit nunc Adarezer in bellum, ſicut quando pugnauit iterum cõtra Dauid ſupra octauo, ſed miſit principem militię ſuę Sobach, & iſte erat dux omnium Syrorum, qui uenerant de trans flumẽ. *Quod cùm nunciatum eſſet Dauid*, ſcilicet, quòd congregati fuiſſent omnes Syri iterum ad pugnandum contra eum. Intelligendum autem quòd nunc Syri non pugnauerunt ad petitionem Ammonitarum, nec in fauorem eorum, ſed ad purgandam infamiam ſuam, & rependendam uindictam, quia uicti fuerant a Ioab. *Contraxit omnem Iſraelem*, ideſt, cõgregauit totum exercitum, quem potuit habere in terra Iſrael. *Et tranſiuit Iordanem*, Sciebat enim Dauid quòd Syri ueniebant ad pugnandum contra eum, & ut ipſi non ingrederentur in terram eius, præoccupauit ut iret ad illos, & tranſiuit Iordanem: nam terra Syrorum ultra Iordanem eſt. *Venitque in Elama*. Elama eſt hic nomen loci in terra Syrorum, ad quem uenit Dauid pugnaturus contra Syros, & ponitur hic Elama, ſicut ſupra ponitur Elam. *Et direxerunt aciem Syri ex aduerſo Dauid*, ſcilicet, Dauid ueniens in Elama, caſtrametatus eſt ibi; Syri verò manentes ibi direxerunt illico aciem contra eum, & pugnauerunt. *Fugeruntque Syri à facie Iſrael*. Scilicet: Non potuerunt tolerare bellum, quia Iſraelitæ durè pugnauerunt: vel quia Deus perterruit Syros; vel fecit aliquid de his, quæ dicta ſunt ſupra in bello Ioab contra Syros. *Et occidit Dauid de Syris ſeptingentos currus*. Ideſt, occidit homines venientes in ſeptingentis curribus: ipſos enim currus occidere nõ poterat. *Et quadringenta millia equitum*. Iſti equites erant præter currus: quia licèt exiſtentes in curribus equitarent: tamen equites non vocantur; ſed dicuntur equites qui ſolis inſidentes pugnant: ſed 1. Paralip. 19. ponitur alius numerus, ſcilicet, ſeptem millia curruum, & quadringẽta millia peditum.

aris poſitis in aliis libris, ſed erit ille numerus ſuperaddi tus ad ſummam aliorum librorum.

Quid fecerit Dauid de curribus, quos cæpit in bello. Quæſt. IX.

QVAERETVR vlterius, quid egit Dauid de curribus ſeptem millibus, quos cœpit in bello iſto: vt patet 1. Paralip. 19. Aliquis reſpondebit, quòd Dauid ſubneruauit equos curruũ, & combuſſit currus. ſic enim fecit Ioſue, vt patet Ioſue. 11. Iſtud videtur colligi ex litera, cùm dicatur, ꝙ occidit de Syris ſeptingentos currus: occidere autem currum nihil eſt niſi iugales equos ſubneruare, vel occidere, & ipſos currus cremare. Item patet hoc, ꝙ Dauid non acceperit ſibi nunc aliquem de iſtis curribus, quia cùm iterum pugnauit Dauid contra Adarezer, & cœpit mille currus: & tamen de his ſolùm reliquit ſibi centum, equos autem omnium aliorũ ſubneruauit, vt patet ſupra octauo: & 1. Paralip. 18. Item patet hoc, quia ſi Dauid accepiſſet omnes iſtos currus pro ſe, habuiſſet multos currus; Deus tamẽ prohibuit hoc regibus Deut. 17. Scilicet, cùmque fuerit conſtitutus rex, non multiplicabit ſibi equos: & per hoc etiam intelliguntur currus, & omnis modus exercitus. Et iſta fuit cauſa, vt dicit Ra. Dauid Kimhi, & quaſi omnes Hebræi, quòd de mille curribus Adarezer ſolùm accepit cẽtũ, ſupra octauo: ne multiplicaret exercitũ. In contrarium videtur, quòd Dauid non faceret iſta, quia non tenebatur ad ea; nam nulla lex iuſſit, quòd equi, & currus capti in bello ſubneruarentur, & cremarentur. Nec valet ſi obijcias de Ioſue, cui dictum eſt, quòd equos ſubneruaret, & cremaret currus: nam illud fuit præceptum perſonale, quod ſolùm obligauit Ioſue, & ſolùm in illo tempore, in quo factum eſt bellum illud: ſi autem poſtea feciſſet alia bella, in quibus cœpiſſet currus, non obligaretur ſubneruare equos, & cremare currus: cùm ergo nihil dicatur hic de iſtis curribus quid factum ſit, ſatis credẽdum eſt, quòd Dauid retinuerit ſibi illos. Inducit etiam ad hoc nos aliud, ſcilicet, quòd licèt à principio regni Dauid nõ eſſet vſus curruum in Iſrael, niſi interdum paucorum: tamen poſtea cùm eleuaretur regnum Dauid, cepit eſſe vſus curruũ, & omnis nobilitas, & pulchritudo exercitus: vnde filij regis Dauid faciebant ſibi currus, & equites, vt patet de Abſalom, infra 15. de quo dicitur, quòd fecit ſibi currus, & equites, & quinquaginta viros, qui præcederent eum: de aliis ergo filijs regis idem intelligendum, & tamen iſti non vterentur curribus, niſi Dauid haberet currus. Potiſſimè autem de Salomone apparet hoc, quia ipſe habebat multos currus: nam habuit quadraginta millia præſepia equorum curruliũ: & duodecim millia præſepia equorum equeſtrium, vt patet ſequen. lib. cap. 4. Dicitur etiam, quòd habuit mille quadrigentos currus: & duodecim millia equitum, ſeq. lib. c. 10. Si tamen Dauid non retinuiſſet ſibi currus, quos nunc cepit: ſed ſubneruaſſet equos, filij ſui non veniſſent ſubito ad tantam multitudinem curruum. Dicendum ergo videtur, quòd Dauid pugnans contra Syros occidit viros exiſtentes in ſeptem millibus curribus: non tamen accepit omnes illos currus, quia fortè aliqui illorum fugerunt: aliorum verò equi occiſi ſunt, de reſiduis autem credendum eſt, quòd Dauid illos ſibi acceperit, & hoc fuit ad vſum curruũ: ſiue ad vſum equitandi omiſſis curribus, & ex hoc filij Dauid potuerunt pro ſe habere currus. Ad rationes autem in contrariũ Reſpondendum. Ad primam de Ioſue iam reſponſum eſt. Ad ſecundam cùm arguitur, quòd occidit ſeptingentos currus, dicendum, ꝙ occidere currus nihil eſt, niſi occidere homines pugnantes

Arguitur primo.

Secundo.

Tertio.

Quarto.

Reſponſio.

Ad primam rationẽ pri opin.

Ad ſecũdã.

Universidad de Deusto
Biblio

gnantes in curribus, & sic manebant equi, & currus illæsi. Ad tertiam rationem, cùm dicebatur, quòd iterum contra Adarezer solùm cœpit centum de mille curribus. Dicendum, quòd à principio reges Israel erant pauperes, & non erant exercitati ad bella sicut gẽtiles: vnde Saul primus rex Israel non legitur habuisse currus. Dauid autem in principio regni sui super Israel non habebat currus, nec habuit toto tempore, quo regnauit in Iudæa: cùm tamen cœpit exaltari regnum eius, cœpit habere currus, & paulatim istos habuit: nam à principio solùm accepit centum currus de mille, quos in bello prendiderat: supra octauo, postea verò incipientibus Israelitis exercitari in vsu curruũ, cœpit habere plures: vnde nunc credendum est, quòd retinuit omnes quotquot in bello habere potuit: postea autem filij eius habuerunt multo plures equos, in tantum, quòd Salomõ habuit quadraginta millia equorum currilium: qui faciunt decem millia curruum, & duodecim millia equorum equestrium, vt patet 2. Paralip. 9. Ad quartam rationem, quòd Deus prohibuit regibus multiplicare currus. Respondendum, quòd ibi non fuerunt simpliciter prohibiti, sed solùm fuit prohibita multitudo equorum, & curruum regibus, ad hoc ne populum premerent graui seruitute: vt patet eod. cap. cùm dicitur: nõ multiplicabit sibi equos, nec reducet populum in Aegyptum equorum numero sublenatus, ideſt, non reducet populum ad talem seruitutem qualem habebat in Aegypto: si autem rex ad alium finem vellet habere multitudinem exercitus, & curruum, scilicet, ad pugnandum contra hostes populi Dei, non vetebatur illa lege, imò erat meritorium: & sic erat de Dauid, qui solùm ad hoc laborabat, vt subijceret sibi hostes populi Dei, & non vt exerceret tyrannidem in populo. *Et Sobach principem militiæ percussit*. Iste erat princeps militiæ Adarezer, & regebat totum exercitum Syrorum: nam Adarezer non erat tunc in bello. *Qui statim mortuus est*. Quia fuit grauiter percussus, & occubuit in ipso bello. *Videntes autem vniuersi reges, qui erant in præsidio Adarezer*. Scilicet: Viderunt, quòd non poterant resistere Dauid, ideo subiecerunt se ei in tributarios. Dicuntur autem esse reges in præsidio Adarezer, ideſt, in adiutorio eius: qa ipse fecerat eos ire ad bellum. In Hebræo habetur. *Videntes vniuersi reges, qui erant serui Adarezer*. Ideſt, omnes isti reges qui venerant ad bellum erant serui regis Adarezer, quia iste erat rex potentissimus in tota Syria, ideo dominabatur multis regibus, qui ei sub tributo seruiebant. *Victos se à filijs Israel*. Ideſt, viderunt se totaliter victos, ita qꝫ non habebant spẽ ad posse superare Israelitas: nam si semel solùm Israelitæ vicissent Syros, & ipsi crederent se posse resistere illis in alio bello, non subiecti fuissent eis: crediderunt tamen, qꝫ nunquam possent eis resistere. hoc patet, quia pugnauerũt primò contra Ioab, & victi sunt, supra in litera: tamen non destiterunt ob hoc à pugna, sed iterum instruxerunt bellum contra Dauid: nunc autem videntes se denuo victos: crediderunt, quòd nunquam possent resistere Israelitis: ideo nunc inceperunt subijci illis. *Fecerunt pacem cum Israel*. Scilicet: Postquam in bello superati sunt, & multi occisi fuerunt, miserunt isti reges nuncios ad Dauid, vt inirent fœdus cum illo, scilicet, qꝫ nunquam pugnarent contra eum, sed potius adiuuarent eum contra quamcunque gentem. Intelligendũ est autem hoc non de ipso rege Adarezer, qui duxit Syros contra Dauid: sed de ipsis regibus, qui iuerunt ad bellum in fauorem Adarezer: nam illi fecerunt pacem cum Dauid: vt patet in litera, quæ dicit, quòd reges, qui erant in præsidio Adarezer fecerunt pacem cum Israel, de ipso autem Adarezer nihil dicitur: Et dicendum est, quòd ille nunquam egit pacem cum Dauid: quia erat magnus hostis eius, & noluit subijci Dauid, sed potius posteri eius pugnauerunt semper contra posteros Dauid, & contra omnes Israelitas. Nam rex Benadab, qui multa mala egit in Israel. seq. lib. ca. 20. & vsque ad finem libri, & postea in 4. li. c. 6. & vsq; ad nonum, erat tertius de successoribus regis Adarezer, & ob hoc pugnauit semper contra Israelitas: quia ipsi humiliauerant genus suum. *Et seruierunt eis*. Scilicet: Isti reges Syrorum seruierunt Israelitis in tributo, & præstatione munerum: quia aliter Israelitę non cessissent pacem, cùm peterent eam Syri necessitate coacti. *Timuerunt que Syri auxilium præbere filijs Ammon*. Ideſt, ex illo die timuerunt reges Syrorum adiuuare Ammonitas in bello: nec adiuuerunt eos, vnde non legitur postea, qꝫ Syri adiuuerint Ammonitas, sed pugnauerunt Ammonitæ soli contra Dauid: vt patet infra duodecimo, hoc autem fuit propter duo. Primum iuramentum vel fœdus interpositum inter Syros, & Israelitas de seruanda pace: contra quod agentes inciderent iustè in magnam pœnam. Secundum fuit ipse verus timor, quia dato, quòd voluissent præuaricari fœdus, quod habebant cum Israelitis, nunquam possent resistere illis, sicut experti fuerant, & sic Israelitæ grauius eos punirent; voluerunt ergo potius abstinere à bello.

Ad Tertã.

Ad quartã.

CAP. XI.

TACTVM est autem vertente anno eo tempore, quo solent reges ad bella procedere, misit Dauid Ioab, & seruos suos cum eo, & vniuersum Israel, & vastauerunt filios Ammon: & obsederunt Rabba: Dauid autem remansit in Ierusalem.

DEMONSTRATVM est in superioribus qualiter Dauid vixit in regno ad dominum nimis reuerenter, & ab eo fuit exaltatus: hic autem subditur quomodo aliquando vixit insolenter, & fuit à domino castigatus. In quibus eius virtutes ostenduntur, scilicet pœnitentia de peccatis, & patientia in aduersis. Pro quo sciendum, quòd totum tempus præteritum regni Dauid fuit sine crimine, ideo fuit in magna prosperitate; post hoc autem quibusdam se criminibus immiscuit, propter quod decidit aliquando in calamitatem: & quia omnia tempora sequentia Dauid non fuerunt vniformia, sed aliquando virtuti vacabat, & aliquando se criminibus implicabat, ipse quoque status eius variatus refertur: nam aliquando in prosperitate erat, & subitò in magnam incidebat calamitatẽ: pro maiori tamen parte omnia, quæ sequũtur ad quandam Dauid pœnalitatem siue infortunium pertinẽt. Et diuiditur in tres partes. Primò ostenditur Dauid peccasse per luxuriam. Secundò per negligentiam, infra vigesimoprimo. Tertiò per superbiam, infra vigesimoquarto. Prima diuiditur in tres partes, primò ponitur culpæ perpetratio. Secundò humilis recognitio. sequen. cap. Tertiò punitionis patiens toleratio, infra decimotertio. Prima diuiditur in tres, primò ponitur Dauid adulteratio. Secundò facti celatio ibi. *Misit autem Dauid*. Tertiò innocenti occisio ibi. *Factum est autem*.

An ordo

An ordo sit continuus. Quæst. I.

QVAERITVR circa primum, an ea, quæ habentur hic fuerint facta post præcedentia: vel sit aliqua mutatio ordinis, & an fuerint facta immediatè post ea, quæ habentur præced. cap. Respondendum qꝫ non est mutatus ordo, sed ea, quæ habentur hic fuerunt post præcedentia: patet quia litera dicit hic, Factũ est autem vertente anno, ergo post præcedentia facta sunt ea, quæ habentur hic. Cùm autem dicitur an fuerint facta immediatè. Respõdendum quòd inter ista & ea, quæ habentur præced. cap. intercidit quasi vnus annus: quod patet, quia in litera dicitur, factum est anno vertente, ideſt, redeunte alio anno postquam facta sunt ea, quæ habentur præced. cap. fuit autem modus, quòd Ioab missus est a Dauid ad bellum, & pugnauit contra Ammon, fugeruntque Syri, & Ammonitæ: tunc reuersus est Ioab in Ierusalem, & hoc fortè, quia iam non erat tempus pugnandi, & postea sequenti anno redijt Ioab ad pugnandum, tempore quo bella fieri solent, & sic non fuit vnus annus integer inter illa & hæc, quæ habentur hic. *Factũ est autem vertente anno*, ideſt, ista, quæ habentur hic facta sunt vertente anno, ideſt, post circulum anni completum computando ab eo tempore, quo facta sunt illa bella, quæ habẽtur præced. cap. Annus autem dicitur conuerti quandocunque redit de puncto ad punctum, secundùm modum vulgarem dicitur annus verti quando redijt ad primam diem Ianuarij. Secundùm Hebræos autem non incipit annus in Ianuario, ideo non dicitur tunc redire tempus; computant autem Iudæi principium anni dupliciter. Vno modo secundùm consuetudinẽ Aegyptiorum, & quarundam aliarum gentium, incipiendo à mense Septembri: & secundùm hoc habetur Exod. 23. cùm dicitur: solennitatem quoque in exitu anni, quando cõgregabis omnes fruges tuas de agro: & sic exitus anni est, quando sunt omnes fruges congregatæ: sed hoc non est nisi in principio Septembris, vel quasi: ergo inter Iudæos principium anni, & exitus vocabatur illud. Idem patet Exod. 34. scilicet, solennitatem quando redeũte anni tempore cuncta conduntur, ideſt cuncta colliguntur, scilicet tam de areis, quam de vineis: hoc autem in Septembri est, ergo tunc redibat annus ad suum principium. Alio modo accipitur reditus anni pro Martio: nam Deus iussit quòd Iudæi inciperent mẽses suos in Martio, vt patet Exod. 12. s. mensis iste vobis principium mensiũ primus erit in mensibus anni: iste tamen erat mensis Martius, qui est mensis principij nouarum frugum in Aegypto, & in terra Chanaan: sic patet Deut. 16. scilicet. Obserua menses nouarum frugum, & verni primi temporis, & facias Phase Deo tuo, quoniam in isto mense eduxit te de Aegypto, sed principium verni tẽporis est in Martio, quando sol intrat principium Arietis, ergo mensis primus apud Iudæos est in Martio, ges ad bella procedere: sed manifestum est, quòd reges non procedunt ad bella in principio, vel fine Septembris, quia tunc propinqua est hyems, sed in principio Martij, quia tunc incipit ver, & habent dimidiũ annum ad pugnandum & amplius. Item reges procedunt ad bella eo tempore, quo inueniunt in agris aliquid ad pastum equorum & iumẽtorum necessariorum in bello: in Septẽbri tamen omnia collecta sunt in terra Chanaan, vt patet Exod. 34. scilicet, & solennitatem, quando redeunte anni tempore cuncta conduntur: ergo tunc omnia sunt collecta, & intelligitur de Septembri, vt dictum fuit. Idem patet Exod. 23. In principio autem Martij tũc omnia sunt in agris, & incipiunt matureſcere; vnde vocatur mensis ille mensis nouarum frugum Deut. 16. scilicet: Obserua mensem nouarum frugum verni, & primi temporis. Vnde in die 16. huius mensis in festo azymorum offerebantur manipuli de spicis nouarum frugum, & ante hoc non erat mittẽda falx in messem, nec quicquam tollendum ex messe ad panem, pultes, vel polentam, vt patet Leui. 23. Ergo in principio mẽsis Martij fuit istud quod hic dicitur. *Eo tempore quo solent reges ad bella procedere*, ideſt in mense Martio, quia tunc est conueniens tempus ad inchoanda bella propter prædicta; nomen quoque mensis secundùm Latinos istud signat: nam Martius a Marte dicitur: est autem Mars Deus belli secundùm Gentiles, & verè secundum Astrologos bella concitat. In Hebræo dicitur. *Horaexitus regum*, ideſt in hora, qua solent reges exire; & non dicitur an ad bellum egrederentur, vel ad quid; sed intelligitur de bello, cùm hic agatur de bello, scilicet, quòd Ioab egressus est ad pugnandum contra Moab eo tempore, quo solent egredi reges, scilicet, ad bellũ. *Misit Dauid Ioab*, scilicet, tanquam principem belli. *Et seruos suos cum eo*. scilicet, illos, qui morabantur continuè cum Dauid, & tempore pacis erãt in atrio eius. Omnes autem de Israel vocabantur largè serui Dauid, eo quod Dauid erat rex Israel; tamen vocabantur isti specialiter serui, quia ei in domo sua seruiebant, & computantur de familia eius. *Et vniuersum Israel*. Isti erant pugnatores de populo electi, qui non consueuerant esse in palatio regis, ideo non vocantur serui Dauid, sed vocantur Israel. *Et vastauerunt filios Ammon*, i. destruxerunt terram illorum, ista vastatio erat in terrę nascentibus, scilicet, quia illo tempore erant segetes quasi maturæ, & vineæ incipiebant habere fructum in terra illa, ideo in istis poterant vastare Israelitæ terram Ammon, ita vt non haberent aliquid quod manducarent pro sequ. anno & cogerentur in deditionẽ: hoc modo faciunt omnes hostes, scilicet, quòd primò terram vastant, deinde ciuitates obsident. *Et obsederunt Rabba*. Ista erat ciuitas maior terræ Ammonitarum, & vocatur ciuitas regia, quia in ea morabantur semper reges Ammon: vnde & nunc manebat ibi rex Ammon, & propter hoc obsẽderunt eam potius quã aliam vrbem regni Ammon.

Quo tpe solẽt reges ad bella procedere.

De quo redditu anni intelligatur hoc loco. Quæst. II.

QVAERET aliquis, cùm secundùm Iudæos esset duplex reditus anni, de quo illorum intelligitur hic. Respõdendum, quòd Iudæi communiter vocabant reditum anni ipsum Septembrem, vt patet Exo. 23. & 34. quia iste erat introitus anni secundùm vsum antiquum inter eos, hic tamen non accipitur reditus anni nisi pro principio anni in Martio. Quod patet, quia dicitur in litera: vertente anno quando solent re

An Israelitæ iustè nunc pugnarent contra Ammon. Quæst. III.

QVAERET aliquis, an Israelitæ iustè pugnarent nunc contra Ammon. Aliquis dicet qꝫ non, quia bellum iustum est quando sit pro iniuria suscepta iniuria, vel damno dato ad resarciẽdum hęc: Israelitę autem pugnabant contra Ammon pro sola iniuria suscepta, nam damnum nullum ab eis passi fuerant, iam tamen pugnauerant contra Ammõ per quod poterat vindicari iniuria suscepta, ergo non debebant rursus pugnare: nam sicut cũ quis pugnat contra alium, non existente damno, aut iniuria, bellũ

est

Universidad de Deusto
Biblioteca

est illicitum,ita existente iniuria uel damno,si quis velit per bellum plura repetere quam sit iniuria,vel damnum quod sustulit,fouet iniustum bellum. Respondendum quòd Israelitæ cœperunt bellum cõtra Ammon pro sola iniuria suscepta, postea tamen bellum continuatum est, non pro sola iniuria, sed etiam pro damno:nam cùm Ammonitę illuserunt nuncios Dauid,fuit ibi solùm iniuria,cùm autem Ioab iuit prima vice ad pugnandum contra Ammon, iuit pro sola iniuria, non tamen potuit obtinere aliquam satisfactionem, quia tam Ammonitæ quam Syri adiutores eorum fugerunt: præced. cap. & sic non potuit aliquid obtinere Ioab ab eis loco susceptæ iniuriæ, ideo manebat semper ius repetendi hanc iniuriam in alio, vel alijs bellis. Amplius autem habebant nunc Israelitæ causam pugnandi pro damno,quia in isto bello,quod fecerat Ioab contra Ammon, multa expenderat, ad quæ tenebantur Ammonitæ, cùm ipsi dedissent causam ad hoc; ideo poterant Israelitæ pugnare iterum iustè contra Ammon,quousque sibi satisfactum esset de iniuria,& de expensis, quas facerent in bellis ad repetendum istam iniuriam: sicut in litigiosis succumbens non solùm tenetur ad id, quod principaliter petitum est,sed etiam ad expensas: potuerunt ergo iustè repetere Israelitæ bellum, & sic fecerunt quousque cœperunt urbem Rabba, & occiderunt Ammonitas. Cùm autem dicebatur, quòd semel pugnauerãt pro ista iniuria, ideo non poterant iterum pugnare. Dicendum, quòd verum est si per istam pugnam habuissent sufficientem satisfactionem de suscepta iniuria,tamen nullam satisfactionem habuerunt, ut supra dictum est, poterant ergo instruere aliud bellum, & multa alia quousque haberent sufficientem satisfactionem:sic enim est regulare, quòd pro vno delicto non detur pœna nisi semel,quia Deus non iudicat bis in idipsum, idest, non condemnat bis pro eadem re, ut patet Naum.1.Si tamen pœna inflicta pro crimine non sufficit,potest superaddi alia,& alia: quousque sit sufficiens punitio. Iste modus erat apud Hebræos, quia quando aliquis criminaliter accusatus succumbebat,& puniendus erat citra capitalem sententiam, si non erat pœna determinata à lege specialiter pro illo crimine, solùm poterat condemnatus flagellari: non tamen poterãt dari plura,quàm quadraginta flagella,ut patet Deuter.25. scilicet: Si autem eum, qui peccauit dignum uiderit plagis, prosternent eum ante se, & coram se facient uerberari, & pro mensura peccati erit plagarum modus,ita dumtaxat ut quadraginta numerum non excedant. Siue ergo peccatum esset magnum siue paruum,non poterant infligi plura 40.flagellis, quia tamen interdum erant peccata ualde magna,& citra decapitationem, & lex dixerat: iuxta mensuram delicti erit plagarum modus, obseruabant istam limitationem, quòd infligebantur 39. flagella condemnato,& alia die alia 39.& sic per multos dies, quousque putarent sufficienter satisfactum esse,ita ut nunquam darentur simul quadraginta,alioquin qui semel suscipiebat quadraginta,nunquam poterat pro eodem delicto plura suscipere, sic enim fecerunt Iudæi Paulo. Nam cùm arguerent eum facere contra legem, ut possent sæpe illum flagellare, nunquam infligebant simul nisi 39.flagella,& quinquies hoc fecerunt in eo. sic patet 2.ad Co.11.scilicet: A Iudæis quinquies quadragenas minus una tuli.

Modus puniendi apud Hebræos.

Cap. XI.

An licebat Iudæis vastare terram Ammon destruendo terra nascentia. Et quare Deus iussit non succidi arbores fructiferas in bello.
Q. IIII.

QVAERETVR vlterius, an licebat Israelitis uastare terram Ammon, scilicet, destruendo terræ nascentia. Aliquis dicet quòd non,quia Deus uetuerat istã destructionẽ. Deut.20. cùm iubetur,quòd quãdo Iudei obsiderent ciuitates, non scinderent arbores, de quibus uesci poterat, sed solùm arbores syluestres,quę non faciunt fructum,similiter ergo non poterant destruere alia terræ nascentia,quæ pertinebant ad cibum. In cõtrarium uidetur, quòd possent destruere quicquid esset in terra, etiam ipsa ligna fructifera,ut patet 4.Regum 3. ubi rex Iuda & Israel pugnauerunt contra Moab, & succiderunt omnes arbores fructiferas. Respondendum,quòd Israelitæ poterant nunc uastare terram Ammon destruendo terræ nascentia,ut facilius caperent hostes: erat tamen aliquid speciale in arboribus: nam omnes segetes poterant destruere,& quæcumq; uirentia præter ligna pomifera,eo quòd lex solùm uetuit hoc in lignis pomiferis. Ratio autem differentiæ ad alia terræ nascentia est,quia terræ nascentia, quæ seminantur,ut segetes,quolibet anno nascuntur, & pereunt,quia ipsamet sunt fructus terræ:arbores autem pomiferæ secus se habent, quia si semel detruncantur,non redeũt ad priorem statum, aut post multos annos redeunt, ideo quòd destruantur segetes, & omnia olera, quæ annalia sunt,non est magnum damnum,quia sequẽti anno redeunt: si tamen succidantur ligna pomifera, est ualde magnum damnum, quia nunquam uel sero redeunt. Erat autem duplex causa,quare Deus posuit illam legem de lignis pomiferis. Prima erat in fauorẽ Israelitarum,quia licèt ista lex extenderetur tam ad ciuitates terræ Chanaan,quam ad alias,tamen principaliter erat data pro terra Chanaan; ut Israelitæ non destruerent terram,quam possessuri erant:quia si ipsi ad faciendum machinas bellicas præscidissent ligna pomifera,depopulassent omnia arbusta terræ Chanaan, & quando ipsi postea possiderent eam, esset inutilis. Secunda causa fuit, quia quando Israelitæ pugnabant contra aliquas gentes,Deus uolebat, quòd gentes paterentur & non terra: succisis tamen omnibus arbustis,terra fit minus utilis, & minus desiderabilis ad habitandum, ideo noluit quòd succiderentur arbores pomiferæ. De segetibus autem, & oleribus alia ratio erat,ideo permisit Deus,quòd illa destruerentur.Hoc patet de Samsone,qui pugnans contra Philisthinos ligauit.300.uulpes per caudas,& apposuit ignem, & sic succendit segetes Philisthinorum, ut patet Iudi.15. & tamen Deo mouente faciebat ista, quia sæpe spiritus Domini ueniebat in eum. Iudi.13.&14.& 16. ergo licitum erat cremare segetes hostium,dum tamen non succiderentur arbores pomiferæ. Ad rationem in contrarium dicendum quòd quamquam uetetur succisio arborum,de quibus uesci potest,non uetatur destructio segetum & olerum,quia non est simile; dissimilitudo autem supra declarata est. Ad rationem pro alia parte,cùm dicebatur ꝙ etiam liceret succidi ligna pomifera infra 4.lib.3.cap.Dicendum ꝙ ibi licuit,quia Deus illud specialiter iussit,nã Elisæus dixit illis regibus euntibus contra Moab,ꝙ succiderent omnia lignã pomifera,& destruerent omnem ciuitatem electam, & obturarent oẽs fontes aquarum, & operirent lapidibus omnes agros optimos.eo.cap. Dicendum ꝙ hoc fuit speciale propter peccata regis Moab, de quibus magis dicetur eo.c.& apparet satis esse speciale, quia hostes

hostes acerrimi non solent tantam seueritatem exercere quantam Deus ibi fieri iussit. Item permissum est hoc facilius causa exigente, quia non erat in terra Chanaan: nam dato,quòd aliquæ gentes Chananęorum nimis peccassent, & Deus iussisset pugnari contra illas: non permisisset succidi arbores pomiferas, quia hoc uertebatur in damnum ipsorum Israelitarum, cùm terra ad ipsos deuentura esset. Sed adhuc obijcietur, quòd in terra Chanaan licebat destrui arbores pomiferas: nam cùm Samson ligauit triginta uulpes per caudas, & apposuit eis flammas: non solùm combussit segetes, sed etiam oliueta, & uineas. Iud.15.Et tamen illud erat in terra Chanaan,quia Philisthini erant quędam pars Chananæorum.Iosue 13. Et Iudi.13. Respondendum, quòd Samson non egit contra illam legem,uel saltem nõ intendit agere contra eam: nam ipse solùm uoluit cremare segetes. ideo dicitur Iudi. 15. quòd fecit hoc tempore messis triticeæ: accidit autem, quòd uulpes ignem ferentes discurrerent per uineas,& oliueta; ignis quoque,qui uastauerat segetes, uicinas uineas, & oliueta inuasit; & sic Samson non habuit intentionem destruendi pomiferas arbores. Si autem dicas, quòd peccauit, quia incautè se habuit, vel egit contra legem,vide quæ dicta sunt Iudi. 15. *Dum hæc agerentur.* Idest, dum iuissent Ioab,& populus Israel ad bellum cõtra Ammon, scilicet, tunc accidit adulterium Dauid cum Bethsabee. In Hebræo habetur. *Hic fuit in vespere.* Idest, istud quod hic dicitur de Dauid, & Bethsabee fuit in uespere, idest, post meridiem: nam more scripturæ uespera uocatur totum tempus postquam sol incipit declinare a circulo meridiano uersus occasum,& illo tempore fuit. *Accidit vt surgeret Dauid de stratu suo.* Idest, istud adulterium Dauid & Bethsabee nõ fuit factum ab intentione,scilicet,quòd Dauid per aliquot dies cogitasset quomodo posset habere Bethsabee:sicut Amnon filius eius cum Thamar sorore sua,quia per multos dies hoc cogitauerat, ita vt attenuaretur. infra 13. cap. Sed accidit, quòd surgeret quadam die de lecto post meridiem, & uidens mulierem pulchram subitò exarsit, & eam uocari fecit. *Post meridiem.* Scilicet, non erat,quando surrexit diluculo,quia tunc non erat tempus,vt Bethsabee lauaret se super solarium suum. In Hebræo non habetur post meridiem, sed translator noster apposuit ad notificationem, scilicet, quia non factum est in aurora,vt apparet ex litera. *Et deambularet in solario domus regiæ.* Idest Dauid ambulabat in solario domus suæ,quæ erat domus regia, post meridiem. Vocantur autem solaria a sole: & dicuntur esse tecta domorum patentia soli,scilicet,quæ non habẽt operimentum: sunt autem ista in terra Chanaan, & in multis aliis regionibus, scilicet, quòd tecta domorum non habent tegulas, sed sunt lapidea, aut de calce, vel gipso, & sunt plana, ita vt homines supra manere queant ad solatia sua,Dauid autem ascendit post meridiem ad vnum solarium domus suæ. *Viditque mulierem se lauantem ex aduerso super solarium suum.* Ista mulier erat Bethsabee, Dauid tamen nesciebat, quæ esset, ideo misit ad sciendum quæ esset. Ista autem lauabat se, scilicet, non manus, vel faciem, sed totum corpus; vnde nuda erat, & ob hoc Dauid vidit,& concupiuit speciem illius: si autem lauasset solùm manus aut faciem, non motus fuisset Dauid: erat autem ista mulier super solarium domus suæ: quia in terra illa ferè omnes domus solaria habent. *Erat autem mulier pulchra valde.* Istud ponitur,quia ista fuit causa motiua Dauid, scilicet, pulchritudo mulieris; nam alioquin ipse multas habebat mulieres tam vxores,quàm concubinas, supra quinto.

An Bethsabee peccauerit se lauando, vt rex videret eam. Quæst. V.

QVAERET aliquis,an Bethsabee peccauerit lauando se, ita vt rex videret eam. Aliquis dicet, quòd sic, quia lauare totum corpus erat quædam illecebra, cui uacare peccatum uidebatur. Respondendum, quòd ista quæstio includit duo, scilicet, an peccauerit Bethsabee, quia lauit corpus suum, & an peccauerit, quia lauit se in tali loco, vbi videri poterat. Ad primum respondendum, quòd de lotione corporis Bethsabee dupliciter possimus arbitrari; vno modo, quòd lauerit se ad mundiciam legalem: erant enim secundùm legem immundæ mulieres eo tempore, quo patiebantur menstrua, vel fluxum sanguinis; & si pateretur menstrua regulariter, scilicet,in quolibet mense, sicut accidere solet omnibus mulieribus, separabatur septem diebus, & erat immunda: illis autem finitis lauabat uestes suas, & corpus, sicut ille, qui cum ea coibat, & erat munda: vt patet Leui.15. poterat autem esse,quòd Bethsabee passa fuisset nunc menstrua, & finitis illis lauaret se nunc: & tunc non peccaret se lauando; immo potius mereretur faciẽdo opus legis; si illud deuotè ageret: & si non se lauaret tempore debito, erat rea criminis secundùm legem. Istud autem tenent omnes Hebræi, & satis rationabile est,ideo non peccauit Bethsabee se lauando. Si autem dicatur,quòd non lauerit se Bethsabee propter purificationem legalem, sed voluerit aliàs se lauare ad quandam naturalem mundificationem,non peccabat, quia immundũ esse non est laudabile, sed quædam immundities contrahi solent in toto corpore, ergo melius est propter illas lauare totum corpus, quàm non lauare. Dicendum etiam, quòd non solùm licebat ei lauare corpus ad mundificationem, sed ad refrigerationem,& delectationem quandam, scilicet, quòd non solùm lauaret se aqua, quod erat ad mundationem,sed etiam vngeret se vnguentis, quod erat ad quandam corporis delectationem. Sic patet de Susanna, quæ lauabat corpus suum in meridie in æstu, & iussit sibi afferri quædam vnguenta,vt ungeretur cum eis, vt patet Danielis 13. Et tamen illa erat sancta fœmina, & Deus defendit eam miraculosè, vt patet eo. cap. ergo licebat Bethsabee se lauare ad quandam refrigerationem, & delectationem corporis.Hoc autem,quia terra illa est nimis calida, & ob hoc consueuerunt tam viri,quàm fœminæ frequenter lauari. Vnde communiter solebant lauare pedes ad refrigerationem, & hospitibus introeuntibus in domum primum obsequium,quod fiebat erat, quòd lauarentur pedes eorum: sic enim Christus petijt hoc tanquam debitum. Luc.7.dicens: Intraui in domum tuam,& aquam pedibus meis non dedisti: hæc autem lachrymis rigauit pedes meos: si tamen non esset generaliter assuetum, quòd pedes hospitum lauarentur, Christus non allegasset hoc, Item consueuerunt homines in terra illa propter magnum calorem vngere caput oleo,& hoc fuit ab antiquo, sic patet de Dauid sequen. cap.qui mortuo filio lauit se,& vnxit caput,erat etiam ista consuetudo tempore saluatoris in terra illa, & omnes viri etiam multum virtuosi vngebant capita: sic enim dixit Christus Matth.6. Cum ieiunaueris vnge caput tuum oleo:ipse quoque petijt hoc tanquam debitum, Luc.7.dicẽs ad pharisæum:oleo caput meum non vnxisti;hæc autem vnguento vnxit pedes meos. Hæc tamen omnia fiebant ad refrigerationem propter conditionem terræ: Et non solùm hæc, sed etiam caput, & pedes, & interdum totum corpus quibusdam vnguentis refri-

geratiuis

Universidad de Deusto
Biblioteca

geratiuis vngebatur, & hoc non reputabatur vitium tanquam pertinens ad illecebras carnis, alioquin viri virtuosi non fecissent istud: Christus tamen vtrunq; passus est: nam permisit quòd pedes sui vngerentur vnguento. Lucæ. 7. & laudauit mulierem agentẽ hoc eo. c. Iterum quoque permisit vnguentum fundi super caput suum Matth. 26. & defendit ibi mulierem hæc agentem, ergo nec illa peccabat istud agendo, nec Christus illud permittendo, ergo licebat cuicunque homini quantuncunque virtuoso in terra illa vti lotionibus & vnguentis. Bethsabee ergo, quæ mulier delicata erat, poterat hoc magis licitè facere, ergo non peccauit se lauando. Ad secundum quando quærebatur, an peccauerit, quia lauit se in tali loco, in quo videretur à rege. Dicendum, quòd aut illa lauit se ibi, vt videretur à rege, vel ab aliquo alio, aut non: si primo modo, peccauit mortaliter volens incitare aliquem ad libidinem. Sed hoc non videtur satis credendum de Bethsabee. Si autem dicatur, quòd nõ egit, vt videretur, dicendum quòd egit nimis incautè, quia nudauit corpus suum quasi in loco publico: nam solaria domorum erant vndique patentia cùm non haberẽt tectum, sed solùm habebant parietes aliquos in circuitu, quia sic iusserat Deus fieri quandocunque ædificaretur domus noua quòd fieret murus per circuitum tecti, ideſt, per circuitum solarij, ne cõtingeret aliquos inde cadere. Deute. 22. poterat ergo videri Bethsabee ex quocunque alio solario altiori, nam vsa fuit ex solario regis. Item fuit nimis incauta, quia cùm solarium suum esset apud domum regis, posuit se nudam super illud: nam in domo regis cùm multi sint semper, debuerat ipsa suspicari, quòd aliquis poterat ascendere in solarium & videre eam. Quòd autem esset domus sua prope domum regis, satis apparet. quia alioquin dato quòd vidisset Dauid eam à longè nudam, non potuisset iudicare, an pulchra erat, quia pulchritudo de propè cognoscitur propter varietatem lineamentorum, & coloris viuacitatem: quæ si à longè posueris imperfectè distinguuntur, & non possunt repræsentare rem nimis pulchram: erat igitur domus Bethsabee satis propinqua domui regis. Videtur ergo dicendum quòd Bethsabee peccauerit, quia nimis incautè se habuit, nudando se in tali loco, vbi poterat multos scandalizare. An tamen fuerit peccatum mortale, non facilè apparet, quia hoc deberet apparere per circunstantias, vt cognosceretur quantitas negligentiæ suæ, vel inaduertentia, sed ista patere non possunt. *Misit ergo rex, & requisiuit quæ esset mulier.* Non est sensus, quòd miserit in domum mulieris ad inquirendum hoc, sed misit, & vocauit aliquos seruos suos, qui possent referre ei de muliere illa.

Quare Dauid misit nuncios ad sciendum, qnę esset Bethsabee. Quæst. VI.

QVAERET aliquis, quare Dauid cùm concupiuisset illam mulierem, & apud se desiderasset eam, & diffiniuisset cognoscere illam, cur misit ad sciendum quæ erat. Respondent Hebræi, & Nicolaus, quòd misit ad sciendum vt videret si illa mulier esset soluta, & posset eam accipere in coniugem, vt sine peccato illam cognosceret. Hoc autem aliqualiter patet, quia mortuo viro suo Vria, accepit eam in vxorem. Sed hoc non multum videtur, quia tunc cognito quòd mulier illa esset nupta, non fecisset eam ad se duci, & tamen hoc nõ obstante ducta est, & cognouit eam, ergo videtur quòd non attendebat ad hoc, quòd esset soluta, vel non. Itẽ non valet confirmatio, scilicet, quòd post mortem Vriæ ceperit eam Dauid in vxorem, quia non cepit ad hoc, vt licitè ea vteretur, sed quia conceperat de ipso, vt patet in litera, ideo volebat natales filij defectuosos per honestatem matrimonij superuenientis honestare. Item accepit eam misertus illius, ne lapidaretur, quia cùm constaret eam adulteram esse, debebat lapidari, vt patet Leui. 20. constabat autem de adulterio, cùm ipsa concepisset, viro suo non existente in terra illa, sed in bello: ideo Dauid accepit eam illico post mortem Vriæ in vxorem, vt lex nihil haberet contra cùm. Dicendum ergo, quòd Dauid inquisiuit quæ mulier esset, non vt sciret an licitè poterat eam cognoscere, sed vt videret an erat sibi possibile, quia fortè mulieris illius maritus, vel pater, aut mater in domo essent, ita quòd nullo modo haberet opportunitatem ad cognoscendum eam: vt ergo sciret an expediret mitti pro illa, quęsiuit à seruis suis, quæ mulier esset. Cognito autem quòd illa esset vxor Vrię, & quòd ille esset in bello, sciens quòd habebat opportunitatem ad explendum desiderium suum, fecit illam vocari. *Nunciatumque est ei, quòd ipsa esset Bethsabee filia Eliam.* Aliquę Biblię habent Eliab, sed corrupta est litera, iste Eliam erat filius Achitophel consiliarij Dauid, ideo habuit nimis exosum Achitophel ipsum Dauid, & transiuit ad Absalom, incitauitque eum quomodo persequeretur patrem suum. *Vxor Vrię Hethęi.* Aliquę Biblię habent Cethęi, sed vera litera est Hethęi. Istud ponitur ad signandum opportunitatem, quam habebat Dauid ad cognoscendum illam fœminam. s. quia erat vxor Vriæ, & ille erat in bello.

An Vrias potuit esse Hethęus. Quęst. VII.

QVAERET aliquis, quomodo Vrias poterat esse Hethęus, nam Hethęi sunt vna de septem gentibus Chananęorum, vt apparet Deute. 7. Chananęi tamen non poterant habere vxores de filiabus Hebręorum, ut patet Exod. 34. & Deuter. 7. habebat tamen iste Bethsabee in vxorem, quæ erat Hebręa. Item Israelitę non poterant componere aliquod fœdus cum Chananęis ad hoc, quòd permitterent eos viuere, sed tenebantur occidere illos in ore gladij, ut patet Deut. 20. & Num. 33. erat tamen Vrias in Ierusalem. Respondendum quòd Vrias non erat Hethęus, ideſt, de genere Hethęorum, sed vocabatur Hethęus propter aliquid quod egit in terra Hethęorum, uel quia in illa moratus est. Sic enim est de multis alijs Israelitis: qui accipiebant nomen à gentibus Chananęorum ex aliquibus accidentibus. Primò ex aliqua cohabitatione, unde Israelitæ, qui morati sunt in urbe Geth, quę erat Philisthinorum, uocati sunt Gethęi: sic patet de Obededon, de quo dicitur supra sexto, quòd posita est arca domini in domo Obededom Gethęi, & tamen manifestum est, quòd ille non erat de genere Philisthinorum, sed erat Leuita, ut patet primo Paralip. 15. & 16. & fuit ille positus inter officiales arcæ in domo Dauid, ut patet ibidem: Chananæi tamen non suscipiebantur ad hæc, immo non permittebantur uiuere ab Israelitis, hoc etiam patet, quia omnes uiri, qui iuerunt cum Dauid in Geth, uocati sunt Gethæi, ut patet infra. 15. scilicet. Egressus est rex & uniuersi serui eius, & omnes Gethæi pugnatores ualidi sexcenti uiri, qui secuti fuerant eum de Geth: ita ergo qui habitassent inter Hethæos uocarentur Hethæi, sic fortè fuit de Vria. Secundo modo accipiebant Israelitæ nomen à Chananæis propter mores, erant enim Chananæi nimis peccatores coram domino super omnes homines, qui erant in terra, ut patet Sapien. 12. & Leuit. 18. ideo quando Israelitæ erant magni peccatores, accipiebant nomen ab aliqua gente Chananæorum. Sic patet Isa. primo. cùm dicitur

dicitur ad principes Iuda: Audite verbum domini principes Sodomorum; auribus percipite legem Dei vestri populus Gomorrhæ: Sodomitę tũ, & Gomorritæ erãt Chananæi. Sic ẽt dñr Ezech. 16. Hæc dicit dñs Ierusalẽ: radix tua, & generatio tua de terra Chananea, pater tuus Amorrhæus, & mater tua Cethæa. Hoc autem dicitur, quòd similis illis erant in moribus, sicut habetur Isa. 2. cùm dicitur de Iudæis: Repleti sunt vt olim, & augures habuerunt, vt Philisthiim, & pueris alienis adhæserunt. Philisthiim tamen erant Chananæi. Patet ergo, quòd Vrias non erat de genere Hethæorum, sed vocatus est Hethæus ex aliquo accidenti. *Missis itaque Dauid nuncijs tulit eam.* Ideſt, postquã sciuit, quòd vir suus non erat in terra, nec aliquis, qui posset hoc impedire, misit nuncios, vt ducerent eam ad se. *Quę cum ingressa esset ad illum dormiuit cum ea.* Scilicet: Quia ad hoc fecerat eam vocari solùm. *Statimque sanctificata est ab immunditia sua.* Ideſt, purificata fuit ab immunditia, quæ erat in coitu. Et potest esse sensus, quòd Dauid non cognouit Bethsabee nisi semel, & statim dimisit illam redire in domum suam, & postea nunquam cognouit eam viuente viro suo; ideo dicitur: statim sanctificata est, ideſt, post primum accessum carnalem. Est autem sanctificare, mundare, vel abluere. Sic patet Exo. 19. Scilicet, Sanctifica populum in diem tertium, & lauent vestimenta sua. Et sic pro illa lotione dicebatur, quòd erat sanctificatio. Pro quo sciendum, quòd quando vir cognosceret aliquã fœminam siue suam, siue alienam, lauare debebat totum corpus suum aqua, & immundus erat vsque ad vesperum. Idem etiam faciebat mulier. Leu. 15. Sed nunc Dauid cognouerat Bethsabee, ergo vterque lauare debebat corpus. Et quia Bethsabee fuit immediatẽ lota post coitum, & non tenuit eam ibi, vt pluries cognosceret, ideo dicitur, quòd sanctificata est ab immunditia sua, ideſt, ab immunditia, quam incurrerat per coitum: & hoc fuit statim, ideſt, post primum accessum. Aliter potest intelligi, quòd sanctificata est ab immunditia sua, ideſt, purificata est à menstruis, scilicet, quòd desierunt fluere menstrua. Est enim immunditia mulierum ipse menstruorum fluxus. Et ab hoc sanctificata est Bethsabee postquam cognita fuit à rege, scilicet, quia illico cessauerunt menstrua, & fuit quia concepit: eo enim tempore, quo mulieres concipiunt, menstrua cessant: nam in ipsamet hora, qua conceptio fit clauditur orificium matricis, & nõ potest egredi aliquis humor menstrualis. Causa huius est, quia natura voluit conuertere humorem menstrualem ad vegetationem quandam embrionis, & augmentationem ipsius fętus iam formati, ideo clausit orificium matricis, ne inde aliquid exeat, nihil quoque subintrare potest. Ideo dato, quòd mulier cognoscatur postquam concepit, semen non potest intrare matricem: & ista est causa, quare mulier non potest concipere ab vno viro postquã concepit ab alio quousque peperierit. posset tamen concipere de septem viris succesliuè antequam pareret de primo, si non clauderetur orificium matricis. Ponitur ergo hic, qꝺ sanctificata fuit ab immunditia, ideſt, cessauerunt mẽstrua: eo quòd concepit. Sed dicetur contra hoc, quòd mulier illa non patiebatur menstrua: nam lota fuerat antequam veniret ad regem: cùm rex vidisset eam se lauantem, vt patet supra. Respondendum, quòd lotio illa potuit esse quamquam mulier esset menstruata, scilicet, si non fuit ad purificationem legalem, sed solùm ad munditiam corporis, vel ad refrigerationem: & sic non cessauerant menstrua, sed cessauerunt quãdo cognita est à rege. Alio modo potest dici, quòd mulier illa non patiebatur tunc menstrua, quando cognita est à rege: sed post paucos dies pati debebat mẽstrua tempore suo, & non venerunt menstrua, & hoc fuit, quòd sanctificaretur ab immunditia: non ab illa, quam tunc habebat, sed ab illa, quæ euentura foret ni si concepisset. In Hebręo habetur. *Et ipsa erat sanctificata ab immunditia sua.* Quod Hebręi referunt ad lotionem supra habitam, & dicunt, quòd erat sanctificata ab immunditia, scilicet, quia antequam veniret ad regem lota erat à menstruis, quæ præcesserant. Ex hoc autem dicunt, quòd Dauid non peccauit cognoscendo mulierem illam, quia non erat immunda. Item dicunt, quòd non peccauit cognoscendo eam, eo quòd esset vxor Vriæ, quia non erat tunc vxor. Dicit namque Ra. Sa. & Ra. Dauid. Kimhi, quòd Israelitę quandocumque ibant ad bellum, relinquebant libellum repudij vxoribus suis si contingeret eos mori, & ideo iam erat soluta à lege viri, & poterat cognosci à Dauid, ita quòd non esset adulterium. Vnde dicunt Thalmudistę, quòd Dauid nullo peccauit modo in hoc: sed quicunque dixerit Dauid peccatorem, dicunt ipsum esse peccatorem, & non Dauid. Idem dicunt de Ruben, quòd quicunque dixerit ipsum esse peccatorem, ipse est peccator, & non Ruben.

An opinio Iudæorum possit stare, scilicet, quòd Dauid non peccauit cognoscendo Bethsabee, nec Ruben vxorem patris. Quæst. VIII.

QVAERET aliquis, an possint stare ista. Dicendum, qꝺ non, & primò patet de Ruben, quia ipse cognouit vxorem patris sui. Gen. 35. ergo peccauit. Item Iacob improperauit valde ipsi Ruben, quòd cognouisset vxorem suã. Gen. 49. cùm dicitur: Ascendisti cubile patris tui, & maculasti stratum eius. Item Iacob non imprecatus fuisset, vel prænunciasset pœnam super Ruben, nisi peccasset, & tamen imprecatus est mala super eum; vt patet Gen. 49. Scilicet, Rubẽ primogenitus meus, & principium doloris mei, effusus es sicut aqua; nõ crescas, quia ascendisti cubile patris tui. Item 1. Paralip. 5. cùm dicitur, qꝺ perdidit Ruben primogenita, quia cognouit vxorem patris sui. s. Rubẽ fuit primogenitus eius; sed cùm violasset thorum patris sui, data sunt primogenita eius filijs Ioseph, & non est ille reputatus in primogenitum. De Dauid autem etiam non est verum, quod dicitur, scilicet, quòd non peccauerit: nam seq. cap. dicitur, qꝺ Deus iratus fuit contra ipsum, ergo peccauit, quia alioquin non irasceretur Deus. Nec valet si aliquis dicat, qꝺ iratus est propter mortem Vriæ, & nõ propter cognitionẽ Bethsabee: quia ꝓpheta Nathan à principio solũ posuit parabolam de facto Bethsabee. Item ibi Dauid confessus est se peccasse, & Nathan propheta dixit, qꝺ dominus transtulerat ab illo peccatum, vt patet ibi in litera, ergo peccauit. Item seq. lib. c. 15. dicitur qꝺ Dauid seruauit mãdata domini omnibus diebus vitæ suæ; præterquam in facto isto de Bersabee, & Vria. Item Deus dixit, qꝺ sicut Dauid coierat in secreto cũ vxore Vrię, ita faceret, qꝺ alius coiret cum vxoribus suis publicè, vt patet ibi in litera: ergo peccauit cognoscendo Betsabee; alioquin Deus non intulisset ei illã pœnã pro hoc: non ergo põt negari Dauid nimis peccasse in hoc: nam magnę impudentię est negare id, quod scriptura publicè confitetur. Itẽ non est verum quod dicunt. s. qꝺ quilibet de viris Israel euntibus ad bellum relinqueret libellũ repudij vxori suæ: quia aut ille libellus relinquebatur simpliciter, ita qꝺ nõ esset iã vxor illa, quæ relinquebatur, aut dimittebatur libellus repudij, si moreretur vir. Si aũt dicas primũ, non põt stare; quia qñcunque rediret aliquis de bello, non posset venire ad uxorem quam reliquerat: nã postquã aliquis repudiabat uxorẽ, nunquã poterat

redire

Universidad de Deusto
Biblioteca

redire ad eam, ēt si acciperet eā alius, & moreretur, vt patet Deut. 24. Sed hoc falsum est, quia tunc venientibus viris de bello, oporteret, ꝙ omnes euntes illuc acciperent nouas vxores, quod falsum est. Item Dauid sępe iuit ad bellum, & tamen semper retinuit sibi vxores suas, ergo non dabat libellum repudij, & similiter nec darent alij viri. Item patet hoc specialiter in Vria; nam ipse iuerat ad bellum, & tamen postquam iuit, vocabatur Bethsabee vxor sua, vt patet hic in litera. Item postquam Dauid cognouit Bethsabee, misit pro Vria, vt ipse cognosceret eā, & putaret ꝙ filius genitus erat ipsius, si tamen non fuisset Bersabee vxor Vriæ; postquam iuit ad bellum, non curasset de hoc, ergo non dederat ei libellum repudij. Item Vrias dixit, qñ venit de bello, ꝙ nolebat ire in domum suam, & ad vxorem suam: ergo nondum dederat libellum ei. Itē alioquin non vocasset eam vxorem suam. Item postquam mortuus est Vrias planxit pro eo Bethsabee, ergo erat vxor illius, vt patet infra. Item si Bethsabee esset repudiata ab Vria, potuisset eam immediatè Dauid accipere in vxorem, & tamen non accepit quousq; finitum est tps luctus, vt patet infra in litera, ergo non erat ipsa soluta à lege viri sui, quousq; moreretur: fuisset tamen à principio soluta, quando iuit Vrias ad bellum, si dedisset ei libellum repudij, ergo non dedit. Item Deus dixit, ꝙ Dauid cognouerat in occulto vxorem Vriæ, & ipse faceret, ꝙ in publico alius dormiret cū vxoribus eius, ergo non erat datus libellus repudij ipsi Bethsabee, qa alioquin non vocaret eam Deus vxorem Vriæ. Non ergo potest stare, ꝙ daretur libellus ad hoc quòd mulieres acciperent alios viros immediatè euntibus viris suis ad bellum. Secundum autem non stat. ſ. ꝙ daretur libellus ad hoc ꝙ morientibus viris in bello, vxores eorum acciperent alios viros: ista enim insania est. Nam mortuo viro, vxor soluta est à lege viri, ideo liberè potest contrahere cum quo uoluerit. Non est ergo uerū aliquatenus, ꝙ euntes ad bellum dabant libellum vxoribus suis, & consequenter Dauid peccauit accipiens uxorem alienam, quia non erat repudiata. *Et reuersa est in domum suam concepto fœtu.* Ideſt, immediatè post primum accessum Dauid ad eam reuersa est in domum suā: noluit ergo rex, ꝙ maneret amplius in domo sua, ne ex hoc cognosceretur factum, & infamaretur. Itē quia fortè Dauid dolebat, ꝙ cognouisset eam, cū esset uxor alterius, ideo noluit ꝙ maneret in domo, ne ultra peccaret: redijt autem concepto fœtu. i. quando redijt in domum, iam conceperat, quia ex primo concubitu concepit. *Mittensque renunciauit Dauid, & ait concepi.* Ideſt, ipsa misit ad nunciandum Dauid, quòd conceperat.

Infania Iudaica.

Quare Bethsabee misit ad dicendum Dauid, quòd conceperat. Quæst. IX.

QVAERET aliquis, quare Bethsabee misit ad dicendum hoc ipsi Dauid. Respondendum ꝙ fecit propter duo. Primò propter se, quia secundùm legem mulieres adulteræ lapidādæ erant. Leuit. 20. de ipsa autem constabat, quòd erat adultera, quia concipiebat non existente uiro suo in terra illa, ergo lapidanda erat: & quia Dauid istud malum egerat, denunciabat ei, ut poneret remedium. Secundum erat propter prolem, quæ inde nasceretur, quia si non constaret de patre illius, esset proles illa tāquam uulgo concepta, quod pertinet ad maximam ignobilitatem prolis, ille tamen, qui nasciturus erat filius Dauid erat, ideo ipse dolere debebat quòd filius eius haberetur, ut uulgò conceptus. Debebat igitur ponere remedium in hoc, ideo sibi denunciauit,

Quomodo Bethsabee cognouit se prægnantem esse. Quæst. X.

QVAERETVR ulterius, quomodo Bethsabee cognouit, ꝙ erat prægnans ad nunciandū illud Dauid. Aliquis respondebit, quòd hoc cognouit per tumorem uentris, & carnis humiliationem, & suffossionem oculorum, & fastidia cibi, & potus, & grauitatem motus, & per alia accidentia, quæ eueniunt prægnantibus. Sed hoc nō stat, quoniam ista non aduenīunt in principio fœcunditatis, sed postquam cœperit aliqualiter turgere uterus, & istud euenit post aliquot dies. Si autem Bethsabee obseruasset usque ad tempus illud, iam Dauid dubitaret an concepisset de illo, quia poterat concipere tępore medio de alio, & non curaret remedium apponere. Dicendum ergo quòd Bethsabee poterat cognoscere se concepisse per aliquod signum, quod euenīret post unum, uel duos dies, utpotè per fluxum mēstruorū, scilicet, inceperant menstrua fluere ipsi Bethsabee, & sequenti die fluere debebant secundùm consuetudinem suam, & illico cessauerunt, poterat certissimè intelligere se esse prægnantem. Vel poterat esse quòd nondum haberet Bethsabee menstrua, sed deberent ei euenire post quatuor, uel quinque dies, ubi erat terminus menstruorum, & quia non euenerunt, cognouit se concepisse. Et istud est uerissimum signū, per quod ipsa cognouit. Nam in litera tangitur, cùm dicitur: statimque sanctificata est ab immunditia sua, ideſt, statim post coitum cessauerunt menstrua, quæ prius erant, uel statim cessauerunt aduenire menstrua, quæ nondum erant, sed aduentura erāt post per quatuor, uel quinque dies, & impedita sunt per conceptum. & sic transiuit modicum tempus, usquequo ista misit Bethsabee ad dicendum regi.

Bethsabee non nunciauit regi se prægnantem esse, antequam recederet de domo. Quæst. XI.

QVAERETVR ulterius, cùm Bethsabee cognouerit se immediatè concepisse, cur non nunciauit illud regi, antequam recederet de domo eius. Respondendum, ꝙ hoc fecit propter duo, primò quia non plenè cognouit se concepisse antequam recederet de domo regis: nā illico vt cognita est, misit illam rex in domū suā, cùm dicatur hic quòd reuersa fuit in domū suam. In hoc autem paruo tempore nō potuit cognoscere, an esset prægnans per menstrua, quia aut menstrua euenerant sibi illa die, & euentura erant per aliquot dies continuos, aut nondum euenerant, sed post modicum sperabantur in termino suo. Si dicatur secundum, manifestum est, quòd non poterat aliquid cognosci, quousque eueniret ille terminus, & non acciderent menstrua. Si autem dicatur primum, etiam non stat, quia dato quòd eodem die menstrua euenire debebant, eo quòd fortè præcedenti die euenerant, & expleto coitu non erat fluxus menstrualis, nō erat sufficiens signum ad cognoscendum se concepisse, quia poterant illa die menstrua tardius, quàm alijs diebus aduenire: ideo, quousque transiret dies, non poterat plenè certificari, immediatè enim vt cognita est, redijt in domum suam, ergo non poterat cognoscere, an concepisset antequam rediret de domo regis. Secundum erat, quia dato quòd Bethsabee cognosceret se concepisse aliquo modo, non expediebat, quòd diceret illud Dauid, quia non esset uerisimile, quòd ita cito cognoscere potuisset, ideo non crederet ei Dauid, sed putaret ꝙ ideo hoc fingebat, vt dato ꝙ postea ab alio

alio conciperet putaretur filius regis, & ipsa liberaretur ab adulterio. Tacuit ergo quousq; iret in domum suam, & inde post paucos dies misit ad dicēdum hoc Dauid. Sciendum autem quòd Historia scholastica refert Epiphanium dicere, quòd cùm Dauid misisset ad vocandum Bethsabee, vt eam cognosceret, Nathā Propheta agnouit hoc in spiritu, & festinabat ire ad Dauid, vt prohiberet antequam veniret mulier, & impediuit eum Belial: nam in via inuenit hominem occisum nudum iacentem, & moram fecit ibi: eadem nocte rex implenit peccatum, & luxit Nathan. *Misit autem Dauid* Hic ponitur secundum huius ca. scilicet, facti celatio: nam Dauid conatus est istud adulterium occultare. Et dicitur: *Misit Dauid ad Ioab.* Erat autē Ioab princeps belli, sub cuius manu erat Vrias, & sine illius licentia non auderet venire de bello, ideo scripsit Dauid ad Ioab. *Mitte ad me Vriam Hethęum.* Non scripsit Dauid ad quid deberet eum mittere, ne istud cognosceret Ioab. *Misitque Ioab Vriam ad Dauid.* Putauit enim Ioab quòd aliquod negotium esset in quo præsentia Vriæ esset necessaria regi. *Et venit Vrias ad Dauid.* Etiam Vrias nesciebat ad quid veniret, sed solùm volebat obedire præcepto Dauid, & Ioab.

Quare Dauid fecit Vriam ad se vocari. Quæst. XII.

QVAERETVR, ad quid fecit vocari Vriā. Respondendum, quòd si Bethsabee non concepisset, Dauid non vocasset Vriam, quia nihil periculi erat, cùm tamen cognouit concepisse Bethsabee, & illa lapidanda erat, si cognosceretur adulterium eius, uoluit celare mittens pro Vria, vt ille veniens in Ierusalē iret in domum suam, & cognosceret uxorem, postea autē putaret quòd fœtus inde genitus esset suus & liberaretur Bethsabee a morte, & ipse liberaretur ab infamia magna, nam si rediret Vrias de bello, & reperiret uxorem prægnantem, necesse erat, quòd Dauid permitteret eam lapidari secundùm legem, uel defendere eam tanquam a se cognitam. Primum autem erat sibi dolor intolerabilis, quia ipse solus erat causa, ut periret Bethsabee: secundum uerò erat sibi dedecus grauissimum: potissimè, quia dato quòd ipse permitteret perire Bethsabee, ipsa infamasset eum tanquam iniustum virum & ingratum, qui eam ad adulterium cōpulerat, nunc verò indigna eam morte occidebat: & sic non poterat Dauid euadere infamiam, ideo visum est sibi necessarium, ꝙ vocaret Vriam nihil aliud expediturus cum eo. Vt tamen non daretur locus suspicādi aliquid Vriæ, quæsiuit ab eo quædam generalia, scilicet, de statu belli. *Quęsiuitque Dauid quam rectè ageret Ioab.* Ideſt, an bene se haberet in regendo populum, & disponendo bella contra hostes, ita quòd nihil per imprudētiam, vel imperitiam suam inausum & indispositum relinqueretur. *Et populus.* Ideſt, an rectè ageret populus, scilicet, obediendo Ioab in omnibus tāquam duci, & an constanter pugnaret, vel formidaret hostes. *Et quomodo administraretur bellum.* Ideſt, quis esset euentus belli, scilicet, an hinc, vel inde prosperè ageret, & qui hactenus in bello superiores stetissent. Ista quæstio differtà præcedentibus, quia dato quòd dux belli, & milites sui bene se habeant, interdum accidit eos inferiores esse, sic dixit Dauid infra: varius est euentus belli, & nunc hunc, & nunc illum consumit gladius: ideo quæsiuit de omnibus tanquam de distinctis. In Hebræo habetur. *Quęsiuit pro pace Ioab, & pace plebis, & pace belli.* Sed ad idem redit quod litera nostra: illa tamē dixit congruētius: nam impossibilè est queri de pace belli, quia bellum non habet pacem, sed intelligitur de pace belli, ideſt, statu belli. *Et dixit Dauid ad Vriam: vade in domum tuam.* Ista erat conclusio Dauid, scilicet, vt iret in domum, & cognosceret vxorem, & prolem postea natam putaret esse suam. Ex hoc autem patet quòd pauci dies transierant à tempore concubitus, alioquin dato quòd uenisset Vria, & cognouisset vxorem, & nasceretur proles, sciret prolem natam non esse suam: nunc autem intercidentibus paucis diebus non attenderet ad hoc Vrias. *Et laua pedes tuos.* Veniebat enim de itinere, & volebat quòd refrigeraretur.

Quare Dauid dixit Vrię quòd lauaret sibi pedes. Quæst. XIII.

QVAERET aliquis, quare Dauid dixit Vriæ, ꝙ lauaret pedes suos. Respondendum, quòd hoc fecit propter duo. Primò propter consuetudinē terræ: terra. n. Chanaan, in qua erat Dauid, est nimis calida, quia est in tertio climate, ideo homines vtuntur frequenter lotionibus corporis, & vnctionibus, vnde venientibus de itinere primum obsequium, quod impendebatur, erat quòd lauarentur pedes eorum. Sic dixit Christus Luc. 7. scilicet. Intraui domum tuam, aquam pedibus meis non dediſti. Christus tamen non locutus fuisset de ea sic, nisi consuetū esset, quòd pedes omnium hospitum lauarentur. Et ista etiam fuit vna causa quare Christus in signum humilitatis lauerit pedes discipulorum: nam si nullo modo in terra illa esset assuetum, quòd lauarentur pedes, & non esset vtile, Christus non lauisset illos discipulis, quia ad hoc ꝙ aliquod opus sit humilitatis, nō solùm requiritur, ꝙ sit opus infimium, sed etiā quòd sit vtile illis, quibus sit: & sic consueuerant alij lauare pedes, sicut Christus nunc lauit discipulis. Secundò fecit hoc Dauid ad incitandum Vriam ad coeundum cum vxore, quia lotio pedum est quædam delectatio in tactu, & per experientiam vnius delectationis, mouetur homo ad experiendum aliam. Ob hoc etiam Dauid misit ad Vriā de cibo regio, quia ille erat delicatus, vt per hoc incitaretur ad desiderium libidinis. Volebat etiā Dauid ostendere se valde fauorabilem Vriæ, vt moueret eum ad gaudium, & ipsum gaudium incitaret eū in libidinem: nam tristitia cordis omnem libidinem excludit. *Egressus est Vrias de domo regis.* Non est intelligendum quòd totaliter recesserit de domo regis, sed solùm recessit de loco illo, in quo locutus fuerat cum rege: nam non descendit in domum suam, sed mansit ad portas palatij regis. *Secutusque est eum cibus regius.* Ideſt, misit Dauid de cibo suo post Vriam: putauit enim Vrias, quòd hoc faceret rex, quia veniebat de itinere, & volebat eum mulcere, ille autem agebat, vt delectatione ciborum incitaretur ad libidinem, & descenderet in domum suam. *Dormiuit autem Vrias ante portam domus regiæ cum alijs seruis domini sui.* Quamquam enim misisset rex de cibo suo ad Vriam, noluit descendere in domum ad comedendum de eo cum vxore sua, sed cum alijs socijs suis comedit in domo regis. In nocte quoque dormiuit ante portas domus regis cum alijs seruis Dauid, quia solitum erat per noctem manere custodes apud portam regis. *Et non descendit ad domum suam.* ſ. non iuit illuc ad comedendum, vel ad dormiendum. *Nunciatūq; est Dauid à dicentibus, non iuit Vrias ad domum suam.* Ideſt, sequenti die nunciatum est Dauid à quibuscunq; de Vria, ꝙ non iuisset ad domum. Dicitur autem ꝙ nunciatum est, eo ꝙ Dauid nō quærente dictū est ei istud. Nā cū Vrias nouiter venisset de bello, & serui Dauid vidissent ꝙ nimis honorasset eum mittēdo illi de cibo suo, fiebat cōis sermo de eo, & inter alia relatum est,

Universidad de Deusto
Biblioteca

ꝙ non iuisset in domum suam. Et dī ꝙ nunciatum est Dauid à dicentibus. i. à cōiter loquentibus. Iste modus loquendi est in scriptura, quando aliqua noua referūtur ab aliquo, qui non fuit destinatus ad hoc, ꝙ ille referret, sed accidit ꝙ ille diceret. Simile habetur præcedenti. c. 19. f. Nunciatum est Saul à dicentibus, ecce Dauid est in Aioth in Ramatha. i. à quibusdam, qui casu venerant de loco illo, & non erant nuncij ad hoc missi, nūciata sunt hæc. *Et ait Dauid ad Vriam, nunquid non de via venisti, quare non descendisti in domum tuam?* Q. d. satis admiror super te, nam si tu mansisses continuè in ciuitate, & hac nocte non descendisses in domum tuam, vt maneres ad portam palatij, non erat admirandum, sed venisti de itinere & longo tempore mansisti extra domum tuam, ideo mirandum est, quomodo non descenderis ad videndum vxorem tuam, & familiā. Hoc autem non dicebat Dauid tanquam increpans, ꝙ non descendisset, sed tanquam incitans vt eadem die descēderet. Vrias autem putabat ꝙ rex diceret ei istud, quia nimis diligebat eum. *Et ait Vrias ad Dauid.* Hic incipit Vrias allegare causas, quare non descenderit in domū, scilicet, quia Arca Dei, & totus Israel dormiebat in castris super faciem terre, ideo inhonestum videbatur, ꝙ ipse descenderet in domum suam, & vacaret delicijs. *Arca Dei.* Scilicet, manet in papilionibus. In Hebræo non habetur Dei, sed solùm arca, posuit tamen litera nostra istud ad exponendum, quia intelligitur de arca fœderis. *Israel, & Iuda habitant in papilionibus.* Idest, populus Israel, & Iuda, qui sunt in bello, nō dormiunt in lectis, nec habent domos, sed manent in papilionibus, idest, in tentorijs. Vocātur autem papiliones, quia sunt facta quædam tentoria ad modum quarundam auicularum, quæ vocantur papiliones. nominantur autē hic Israel, & Iuda ipsi bellatores, qui erant cum Ioab ꝑtra Ammon: & erant de oībus tribubus Israel ibi: Iuda tñ specialiter nominat, eo ꝙ erat tribus excellentior alijs. Vnde in multis locis scripturæ cōsueuit ipsa per se distinctè poni. Sic patet infra vlt. c. vbi numerati de tribu Iuda ponuntur in vna summa, & numerati de alijs tribubus ponuntur simul in alia: & non solùm fuit hoc tpe Dauid, qui nimis honorauit istam tribū, eo ꝙ erat de illa, sed etiam tpe Saulis, q erat de tribu Beniamin: nam in bello qđ factum est ꝺ Ammonitas per Saulē numerati fuerunt per se Israelitę, & per se viri Iudę pc. li. c. 11. Item in bello facto ꝺ Amalecitas viri Iuda p se numerati sunt. eo. li. c 15. *Et dominus meus Ioab.* Vocat eū dominum, quia erat princeps belli, & omnes erant sub manu eius in castris. *Et serui domini mei super faciem terrę manent.* i. omnes isti. s. Ioab, Iuda, & Israel, & serui domini mei manent super faciem terræ. i. nō hñt lectos, nec dom os, sed manent super terram. Vocantur aūt serui dñi mei. i. serui Dauid, s. illi, qui erāt specialiter familiares Dauid, & manebant in domo eius tpe pacis, populus aūt, qui manebat diffusus per loca sua, & non morabatur in domo Dauid, vocatur hic Iuda, & Israel. *Et ego ingrediar domum meam.* Q. d. nunquid licitum est, ꝙ istis omnibus manentibus super faciem terræ, ego ingrediar domū meam. s. ad quiescēdum in ea. q. d. non: volebat enim Vrias semper esse sicut in bello quousque finiretur, vt non videretur ipse differre à manentibus in bello, vt non videretur venisse de bello ad quietem, sed ad labores. *Vt comedam, & bibam, & dormiam cum vxore mea.* Quasi dicat, istæ sunt deliciæ, quas experiri possum in domo mea, sed absit vt tale quid ego experiar, domino meo Ioab, & oībus consocijs meis amara in bello patientibus. *Per salutem tuam, & per salutem animæ tuæ quòd non faciam rem hanc.* i. non solū non doleo, ꝙ non descenderim in domum meam, sed ēt iuro per salutem tuam, & salutem aīæ tuæ. i. per vitam tuam ꝙ nūquam hoc faciam, est. n. hic duplicatio sñiæ ex modo communi loquendi introducta: nam salus Dauid & salus animæ suæ idem sunt, cùm aīa vocetur ipse homo, vt patet Gen. 46. & Exod. 1. f. Septuaginta aīę ingressæ sunt in Aegyptum de fœmore Iacob. i. septuaginta viri. *Ait ergo Dauid ad Vriam, mane hic etiam hodie.* i. non recedas hodie ad bellum. *Et cras dimittam te.* i. deest, cras dabo tibi licentiam eundi illuc. Dicebat aūt ista Dauid, quia videbat Vriam nimis desiderantē redire ad bellum, & cùm nollet vacare delectationibus descendendo in domum suam, Dauid quoque nihil expediret cum eo, videretur ei durum manere in ciuitate, ideo vt facilius tolleraret, dixit ei Dauid, quòd sequenti die daret ei licentiam eundi ad bellum.

Quare Dauid fecit Vriam vna die morari.
Quæst. XIIII.

QVAERET aliquis, quare Dauid voluit detinere Vriam illa die, nam iam videbat eum obstinatum in proposito, cùm iurasset per salutē regis se non descensurum in domū suam: qui tamen infringebat iuramentum factum per salutē regis grauiter puniebatur, ideo etiā si multi insisterēt, iam non erat descensurus in domum. Respondēdum, quòd Dauid desiderabat nimis, quòd Vrias descēderet in domum propter suprādicta, ideo id quod non poterat vno modo conabatur facere alio modo. Exhortando autem non potuit Vriæ persuadere, ideo putauit ꝙ moueret eum inebriando illum: nam tunc non recordaretur iuri sui, & præ gaudio vini descenderet in domum suam, & moueretur, & incitaretur ad copulam, quia ven ter mero extūās cito despumat in libidinem, sed nec sic potuit versutia Dauid constantissimā probitatem Vriæ in contrarium distorquere. *Mansit Vrias in Ierusalem die illa, & altera.* Idest, die illa, qua dictū est sibi, cur nō descenderat in domum suam, & altera die seq. & sic Dauid tenuit Vriam vltra id, quod dixerat, nam dixit, mane hic ēt hodie, & cras dimittam te. Vel pōt intelligi, ꝙ isti solùm fuerunt duo dies. s. dies, quo venit Vrias, & dies, quo inuitauit eum rex, & tunc qñ dicitur, mansit Vrias in Ierusalem die illa, & altera, accipitur dies illa non pro ea, in qua rex locutus est ei, sed de illa, qua venit, & dies altera vocatur dies, qua locutus est ei rex. *Et vocauit eum Dauid, vt comederet coram se, & biberet.* Nunc fecit maiorem honorem rex Vriæ quàm precedenti die: nam fecit ꝙ comederet ante se, & præcedenti die solùm miserat ei cibos. *Et inebriauit eum.* s. fecit ꝙ nimis comederet, & biberet, & inebriatus est. Hoc autem præcipuè fuit, quia Dauid fecit aliquid apponi in vino, vt leuiter caperetur in eo.

Cur Dauid non misit cibos Vriæ vt antea. *Quæst. XV.*

QVAERET aliquis, quare Dauid nō misit cibos hodie Vriæ, sicut precedenti die. Rñdēdū, ꝙ intentio regis erat inebriare Vriā, vt descenderet in domum suā, & non recordaretur iuri facti. Si aūt misisset ei cibos, cùm esset Vrias vir temperatus, sumpsisset quantum sibi opus erat, & nō inebriatus fuisset: voluit ergo rex ꝙ comederet corā se, vt ipse iuberet ei dari vinum quotiens vellet quousq; inebriaderet eum inebriatum. Item quia ista ebrietas creditur procurata per aliquid appositum in vino, sicut cōiter fieri solet, & serui Dauid apponebant illud de mādato regis. Si aūt Vrias per se comedisset, nullus apposuisset ei hæc, vnde non inebriaretur. Sed adhuc dicetur, cur non mittebat ei Dauid cum cibo poculum illud confectum, quo inebriaretur, etiā si comederet seorsum? Respondendum ꝙ Dauid voluit causare ebrietatē in Vria, sed non on mimodam: nam qui plenè ebrius est

nullius

rullius rei recordatur, & sic Vrias non recordaretur se habere vxorem, vel domum. Sic patet. 2. Esdræ. c. 4. Cùm dicitur de viribus vini, scilicet, vinum seducit mentem regis, & orphani; facit mentem vanam serui, & liberi; pauperis, & diuitis; omnem mentem conuertit in iucunditatem, & securitatem, & non meminit omnem tristitiam, & debitū, & omnia præcordia facit honesta, & non meminerunt regē, nec magistratum, & non meminerunt, cùm biberint, amicitiā, nec fraternitatem. Qui ergo præ ebrietate obliuiscitur se habere fratrem, & amicum, ita obliuiscetur se habere vxorem, & domum. Et si interdum ebrij recordentur se habere domum, tamen nesciunt iter, quo illuc eatur. Sic ait Boetius de Consola. lib. 3. prosa. 2. Si igitur Vrias incidisset in talem ebrietatem, nesciuisset redire in domum suam, & non consequeretur Dauid, quod intendebat, quia ebrietas totalis nimis repugnat libidini. Nam vt ait Ouidius. 1. lib. de Arte amandi. Nimia ebrietas omnem libidinem excludit, eo quòd iacent corda sepulta mero: sed oportet vel nihil sumpsisse de vino, vel solùm illud quod sufficiat ad hilaritatem: & non ad plenam ebrietatem. Dauid igitur causauit in Vria talem ebrietatem, vt lætus esset, & obliuisceretur tristitiæ, & curarum; & non talem, per quam omnino impotens esset, quia tunc nihil ageret ad intentionem Dauid. *Qui egressus vespere dormiuit in stratu suo.* Idest, Vrias egressus est in vespere de palatio regis: nā ipse non comedit cum rege in meridie, sed in vespere, scilicet, ad noctem, quia nihil proficiebat ad intentionem Dauid inebriare Vriam in prandio meridiei, quia illa ebrietas solueretur ante noctem, & Vrias sobrius factus nollet descendere in domum suam. *Cum seruis domini sui.* Scilicet, Alij serui Dauid dormiebant ante portas palatij, & cum illis dormiuit Vrias in stratu suo. *Et in domum suam non descendit.* Idest, etiam in ista secunda die non descendit ad dormiendum in domum suam, sed mansit ad portam palatij regis. *Factum est ergo mane, & scripsit Dauid epistolam ad Ioab.* Istud est tertium huius cap. in quo ponitur innocentis occisio: nam videns Dauid, quòd fallere non posset Vriam, conuertit se ad iniquitatem, scilicet, vt eū morti traderet.

Quare Dauid non tenuit Vriam per plures dies in Ierusalem.
Quæst. XVI.

QVAERET aliquis, quare Dauid non tenuit Vriam per plures dies in Ierusalem: nam quamquam nunc non descendisset in his duobus diebus, si ibi maiori tempore fuisset: oportuisset, quòd aliquando descenderet in domum suam, & tunc haberet locum quod volebat Dauid. Respondēdum, quòd hoc fecit, quia desperabat iam Dauid Vriam posse flecti ab hac intentione: nam persuasionibus non assensit, sed potius iurauit per salutem regis, quòd nunquam hoc faceret: ebrietas quoque eum ab intentione non pertuertit, ideo putabat nullum supereſſe modum, quo moueretur, & sic misit eum. Alia causa fuit, & præcipua, quia voluit Dauid occultare rem istam, ita vt Vrias putaret filium, quem vxor eius conceperat suū esse, hoc tamen non accideret si magno tempore Vrias maneret in Ierusalem: quia tunc dilataretur ille partus ad tale tempus, in quo nullo modo parere posset de viro suo. Est enim triplex terminus pariendi, scilicet, ad nouem menses, & ad septem, & ad plusquam nouem, ita quòd istæ tres moræ differunt taliter, quòd non contingit anteriorari, vel posteriorari: ideo si maneret aliquanto tempore Vrias in Ierusalē, pertransirent istæ moræ, & sequeretur postea, quādo

Alph. Tost. in Secundum Regum.

fœmina pareret, & fœtus viueret, ꝙ non esset viri sui. Per hoc autem infamaretur ipse Dauid, & moreretur Bethsabee, ideo voluit prius occidere Vriā, quàm aliquid istorum contingeret, cùm iam necesse esset illa cōtingere. *Misitque per manum Vriæ.* Idest, ipsemet Vrias tulit ad Ioab epistolā, in qua continebatur mors eius, & quia fidelis erat, literam nō aperuit, vt videret, an pro se, vel contra se foret. Scribens in epistola. *Pone te Vriam ex aduerso belli vbi fortissimum prælium est.* Idest, scripsit Dauid in epistola ad Ioab ista verba, scilicet, ꝙ poneret eum in loco, vbi esset fortissimum bellum, idest, in loco periculoso, vbi non posset se defendere. *Et derelinquite eum, vt percussus intereat.* Idest, fugite vos, & maneat ipse solus in loco, vt moriatur. *Igitur cum Ioab obsideret vrbem.* Scilicet, Vrbem Rabba, quæ erat vrbs regia filiorum Ammon, vt patet supra in 1 litera. & seq. c. *Posuit Vriam in loco, vbi sciebat viros fortissimos esse.* Iam enim nouerat Ioab conditionem pugnę Ammonitarum, & sciebat in qua parte essent viri fortes, & in qua infirmi, ideo obiecit Vriam illi parti, vbi sciebat fortissimos Ammonitarum esse. *Egressique viri de ciuitate bellabant aduersum Ioab.* Idest, accidit, ꝙ cōtinuato bello per multos dies exierunt Ammonitæ de ciuitate sua, & pugnabant contra viros Ioab. *Et ceciderunt de populo seruorum Dauid.* Idest, multi perierunt de seruis Dauid in bello illo cum Vria, quia erant animosi, & accesserunt circa murum, & inde occisi sunt.

Mors Vriæ quomodo facta.

An Ioab peccauerit exequendo quod mandauit Dauid.
Quæst. XVII.

QVAERET aliquis, an Ioab peccauit exequēdo id, quod mandauit Dauid. Respondent Hebræi, dicentes, quòd non peccauit, & ad hoc dant regulam, quòd quandocunque præcipitur alicui malum facere à persona priuata, quod faciens peccat, & nō iubens: si autem rex alicui iubeat male facere, non peccat faciens sed ipse rex: sic autem fuit de Ioab, quia rex præcepit ei istud malum. Ista tamen regula pro vtraque parte est falsa. De prima patet, quia quandocunque alteri quis iubet malum facere, etiam si sit persona priuata peccat, & ratio est, quia ille, qui sic iubet, saltem habet intentionem malam, quia malum vult, & istud sufficit ad hoc, quòd peccet. Item quia iubendo malum solicitat alterum ad peccandum, sed qui huiusmodi est, peccat, ideo ēt secundum leges humanas iste iubens punietur. Secunda pars est etiam falsa, nam dato ꝙ rex aliquid iubeat, si manifestè est iniquum, nullus tenetur ei obedire: vt si iuberet colere idola, vel deserere legem Dei, certū est enim quòd non erat sibi obediendum, immo ipse deberet occidi si ad talia solicitaret populum. Deuter. 13. Et non solùm est hoc secundùm legem Dei, sed ēt secundùm traditionem sapientum, nam Ari. Ethicorū lib. 3. dicit ꝙ ad quædam autem fortassis non est cogi, sed magis mori patientem duriſſima, idest, quamquā domini & potentes in seculo velint cogere hominem ad quædam, quæ mala sunt, nullo modo debet cōsentire, sed potius mori per tormenta duriſſima. De Ioab ergo dicendum est, ꝙ si ipse cognoscebat causam, pro qua Dauid volebat occidere Vriam, & ꝙ ille esset innocens, nō debebat exequi mandatum Dauid, sed potius quæcunque mala pati. Satis tamen dici potest ꝙ Ioab nō cognouit hoc, nam ex Epistola ista, & ex priori non apparet ꝙ Ioab cognouerit aliquid istorū, quia Dauid nihil sibi scripsit, et est satis verisimile, cū Dauid vellet delictū suū occultari oībus. Putaret ergo Ioab ꝙ Vrias offenderat Dauid in aliquo pp quod iubebat eū Dauid occidi, & ga nō ꝟstabat ei de cā illa, poterat occidere illū. Sic. n. dicimus de sñia superiorū, ꝙ qñ ꝟstat

eã esse iustam debẽt inferiores eam exequi sine ambiguitate, cùm verò constat esse iniustam, nullatenus debent exequi, sed magis mori patientes durissima. Si autem est dubia, tunc propter reuerentiam superiorum debent inferiores exequi sententiam illorum: & quia Ioab dubitabat de mandato Dauid, an iustum esset, vel iniquum, potuit licitè illud complere: & sic quantum ad hoc non peccauit Ioab.

An Dauid peccauit occidendo Vriam, & in modo occidendi. Quæst. XVIII.

QVAERETVR vlterius, an Dauid peccauit in modo, quo iussit occidi Vriam: nam quòd simpliciter peccauerit, quia iussit illum occidi, non est dubium; sed an peccauerit, quia iussit quòd poneretur in loco vbi erant fortissimi hostes, & dimitteretur solus, vt moreretur, est dubium an peccaret. Respondendum quòd dato, quòd Vrias meruisset mortem, tamen Dauid iubendo ei infligi talem mortem peccabat. Primò quia mors vnius erat mors multorum, non enim cõtingeret vnum sic mori, quin plures simul morerentur: sic enim factum est, nam, moriente Vria, dicitur quòd mortui sunt multi de seruis Dauid. Secundò peccauit, quia dedit audaciã hostibus pugnandi contra Israel: nam quòd Israelitæ fugerent, erat ostendere se timere, & sic pugnarẽt iterum & iterum contra illos Ammonitæ confidenter, & sic durè læderent eos: quod non fieret si nunquam Israelitæ fugissent à facie Ammon: fuit ergo in hoc magnum peccatum Dauid, quia volens occidere eum plurimos occidit.

An Ioab peccasset si executus fuisset modum Dauid in occidendo Vriam. Quæst. XIX.

QVAERETVR vlterius, an Ioab peccauit exequendo mortem Vriæ eo modo, quo iussit Dauid. Respondendum videtur, q̃ Ioab nõ executus fuerit modum illum, quia Dauid iusserat q̃ relinqueretur Vrias solus, & moreretur. Ioab tñ non fecit sic, sed dicitur q̃ ipse accessit ad murũ persequens Ammonitas, & desuper iacta sunt tela, & mortuus est Vrias. Dicendum tamen est, q̃ si Ioab executus fuisset modum impositum à Dauid, peccasset, quia non solùm sic occidebat Vriam, sed ẽt alios, & faciebat Israelitas inferiores Ammonitis, & ideo nullo modo debebat assentire huic mandato, litera tñ non videtur velle, q̃ Ioab adhibuerit istum modum. Sed adhuc dicendum q̃ in illo modo, quem tenuit, peccauit, quia Ioab voluit q̃ moreretur Vrias accedendo ad murum ciuitatis, & tamen non debebat ipse solus accedere, ideo erat causa mortis aliorum quomodocunque exponeret Vriam morti. Adhuc tamen Iosephus tenet 7. Antiquitatum, quòd Ioab tenuerit modũ iussum à Dauid, dicens. Hebræis igitur ad ciuitatem accedentibus, Ammonitæ metuẽtes ne illo loco, vbi Vrias erat constitutus venientes inimici muros ascenderẽt, eligentes fortissimos viros, & repente portas aperientes, magno incursu & impetu inimicos aggressi sunt. Quod dum vidissent omnes, qui cum Vria erant, sicut prædixerat eis Ioab receessere post tergum: Vrias autẽ dum confunderetur fugere, aciemque deserere, sustinuit hostes, & eorũ impetum sua viuacitate suscipiens peremit quidem non paucos: circundatus autẽ & captus in medio interijt, cum quo quidam alij de socijs sunt extincti. Ioab tamen quando misit ad nunciandũ Dauid de morte Vriæ & aliorum, palliauit factum aliqualiter, & non expressit quomodo iusserat, quòd derelinquerent Vriam in bello: ne hoc nuncius cognosceret, nec etiam voluit istud manifestũ esse in castris, sed cũ paucis illud tractauit Ioab; alioquin fuisset scandalum grauissimum. *Misit itaq; Ioab, & nunciauit Dauid omnia verba prælij.* Ista misit Ioab ad nunciandum Dauid, vt cognosceret de morte Vriæ, & non misit ei per Epistolam, sed per nuncium: eo quòd nolebat Ioab aliquid tam secretum referre, quòd non liceret cuicique illud audire. *Et præcepit nuncio, dicens.* Hic erudiuit nuncium in narratione, vt sciret placare Dauid. *Cumque compleueris vniuersos sermones belli ad regem.* Idest, quando totaliter ei enarraueris statum belli, scilicet, quomodo Ammonitæ præualuerunt contra nos. *Si autem videris indignari.* Idest, si videris, quòd irascitur pro hoc quod fecimus. In Hebræo habetur. *Si creuerit furor eius.* Idest, si nimis irascitur propter ea, quæ fecimus, scilicet quia nos egerimus incautè accedendo ad murum, *& dixerit. Quare accessistis ad murum, vt prœliaremini?* Hoc enim præsupponit, quòd Israelitæ persecuti sunt Ammonitas vsq; ad murum ciuitatis, & inde missa sunt tela multa, quæ occiderunt multos de seruis Dauid. Accedere autem ad murum erat imperitia bellica; ideo Dauid verisimiliter redargueret Ioab de hoc. *An ignorabatis, quòd multa desuper tela mittantur ex muro?* Quasi dicat, incauti fuistis accedendo ad muros, quia præcognoscere debuissetis, quòd de muris mittantur tela multa, ideo ibi est periculosa pugna. In Hebræo habetur. *An ignorabatis, quòd mittuntur de muris.* Et non habetur quid mittatur, scilicet, telum, vel aliquid aliud. Litera autem nostra posuit tela, quia nihil est, quod de muris mitti possit ad propinquos, nisi tela & lapides. *Quis percussit Abimelech filium Ierobaal?* Hic confirmat increpationem per exemplum historiarũ, scilicet, quòd iam mortui fuerunt aliqui, quia incautè pugnauerũt apud muros, sic fuit Abimelech filius Ierobaal. Iste est filius Gedeonis, qui fuit iudex Israel per tres annos, & vnctus est in regem, vt patet Iudi. 9. & vocatur pater eius Ierobaal, idest, Gedeon: nam nomen suum proprium est Gedeon: fuit autem postea vocatus Ierobaal ab euentu, idest, ab opere quod egit, nam ipse destruxit aram Baal, vt patet Iud. 6. ideo dicitur ibi quòd vocatus est Ierobaal: nam interpretatur Ierobaal, idest, resistens Baal: nam pater Gedeonis dixit, quòd si erat aliquis hostis Baal, vendicaret se de illo Baal. In Hebræo habetur hic. *Ierubeseth.* Vbi nos dicimus Ierobaal, & idem signat, nam Ierobaal interpretatur resistens Baal, scilicet, idolo Baal. Ierubeseth interpretatur repugnans verecundiæ, vel confusioni, quia Boseth interpretatur confusio, & ipsa idola vocantur confusio, quia adducunt cultores suos in confusionem: simile autem est in alio nomine viri; nam Isboseth & Isbaal sunt idem nomen, quod patet, quia filius Saulis, qui vocatur Isboseth supra 2. & 3. vocatur Isbaal primo Paralipo. 8. & hoc, quia Isboseth interpretatur vir confusionis, Isbaal interpretatur vir Baal vel vir idoli, quod est idem quòd confusio: litera tamen nostra non posuit hic Ierubeseth, sed Ierobaal, eo quòd Ierubeseth non est vsitatum apud Latinos. *Nonne mulier misit super eum fragmentum molæ de muro?* Quasi dicat mulier proiecit super eum fragmentum molæ, & illa interfecit eum, quamquam esset mulier, ergo à fortiori viri bellatores poterant de muro vos percutere. *Et interfecit eum in Thebes.* Est n. Thebes quædam ciuitas in terra Israel, de qua erat Elias, qui vocatur Thesbites. De morte huius Abimelech, & principatu eius patet Iudic. 9. *Quare iuxta murum accessistis?* Ista est conclusio Dauid, scilicet, quare accessistis ad murum, q.d. notum erat quòd malè faciebatis. Sciendum autem quòd Ioab allegauit istud exẽplum

nuncio eunti ad Dauid: non quidem, quòd sciret Dauid relaturum istud exemplũ, sed ponebat illud propter formam, scilicet, q̃ siue Dauid illud, siue aliud referret exemplum: haberet nuncius quid responderet. *Dicens etiam seruus tuus Vrias Hetheus occubuit.* Idest, non solùm domine mi rex occubuerunt multi de seruis tuis, sed etiam inter illos occubuit Vrias Hethæus. Istud referebat nuncius ad placandũ Dauid, quia cùm ipse iussisset occidi Vriam Hetheum, lætarentur quando audiret eum mortuum, vel saltem non tristaretur tantum, sicut prius de morte aliorum.

Quare Ioab narrare voluit in fine belli mortem Vriæ. Quæst. XX.

QVAERET aliquis, quare Ioab fecit, q̃ narraretur in fine de morte Vriæ. Respondendum, quòd volebat Ioab enarrare Dauid totũ euentum belli, & quia ille tristaretur propter malum regimen, & imprudentiam bellicam, voluit, quòd subiungeretur ei de morte Vriæ per quam gauderet. Et est sensus: Etiam Vrias Hethæus seruus tuus mortuus est, idest, cognosce quomodo acciderit ista mala, vel ex qua causa, quia Vrias mortuus est: quasi dicat, non perierunt alij bellatores imperitia mea, scilicet, q̃ ego nescirem an bonum esset pugnare prope murum, sed perierunt, vt periret cum eis Vrias. Ad hoc autem, quòd ille periret oportebat poni exercitum in aliquo periculo, quia aliàs fieri non poterat, & sic perierunt multi. Ecce enim quantum fuit prudens, & artificiosus Ioab in enarrando: nam per id quod nihil videbatur attinere, dedit causam maximè excusatiuam huius mali. Nam ad excusandum mortem incautam multorum, & imperitiam belli, non erat conueniens sermo: Vrias etiam seruus tuus occubuit: sed magis prouocare debebat ad iram. Hic tamen fuit excusatiua nimis, & hoc propter ea, quæ præcesserant per epistolam inter Dauid & Ioab. Prudentia etiam Ioab in verbis apparet ex consilio, & verbis datis mulieri thecuitæ ad reuocationem Absalonis ad regem, vt patet infra 14. Sed dicetur; cur Ioab non posuit ista verba, scilicet, Vrias occubuit, in principio narrationis nuncij, vt minus tristaretur Dauid de sequentibus. Respondendum, quòd hoc factum est ad tollendam suspitionem. Poterat autem suspitio esse contra Dauid, & Ioab in duobus, si ista verba narrarentur à principio. Primum erat, quia exprimere mortem illius ante omnia videbatur signare, quòd nunciabatur illa Dauid tanquam aliquid sibi lętum, & per hoc suspitio esset, quòd Dauid fuerat auctor mortis eius. Secundum erat, quia cùm Dauid desiderasset nimis mortem Vriæ, si enunciaretur sibi a principio, fortè non posset Dauid se continere, & ostenderet aliquam lætitiam, quę esset suspitio dura contra eum, quòd iussisset eum occidi. Cùm autem istud ponerẽtur in extremo, cùm iam Dauid tristatus esset de morte aliorum, non posset ostendere lętitiam in hoc, ideo non esset suspitio, sed solùm poterat esse excusatio ad finem, ad quem posuit Ioab. *Abijt ergo nuncius, & uenit.* Scilicet in Hierusalem, vbi erat Dauid. Iste nuncius venit sine litera, vt magis tolleretur suspitio, cùm per nuncium omnia narrarentur; alioquin si misisset literas Ioab per nũcium ad Dauid: frustra fuisset nuncium instruere quid deberet dicere, quando irascerẽtur rex: quia per literam cognosceret omnia. *Et narrauit Dauid omnia, quę præceperat ei Ioab.* Scilicet, narrauit totum euentum belli, sicut supra Ioab dixerat. *Et dixit nuncius ad Dauid: prævaluerunt aduersum nos uiri.* Idest, Ammonitæ præualuerunt contra nos. Istud ponitur hic per anticipationem, quia prius fecerunt Amonitæ ea, quæ habentur infra quàm præualuerint contra Israelitas. Vel aliter potest dici, quòd præualuerunt, idest, confortati sunt, scilicet, quia ante hoc non audebant Ammonitæ exire de vrbe, nunc autem confortati sunt, & exierunt, & istud erat prœualere. *Egressi sunt ad nos in agro.* Idest, non pugnauerũt de vrbe, sicut consueuerant: sed egressi sunt in agrum tanquã confortati super nos: *Nos autem facto impetu persecuti eos simus usque ad portam ciuitatis.* Idest, quia vidimus, quòd egrediebantur in agrum, quod facere non consueuerant: magno impetu iuimus in eos, ne daretur eis occasio audendi facere maiora, & accessimus usque ad portas vrbis suæ. *Et direxerunt iacula sagittarij ad seruos tuos ex muro desuper.* Idest, tunc quando accessimus ad portam ciuitatis magno impetu: erant super murum parati sagittarij, & illi direxerunt multas sagittas contra nos. Ex quo apparet, q̃ factum fuit per industriam Ammonitarum, scilicet, quòd ipsi exierunt de vrbe, vt reducerent Hebræos apud vrbem, & percuterent eos de muro. In Hebręo habetur. *Iecerunt tacientes.* Et non ponuntur iacula, nec sagittarij. Litera autem nostra suppleuit illud. *Mortuique sunt de seruis regis.* Idest, perierunt aliqui de seruis tuis. Isti fuerũt illi viri, quibus non dictum fuerat, vt fugerent, & derelinquerent Vriam, ideo noluerunt fugere, & perierunt cum eo. *Quin & seruus tuus Vrias Hethæus mortuus est.* Idest, etiam perijt cum illis Vrias Ethæus vnus de seruis tuis.

Cur nuncius Ioab non seruauit ordinem narrationis, ut ei iussum fuerat. Quæst. XXI.

QVAERET aliquis, quomodo iste nuncius non tenuit ordinem, quem ei dederat Ioab, scilicet, quòd cùm videret irasci Dauid, diceret ei, Vrias seruus tuus mortuus est. Respondendum est, quòd nuncius iste tenuit ordinem in narrando, quem dedit ei Ioab; cùm tamen peruenisset ad finem narrationis, non videbat irasci Dauid, vt placaret eum per verba ista, ideo retulit hæc ordine continuato cum alijs. Aliter potest dici, quòd nuncius tenuit modum positum a Ioab, & Dauid indignatus est de morte incauta virorum: & nuncius dixit ei ad finem de morte Vriæ: litera tamen nõ tenuit hic istum ordinem in narrando, eo quòd iam semel eum tenuerat. Sic enim fit in alijs locis scripturæ, quòd quando aliquid pluries narratur, non semper eodem modo narratur. *Et dixit Dauid ad nuncium, hęc dices Ioab.* Hic ponitur confortatio Dauid ad Ioab: putauit enim Dauid, quòd Ioab debilitaretur corde propter aduersitatem, quę euenerat, ideo misit ad confortandum eum: dicens, quòd non infirmaretur propter istam aduersitatem, sed fortiter pugnaret. *Non te frangat res ista.* Idest, non frangat cor tuum ista aduersitas. Dicitur autem frangi cor, quando cessat animositas viri, scilicet, quia prius confidebat se posse vincere, & opponebat se fortissimis: postea autem aduenientibus aliquibus aduersis, incipit desperare, putans, quòd nunquam poterit obtinere, quod obstat, & ob hoc cessat se fortiter opponere: & quando ista eueniunt alicui, non est dispositus ad bellum, sed faciliter à quocunque superabitur. In Hebræo habetur. *Non displiceat in oculis tuis uerbum istud.* Et ad idem redit, scilicet, non mouearis ad magnam tristitiam propter verbum istud, idest, propter istam rem, quæ tibi accidit. Sed proprior est litera nostra, quia non est sensus, quòd non deberet istud malum displicere Ioab, sed quòd non terreretur propter illud, ita vt debiliter pugnaret. *Varius enim euentus est prœlij.* Idest, non terrearis propter istud quod tibi accidit, nec putes te semper vincendum, quia nunc victus es, quia non semper for-

tes superant, nec infirmi superantur, sed varius est euē- F
tus belli, ideo qui semel victus est, non desperet se posse esse victorem. *Et nunc hunc & nunc illum consumit gladius.* Idest aliquando moriuntur homines ex vna parte, & aliquando ex alia. In Hebræo habetur. *Istum sicut istum deuorat gladius.* Quod idem est, scilicet, aliquando deuorat istud, & aliquando deuorat alium. *Conforta bellatores tuos aduersus vrbem, vt destruas eam.* Idest, propter istam rem non cesses pugnare, sed conforta bellatores tuos, idest, totum populum, qui tecum est, vt ipsi etiam non deficiant animo, sed pugnent fortiter aduersus vrbem, vt destruas eam. *Et exhortare eos.* Idest, exhortare illos, vt confortentur, & non terreantur propter rem istam. In Hebræo habetur, *Et conforta eum.* Hebræi autem dicunt, quòd ista sunt verba Dauid ad nuncium & non ad Ioab. Et est sensus, quòd nuncius confortaret eum, idest, Ioab ex parte regis dicendo prædicta, & etiam ex parte sua: sed litera nostra melior est. Hebræa tamen ponit singulare pro plurali, sic patet Iosue. 2. vbi litera nostra dicit. *Tollensque mulier viros abscondit eos.* Et in Hebræo habetur. *Tollens mulier viros abscondit eum.* Ita debuisset hic dicere, conforta eos, & dixit, conforta eum. *Audiuit autem vxor Vrię, quòd mortuus esset Vrias vir suus.* Quia ille nuncius, qui venit ad regem nunciauerat de omnibus, qui mortui erant. Ex hoc autem apparet contra Hebræos, q̄ non dederat Vrias vxori suæ libellum repudij quando iuit ad bellum, alioquin non diceretur nunc ipsa vxor Vriæ. *Et planxit eum.* Scilicet, faciendo exequias honorabiles sicut fieri solebant alijs viris nobilibus. *Transactoque luctu misit Dauid, & introduxit eam in domum suam.* Idest, finito tempore luctus, Dauid misit pro Bethsabee, & duxit illam in domum suam, & facta est vxor eius: tempore enim præterito non poterat Dauid ducere Bethsabee ad domum suam, eo quòd erat vxor Vriæ, dum ipse viuebat: postquam autem mortuus est, & ipsa soluta fuit à lege viri, & potuit eam accipere Dauid in uxorem. Intelligendum autem de luctu super Vriam quòd non fuit luctus magni temporis, scilicet, unius anni, sicut leges humanæ determinauerūt, sed paucis diebus durabat, scilicet, septem diebus, uel parum ultra secundùm consuetudinem Hebraicam, ut patet Ecclesia. 22. s. Luctus mortui septem dies: fatui autem & impij omnes dies uitę suæ. Permisit aūt Dauid ad honestatem, q̄ Bethsabee finiret planctum super uirum: ne si immediatè transiret ad domum regis inexpleto planctu, videretur quòd eam prius fornicariè cognouisset, ideo q̄ non posset nunc se cōtinere quin immediatè duxisset eam in domum. Expectauit ergo per aliquot dies usque ad finitum planctum. Quod autem iste planctus non duraret per annum, sicut est per leges humanas, apparet, quia Bethsabee postquam uenit in domum Dauid peperit paruulum, & tamen ipsa conceperat ante mortem uiri sui, ut patet supra in litera, ergo non fuit unus annus in luctu. Dicendum etiam quòd fuit ualde paruo tempore, scilicet, non per duos menses, quia alioquin dum transirent isti duo menses, & tempora præcedentia, quibus mortuus est Vrias, appareret uterus tumens Bethsabee, & sic acciperetur tanquam adultera, & deduceretur in iudicium, & lapidaretur. Nam ad hoc quòd condemnaretur, non oportebat quòd expectaretur tēpus partus, sed cùm uideretur uterus notabiliter tumens poterat condemnari: sic fuit de Thamar nuru Iudæ. Gen. 38. Dicendum ergo quòd prius fuit Bethsabee ducta in uxorem à Dauid: quam appareret fęcunditas notabiliter, quia alioquin lapidata fuisset, ergo modicum tempus fuit, quo durauit luctus iste. *Factaque est ei vxor.* Idest, accepit eam in uxorem, nam prius non fuerat uxor sed adultera, dum uixit Vrias. G H I K

Cap. XI.

Cur Dauid accepit Bethsabee in vxorem. Quæst. XXII.

QVAERET aliquis, quare Dauid uoluit accipere Bethsabee in uxorem, nā ipse iam cognouerat eam. Etiam ipsa erat de genere paruo, ut efficeretur uxor regis. Item quia iam fuerat uxor alterius uiri, solent aūt homines mulieres cōcupiscere ardentius, si eas in uirginitate esse putauerint. Respondendum, quòd hoc fuit pp duo: primo propter pulchritudinem, nam erat mulier ista pulchra ualde: ut patet supra in litera; mouebatur autē Dauid nimis pp pulchritudinem eius, & ideo licèt cognouisset eam desiderabat eam: immo hoc est, quo magis exardescebat in eam, s. quia semel illam cognouerat, sic. n. fuit de Sichem filio regis Emor, qui uiolēter cognouit Dinam filiam Iacob, & tantum exarsit in amorem illius, ut postquam cognouit & tenuit secum per aliquot dies, magnis precibus orabat sibi illā dari uxorem, & propter eam se circuncisioni subiecit cum toto populo Sichimitarum. Gen. 34. ille autem non curauit an uirgo esset, uel an generosa, sed solùm quia ardebat in eam, petijt illam. Sic & Dauid passus est ad Bethsabee, & quia non poterat licitè suo seruire desiderio, nisi eam acciperet in uxorem, accepit illam. Secunda causa & principalis fuit, quia Dauid quasi uiolenter cognouerat Bethsabee, quæ nunc fœcunda effecta lapidanda erat secundùm legem, ideo, ut misereretur amantis, suscepit eam in uxorem, ut sic pœnam legis eua deret.

An Dauid peccauerit accipiendo Bethsabee in vxorem. Quæst. XXIII.

QVAERET vlterius, an peccauit Dauid accipiendo in uxorem Bethsabee. Respondendum quòd secundùm ius Ecclesiæ peccauisset, immo impediretur ducere illi in uxorem, quia nemo potest ducere in uxorem eam, quam polluit per adulterium, ut patet extra. de eo, qui duxit uxorem, quam poll. per adulterium, per totum. Dauid tamen nō obligabatur ad istā legem, quia nondum erat; ideo ex hac parte nec impediebatur contrahere, nec peccabat contrahēdo. Dicendum tn̄ q̄ Dauid peccauit accipiendo Bethsabee in uxorem, ut patet in litera, cùm dr̄. Introduxit eam in domum suam, & facta est ei uxor, & displicuit uerbū hoc, qđ fecerat Dauid coram dño: si tn̄ non peccasset, nō displicuisset Deo. Item patet seq. c. cùm dixit Deus ad Dauid. Quare cōtempsisti uerbū dn̄i, ut faceres malum in conspectu meo? Vriam Hethæum percussisti gladio, & uxorem illius accepisti uxorē: ergo malū erat coram dño q̄ Dauid acciperet Bethsabee in uxorem. Sciendum tn̄, q̄ istud peccatum non fuit tale, q̄ impediret matrimonium cōtrahendum fm legē Mosaicā, uel dirimeret iam ꝯctum, ideo postquam Dauid accepit Bethsabee in uxorem, non dimisit illam, licèt dicti fuisset à Deo, q̄ peccasset: dimisisset tn̄ illam, si fuisset istud tale impedimentum, propter quod matrimonium contractum dirimeretur. *Et peperit ei filium.* Iste filius fuit, quem concepit Bethsabee, quando Dauid cognouit eam uiuente Vria, & sic iste conceptus est de adulterio, & natus de illegitimo matrimonio, eo quòd tempore intermedio adulter & adulteria matrimonium contraxerunt. *Et displicuit verbum hoc quod fecit Dauid coram domino.* i. res ista, quam fecit Dauid displicuit coram domino, scilicet, quòd acceperit Bethsabee in uxorem. Vocatur autem verbum ipsa res, quæ fit secundùm modum loquendi scripturæ. Sic patet supra primo, scilicet, quod est verbum quod factum est in castris, idest,

idest quæ res accidit: & præc. li. c. 3. dicitur, Ego faciam A
verbum quod quicunque audierit illud, tinniant ambę aures eius, idest faciam rem. Aliqui referunt hoc ad adulterium cum Bethsabee, & mortem Vriæ: nam verbum istud fuit peccatum mortale, & displicuit coram domino, sed non referunt ad hoc, quòd acceperit Bethsabee in uxorem, & dicunt quòd hoc non fuit peccatum: sed falsum est, quia sequenti. cap. ponitur istud tanquam peccatum, scilicet, Vriam Hethæum percussisti gladio, & uxorem illius accepisti uxorem. Ideo dicendum, quòd ista litera intelligitur de acceptione Bethsabee in uxorem. Istud enim displicuit coram domino, quia malum erat, & non erat malū tanquam Dauid non posset illam sumere in uxorem, sed quia desiderabat eam nimis accipere, & istud fuit aliqua causa ad mortem Vriæ: ideo q̄ occideret virum, & acciperet uxorem, erat valde inhonestum, & displicuit coram Deo, quia Deus non vult iniquitatem, vt Psal. 5. s. Odisti omnes, qui operantur iniquitatem. Et iterum: Quoniam Deus nolens iniquitatem tu es. B

CAP. XII.

MISIT ergo dominus Nathan ad Dauid; qui cùm uenisset ad eum, dixit ei. Duo viri erant in ciuitate vna, vnus diues, & C
alter pauper: diues habebat oues, & boues plurimos valde: pauper autem nihil habebat omnino præter ouem vnam paruulam, quam emerat & nutrierat, & quæ creuerat apud eum cum filijs eius, simul de pane illius comedens, & de calice eius bibens.

IN præcedentibus descripta Dauid præuaricatione, hic agitur de peccati eius recognitione. Et diuiditur in duo, quia primò D
ponitur peccati reprehensio: secundò peccati humilis recognitio ibi. *Et dixit Dauid ad Nathan.*

An sit ordo continuus & immediatus. Quæst. I.

QVAERITVR circa primum, an ea, quę habentur hic habeant ordinem continuatum ad præcedentia, uel sit aliqua mutatio, & an fuerint facta immediatè, uel aliquanto tēpore post. Respondendum q̄ est ordo continuus, quia præced. c. dicitur, qūo Dauid peccauit, hic autem dr̄, qūo redargutus est. Fuit ēt istud immediatè post præcedētia. Pro quo considerandum q̄ sicut. s. fuit dictum, Nathan veniebat ad Dauid ad impediendum eum anteq̄ E
peccasset cum Bethsabee, & postea impeditus à demone nō iuit, ideo supersedit quousq; mortuus est Vrias, & Dauid accepit Bethsabee in uxorem, tunc uenit ad redarguendum Dauid, hic autem agitur de hac redargutione, ideo fuit istud paulo post præcedentia. *Misit ergo dominus Nathan ad Dauid.* s. locutus est ei in spū, & misit eum ad increpandum Dauid. *Qui cum venisset ad eum dixit.* Idest, proposuit ista, quę sequuntur. *Reponde mihi iudicium.* Idest, rn̄de mihi ad vnam qōnem iudicialem, q̄ propono tibi: nā istud qđ sequitur iudiciale est. s. qđ meretur taliter delinquēs. In Hebręo non hētur, rn̄de mihi iudicium: sed fortè fuit Glo. interlinearis appo-

Alph. Tost. in Secundum Regum.

sita textui ad expositionem, & postea eidem commixta est, uel fortè Hieron. addidit particulam istam, sicut in quibusdam alijs locis addidit, in quibus videbatur desicere ad sententiam. *Duo viri erant in vna ciuitate.* Ponitur enim casus, vt postea Dauid respondeat quid iuris sit.

Quare Deus redarguit Dauid per parabolam. Quæst. II.

QVAERET aliquis, cùm Deus uellet redarguere hic Dauid, quare proponi fecit parabolam, nam poterat manifestè redargui. Respondendum, quòd in sacra scriptura multæ parabolæ sunt, ita vt rarò Christus loqueretur sine parabola. Proponebatur autem interdum parabola, vt audientes non plenè intelligerent, ut patet Matth. 13. cùm dixerunt discipuli Christo, quare in parabolis loqueris, & ait illis: quia vobis datum est nosse mysterium regni cœlorum, illis autem non est datum. Et iterum, ideo in parabolis loquor eis, quia videntes non vident, & audientes non audient. Aliquando autem proponebatur parabola ad hoc quòd exposita illa sensus eius gratius, & attentius caperetur. Hic autem fuit proposita ad hoc quòd Dauid non intelligeret: volebat enim Deus increpare Dauid, & cōfundere ipsum nimis, & quia si clarè fuisset proposita redargutio, minus erubuisset Dauid, voluit q̄ proponeretur occultè: vt sic magis erubesceret. Erat autem modus, quia si fuisset reprehensio manifestè proposita, Dauid erubuisset, & tacuisset, vel fortè se in aliquo excusasset, nunc autem proposita parabola, Dauid non intellexit, & cōdemnauit virū illum, de quo ista proponebantur, iurans q̄ filius mortis esset: Nathan autem tunc respondit q̄ ille erat Dauid. Et nimis erubuit Dauid, quia ipse contra se sīam tulerat. Et dr̄: duo viri erant de vna ciuitate, quia Vrias, & Dauid comparantur hic tanquā duo viri, quorū vnus deliquit contra alium. *Unus diues & alter pauper.* Differebant autem sic isti duo viri, quia Dauid erat nimis diues, eo q̄ erat rex, & Vrias erat pauper in comparatione regis. *Diues habebat oues & boues plurimos valde.* Hoc ponitur propter quod, qui habebat vxores multas, quæ erant ad explendum actum venereum, sicut boues, & oues ad faciendum prandium, & ex hoc fuit magnum peccatum Dauid, scilicet, quia habebat multitudinem vxorum, & vnicam tollebat Vriæ quam habebat: si aūt Dauid nullam habuisset vxorem, minus fuisset culpabilis cognoscendo alterius vxorem, quàm habendo plures vxores, cū quarū qualibet poterat licitè explere libidinem. *Pauper autem nihil habebat omnino pręter ouem vnam paruulam.* Iste erat Vrias, qui habebat solùm vnam vxorem, quæ vocabatur vna ouis, & paruula. q. d. si habuisset multas, non fuisset tanta iniuria. Et hoc uerum est quātum ad ipsam personā, quia minus molestè fert ille, qui habet multas vxores, q̄ vna earum capiatur, uel ab altero cognoscatur, quàm qui habet vnicam, & illa capitur, vel ab altero cognoscitur. Sacro tn̄ nō fit minor iniuria, quia cùm plures vxores legitimè sumuntur, sicut erat in lege veteri, ad quālibet earum uerum matrimonium constat. *Quā emerat.* Idest istam ouiculā, precio emerat, ideo carior sibi erat. Intelligitur aūt hoc quantum ad ipsam dotationē, nā ex eo q̄ accepit illā in uxorem Vrias dotauit eā, qa ista cōsuetudo erat in ueteri testō, & licèt istud nō sit emere propriè, est tn̄ pecuniam exponere, sicut in vēditione, & emptione. *Et nutrierat.* Hoc intelligitur, quia Vrias magno tempore fuit uir Bethsabee, & illo tempore nutriebat eam Vrias expensis suis fouens, eo quòd uiri sustinere debent onera matrimonialia,

Parabola duplici ratione proponitur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Et quæ creuerat apud eum. Ideſt, in poteſtate illius creuit ſcilicet, quia Bethſabee aſſumpta fuit ab Vria in parua ætate, & tenuit eam vſque nunc. Omnia iſta ponuntur ad ſignificandum magnum amorem, quem habebat ille homo ad ouiculam ſuam, & quanto erat magis dilecta, tanto fiebat ei maior injuria. *Cum filijs eius ſimul.* Ideſt, iſta Bethſabee nutrita fuit cum filijs Vriæ, quod exponunt Hebræi, ſcilicet, quòd Vrias habuiſſet ante hoc aliam vxorem, ex qua ſuſcepiſſet filios ex ea, & Bethſabee nutriebat illos. *De pane illius comedens.* Hoc dicitur, quòd vir, & vxor in eadē menſa comedunt. *Et de calice eius bibens.* Scilicet, quia idem erat ſibi cibus, & potus, qui viro ſuo. *Et in ſinu illius dormiens.* Ideſt, iſta ouis, ſcilicet, Bethſabee dormiebat in ſinu Vriæ, ideſt, inter brachia eius, quia ſinus vocatur tota capacitas inter brachia viri, & ad vxorē pertinet, quæ dormit inter brachia viri, iuxta illud Cantic. c. 2. Leua eius ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me. *Eratque illi ſicut filia.* Scilicet, quia nimis diligebat eam: eſt enim magnus amor viri ad vxorem: potiſſimè ſi prolem habent: ſterilitas namque amorem illorum vel diminuit, vel diſſoluit, vt patet. 8. Ethic, *Cum autem peregrinus quidam veniſſet ad diuitem.* Iſte peregrinus vocatur diabolus, qui peregrinus eſt à communicatione hominum, eo quòd cum illis non participat; eos tamen ad mala mouet. Eſt autem ſenſus, quòd quando diabolus tentauit Dauid de libidine, noluit accipere vxorem aliquam de ſuis, ſed vxorem Vriæ, Vel vocatur peregrinus magis propriè ipſa paſſio venerea, quæ non ſemper apud hominem manet, ſed interdum moritur, & rurſus reuiuiſcit: interdum recedit, & rurſum redit peregrinando. *Parcens ille ſumere de ouibus, & de bubus ſuis.* Ideſt, noluit ille diues accipere ad conuiuium de bobus, & ouibus ſuis, ſcilicet, quia Dauid noluit accipere aliquam de vxoribus ſuis, vel cōcubinis ad explendum in ea libidinem, & accepit vxorem Vriæ. *Vt exhiberet conuiuium peregrino illi, qui venerat ad ſe.* Exhibere conuiuium peregrino eſt explere libidinem, quæ tanquam peregrina homini aduenit, & eum occupat. *Tulit ouem viri pauperis* Scilicet, tulit Bethſabee vxorē Vriæ, qui erat vir pauper. *Et præparauit cibos homini, qui venerat ad ſe.* Ideſt, expleuit in ea libidinem ſuam, quod eſt præparare cibos homini peregrino, ſcilicet, paſſioni venereæ inſurgenti: nam in nullo alio paſcitur, niſi vt expleatur. *Iratus autem indignatione Dauid aduerſus hominem illum nimis.* Ideſt, Dauid iratus fuit valde contra virum illum; qui fecerat hoc, quia iſtud erat magna inhumanitas; & putauit Dauid, quòd non dicebātur iſta cōtra eum ſed contra alium, ideo durè ſententiauit. *Dixit ad Nathan, viuit dominus.* Ideſt, iuro per uitam Dei. Hoc dixit Dauid ad ſignificādum magnam affectionem, quam habebat ad occidendum illum, qui talia egerat. *Quoniam filius mortis eſt vir, qui fecit hoc.* Ideſt, meretur mortem pro tanta iniquitate. Lex autem non imponebat Iudæis mortem pro furto, ſed ſolùm pœnam pecuniariam, vt patet Exo. 22. Dauid tamen conſiderata enormitate huius delicti iudicauit, quòd vir ille reus eſſet mortis. *Quem reddet in quadruplum.* Ideſt, reddet quatuor oues pro una: ſic enim iuſſum erat Exod. 22. quòd qui furaretur ouem, redderet quatuor oues pro vna. *Eo quòd fecerit verbum iſtud.* Ideſt, quia fecit rem hanc, ſcilicet, accipiēdo ouem peregrini, cùm ipſe haberet plures oues. *Et non pepercerit.* Ideſt, non pepercit oui pauperis: debebat enim parcere ei, qa vnica erat. *Dixit autem Nathan ad Dauid.* Hic ponitur parabolæ expoſitio, quia hucuſque Dauid nō intelligebat, de quo iſta dicebantur, & putabat alium eſſe. *Tues ille vir, qui feciſti rem hanc.* Ideſt, tu feciſti delictū iſtud magnum. Sciendum autem, quòd non ponitur hic tota quantitas delicti: nam ſolùm tangitur hic de peccato Dauid accipiendo Bethſabee, ſed non de peccato occidēdo Vriam, vt patet ex proſecutione parabolæ, & tamen illud ſolum maius erat, quàm adulterium cum Bethſabee. In Hebræo non habetur: qui feciſti rem hanc ſed ſolùm. *Tu es ille vir.* Sed litera noſtra dixit hoc ad exponendum. *Hæc dicit dominus Deus Iſrael.* Hic ponitur pena futura ſuper Dauid propter peccatum iſtud: & improperātur ei hic omnia bona, quæ Deus ei egit, ſcilicet, quia cùm illa egiſſet non debebat Dauid contemnere eum præuaricando, ſicut præuaricatus eſt. *Ego vnxi te in regem ſuper Iſrael.* Ideſt, feci te vngi: nam præcepto eius Samuel propheta vnxit eum in domo patris ſui, cùm adhuc eſſet paſtor. Etiam viri Iuda, domino inſtigante, eum ſuper ſe in regem vnxerunt. ſupra 2. c. Poſtea autem totus Iſrael vnxit eum in regem ſuper ſe: vt patet ſupra ſeptim. *Et ego erui te de manu Saulis.* Iſtud erat aliud beneficium præſtitum Dauid, pro quo nimis Deo gratias agere debebat. Nam Saul erat hoſtis eius ferox, & potens cùm eſſet rex, & ſæpe fuit Dauid in magno periculo cum ipſo, vt patet ex diſcurſu præcedentis libri a capitulo 18. vſque ad 27. *Et dedi tibi domum domini tui.* Ideſt, dedi tibi domū Saulis, qui erat dominus tuus, ſcilicet, quia principatus regius pertinebat ad domum Saulis, & ego tranſtuli illum ad te: etiam dedit dominus Dauid domum Saulis, ideſt, omnia, quæ pertinebant ad poſſeſſionē eius: nam nunc pertinebant ad Dauid, & ipſe tranſtulit ea ad Miphiboſeth filium Ionathæ. ſupra 9. capitulo. *Et vxores domini tui in ſinu tuo.* ideſt, dedi tibi vxores Saulis, quaſi dicat, cū haberes vxores eius, & multas alias quaſcunque velles, valde enorme fuit, quòd acceperes vxorem Vriæ.

Parabole expoſitio.

Responſio auct.

An Dauid acceperit vxores Saulis. Quæſt. III.

QVAERET aliquis, quomodo Dauid acceperit vxores Saulis. Videtur enim, quòd nullam acceperit: nam ſupra 3. cap. numerantur omnes vxores Dauid, quas accepit in ſeptem annis & dimidio, quibus fuit rex Iuda: & nominantur illæ, quæ fuerint: & tamen nulla illarum apparet, quòd fuerit vxor Saulis. Accepit quoque vxores dum eſſet rex Iſrael, ſed iſtæ non erant de vxoribus Saulis, ſupra quinto. Patet hoc: nam aut accepit Dauid vxores Saulis eo tempore, quo erat rex Iudæ, aut quando erat rex ſuper totum Iſrael. Non primo modo, quia tunc non eſt veriſimile, quòd aliquam potuerit accipere de illis: nam dum fuit Dauid rex ſuper Iudam, fuit Iſboſeth filius Saulis rex ſuper Iſrael, ſupra ſecundo, & illo regnante habuit Dauid omnes vxores, quas fertur habuiſſe in Hebron, ſupra tertio, tunc tamen non permiſiſſet Iſboſeth, q Dauid acciperet aliquam de vxoribus patris ſui, cū eſſet hoſtis ſuus: nam erat longa contentio inter domum Dauid, & Iſboſeth, ſup. 3. Confirmatur hoc, quia Dauid non potuit habere Michol vxorem ſuam ſororē Iſboſeth quouſque deprecatus eſt pro ea ad ipſum Iſboſeth. ſupra 3. Ergo multo minus poſſet habere vxores Saulis, quę nunquam fuerāt vxores ſuę, & in hoc erat dedecus Iſboſeth. Item non poterat habere vxores Saulis tempore, quo fuit rex ſuper Iſrael, quia licèt tunc nullus eſſet, qui prohiberet Dauid accipere illas, ſi aliquæ eſſent: tamen conſtat, q non accepit aliquam earum: quia dicitur ſup. 5. q quando fuit rex ſuper totum Iſrael accepit vxores, & concubinas de Hieruſalem: ergo nō erant vxores Saulis, quia illę eſſent de terra Beniamin, vbi erat Saul. Dicunt autem Hebræi. Ra. Sa. & Ra. Dauid Kimhi, quòd iſtę vxores Saulis, quas accepit Dauid fuerunt tres, ſcilicet, Michol filia Saulis, & Egla, & Reſpha. Sed hoc non videtur, nam de Michol non poteſt dici, q erat vxor Saulis, cùm eſſet filia eius: etiam non pertinet ad hoc, q hic dicitur: nam hic Deus in ſignum magnæ poteſtatis traditę Dauid, dixit ei, quòd dederat vxores domini ſui in ſinu ſuo: Dauid tamen habuit Michol in vxorem viuente Saule, & volente. præceden. lib. cap. 18. & tunc non erat Dauid magnæ poteſtatis, ideo non intelligitur de illa. Item quod dicunt de Reſpha non eſt veriſimile, quia illa non fuerat vxor, ſed concubina Saulis. præceden. lib. cap. 3. ideo non acciperet eam Dauid in vxorem. Item iſta cognita fuit ab Abner: propter quam inſurrexit contentio inter Iſboſeth & Abner. ſupra 3. ideo Dauid non acciperet eā, cùm à multis eſſet cognita. Item non eſt veriſimile, q acceperit eam, quia poſtea ipſa viuente occidit Dauid duos filios eius, vt patet infra vigeſimoprimo, & ipſa iacuit apud furcas toto vere, & æſtate cuſtodiendo ſuſpenſos: & tunc nunciatum eſt Dauid, quid illa egiſſet, & fecit Dauid deponi ſuſpenſos: ſi tamen illa fuiſſet vxor, vel concubina Dauid, non occidiſſet Dauid filios eius, & non permiſiſſet, quòd ipſa iaceret toto vere, & æſtate in campo ſuper lapides cuſtodiendo furcas, ergo non erat vxor, vel concubina ſua. Item infra vigeſimoprimo, vbi narrantur iſta, vocatur Reſpha concubina Saulis: ſi tamen fuiſſet accepta à Dauid in vxorem, vel concubinam, non vocaretur concubina Saulis, ergo non accepit eam. Item de Egla non eſt veriſimile, quòd eſſet vxor Saulis, quia iſtam accepit Dauid cùm eſſet rex ſuper Iudam in Hebron. ſupra 3. tunc tamen viuebat Iſboſeth, qui non permitteret vxores patris ſui tranſire ad hoſtem ſuum, & patris ſui, ergo non erat vxor Saulis. Dicendum ergo videtur, quòd non apparet, quomodo aliquia vxor Saulis potuit peruenire ad hoc, vt eſſet vxor Dauid. Si tamē velimus concedere de Egla, quòd fuerit vxor Saulis, ſicut à multis tenetur, non recuſo: & tunc dicetur, q accepit Dauid Eglam in vxorem regnante Iſboſeth ſuper Iſrael: nam ex ea habuit ſextum filium in Hebron, vt patet ſupra 3. accepit tamen eam ſub aliquo pacto facto cum Iſboſeth. Si autem velimus dicere, q Dauid nullam de vxoribus Saulis habuit, dicetur, q intelligitur iſta litera: non quòd Deus dederit Dauid vxores domini ſui, ideſt, Saulis in ſinu ſuo, ſed quòd dedit ei tantam poteſtatem, quòd potuiſſet accipere in vxores, vel concubinas, ipſas vxores Saulis, quæ relictæ erant, & hoc tenet Nicolaus, & eſt ſatis rationabile. *Dedique tibi domum Iſrael, & Iuda.* Ideſt, dedi in poteſtate tua Iſrael, & Iuda. Nam fuit factus Dauid rex ſuper Iudam, & Iſrael. *Et ſi parua ſunt iſta adijciam tibi multo maiora.* Ideſt, ſi adhuc parū videtur tibi hoc, quod tibi dedi, adiungam alia maiora. In Hebræo habetur. *Adijciam tibi ſicut ipſas, & ſicut ipſas.* Quod exponunt Hebræi de vxoribus Dauid, ſcilicet, ego dedi tibi ſex vxores, & ſi iſtæ paucæ videbantur, ego adijciam tibi ſicut ipſas, & ſicut ipſas, ideſt, tot bis: quæ ſunt 18. ex hoc autem dicunt Hebræi, quòd poterat aliquis de regibus habere licitè tot vxores, & non plures.

Quomodo verum ſit, quòd Deus dederit parua Dauid eum tamen videantur maxima. Quæſt. IIII.

QVAERET aliquis, quomodo ſit verum, q Deus dixit, & ſi iſta parua videntur, adijciam tibi multo maiora: nam ſi Dauid iudicaret parua eſſe illa, quæ Deus ei dederat: non deberet ei dare multo maiora, ſed deberet tollere ea, quæ habebat: nam Deus dederat Dauid verè magna munera quàm ipſe merebatur, cùm tulerit eum de paſcuis, & fecerit regem: dederitque ei nomen iuxta nomen magnorum, qui ſunt in terra, ſupra 7. ſi ergo Dauid iudicaſſet iſta eſſe parua, ipſe eſſet ſuperbus, & ingratus: ideo Deus nihil ei dare deberet: ſed potius auferret, quæ dederat. Reſpondendum, quòd iſta particula ponitur ad increpandum iniquitatem Dauid: nam cùm Deus dederit tanta bona Dauid, erat ingratus faciendo contra mandata eius: erat autem adhuc maior ingratitudo, quia non ſolùm Deus dederat ei illa bona, ſed etiam erat paratus dare alia maiora, ſi Dauid indigeret illis, & hoc ſignificatur, cùm dicitur: adijciam tibi multo maiora. Cùm autem dicitur, & ſi iſta parua ſunt, debet referri ad Dauid, ſcilicet, quòd ipſe iudicaret in aliquo caſu illa eſſe parua. Nam licèt Dauid non poterat ſimpliciter iudicare iſta eſſe parua, quia tunc eſſet ſuperbus, in aliquo tamen caſu poterat iudicare illa eſſe parua, vtpotè ſi eſſet in aliqua neceſſitate, & nō proficerēt ei bona collata, niſi Deus daret ei maiora, tunc poterat iudicare illa eſſe parua, vt ſi eſſet in bello, & timeret, q vinceretur, non proficerent ei bona ſua, niſi daretur ſibi victoria, ideo poterat tunc Dauid iudicare bona ſua eſſe parua, niſi ſuperadderetur victoria, & tunc Deus daret eam illi. Sic enim fuit de Samſone, cui Deus conceſſerat, q occideret mille hoſtes ſolus cum maxilla aſini, & moriebatur ſiti, & clamauit ad dominum, q illa victoria nihil proderat, niſi daret ei aquā, & dedit: vt patet Iud. 15. Scilicet, Clamauit ad dominum, & ait, tu dediſti in manu ſerui tui ſalutem hanc maximam atque victoriam, & heu ſiti morior, incidamque in manibus incircunciſorum. Et tunc aperuit Deus dentem molarem in maxilla illa, & egreſſæ ſunt aquæ. Idem autē dixit Rebecca Gen. 25. Cùm dediſſet ei miraculosè, q conciperet, cùm eſſet prius ſterilis, ſed collidebantur paruuli in vtero eius, & ait Rebecca: ſi ſic mihi futurum erat, quid neceſſe fuit concipere? quaſi dicat, nihil mihi proficit, q Deus ſupernaturaliter dederit mihi conceptum, niſi auferat colliſionem paruulorū in ventre, & tunc Deus abſtulit hoc. Ita ergo de Dauid, in caſu, in quo bona collata non ſufficerent, vel non proficerent niſi Deus daret ei maiora, poterat iudicare illa eſſe parua, & Deus maiora daret.

An verum ſit dictum Hebræorum, ſcilicet, quòd licèt regi habere ſolùm 18. vxores, & non plures. Quæſt. V.

In veteri teſtamento permittebātur tot vxores, quot poſſet viri operam dare proli.

QVAERET vlterius, circa id, quod dixerunt Hebræi, ſcilicet, an liceat regi habere ſolùm 18. vxores, & non plures. Reſpondendum eſt, q in veteri teſtamento non erat prohibita vxorum pluralitas, ſicut in nouo, vt declaratum eſt præceden. lib. cap. 1. & 25. Non erat etiam determinatus numeros, ſed cùm permitterentur plures vxores ad hoc, q poſſent viri dare operam proli procreandę, permitti debebant tot, ex quot poſſent plures ſufficiēter multiplicare. Si igitur aliquis vir ſufficienter haberet prolem ex tribus, vel quatuor, licitum erat ſibi illas ſuſcipere, q uero plures habere uellet, erat aliquaſiter illicitum: ſi igitur aliquis uir putaret ſibi conueniens eſſe ut multiplicaret prolem ualde, & crederet, q ipſe opportunè poſſet procreare prolem ex uiginti uxoribus, poterat accipere uiginti, cùm lex non determinauerit numerum, ideo recurrendum eſt ad rationem permiſſionis, & fuit iſta, quæ dicta eſt. Cùm autem dicunt, q hic ſignificatur de uxoribus 18. Dicendum, q fallum eſt: nam cùm dicitur, adijciam tibi ſicut ipſas, & ſicut ipſas, non refertur ad uxores, ſed ad ea, quæ dicta ſunt immediatè, ſcilicet, ſi hæc parua uidentur. ibi tamen agitur de dominio, & rebus Dauid, q ſi illæ paruæ uidentur, Deus adderet ſicut ipſas, & ſicut ipſas, ſcilicet, alias res tales, & maiores.

Item

Universidad de Deusto
Biblioteca

Item quia in hoc significatur aliquod magnum bene F
ficium,quod Deus vellet dare Dauid, dare tamen ei
multas vxores,non erat beneficium: quia ipse poterat
habere gratis quotquot vellet,ideo non est referendũ
ad vxores,sed ad aliquid aliud.Sed adhuc aliquis obij-
ciet, quòd nullus posset habere plures quam 18. quia
Deut. 17. Iussum est quòd reges non habeant multas
vxores,sed habere plures quam 18.est habere multas,
ergo est illicitum.Item Salomon habuit plures quam
18.& repræhenditur propter eas, seq.lib.cap. 11. ergo
non licet habere plures.Respondendum ad primum,
quòd ibi non vocantur plures vxores duæ,vel tres,vel
quotquot illæ sint, dum tamen sint opportunæ ad
procreandum prolem, & ad hoc solùm accipiantur,
ideo si aliquis habeat multas, & omnes illæ proficiant G
ad procreandam prolem, non dicitur habere vxores
multas,sic patet Deute. 17.cùm dicitur: Non habebit
rex vxores plurimas,quæ alliciant animum eius. So-
lùm ergo prohibentur illæ, quæ non proficiunt ad
procreationem prolis, sed ad irritationem libidinis,
vel ad incitandum in alia mala:contingit tamen q̃ in-
terdum sint alicui opportunę ad prolem plures quam
18,vxores,ideo licebit ei accipere illas.Item si dicatur,
quòd plures quam 18. sunt illicitæ,eo quòd sunt mul
tæ: ita dicetur,quòd 18. sunt multæ, cùm lex non de-
terminauerit potius de 18.quàm de pluribus. Ad se-
cundum cùm dicitur de Salomone: concedendum
quòd habuit plures quam 18. quia habuit quasi mil-
le,& redarguitur propter eas.Non tamen quia multæ H
erant, sed quia erant alienigenæ, de quibus Deus ve-
uerat matrimonia inter eas & Israelitas,quia copula-
tus est eis ardentissimo amore,scilicet, nõ ad prolem,
sed ad libidinem, quia per mulieres depranatũ est cor
eius,vt sequeretur Deos alienos. istæ tres rationes tan-
guntur de redargutione pluralitatis vxorum in Salo-
mone,sequen.lib.cap.11. *Quare ergo contempsisti verbum Domini?* Deus loquitur de seipso in tertia persona:
quod patet, quia dicitur: contempsisti verbum Do-
mini, vt faceres malum in conspectu meo. Istud ver-
bum Domini est lex eius: nam Dauid cõtempsit duo
præcepta, scilicet, præceptum de adulterio,& de ho-
micidio. *Vt faceres malum in conspectu meo*, ideſt,& feci-
sti malum me præsente & vidente: vel dicitur malum I
in conspectu meo, ideſt, id quod iudicatur malum in
conspectu meo. *Vriam Hethæum percussisti gladio*, ideſt,
iussisti eum occidi, nam mandauit Ioab, quòd pone-
ret eum in tali parte belli,vbi essent viri fortissimi, &
relinqueretur solus,vt moreretur: qui tamen iubet ali
quem occidi,dicitur eum occidere: quia ille agit, cu-
ius nomine aliquid fit: sicut ille possidet,cuius nomi-
ne possidetur. *Et vxorem illius accepisti vxorem.* Istud ēt
fuit aliud peccatum, scilicet, quòd acceperit vxorem
Vriæ, istud enim f̃m se non erat peccatum, sed quia
incitatus est Dauid ad peccandum,vt acciperet eam,s.
ista fuit aliqualis causa mortis Vriæ, vt supra dictũ est.
Et interfecisti eum gladio filiorum Ammon, scilicet,fecisti
quòd filij Ammon occiderẽt eum, quia iussisti illum K
opponi eis,& solum relinqui. Quis condigne narrare
queat laudes Vriæ viri clarissimi? quis quoque suffi-
cienter deflere posset indignam calamitatem, & tan-
tæ probitati nouercam fortunam? Generosus enim
animus Vriæ laboribus cedere nequiuit, nec blandi-
mentis abductus est, sed in pace positus in regis aula
quietissima labores bellicos concupiuit, arbitrans in-
dignum fore se cæteris socijs imparem, si eis dura pa-
tientibus,ipse delitijs frueretur. Quantum quoque vir
iste continentis & fortis animi fuit, qui mulieris pul-
chritudine & familię,ac domesticarum rerum dulce-
dine,quæ claros viros effeminare solent, moueri ne-
quiuit: vt ab illa vera, & rigida virtute ad aliqualem
mollitiem flecteretur. O quantum vir iste Deicola
fuit,qui indignum esse putauit,vt arca Dei Israel tecta
papillionibus super faciem terrę;ipse delicijs in domo
propria frueretur. Accessit autem ad hoc virtutis con-
stantia,& grauitas,quia non solùm hoc fecit, sed etiã
sic se facturum impermutabiliter pollicitus est. Excel-
lit enim viri huius laus admirationem illorum,qui de
vino,& mulieribus elocuti, eis maximam potentiam
tribuerunt, vt quibus omnia facile subijciuntur. 2. Es-
dræ ca. 4. Hic tamen nec vino,nec mulieri cessit,quin
rigida illa virtus,semper magna appetens integra fuit.
Postremò lamentabile fuit & indignum decretum
infidelissimi regis Dauid,qui tam fideli militi per tam
amaram, & excogitatam infidelitatem, prius vt infa-
maret, insidiatus est, postremò vt immerita morte
conficeret,operam dedit. Quis te non virorum indi-
gnissimum,rex improbe, & ipso regno indignum ar-
bitretur? qui vt fera sæuiens tantæ probitati nocuisti.
Profectò quia tu probus non eras. Posuisti enim igno
miniam gloriæ tuæ. Factus es viro clarissimo virtutis
materia,tu autem inextimabiliter abiectus es. Nec.n.
remediabilis ruina tua fuisset, nisi largissima Dei ma-
gni benignitas affuisset, quæ immeritos quandoq; in
hac uita fouet,& magnis beneficijs ornat. Quid enim
tantum, aut tale Saul egit, qui miseranda calamitate
cum tota sua progenie extinctus est? Exclamare libet,
quia profectò in rebus humanis nihil est nisi fauor
Dei magni,qui cui uult miseretur,& quem uult indu
rat,cùm non sit currentis,nec uolentis,sed eius clemẽ
tiæ miserentis,ita ut uerum istud sit, beatus ille solus,
quem tu elegisti, & assumpsisti; & habitabit in atrijs
tuis. Vale ergo Vria uir clarissime, quia quæ tibi in-
digna mors abstulit,fama gloriosa recompensat. Iam
enim tibi uera uirtus acquisiuit præconium,quod sæ-
cula tenebunt; & nec liuor poterit, nec mordax ab-
olere uetustas.

Quomodo pœna inflicta Dauid pro peccato Vrię fuerit conueniens, & quem modum Deus obseruat in pœnis. Quæst. VI.

QVAERETVR circa hoc, quomodo pœna
inflicta Dauid fuit conuenienter assignata.
Respondendum quòd Deus obseruat in pœ-
nis similitudinem,& quantitatem: simili-
tudinem quidem,quia per quæ quis peccat, per hæc,
aut similia torquetur.ut patet Sapien.11. De quantita-
te autem patet,quia iuxta mensuram delicti est plaga
rum modus.Deut.25. utrumque autem obseruatum
est in punitione Dauid.De similitudine patet,nam ip
se commisit adulteriũ,& homicidium, ideo in utroq;
punitus est.De adulterio patet,quia infra dicitur susci
tabo super te malum de domo tua, & tollam uxores
tuas in oculis tuis, & dabo proximo tuo, & dormiet
cum uxoribus tuis in oculis solis huius. De homici-
dio patet,quia dictum est: non recedet gladius de do-
mo tua.Secundum autem,scilicet, quantitas punitio-
nis apparet quantum ad primum peccatum, quia si-
cut Dauid homicida fuit, ita ipse occidi debebat.
Deus tamen pepercit ei quantum ad hoc,& transtu-
lit mortem in filium suum,ut patet infra,scilicet, Do-
minus transtulit peccatum tuum, non morieris: tie-
rumtamen filius qui natus est tibi morte morietur,ut
patet infra: & quia ipse Dauid sententiauerat q̃ uir ille
solueret quadruplum, de quo locutus fuerat Na-
than,imposita sunt quadrupla super Dauid,scilicet,q̃
morerentur quatuor filij eius pro Vria. Primus enim
fuit ille,qui per adulterium conceptus est de Bethsa-
bee,ut patet infra in litera. Secundus fuit Amnon fi-
lius primogenitus Dauid, quem occidit Absalom p

Thamar

Oratio auctoris ī laudem Vrię.

Thamar sorore sua.sequen.cap.Tertius fuit Absalom
quem occidit Ioab in bello.infra 18. Quartus fuit A- A
donias,quem occidit frater suus Salomon.seq.lib.c.2.
De quantitate autem punitionis adulterij dicendum,
quòd fuit punitus quantum deliquerat, nam ipse ac-
ceperat vnicam vxorem,& acceptæ sunt decem vxo-
res eius. Item ipse cognouit vxorem extranei: vxores
autem suæ cognitæ sunt a filio suo,quod horrendum
erat.Item ipse cognouit in occulto vxorem Vriæ; &
decem vxores suæ cognitæ sunt publicè vidente toto
Israele in platea Ierusalem, vt patet infra 16. Istæ tres
differentiæ ponuntur in litera, cùm dicitur: Ego sus-
citabo super te malum de domo tua, scilicet,de filijs
tuis, quantum ad secundum: & tollam vxores tuas,
quãtum ad primum, scilicet, quia multæ ablatæ suut: B
tu enim fecisti absconditè, ego uerò faciam uerbum
istud in conspectu omnis Israel,& in conspectu solis,
& istud est quantum ad tertium. Et sic Dauid punitus
est pro peccatis suis. *Quam ob rem non recedet gladius a domo tua*, ideſt, quia occidisti Vriam: nam homicidiũ
datur pro homicidio: & hoc fuit, quia in domo Da-
uid erant intrinseca bella, & multi de posteris eius gla
dio perierunt,vel inter se,vel pugnãdo cum hostibus.
Vsque in sempiternum,scilicet,quia semper durauit gla-
dius in domo Dauid.

Quomodo fuit uerum,quòd gladius maneret in domo Dauid in æternum cùm nunc non maneat. Quæst. VII.

QVAERET aliquis, quomodo fuit uerum, C
quòd gladius maneret in domo Dauid usque
in sempiternum, quia nunc non manet. Re-
spondendum quòd æternum in sacra scri-
ptura vocatur aliquid durans magno tempore, licèt
non semper duret,vnde aliquando vocatur æternum
quod non durat 50.annis, vt declaratum est supra 7.
hic tamen vocatur sempiternum magis propriè, scili-
cet,pro omni tempore, quo durauit domus Dauid,
quia semper fuerunt in ea bella & gladius in posteris
eius: incepit autem gladius tempore Dauid: nam fi-
lius eius,quem susceperat ex Bethsabeę a Deo percus-
sus est morte uiolenta, tanquam si percuteretur gla-
dio.infra in litera. Deinde uiuente Dauid post paucũ D
occisus est Amnon primogenitus eius ab Absalom
propter Thamar.sequ.cap.postea vero ipse Absalom
percussus est gladio, scilicet, tres lanceæ infixæ sunt ei
in corde. infra 18. deinde Adonias occisus fuit gladio
a Salamone fratre suo. sequ.lib.cap.2. Et isti quatuor
fuerũt filij Dauid.Postea vero de posteris Dauid mul-
ti perierunt gladio,nam Iosaphat rex habuit filios sex,
& unus eorum,scilicet,Ioram occidit quinque fratres
suos.2.Parali.21. postea vero omnes filii Ioram occisi
sunt a latronibus, ut patet eo.cap.nec mansit nisi par-
uulus filius eius. Iste autem postea regnauit,& mor-
tui sunt alii de posteritate eius, nam iste Ochozias oc-
cisus est a rege Israel.2.Paralip.cap.22.huius autem fi-
lius fuit Ioas,qui postea regnauit, omnes tamẽ fratres E
sui occisi sunt ab Athalia eo.ca.Deinde iste Ioas cùm
regnasset quadraginta annis occisus est a seruis suis.
2.Paralip.24.cuius filius fuit Amasias,& iste etiam oc-
cisus est a seruis suis per insidias.2.Paralipo.25. Postea
quoque optimus regum Iuda Iosias periit in bello.
2.Paralip.35. super quo nimis luxit Ieremias, & om-
nes filij Israel. Postea etiam filij regis Sedeciæ occisi
sunt a Nabuchodonosor, & eruti sunt oculi Sedeciæ.
4.Reg.vlt. Hic autem terminatus est status regum Iu-
da, & ipse in quo terminatus est status domus Dauid
perijt. Fuit ergo gladius in domo Dauid usque in
sempiternum, ideſt, quamdiu mansit domus Dauid.
Eo quòd despexeris me,scilicet,Quia despexisti præceptũ

meum,& occidisti Vriam.Nã pro hoc directè fuit po
situs gladius in domo Dauid. *Et tuleris uxorem Vriæ Hethæi,ut esset uxor tua.* Pro isto peccato non fuit dire-
ctè imposita pœna gladij in domo Dauid, sed pro
morte Vrię: quia tamen adulterium cum Bethsabee,
& desiderium accipiendi eam in vxorem fuit causa
mortis Vriæ,pro hoc adulterio fuit etiam gladius im-
positus in domo Dauid. *Itaque hęc dicit Dominus*, Hic
ponitur pœna prp peccato adulterij, scilicet, quòd in
domo Dauid esset adulterium, siue uiolatio uxorum
Dauid. *Ecce ego suscitabo malum de domo tua*, ideſt,susci-
bo infamiam tuam de domo tua: nam filius eius Ab-
salom cognouit concubinas patris.infra 16.

Quomodo Deus sit causa mali. Quæst. VIII.

QVAERET aliquis, quomodo dixit Deus,
ego suscitabo malum de domo tua,quia istud
malũ quod fecit Absalom fuit nefandissimus
concubitus,ergo Deus fuit auctor mali, si
ipse suscitauit istud.Item patet,quia infra dicitur: tol-
lam vxores tuas in oculis tuis, & dabo proximo tuo.
Et iterum dicitur: tu enim fecisti absconditè,ego ue-
rò faciam uerbum istud in conspectu omnis Israel.
Respõdendum, quòd Deus non est auctor mali,quia
non est uolens iniquitatem; sed potius odit omnes,
qui operantur iniquitatem.Psal.5.& non solùm Deus
non cooperatur homini ad iniquitatem;sed etiam nõ
incitat eum,uel tentat ad malum.Sic patet Iacobi.c.1.
scilicet. Cùm quis tentatur,nõ dicat,quoniam a Deo
tentatur.Deus enim intentator malorum est; ipse au-
tem neminem tentat: unusquisq; uerò tentatur a con
cupiscentia sua abstractus & illectus.Dicendum tamẽ
quòd Deus est auctor malorum,quæ pertinent ad pe
nam, immo nullum malum penale est, quod a Deo
non sit,sic patet Amos.cap.3.scilicet:Non est malum
in ciuitate, quod Dominus non fecerit, scilicet, nulla
pœna est,quę ab eo non infligatur,nũc autem in hoc,
quòd Absalom cognosceret vxores Dauid,erant duo,
scilicet,culpa Absalom volendo agere quod illicitum
erat; & pœna Dauid tolerando infamiam quandam,
& tristitiam ex hoc.Quantum ad primum,Deus non
cooperabatur Absalom, nec cooperatur alicui peccã-
ti; immo nec potest cooperari, quia omnis operatio
Dei est aliquid reale,& positiuum: peccare autem nõ
dicit aliquid positiuum,sed deficientiam,ad quam im
possibile est quòd Deus directè aliquid conferat: &
quantum ad hoc dicitur quòd Deus non est auctor
malorum:Scd̃m quod erat hic,fuit infamia Dauid,&
tristitia eius,quæ erat q̃dam pena:& quantum ad istã
Deus cooperatus est ipsi Absaloni, inquantum per a-
ctum suum infligebatur quædam pœna Dauid,& ista
pœna non habet rationem mali, sed iusti, quia iustè
inflicta est.Ob hoc autem Deus interdum prędicit ali
quibus,quòd alii accipiant vxores eorum,inquantum
istud est quædam pœna ipsorum. Sic patet Deute.28.
scilicet: Vxorem accipias, & alius dormiat cum ea.
Sic etiam Iob inuocabat in pœnam super se, quòd
vxor sua cognosceret ab aliis, ut patet Iob.32.scilicet:
Si deceptum est cor meum super mulierem; & si ad
hostium amici mei insidiatus sum, scortum sit alte-
rius uxor mea,& super illam incuruentur alij; hoc est
enim nefas,& iniquitas maxima:pœnæ autem istæ re
gulantur a Deo, quamquam in ipsis sit peccatum cõ-
iunctum; quia sapientia Dei est, quæ scit ipsis rebus
malis benè vti,& isto modo tolluntur omnia mala ab
uniuerso, dum etiam ipsa peccata bona fiunt: sic ait
Boe.de Consola.lib.4.prosa.6.scilicet,Sola est enim di
uina vis, cui mala quoque bona sint, cùm eis compe-
tenter vtendo,alicuius boni elicit effectũ. Ordo enim

quidam

Universidad de Deusto

quidam cuncta complectitur, vt quod ab assignata or F
dinis ratione decesserit, hoc idem in alium tamen ordinem relabatur, ne quid in regno prouidentiæ liceat temeritati. Cùm autem arguitur quòd Deus esset auctor mali, si ipse suscitaret malum de domo Dauid:

Quomodo dicat Deũ suscitasse malũ de domo Dauid.

dicendum quòd intelligitur quantũ ad pœnam, ideſt, permisit suscitari, & dedit facultatem ipsi Absalom faciendi hoc, inquantum erat dedecus Dauid. Etiam dicitur: tollam vxores tuas, ideſt, faciam tolli cooperando in pœnã tuam, sed non in culpa Absalom: & sic intelligitur quidquid hoc modo dicitur. *Et tollam vxores tuas*, scilicet, ad dandum eas alteri, quia Deus dedit facultatem Absalom ad tollendum vxores patris sui.

Quomodo verum sit, quòd Absalom datæ sint vxores Dauid, cùm datæ sint concubinæ tantum. G
Quæst. IX.

QVAERET aliquis, quomodo dicitur hic, q vxores Dauid dandæ erant alteri, quia non fuerunt datæ vxores eius in manu Absalom, sed concubinæ, vt patet infra 16. Ad hoc responderi potest secundùm Nico. quòd concubina accipitur pro vxore: est tamen ista consuetudo scripturæ quòd vxores principales vocet vxores, alias autem minus principales vocet concubinas: sic patet de Agar, & Cetura, quæ vocantur concubinæ Abrahæ. Gene. 25. scilicet: Filijs concubinarum largitus est munera, scilicet, filijs Agar, & Ceturæ: istæ tamẽ sunt vxores, vt patet de Agar Genes. 16. & de Cetura Genes. 25. Ita etiam potest dici de uxoribus Dauid, quòd magis principales vocabantur vxores, & minus principales vocabantur concubinæ; & sic vult quòd vxores Dauid erant istæ mulieres, & secundùm hoc tenet Nicolaus, quòd nunquam habuit Dauid aliquam concubinam, sed solùm vxores, vt ipse dixit supra quinto. Sed dicendum uidetur, quòd istæ quas cognouit Absalõ, fuerunt concubinæ Dauid, & non vxores matrimonialiter ductæ: quod patet, quia infra decimosexto dixit Achitophel ad Absalom, ingredere ad concubinas patris tui, quas dimisit ad custodiendam domũ. Idem patet infra vigesimo cùm dicitur: Cumq; venisset rex in domum suam in Ierusalem, tulit decem mulieres I
concubinas suas, quas dereliquerat ad custodiendam domum, & tradidit eas in custodiam. Item Nicolaus propter hoc ponit, quòd istæ erant vxores, quia putat quòd Dauid non habuit aliquam concubinam, & tamen manifestum est quòd Dauid habuit concubinas: nam supra quinto dicitur quòd Dauid accepit vxores & concubinas de Ierusalem postquam venit de Hebron. Idem patet 1. Paralip. 3. vbi dicitur, quòd habuit Dauid filios ex vxoribus, & concubinis: & sic in istis locis distinguuntur vxores & concubinæ: si tamen vxores & concubinę essent idem, vel vocarentur solũ vxores, vel solùm concubinæ. Item dictum commune, scilicet, quòd principalis vocatur vxor, & omnes aliæ vocantur concubinæ, non stat applicando ad Dauid, quia tunc prima vxor, quam accepit, scilicet, Michol vocaretur vxor, omnes autem aliæ vocarentur concubinę: & tamen falsum est, quia supra tertio cap. ponuntur sex vxores Dauid, inter quas non computatur Michol, & supra quinto dicitur, quòd accepit postea alias vxores de Ierusalem, & computantur ibi omnes filij istarum: & tamen 1. Paralip. 3. ponuntur omnes isti filij, & dicitur, quòd omnes isti erant filij Dauid, præter filios concubinarum: ergo videtur quòd nulla illarum nominatarum supra tertio, & quinto, & 1. Paralip. 3. erat concubina, sed solùm illæ, quæ non nominantur expresse: & sic oportet dici, quòd Dauid habuit concubinas, quæ non erant vxores principales, aut minus principales, sed mulieres carnaliter cognitæ sine lege matrimonij: & tamen infra 16. & 20. dicitur quòd istæ erant concubinæ: ergo oportet dicere quòd non erant vxores. Item patet quia Dauid tulit secum omnes vxores suas, solas autem illas decẽ mulieres reliquit ad custodiendam domum, ergo videtur, quòd non erant vxores, sed concubinæ, quia aliàs honorasset eas, sicut cæteras ducendo secum. Cũ autem obiicitur, quòd hic in litera dicitur, quòd erant istæ vxores. Respondẽdum quòd accipitur large vxor pro concubina. Ratio huius est, quia Deus volebat denuntiare Dauid pœnam suam propter adulterium cũ Bethsabeæ; & si dixisset ei, quòd illæ mulieres, quæ accipiendæ erant de suis futuræ essent concubinæ, nõ tantum tristatus fuisset Dauid; quia iam esset certus, in quo istud malum ei euenturum esset: vt ergo suã pitio eum redderet incertum, & ex hoc torqueretur, non exposuit, an de vxoribus, vel de concubinis, sed large dixit de vxoribus: vt suspectus esset Dauid in quo malum ei euenturum erat. Et hoc quia ipse diligebat nimis vxores quasdam, in quibus nullo modo fieri voluisset aliquod dedecus; & quia si sciret quòd istæ erant exemptæ, non tantum esset anxius, dixit de vxoribus, vt maneret ambiguitas.

In oculis tuis. Non est sensus quòd videntę Dauid Absalom acciperet vxores eius; sed dicitur in oculis tuis, ideſt, te sciente, & non potente prouidere, tanquã si videres, & non posses excusare. *Et dabo proximo tuo*, H
ideſt, dabo eas filio tuo Absalom. Vocatur enim Absalom proximus, quia quilibet homo vocatur proximus alterius, sic etiam Dauid vocatus fuit proximus Saulis. præced. lib. cap. 15. *Et dormiet cum vxoribus tuis in oculis solis huius*, ideſt, dormiet cum eis præsente sole, scilicet, coram omnibus, quasi dicat, non abscondetur in tenebris ad dormiendum cum eis quasi erubescat, sed publicè dormiet cum eis. Sic factum est, nam in solario tetenderunt tabernaculum ipsi Absalom, & dormiuit ibi præsente toto Israel cum omnibus concubinis patris sui. infra 16. *Tu enim fecisti absconditè*, ideſt, tu cognouisti Bethsabeæ in abscondito, & fecisti eam a te secretè duci: postea quoq; celare voluisti factum istud per mortẽ Uriæ. *Ego vero faciam in conspectu solis*, I
ideſt, ego faciam quòd filius tuus Absalom in publico, ideſt, coram sole faciat istud.

Et Dauid ad Nathan. Hic ponitur secundum huius c. in quo habetur peccati recognitio. Et diuiditur in tres partes, quia primò ponitur peccati humilis confessio: secundò humana consolatio: tertiò historiæ continuatio. Secunda ibi. *Et consolatus est Dauid.* Tertia ibi. *Igitur pugnabat.* Circa primùm dicitur. *Peccaui Domino.* Ista est confessio Dauid humilis & vera: nam nimis doluit propter hoc, quod egerat, & tunc fecit psalmum illum quinquagesimũ, scilicet: Miserere mei Deus, vnde meruit a Domino exaudiri. *Dixitque Nathan ad Dauid, Dominus quoque transtulit peccatum tuum*, scilicet, quia verè doluisti, Dominus remisit tibi peccatum.

Quomodo Nathan cognouit immediatè post confessionem Dauid peccatum sibi remissum. *Quæst. X.*

QVAERET aliquis, quomodo Nathan immediatè potuit dicere Dauid, quòd Deus remisserat ei peccatum, quia ad hoc oportebat quòd haberet a Deo responsionem, quam non uidebatur posse habere ita cito. Respondẽdum quòd dupliciter hoc fieri poterat. Vno modo quòd Deus dixisset Nathan istud antequam uenisset ad Dauid, & iussisset quòd primò prænuntiaret ei pœnam; deinde quando confiteretur se peccasse, diceret illi q Deus transtulerat peccatum eius. Aliter dici potest, quòd

Deus

Deus solùm reuelauerat Nathan pœnam, quam prænuntiare debebat Dauid: cùm autẽ nunc Dauid confessus est peccasse, reuelauit dominus Nathan, quòd translatum erat peccatum Dauid: & ipse illud dixit Dauid. Simile factum est de rege Ezechia. nam iuit ad eum Isaias dicens: Præcipe domui tuæ: morieris, & non viues. infra quarto lib. cap. 20. Et tunc cùm egrederetur Isaias ab Ezechia, antequam veniret ad mediam partem atrij, locutus est dominus ad eum, quòd diceret Ezechiæ, quòd non moreretur. Sed tunc dicetur, qualiter Deus poterat reuelare ei tam cito, quòd translatum erat peccatum, quia hic non est simile de Isaia: nam Isaias recessit ab Ezechia, & antequam veniret ad mediam partem atrij locutus est ei dominus: hic tamen erat Nathan præsens ipsi B
Dauid, ideo non videtur, quòd Deus locutus fuerit ei hic. Respondendum, quòd coram Dauid Deus locutus est ad Nathan: nam simile factum est præceden. lib. cap. 9. cùm Deus dixisset Samuẽli: cras mittam ad te virum de terra Beniamin, & vnges eum in ducem: die autem sequenti venit Saul ad Samuelem, & ibi dicitur: Cumque aspexisset Samuel Saulem, dominus ait ei: Ecce vir, quem dixeram tibi: & sic in præsentia Saulis Deus locutus est Samueli de ipso. Ita ergo hic, & sic est intelligendum, quòd Nathan solùm accepe-
rat à domino reuelationem de pœna Dauid, & non de translatione peccati; & nunc postquam Dauid dixit, peccaui, Deus locutus est ad Nathan de translatione peccati.

Quomodo Deus locutus fuerit Nathan coram Dauid. *Quæst. XI.*

QVAERETVR vlterius, quomodo ergo Deus poterat loqui ipsi Nathan coram Dauid. Respondendum est, quòd quadrupliciter Deus loqui consueuit prophetis. Primò modo apparente aliquo Angelo in figura humana, & loquente. Secundò modo, quòd aliqua vox formaretur in aere, non apparente corpore, in quo formabatur. Tertiò modo, quod Deus in somnio immutet phantasiam. Quartò modo, quod Deus mutaret intellectum in vigilia. & hoc siue per ecstasim, siue D
sine ecstasi. Primus modus non stat hic: nam tunc audiuisset vocem domini Dauid sicut Nathan: & nihil magis quantum ad hoc diceretur Nathan prophetę, quam Dauid, quia uterque videret effigiem, & audiret vocem formatam. Secundus modus etiã non stat ex eadem causa, quia quamquam tunc non videretur aliqua effigies; tamen vterque audiret vocem domini, & essent in hoc æqualiter ambo prophetæ. Tertius modus non stat, scilicet, quòd fieret in somnio, quia hic Nathan non poterat dormire coram Dauid, cùm continuaretur sermo inter ambos. Quartus modus est necessariò assignãdus, scilicet, per immutationem solius intellectus sine aliqua voce, & effigie, & immutatione facta in phantasia: non tamen debet poni, q E
fieret per ecstasim, quia qui patiuntur ecstasim, sunt abstracti ab omnibus sensibus, & non reperitur in eis aliqua operatio animalis, sed cadunt in terram, & nescium an sint extra corpus, vel in corpore, sicut dixit Apostolus. 2. ad Corin. c. 12. scilicet: Nescio an in corpore, siue extra corpus, Deus scit. ad ecstasim autem fit immutatio, & cadunt homines in terram, & patiuntur alia, quę non est conueniens pati prophetas in conspectu aliorum hominum. Patet de beato Paulo, quando raptus est in cœlum; nam cecidit in terram, & apertis oculis nihil videbat, & mansit tribus diebus non comedens, nec bibens. Act. 9. Nathan tamen nihil tale passus est coram Dauid, cùm continuaretur A
sermo inter eos, ideo dicendum, quòd fuit immutatio intellectus simplex, per quam non fit aliqua mutatio in corpore: nec cessat propheta ab actibus exterioribus. Istum modum habuit Eliseus coram rege Iuda, & Israel, quando dixerunt ei, quòd prophetaret: & factus est super eum spiritus domini, & prophetauit coram eis. infra 4. lib. cap. 3. Simile quoque fuit in Samuele, cui Deus locutus est coram Saule. præced. lib. c. 9. & generaliter vbicunque dicitur, quòd Deus loquebatur alicui prophetæ coram aliquibus, intelligitur de sola immutatione intellectus, quia alij modi non conueniunt, vt patet ex rationibus assignatis.

Quomodo Deus transtulit peccatum Dauid. *Quæst. XII.*

QVAERETVR vlterius, quomodo sit verum, quòd Deus transtulit peccatum Dauid, quia aut istud intelligetur quantũ ad culpam, vel quantum ad pœnam. Non primò modò, quia culpa nunquã transfertur, sed remittitur, & non diceretur de culpa, quòd translata sit: quia istud significat aliquod speciale; & tamẽ transferri culpam generale est: nam quandocunque peccator dolet, Deus remittit peccatum illius. Ezech. 18. Item non potest intelligi quantum ad pœnam: nam non fuit pœna dimissa, cùm non recesserit gladius de domo Dauid, & concubinæ eius cognitæ fuerint ab Absalo-
ne, vt patet supra. Respondendum, quòd peccatum C
translatum fuit quantum ad pœnam: fuit tamen punitio facta in domo Dauid. Sed est sensus, quòd Dauid merebatur mori in propria persona secundùm leges humanas, & iudicium Dei, quia occiderat Uriam; quia tamen confessus est peccatum, Deus transtulit pœnam in posteros eius, & in hoc fecit magnam gratiam ipsi Dauid: & patet hoc ex litera seq. quia dicitur: non morieris; non tamen dixit, quòd erat peccatum remissum, quia nimis differt inter remittere, & transferre.

Peccatũ Dauid dicitur fuisse translatum quantum ad pœnam.

An pœna Dauidi debita potuerit in posteros transferri. *Quæst. XIII.*

QVAERETVR vlterius, quomodo potuit transferri pœna Dauid in posteros eius: nam videtur, quòd nullo modo poterat fieri, quia aut posteri Dauid merebantur pœnas illas, quas passi sunt, aut non: si non merebantur, & passi sunt solùm pro Dauid, iniustè cum eis actum est, Deus tamen neminem iniustè condemnat: si autem merebantur posteri Dauid ea, quę passi sunt, non fuit translatum peccatum Dauid in illos, sed ipsi pro se passi sunt. Respondendum, quòd aliqui de posteritate Dauid puniti sunt pro Dauid, & nihil merebantur sicut paruulus ille, qui natus est de adulterio. infra in litera. nam iste nõ potuit peccare, aut mereri aliquod malum: alij autem passi sunt, qui merebãtur id quod patiebantur sicut Ammon, & Absalom, & Adonias, & multi alij. In omnes tamen istos translatum est peccatum Dauid: directius tamen in illum, qui nihil merebatur, & passus est, quàm in alios, qui aliquid merebantur: ideo Nathan cùm dixisset, q dominus transtulerat peccatum eius, addidit: veruntamen quia blasphemare fecisti inimicos nomen domini, filius, qui natus est ex te, morte morietur, quasi dicat, in illum transferetur peccatum tuum. Nunc autem manent duo dubia. Primum est, quomodo punitus fuit iste puer cùm nihil peccasset. Secundum est, quomodo alij posteri Danid, qui peccauerunt, & puniti sunt pro culpis suis, dicuntur puniti pro peccato Dauid. Re-

Ipon-

Puer paruulus, quomodo punitus est sine peccato ꝓ peccato patris.

ſpondendum, quòd puero paruulo non facta eſt iniuria, quòd moreretur, quia anima ſua non perijt: quòd autem ipſe priuatus ſit præſenti luce, non fuit iniuria ſua, vel pœna, ſed patris ſui, quia ſicut ſi quis habeat pecora, & moriantur, pœna & damnum non eſt ipſorum pecorum, ſed domini: ita cũ filius paruulus non ſit aliquid per ſe intelligens, nec plenè vtens aliqua ſenſatione intra paucos dies, ſed eſt quaſi animal imperfectum, quòd moriatur non eſt pœna ſua, ſed patris: ideo cùm Deus vellet punire Dauid, ita puniebat eum in paruulo illo, ſicut in ſe: & paruulo non infligebatur aliqua pœna iniuſtè, quia mors ſua non erat pœna ſua, ſed patris: ipſi tamen patri iuſtè quæcũque pœna infligeretur pro peccato, ideo potuit ei iſta infligi. Item patet hoc alia ratione, ſcilicet, quia ſi aliqua pars corporis percutiatur, non dicitur illa pars puniri, ſed homo, vel animal cuius eſt pars, ſed filius paruulus eſt pars patris, vt patet 5. Ethic. Scilicet, filius eſt pars patris, donec ſit pelicon, ideſt, magnus. ergo non poterit filius paruulus iniuriam pati, vel pœnam, ſed pater hoc patitur: & ob hoc ſubditur ibi, quòd non eſt iuſtum ſimpliciter inter patrem & filiũ, ſicut nec inter totum & partem: ergo paruulus iſte iuſtè patiebatur, quia pater, cuius erat pars, iuſtè puniebatur. Ob hoc autem quamquam in ſcriptura dicatur, ꝙ Deus punit peccata patrum in filios uſque in tertiam, & quartam generationem, nunquam reperietur, quòd filij magni pro ſolo peccato patris moriantur, ſed paruuli; & ſic intelligitur illud, quod dicitur Ezech. 18. Anima, quæ peccauerit, ipſa morietur: & filius non portabit iniquitatem patris, nec pater iniquitatem filij. Intelligitur autem de adultis, vel peruenientibus ad ætatem vtentem ratione. Quod patet ex exemplis ibi poſitis, ſcilicet, quòd ſi pater coluit idola, & filius non; filius non morietur pro patre, & tamen ille filius, qui poteſt colere idola, vel non colere, peruenit ad ætatem rationis, quia minores nõ poſſunt colere, vel non colere idola. Ratio huius eſt, quia filij maiores ſunt per ſe intelligentes, & per ſe homines: & bonum eorum, vel malum pertinet ad ſeipſos, & non ad patrem ſuum. Item, quia filius adultus non eſt pars patris ſecundùm Ariſt. 5. Ethic. quia iam eſt pelicon, ideſt, magnus. Vnde inter talem filium & patrem iam cadit iuſtum politicum. nunquam ergo reperitur in ſcriptura, quòd filij magni occidantur, vel puniantur pro patribus a Deo, quia tunc puniretur vnus pro alio, quod eſt iniuſtum. Paruuli tamen leguntur puniti, & occiſi pro patribus, quia tunc non dicitur vnus pro alio puniri, ſed idem pro ſeipſo. Secundum dubiũ erat, quomodo poſteri Dauid, qui erant maiores dicuntur puniti fuiſſe pro Dauid, & peccatum eius dicitur translatum ad eos. Reſpondendum, quòd omnes iſti puniti fuerunt pro ſeipſis, quia iniquitates eorum exigebant tales punitiones, ſicut Amnon occiſus eſt, quia cognouit ſororem. ſeq. c. Abſalom verò, quia inſurrexit contra patrem. infra 18. idem de Adonia. ſeq. lib. cap. 2. & ſic de omnibus alijs: ideo iſtis fuit data pœna pro delictis proprijs, nec fuiſſet data minor, aut maior, ſiue fuiſſent filij Dauid, ſiue non; & ſic nullo modo ſit eis iniuſtum, tanquam patiãtur aliquid pro Dauid, quod aliàs paſſuri non erant. Dicuntur tamen puniri pro Dauid: vel tranſire peccatum Dauid in eos, inquantum in pœnis eorum Dauid afflictus eſt nimis. Sicut patet de Amnõ primogẽnito ſuo. ſeq. c. Sic etiam fuit de Abſalom: pro quo lugebat nimis, dicens: Abſalom fili mi, fili mi Abſalom, quis mihi det, vt ego moriar pro te? infra 19. Fuit ergo pœna Dauid in iſtis tanquã ſi ipſemet pateretur: & ſic eadem pœna erat data pro peccato duorum, ſcilicet, pro peccato filiorũ Dauid, & pro peccato Dauid: nam inquantum Amnon, & Abſalom moriebantur, erat pœna peccati eorum. Inquantum verò neceſſe erat Dauid de hoc dolere, erat pœna peccati Dauid. Sed obijcietur, quia ſi Dauid non peccaſſet in homicidio, & adulterio: ſi Abſalom, & Amnon peccauiſſent eo modo, quo peccauerunt, occidendi erant, ſicut occiſi ſunt, & ſic Dauid doleret pro morte eorum, ſicut doluit, ergo non eſt ſpecialiter pœna pro peccato Dauid triſtitia de morte filiorũ ſuorum. Reſpondendum, quòd Deus eſt iudex rectiſſimus, & nullam pœnam vnquam infligit niſi pro peccato: Dauid tamen acerbè punitus eſt de morte filiorum ſuorum, ergo propter aliquod peccatũ hoc euenit. Dicendum, quòd ſiue Dauid peccaſſet in adulterio, & homicidio, ſiue non: & filij ſui peccauiſſent eo modo, quo peccauerunt, oportebat, quòd punirẽtur, ſicut puniti ſunt: Deus tamen ordinaſſet aliter tempora punitionis, ſcilicet, quòd non puniti fuiſſent viuente Dauid, vt ipſe nõ torqueretur de malis eorum, & ſic tunc mors inflicta filiis Dauid eſſet pœna ſolùm peccati eorum, & non patris ſui: quia tamen Dauid peccauit, fecit Deus, quòd occiderentur filij eius, eo viuente, vt ipſe puniretur in illis. Sed obijcietur tunc de alijs de poſteritate Dauid, qui gladio perierunt, & dicuntur occiſi pro peccato Dauid, cùm dicatur in litera Quam ob rem non recedet gladius de domo tua in ſempiternum, & iſti erant magni, qui moriebãtur. Reſpondendum, quòd poſteri Dauid, qui perierunt gladio, erant magni, & occiſi ſunt pro peccatis ſuis, & tamen illi dicuntur etiam occiſi pro peccatis Dauid, non tamen Dauid doluit, quando ipſi mortui ſunt, eo ꝙ Dauid tunc non viuebat: doluit tamen nunc cùm viueret, quia cùm denuntiatum fuerit ſibi, quòd non receſſurus erat gladius à domo eius in ſempiternum, dolebat nimis de infœlicitate poſteritatis eius, & iſte dolor ſufficiebat ei in quandam partem pœnæ pro peccato ſuo. Sed adhuc dicetur ſi de poſteris Dauid occiſi ſunt gladio aliqui paruuli, ſicut forte filii Sedeciæ erant paruuli, quos occidit rex Nabuchodonoſor infra 4. lib. c. vlt. & quando Athalia impijſſima occidit omne ſemen regium de ſtirpe Ochoziæ. infra 4. lib. c. 10. & 2. Paralip. 22. videtur, quòd multi paruuli occiſi fuerint ibi; paruuli tamen non moriuntur pro peccatis ſuis, ſed pro peccatis patrum; quomodo ergo illi mortui ſunt pro Dauid? quia illa pœna nihil attinuit ad Dauid. Reſponderi poſſet ſicut ſupra, ſcilicet, ꝙ licèt Dauid non doluit in ſpeciali de morte iſtorum, quia neſciuit determinatè mortem cuiuslibet de ſtirpe ſua, doluit tamen in vniuerſali pro omnibus, qui de ſtirpe ſua occidendi erant gladio, & hoc ſuffecit ei ad pœnam. Aliter dici poteſt, & melius, quòd poſteri Dauid, qui erant adulti mortui ſunt pro peccatis ſuis, & pertinuerunt ad pœnam Dauid. paruuli tamen qui de ſtirpe ſua poſt eum occiſi ſunt, non fuerunt pro eodem directè occiſi, ſed pro aliquibus alijs poſteris, vtpote filij Sedeciæ, qui paruuli erant, occiſi ſunt pro peccato patris coram eo: filii autem Ochoziæ occiſi ſunt pro peccato aliquorum cognatorum ſuorũ, qui ſuperſtites erant: vel fortè, & melius, occiſi ſunt, quia futuri erant mali in regno, & Deus voluit præoccupare malitiam eorum: nam ſicut Deus aliquos bonos occidit, ne a malitia occupentur, vt patet Sapien. 4. ita & aliquos quaſi indifferentes ad bonum & malum occidit, quia mali futuri ſunt, ne mala eorum grauia ſint. Aliter autem quidam aſſignant ad iſtud principale dubium reſponſionem dicentes, quòd omnes poſteri Dauid puniti fuerint pro Dauid, ſcilicet, quia pro peccato eius Deus permiſit illos cadere in talia peccata, in qualia non permiſiſſet, niſi peccaſſet Dauid, & ex hoc illi puniti ſunt propter Dauid: cũ propter peccatum debeatur pœna, & peccatum eorum fuit propter Dauid. Sed dicendum, videtur quòd iſta poſitio dupliciter poteſt intelligi: vno modo, quòd Deus permiſit cadere poſteros Dauid in peccatũ propter peccatum Dauid, ſcilicet, quòd ſi Dauid non peccaſſet, & oraſſet pro poſteris ſuis ne peccarent, Deus non permiſiſſet illos cadere in peccatum, quia tamen peccauit Dauid, oratio ſua non fuit exaudita pro poſteris ſuis: ideo permiſſi ſunt peccare, ac ſi nullus oraſſet pro eis: & iſte ſenſus rationabilis eſt, quia certum eſt, quod multi liberantur, ne peccent, precibus ſanctorum, qui peccarent, niſi interuenirent illæ preces. Aliter poteſt intelligi, quòd Deus permiſit poſteros Dauid cadere in peccatum directè in pœnam peccati Dauid, & ſi Dauid non peccaſſet non permiſiſſet cadere eos in peccata illa: ſiue Dauid oraſſet pro illis, ſiue non. Et iſte ſenſus non videtur mihi ſatis tutus: nam ꝙ Deus permittat aliquem cadere in peccatum, vel eum iam cadentem, & in peccato manentem reſurgere non faciat non eſt niſi à ſecretiſſima Dei diſpenſatione, qua quoſdam ex mera liberalitate ante ſecula prædeſtinauit, & vocauit, alios verò vocare noluit, vel non curauit. Aut accidit iſtud in pœnam peccati alterius iſtiuſmet hominis, ſcilicet, vt qui ſe non vult, cùm poteſt a peccatis cuſtodire, permittatur a Deo in pœnam iſtorum in alia peccata cadere, modus tamen aſſignatus à principio de tranſlatione peccati in poſteros conuenientior eſt, & ille eſt tenendus. *Non morieris*, ſcilicet, non morieris tu, ſed filius tuus, & in hoc fuit tranſlatio peccati. *Verumtamen quia blaſphemare feciſti inimicos nomen Domini propter verbum hoc*, ideſt, propter peccatum iſtud commouiſti inimicos ad maledicendum Deo; ideo ne peccatum iſtud maneat inultum morietur ille filius, qui iam natus eſt. Eſt autem ſenſus, ꝙ inimici, ſcilicet, Iſraelitarum, ideſt, Gentiles blaſphemabant nomen Domini dicentes, Deum Hebræorũ eſſe acceptatorem perſonarum, quia abſtulit regnum de domo Saulis propter parua peccata, & non puniuit Dauid i aliquo propter peccata maiora, & iſta erat blaſphemia, quia Deus non eſt verè acceptator perſonarum, vt patet Act. 10. ſcilicet: Nunc cognoui in veritate, quòd nõ ſit acceptator perſonarum Deus. Vel aliter intelligitur, ſcilicet, quòd inimici, ideſt, inimici Dauid blaſphemabant nomen Domini, dicẽtes Deũ eſſe fauorabilẽ. Exijt quoque prouerbium vulgare contra Dauid, ſcilicet, quomodo poterit eſſe ſalus ei, qui comedit ouem, & occidit paſtorem? Et dicebatur pro Dauid, q acceperat Bethſabeæ, & occiderat Vriã. De hoc autem fecit ipſe Pſalmum tertium, in quo dicitur: Multi dicunt animæ meæ, non eſt ſalus ipſi in Deo eius. *Filius qui natus eſt tibi morte morietur*, ideſt, iſte, qui natus fuit tibi de adulterio morietur, ne habeant locum blaſphemandi de Deo inimici: erat enim iam natus paruulus iſte, quando venit Nathan ad nuntiandum Dauid iſtam pœnam de morte filij, & de omnibus alijs.

Poſteri Dauid licet puniti fuerint pro ſuis peccatis: dicitur tamen peccatũ Dauid punitũ in eis, quia Dauid affligitur eſt nimis in pœnis eorum.

Filij magni non puniuntur pro peccato patris.

Quare potius iſte paruulus mortuus eſt pro peccato Dauid, quàm aliquis alius de filijs eius.
Quæſt. XIIII.

QVAERET aliquis, quare potius iſte paruulus mortuus eſt pro peccato Dauid, quàm aliquis alius de filijs eius. Reſpondendum, quòd rationabilius erat mori aliquem paruulũ quam adultum, nam adulti iuſte non poſſunt mori, niſi peccauerint, & ſi aliquis peccauiſſet: & moreretur de filijs Dauid, nõ erat conueniens tranſlatio mortis Dauid in illum, quia ille principalius pro ſe moriebatur: ſi autem adultus nihil peccaſſet, & moreretur pro Dauid, erat iniuſtiſſimum; quia filius non debet mori pro patre, nec pater pro filio. Ezech. 18. quod intelligitur de adultis. In paruulum ergo debuit fieri tũ ſtatio mortis Dauid, quia ille nihil peccauerat, ſed ſolũ moriebatur pro peccato Dauid. Sed tunc dicetur; cũ aliquis paruulus moriturus eſſet pro peccato Dauid, cur potius iſte quàm alius mortuus eſt. Reſpondẽdũ, quòd fuit propter duo. Primum eſt conuenientia ad delictum: nam iſta pœna dabatur pro adulterio, & homicidio Dauid: ſed iſte puer natus fuerat de illo adulterio, ergo conuenientius iſte mori debebat quã aliquis alius. Secundò hoc factum fuit ad tollendum ſcandalum; nam Deus dedit pœnam Dauid, quia ꝓp eum ſcandalizabantur inimici, & maledicebant Deo, dicentes eũ eſſe fauorabilem: vt ergo appareret Deũ non eſſe acceptatorem perſonarũ, puniuit Dauid, & quia magis apparebat, quòd Deus puniebat Dauid ꝓp iſtud peccatum, ſi occideret filium natum de adulterio quàm aliquem aliũm, ideo illum occidit, nam ſi alius de filijs Dauid mortuus fuiſſet, putaretur euenire propter aliud peccatum, & quòd iſtud manebat impunitum. In Hebræo habetur: *Quia ad iracundiam prouocaſti*, Vbi litera noſtra dicit, quia blaſphemare feciſti, & idem ſignant. Nam ille, qui blaſphemat prouocatus eſt ad iram contra Deum, ideo blaſphemat de eo tanquam de malefactore. *Et reuerſus eſt Nathan in domum ſuam*, ſcilicet, poſtquam denũciauit iſtas pœnas Dauid, reuerſus eſt in domũ ſuam, quia non erat nunc tempus manendi cum Dauid, eo quòd ipſe erat amaro animo. *Percuſſitque Dominus paruulum, quem peperat vxor Vrię Dauid*, ideſt, dedit ei plagam incurabilem, vt moreretur. Ob hoc autem iſta mors eſt quodammodo violenta, quia non euenit ei ex aliquo accidẽte naturali, ſed quia Deus voluit percutere eum, velut ſi miſiſſet ſuper eũ fulmina de cœlo, aut lapides. Vocatur autem Bethſabee vxor Vriæ, non quòd iam eſſet vxor eius, ſed quòd eo tempore, quo genitus eſt iſte puer, eſſet vxor Vriæ, vt patet præced. cap. vel vocatur vxor Vrię; quia aliquando fuit vxor Vriæ, ſiue hoc eſſet ante conceptionem pueri, ſiue poſt. Sic etiam vocatur Abigail vxor Nabal Carmeli, quamquam iam eſſet vxor Dauid, vt patet præced. lib. ca. 27. & 30. & ſupra 2. *Et deſperatus eſt*, ideſt, deſperatum fuit de ſalute eius. Dupliciter poteſt intelligi, vno modo quòd tãtus fuit languor pueri, quòd naturaliter non poterat euadere, ideo medici dixerunt eum deſperatum. Vel aliter; deſperatus eſt, i. deſperatum fuit de vita eius, quia Deus dixerat quòd moreretur, & verbum domini certiſſimum eſt. Sed primus ſenſus eſt melior, quia ſecundus repugnat aliqualiter literæ ſequenti. In Hebræo habẽtur: *Et ægrotauit*, ſcilicet, ægrotauit ad mortem, ita vt deſperaretur, & hoc ſignat litera noſtra. *Deprecatuſque eſt Dauid ad Dominum pro paruulo*, ideſt, orauit ne moreretur puer. *Et ieiunauit Dauid ieiunio*, ideſt, fecit ieiunium magnum, vel auſterum, vt ſanaretur puer. In Hebræo habetur: *Dauid inquiſiuit Dominum*. Vbi litera noſtra dicit deprecatus eſt: & idem ſignat, quia inquirere eum eſt petere miſericordiam a Deo, iuxta illud: Quærite Dominum dum inueniri poteſt. *Et ingreſſus ſeorſum tacuit ſuper terram*, ideſt, noluit manere Dauid cum viris ſuis in palatio, ſed iuit ad aliquem locum ſecretum, vt ibi vacaret precibus, & ieiunio, & mœrori. Et dicitur quòd iacuit ſuper terram, ideſt, humiliauit ſe ſuper terram ad orandum, vel iacuit in terra, ſcilicet, non dormiebat in lecto, ſed ſuper terram affligendo animam ſuam. Et ſic Dauid afflixit ſe hic in tribus, ſcilicet, in oratione, & ieiunio, & accubatione ſuper terram. Iſte enim eſt modus antiquorum, quando volebant Deũ deprecari pro liberatione aliqua ieiunabant, & orabant, & ſedebant ſuper terram, vel ſuper cinerem. Sic enim fecerunt Niniuitæ: nam rex Niniuæ ſurrexit de

Propter duo magis mortuus eſt iſte paruulus ꝙ alius.

Modus antiquorũ qñ Deum pro liberatione aliqua deprecabantur.

ſolio

solio suo,& abiecit vestimentum suum,& indutus est sacco, & sedit in cinere.Ionæ 3. Sic enim faciebant Israelitæ tam Sacerdotes,quam non Sacerdotes occurrētibus aliquibus ad uersitatibus, In Hebræo habetur, *Et venit,dormiebat,& iacebat seorsum.* Et idem est quod litera nostra, & significatur clariùs quòd dormiebat seorsum,scilicet,super terrā, Et potest accipi seorsum respectu uxoris suæ, scilicet, quòd non accedebat ad eam diebus his, vel respectu seruorum suorum, scilicet,quia nolebat manere cum eis,nec comedere.

An Dauid peccauit orando pro isto puero, vt sanaretur. Quæst. XV.

QVAERET aliquis, an Dauid peccauit orando pro isto puero,vt sanaretur. Aliquis respondebit quòd sic, quia aut Dauid audiens verba Nathan firmiter assensit illis,scilicet,quòd moriturus esset puer,vel non.Si primo modo,erat insania orare pro illo, quem sciebat certissimè moriturum.Si secundo modo,peccabat grauiter non credendo dicto prophetæ,cùm dicta prophetica sint firmiora quàm ea,quæ oculis cernimus,vt patet 2.Pet.cap.1. scilicet : Habemus autem firmiorem ꝓpheticum sermonem. Respondendum,quòd Dauid non peccauit orando dominum pro salute pueri,quamquam dictum ei esset, quòd moriturus erat,quia non erat certificatus,an moriturus esset. Sic patet infra,nam dixit Dauid,quis scit si fortè donet eum mihi dominus, & viuet infans. Cùm autem obijcitur,quòd Dauid debebat credere verbis prophetæ. Respondendum,quòd credidit: prophetæ tamen aliquando loquūtur secundùm sententiam Dei firmam, & aliquando solùm secundùm comminationem. Primo modo quicquid prænunciant, certissimè euenit. Et si Dauid scijsset, ꝙ secundùm firmam Dei sententiam dictum fuisset verbum Nathan, non orasset pro salute pueri, immo peccasset si orasset,quia ex hoc innuebat, ꝙ sententia Dei firma erat mutabilis,quod faceret in Deo magnā imperfectionem: si autem dicuntur verba secundum comminationem ; non sunt euentura sic, vt prænuntiantur,sed solùm dicuntur ad terrendum : & vt recedant à malo illi,quibus fit ista comminatio, quod si fecerint non infligetur pœna, quam Deus comminatur illis: Dauid autem dubitabat in quo modo horum intelligerentur ista verba, ideo potuit licitè orare dominum pro salute pueri.

Quare Dauid non petijt à Nathan de intellectu verborum, cùm ignoraret secundum quem sensum dicta essent. Quæst. XVI.

QVAERETVR vlterius,si Dauid dubitabat, quomodo ista verba intelligebantur, cur non quæsiuit de intellectu eorum à Nathan propheta,qui illa dixerat. Respondendum,ꝙ non quæsiuit ab eo, quia ipse nesciebat,quomodo intelligerentur: nam licèt Deus reuelet alicui prophetæ aliquid, non certificat eum,an dicatur illud secūdùm firmam sententiam eius,vel secundùm comminationem, ideo propheta nescit dicere qualiter intelligēda sint verba. Sic patet de Ioele propheta,per quē Deus denunciauit multa mala uentura Israelitis in bruco,& locusta, & destructione agrorum,Ioel.2.ipse tamē postea consuluit Israelitis, vt plorarent ad dominum, vt misereretur eis,putans,ꝙ possent mala enuntiata non euenire,cùm dicitur: Cōuertimini ad dominū Deum vestrum,quia benignus est.& sequitur:quis scit si conuertatur,& ignoscat dominus, & derelinquat post se benedictionem. eo. c.ergo ignorabat iste qualiter intelligerentur verba sua. Idem fuit de propheta Iona, cui Deus dixit,ꝙ prædicaret Niniuem subuertendam, & quia sciebat,ꝙ aliquando verba Dei dicebantur secundùm comminationem,& nō eueniebant, ne ipse viderentur mendaciter locutus fuisse,noluit prædicare,sed fugit in Tharsis,vt patet Ionę.3.scilicet.Propter hoc præoccupauit,vt fugeret in Tharsis:scio enim,ꝙ tu Deus clemens,& misericors es,& ignoscens super malitia,quasi dicat,sciebam,ꝙ quamquam dicas te facturum aliquid mali,postea interdum parcis,quia misericors es, Item patet,quia Ionæ 3.dicitur,ꝙ Ionas sedit extra ciuitatem Niniue expectans, quid accideret ciuitati, scilicet, an subuerteretur : & tñ si certus fuisset,ꝙ ista verba dicebantur secundùm comminationem, vel secundùm diffinitionem Dei, non curasset attendere euentum rei,quia si secundùm cōminationem dictum fuisset, sciret, ꝙ nullo modo eueniret: si verò ſm diffinitionem sciret, ꝙ eueniret certissimè.

In quo sensu accipienda sint prophetarum verba. Quæst. XVII.

QVAERETVR vlterius,cùm de verbis prophetarum dubium est, in quo sensu accipiantur, an debeamus ea accipere tanquam importantia diffinitionem. Respondendum, ꝙ licitum est nobis accipere in quocunque sensu voluerimus, quamdiu ipsa verba dubia manent, & non est maior ratio interpretandi pro una parte, quàm pro alia. Dicendum tamen est, quòd debemus potius intelligere semper verba esse dicta secundùm comminationem,& sic intellexit Dauid. Hoc autem propter duo; Primum est, quia securius est ea sic intelligi,eo quòd sic intelligendo conuertemur ad dominum, & dolebimus de peccatis: & non euenient mala super nos, Si verò putemus ea dicta secūdùm diffinitionem Dei, non orabimus pro liberatione : & tunc sequitur magnum inconueniens,quia interdū poterit aliquod verbum dictum esse secundùm comminationem, scilicet,si recesserint homines ab iniquitate sua. Si autē putant illud dictum esse secundùm diffinitionē Dei, tanquam desperantes non curabunt auerti à malo, & veniet super eos sententia comminationis, quæ aliàs euentura non erat. Secundò intellexit Dauid ista verba sic, quia consuetudo erat apud omnes homines,ꝙ quandocunque prænuntiarentur aliqua propheticè, intelligerentur dicta secundùm comminationem.Sic patet de Niniuitis Ionæ.c.3. nam licèt Ionas sine conditione vlla prædicasset, quòd post quadraginta dies Niniue subuertenda erat, tamen Niniuitæ putauerūt hoc posse aliter euenire, ideo prædicauerūt ieiunium per ciuitatem, & afflictionem, & quòd clamarent ad Deum in fortitudine: & subditur ibi causa: quia ipsi dixerunt: quis scit si conuertatur,& ignoscat Deus,& reuertatur à furore iræ suæ, & non peribimus? Intellexit ergo Dauid verba ista dicta ſm cōminationem.

An prophetæ peccabant orantes aliter euenire, quàm prænuntiatum sit. Quæst. XVIII.

QVAERETVR vlterius, an prophetæ, vel alij homines peccabant orantes aliter euenire ea, quæ a Deo prænuntiata erant. Respondendum,quòd cùm verba Dei possint accipi ambiguè,vt dictum est; quamdiu manent ambigua, non est peccatum illa interpretari in contrariam partem : cùm verò propheta certificatus fuerit, vel ille contra quem dicuntur, quòd intelliguntur secundùm diffinitionem, peccat si amplius orauerit, quòd illa in contrarium eueniant. Sciendum tamen, quòd in

in prima vice,qua Deus prophetę reuelat aliquid,non certificatur ipse,an secundùm diffinitionem, vel comminationem sibi dicatur;nisi fortè Deus ei specialiter dicat, quòd illud dicit secundùm diffinitionem , ideo licet sibi orare donec Deus prohibeat eum orare. Sic patet de Moyse, cui Deus dixerat, quòd non transiret Iordanem,quia offenderat eum,Nu.27.& tñ post hoc orauit Moyses dominum,ꝙ permitteret eum trāsire. Et non peccauit in hoc,qa si putasset Moyses ꝙ peccabat,non orasset.Etiam quia non increpat Moyses tanquā in hoc peccasset;postea vero Deus dixit ei,ꝙ non oraret pro hoc,quia nullo modo trāsiturus erat illuc, vt patet Deut.3.Sufficit tibi, nequaquā loquaris vltra ad me de hac re : & tunc Moyses cessauit orare, & si amplius orasset peccaret mortaliter, ideo non legitur post hoc,ꝙ orauerit: sed tanquam certificatus,ꝙ non esset transiturus Iordanem , dixit Israelitis , quòd illi transirent in terram optimam , & ipse non , vt patet Deuter.4. Sic etiam fuit de Samuel : nam Deus dixit ei , ꝙ Saulem abiecerat , & ipsemet Samuel prænuntiauit hoc Sauli. præced.lib.cap.15.& tamen post hoc orabat pro Saule,vt patet eo.ca.scilicet, verumtamen omnibus diebus lugebat Samuel Saul,quoniam pœnitebat Deum ꝙ constituisset eū regem super Israel : & tunc non peccabat Samuel orando pro hoc,quia alioquin non orasset,cùm esset vir iustissimus.Deus tamē postea dixit Samueli,ne oraret pro Saule . præced.lib. ca.16.scilicet,Dixit dominus ad Samuelem,vsquequo tu luges Saul cùm ego proiecerim eum : & post hoc Samuel nunquam orauit pro Saule,& si orasset , peccauisset mortaliter. Sed adhuc obijcietur contra prædicta , s.ꝙ quamquam Deus alicui prophetæ reuelet, ꝙ ea,quæ ei dicit, intelliguntur ſm diffinitionem certam,ꝙ possit orare,ne illud fiat. Sic patet de Samuele præced.lib.c.15.Nam ipse ex parte Dei dixit ad Saulē: scidit dominus regnum Israel a te hodie,& tradidit illud proximo tuo . Et postea sequitur : Porrò triumphator in Israel non parcet,& pœnitudine non flectetur : nec.n.homo est,vt agat pœnitentiam:& sic denūciauit ei,ꝙ nullo modo Deus recederet a sentētia sua, & tñ post hoc Samuel orauit pro Saule, vt patet eo.c. Respondendum,ꝙ Samuel non peccauit ibi orando, cū nesciuit,an verba illa,quæ dixit, intelligerentur ſm diffinitionem Dei , vel secundùm comminationem : nec obstat ꝙ ibi dictum est , ꝙ Deus non flecteretur ab ira sua,quia istud non dictū est,vt aliquid per quod reuelaretur Samueli , an verba ista essent ſm dispositionem Dei, vel comminationem , sed erat aliquid quod Deus iusserat Samueli dicere ad Saulem : ideo sicut dubitauit de omnibus alijs verbis , an dicerentur secundùm comminationem, vel dispositionem Dei : ita dubitauit de isto , vnde semper orauit pro Saule, quousque Deus reuelauit ei , quòd abiecerat Saulem totaliter,vt patet præced.lib.ca.16.scilicet: Vsquequo tu luges Saul,cùm ego proiecerim eum ? Et sequitur ibi, quòd vngeret Dauid in regem . ex quo patebat ꝙ totaliter erat abiectus Saul cùm vngeretur Dauid, & tunc cessauit Samuel orare pro Saule , quia certificatus erat.

An ad hoc,vt aliquis sit propheta,debeat intelligere ea,quæ dicuntur esse diffinitiua , vel secundùm comminationem. Quæst. XIX.

QVAERETVR vlterius,quomodo possit stare ꝙ prophetę non intelligant,an ea,quę dicantur debeant accipi ſm dispositionem Dei,vel ſm comminationem:nam ad ratio nem prophetiæ requiritur ꝙ propheta intelligat ea,quæ dicit:vt patet Dan.10.s.Intelligētia.n.

Alph. Tost. in Secundum Regum.

opus est in visione,i.ad hoc ꝙ aliquis dicatur videns, siue propheta,opus est intelligentia,i.necesse est,ꝙ intelligat ea, quæ dicit, vel quæ ei reuelantur; alioquin non vocabitur propheta , sed loquens lingua , vel habens gratiam sermonis, vt patet infra ad Corint.12.vbi Apostolus distinguit prophetam, & loquentē lingua, & prophetam dicit esse maiorem , & intelligentem . Item patet,quia ob hoc Pharao non vocatur propheta,quia videns septem vaccas,& spicas per somnium, non intellexit mysterium.Genes.40. Caiphas quoque locutus est a Spiritu Sancto , Ioan.11. quia tamen ipse non intellexit verba,non vocatus est propheta. Respōdendum, ꝙ ad hoc, ꝙ aliquis sit propheta,oportet ꝙ intelligat ea,quæ audit,vel quæ uidet.Sed hoc stat dupliciter: vno modo ꝙ propheta intelligat quid significant uerba,quæ audit,uel res,quas uidet . Alio modo ꝙ intelligat ad quem finem ista dicuntur , uel an necessariò ueniant,uel non . Prima intelligentia necessaria est in propheta.Vnde si quis uideret in somnio aliquam uisionem bestiarum,uel aliarum rerum,quæ uisio sit missa a Deo , si non cognosceret quid significarent illæ bestiæ,non esset propheta . Sic fuit de Nabuchodonosor, qui uidit semel quandam statuam multorum metallorum , & non intellexit quid significabat : Deus tamē immiserat ei uisionem illam,ut patet Dan.2.& nō fuit propheta.Iterum ēt uidit Nabuchodonosor quandam magnā arborem, & non intellexit eius significationem, ut patet Dan.4. Item si quis audiret aliqua uerba a Deo , & non intelligeret quid significabant,quamquam illa retineret mente,non uocaretur propheta:propter hoc autem cùm Daniel uidit quandam imaginem bestiarum,dī quòd intellexit sermonē,nā intelligentia opus est in uisione : Dan.10. Secundus modus intelligendi in prophetia est , quòd sciant prophetæ,an firmiter eueniant ea,quæ prædixerunt uel non,& quantum ad hoc non omnes prophetę intelligunt,immo nullus intelligit,nisi ei specialiter reueletur . Primus modus intelligendi est necessarius in omni prophetia,& istum tenent omnes prophetæ. Secundus autem non, & istum ignorabat Nathan, & de isto dicebat Dauid,quis scit si fortè donet eū mihi dñs,quasi dicat, nullus : ergo putabat Dauid ꝙ nullus sciebat , an esset dicta prophetia ſm dispositionē Dei, uel comminationem. *Venerunt autē seniores domus eius,* ideſt,uiri honorabiliores totius domus Dauid,qui æta te senes erant , & magnæ prudentiæ atque consilij , ideo erant maiores in domo Dauid . *Cogentes eum , vt surgeret de terra,*ideſt,isti ueniebant,ut facerent regem surgere, quia ipse iacebat extentus in terra orans pro filio . Et dicitur ut cogerent non quidem uim inferendo , sed uerbis persuadendo . *Qui noluit* , scilicet, non surrexit usquequo puer mortuus est , semper instans pro salute eius . *Nec comedit cum eis cibum,* ideſt, diebus istis, quibus durauit infirmitas pueri , non comedit Dauid solenniter ad mensam suam astantibus senioribus , sed solus & in terra manducabat aliquid modicum , quo natura leuiter sustentaretur . *Accidit autem die septimo,vt moreretur infans* . Ista dies septima potest computari a die natiuitatis pueri, scilicet,quòd post septem dies a natiuitate sua mortuus est,uel possunt accipi dies isti a principio morbi,scilicet,post septem dies,postquam incepit ægrotare mortuus est ; & hoc videtur esse ueri similius.Nam cū hic computentur septem dies, & non est aliquis actus , qui numeretur per septem dies,nisi ęgrotare,uidetur quòd a principio ægritudinis computentur isti dies : quicquid tamen dicatur , accipiendum est, quòd iste puer paucis diebus uixit:ideo Salomon,qui natus est post eum,uocatus est unigenitus.Prouerb.4.tanquam nullum alium filium habuisset. Ista enim causa reddit extra de uerb.

Quæ cognitio sit necessaria ꝓphetæ , & quæ non.

Universidad de Deusto
Biblioteca

significi.cap.nam & ego.ubi dicitur quòd ille,qui natus confestim mortuus est, habetur ac si nunquam natus fuisset,& non computatur inter homines. *Timuerunt-que serui Dauid nuntiare ei, quòd mortuus esset paruulus.* Hoc timebant propter duo. Primum erat,quia putabant q Dauid irasceretur nuntianti. Secundum erat, quia crediderunt q Dauid affligeret se nimis cognita morte pueri,& ista causa continetur in litera. *Dixerunt enim,* scilicet Dauid inter se: nam nihil ausi sunt dicere Dauid. *Ecce cùm paruulus adhuc viueret,loquebamur ad eũ,* shortantes, vt gauderet, & veniret ad sumendum cibum nobiscum,& surgeret de terra. *Et non audiebat vocem nostram,* idest,non assentiebat nobis, sed manebat semper in terra. *Quanto magis si dixerimus ei,mortuus est puer,affliget se,* quasi dicat;si tunc propter pueri ægritudinem tantum se affligebat, à fortiori plus se affliget nunc cognita eius morte.In Hebræo habetur, *Malum faciet sibi.* Et idem est malum facere, & affligere. *Cùm ergo audisset Dauid seruos suos mussitantes,* idest, tacitè inter se loquentes, scilicet, quòd non audebant apertè loqui, ne Dauid intelligeret mortem pueri, etiam quia inter se secrete consiliabantur,an mortem illam reuelarent Dauid, vel non. *Intellexit quòd mortuus esset infantulus.* scilicet,quia nulla alia causa erat huius locutionis secretæ,nisi mors pueri. *Dixitque ad seruos suos,num mortuus est puer?* Hoc quæsiuit Dauid,vt expediretur a ieiunio, & oratione: nam si puer mortuus erat,frustra erat eum manere in terra. *Qui responderunt,mortuus est.* Non ausi fuerunt negare ei veritatem,quamquam putauerunt quòd nimis se affligeret cognita morte pueri. *Surrexit igitur Dauid de terra,* scilicet,quia prius iacebat extentus in terra, vel inclinatis genibus orans pro vita pueri. *Et lotus unctusque est,* idest, tunc lauit faciem suam,& vnxit caput oleo.

Quare Dauid mortuo puero non planxit,
Quæst. XX.

QVAERITVR aliquis,quare fecit hoc Dauid. Respondendum,quòd dum puer viuebat, & erat in periculo, orabat dominum, & priuabat se omnibus delectationibus, vt exaudiretur: mortuo autem puero istud frustra erat, ideo non vacauit vltra planctui. Sed dicetur,quomodo Dauid vnxit nunc caput? Respondendum quòd Dauid lauit manus suas, & vultum ad solam munditiam: nam diebus illis, quibus planxerat pro puero pro afflictione non lauabat manus nec vultum,nunc autem lauit: caput verò vnxit, quia in terra illa est consuetudo vngere caput oleo propter caliditatem terræ,& omnes communiter hoc faciunt, vt declaratum est precedenti capitulo:nunc autem quia cessabat Dauid fiere pro puero, vnxit caput suum in signum lætitiæ, & delectationis consuetæ, scilicet, q iam nihil magis mouebatur pro morte pueri,quàm si non mortuus fuisset.

Quare Dauid mortuo filio lauit sibi manus & vnxit caput,
Quæst. XXI.

QVAERETVR vlterius, cur Dauid lauit faciem, & vnxit caput mortuo filio: nam contra consuetudinem Hebræorum erat istud, scilicet, quia toto tempore, quo lugebant mortuos non vngebant capita.Sic patet infra 14.cùm dixit Ioab ad mulierem:lugere te simula, & induere veste lugubri, & ne vngaris oleo, vt sis quasi mulier plurimo iam tempore lugens mortuum,Respondendum,quòd Dauid potuit hoc facere propter tria: primò quia ipse voluit mortuo filio ire ad orandum coram domino, vt patet infra: nam immediatè vt surrexit de terra,iuit illuc; homo tamen non placet Deo in vultu tristi, iuxta illud Leuiti.10.cùm dixit Aaron, quomodo potui comedere, aut placere Deo in cæremonijs mente lugubri, quasi dicat, non potui placere Deo:ideo Dauid,vt placeret Deo, voluit apparere coram eo lætus. Secunda ratio fuit,quia Dauid erat rex, & non solent reges facere luctum sicut alij homines inferiores, ideo viri de domo Dauid lugere debebant pro paruulo illo,Dauid autem non:unde lauit faciem suam tanquam non facturus planctum. Tertia ratio fuit ad significandum quòd iniustum erat pro mortuis plangere, sed potius pro uiuentibus: nam nihil prodest plangi pro mortuo,cùm planctus eum ad uitam reuocare nequeat, & istam ultimam tetigit Dauid solùm: vt patet infra in litera. *Cumque mutasset vestem,* scilicet,quia prius erat in quadam ueste tristi plorans, nunc autem suscepit aliquam uestem regiam. Istud etiam erat contra consuetudinem plangentium pro mortuis, ut patet infra 14.scilicet: Induere veste lugubri, & simula te lugere: Dauid autem omnia fecit contra consuetudinem lugentium. *Ingressus est domum Domini,& adorauit,* idest,introiuit illud tabernaculum, in quo erat arca, & orauit ad dominum: erat enim arca in domo Dauid in quodam loco, quem ei disposuerat, & quando Dauid uolebat ire ad orandum introibat in tabernaculum illud, ut patet supra capitulo sexto.

An Dauid peccauerit introeundo immundus in Sanctuarium.
Quæst. XXII.

QVAERET aliquis, an Dauid peccauit introiens in locum sanctuarij immundus. Aliquis dicet quòd sic, quia quicunq; ingrediebatur immundus in sanctuarium mori debebat. Leuit.15. Dauid tamen erat immundus, quia luxerat pro mortuo, & huiusmodi erant immundi. Numer.19. Respondendum quòd Dauid non erat immundus, quia non luxit super mortuo, sed super uiuente: unde illico ut mortuus est puer, cessauit a luctu, & lauit se,ac unxit, ut patet in litera. Item dato quòd Dauid plorasset pro filio suo mortuo,non erat immundus, quia non efficitur aliquis immundus plorando pro mortuo, nisi cùm uadit ad exequias eius, & plangit, & tollit capillos, uel facit alia similia. Sic patet Leuiti. decimo, ubi Deus uetuit Sacerdotibus nouiter unctis exire ad plorandum mortuos, cùm dicitur: Capita uestra nolite nudare, & uestimenta nolite scindere, ne forte moriamini: fratres uestri & omnis domus Israel plangant incendium, quod Dominus suscitauit: uos autem non egrediemini fores tabernaculi, alioquin peribitis. Apparet ergo quòd immunditia causabatur super mortuo si exiuissent Sacerdotes de sanctuario, & depillassent capita uel scidissent uestes, quòd tamen ipsi plorarent intra sanctuarium nihil aliud faciendo, non causabat immunditiam in eis. Nam Aarnn intra sanctuarium erat, & luxit pro filijs suis, ut patet eodem capitulo, cùm dicitur: quomodo potui placere Deo mente lugubri, ergo lugebat tunc: tamen non incurrit immunditiam, quia non cessauit a sacrificijs, ut patet ibidem. Et quia in sanctuario erat,& tamen ibi non permittebatur manere aliquis immundus; erat ergo generale in omnibus tam Sacerdotibus, quam non Sacerdotibus, quòd non incurrebant immunditiam plorando solùm pro mortuo, sed exeundo ad plangendum comitando funera, & scindendo capillos,uel uestes.

Dauid,

Dauid, an esset factus immundus, quia erat in tabernaculo vbi erat puer mortuus.
Quæst. XXIII.

QVAERETVR vlterius, an Dauid incurrerit immunditiam,quia erat in tabernaculo illo, in quo erat puer mortuus. Aliquis dicet quòd sic, quia Num. 19. dicitur. Ista est lex hominis, qui moritur in tabernaculo: omnes qui ingrediuntur tentorium illius,& vniuersa vasa,quæ ibi sunt,polluta erunt 7.diebus:sed Dauid erat in domo,in qua mortuus est puer, ergo non poterat vsque ad 7. dies sequentes introire ad locum sanctuarij. Aliquis fortè dicet, quòd illa lex de immunditia intelligitur quãtum ad sanctuarium, sed non ad arcam, scilicet, quòd intrantes in locum sanctuarij,si erant immundi deberent mori, sed intrãtes coram arca non morerentur, cùm ipsa maneret extra sanctuarium. Dicendum, quòd hoc non stat, quia arca erat vas sanctissimum totius sanctuarij,ideo si quis moriebatur accedendo ad alias partes sanctuarij immundus,à fortiori si accederet ad arcam, vel introiret ad locum eius.Hoc patet ex similibus, nam arca existens extra sanctuarium erat tantæ sanctitatis, & reuerentiæ, sicut si esset in sanctuario; quod patet, quia quando Bethsamitę viderunt arcam,ipsa erat extra sanctuarium, & tamen perierunt de Bethsamitis quinquaginta millia.præceden.lib.cap.6. Simile patet supra 6. nam cùm duceretur arca de domo Aminadab non erat in sanctuario, & tamen Oza, qui tetigit eam mortuus est. Esset ergo sic de reuerentia habenda ad arcam quantum ad munditiam, & immunditiam,quòd nullus deberet introire in locum, vbi erat ipsa si esset immundus.Dicendum ergo, quòd Dauid non fuit immundus manendo in domo, in qua mortuus est puer:quia quod habetur Num.16. de taberna culo mortui, intelligitur strictè, scilicet, si sit aliquod tabernaculum, in quo sit mortuus, & intrent aliqui in illud,efficiuntur immundi secundùm legem: si tamen sit aliqua domus magna, quæ habeat multa tabernacula, siue cameras, vel diuisiones, non sunt immundi omnes, qui sunt in illis cameris, vel diuisionibus,sed solùm illi, qui intrant in cameram, in qua iacet mortuus. Dauid autem non ingressus est in domum,in qua iacebat puer mortuus,nec vidit eum,sed solùm quæsiuit a seruis suis,an esset puer mortuus, & immediatè iuit in domum arcæ; ideo non potuit incurrere immunditiam. *Et venit in domum suam.* Scilicet:Facta oratione coram arca. Et non dicitur venit in domum suam tanquam locus arcæ esset extra domum Dauid,quia intra erat: supra 6. & 1.Paralip.16. sed erat quædam domus separata intra palatium Dauid,in qua erat arca, & de illa redibat Dauid in domũ suam,idest,in locum,in quo solitus erat manere. *Petitque,vt ponerent ei panem.* Scilicet: Vt ponerent ei mẽsam solenniter,sicut consueuerant. petiuit autem panem,quia nomine panis intelliguntur omnes cibi, vt patet infra 4.lib.c.6. cùm dixit Elisæus: Pone panem, & aquam coram eis,vt comedant,& bibant, & sequitur ibi,q apposita est eis magna ciborum præparatio. *Et comedit.* i.solenniter astantibus seruis suis,qđ non fecerat p̃cedẽtibus diebus,quibus durauerat luctus. *Dixerunt autem serui sui.* s.voluerunt certificari de quodã dubio, quia videbatur Dauid nimis irrõnabiliter egisse,& tamen ipsi credebant, q aliqua rõ mouerat eũ, ideo quærebant de illa. *Quis est sermo,quem fecisti.* i. quæres est ista,quam fecisti. q. d. valde irrationabilis videtur. *Propter infantem cùm adhuc viueret ieiunasti, & flebas.* Scilicet:In septem diebus,quibus vixit in ægritudine. *Mortuo autem puero surrexisti, & comedisti panem.* Quasi dicat,istud irrationabile videtur,quia potius debuisses lugere post mortẽ pueri, quàm antea: vel si prius lugebas, debebas posterius fortius lugere, & fecisti è contrario. *Qui ait,propter infantem dum adhuc viueret,ieiunaui, & fleui.* Declarat, quòd rationabiliter egerit. *Dicebam enim, quis scit si fortè donet eum mihi dominus, & & viuet infans?* Quasi dicat dubium est, an Deus velit occidere infantem,quamquam dixit,quòd occideret eum,ideo dum adhuc eram in dubio,conabar,vt haberem eum: & quia Deus flecteretur misericordia per ieiunium,& lachrymas Dauid plorabat,& ieiunabat.Dixit autem,quis scit si donet eum mihi dominus,quia quamquam dixerat Nathan, q moriturus erat puer,Dauid dubitauit, an dictum esset secundùm comminationem,vel firmam Dei sentẽtiam, & de hoc nullus erat,qui posset eum certificare, quia ẽt ipse Nathan nesciebat hoc: de quo supra declaratum est.In Hebr.habetur. *Quis scit si propitietur mihi dominus.* Et idem est, quia id quod Deus donat,ex propitiatione quidem donat. *Nunc autem, quia mortuus est, quare ieiunos?* Quasi dicat,frustra est ieiunare,vt viuat.

Quomodo est verum dictum Dauid, scilicet, quòd sine causa ieiunabat mortuo filio; & an liceat orare pro paruulis. Quæst. XXIIII.

QVAERET aliquis,quomodo verum est id quod hic dicitur,scilicet,q sine causa erat, quòd ieiunaretur pro mortuo: sed hoc videtur falsum,quia quæcunque opera pia fiant pro mortuis proficiunt illis ad remissionem peccatorum: nam sicut eleemosyna facta pro mortuo proficit ei,ita ieiunium proficiet,& quæcunque alia opera pia, quia idem iudicium est de omnibus:de elemosyna autẽ, & de oratione, q proficiant mortuis patet.2.Mach.c.12. s.collatione facta Iudas misit.12.millia dragmas argenti Ierosolymam offerri pro peccatis mortuorũ. Et postea sequitur: Sancta ergo,& salubris est cogitatio pro defunctis exorare,vt à peccatis soluantur. Ita ergo sanctum erat pro defunctis ieiunare. Respondendum, q vtile est pro mortuis ieiunare, vel quæcũque opera bona fieri: sed Dauid dixit q frustra erat,q ieiunaret pro puero. Primò, quia Dauid non ieiunabat vel orabat, ut anima pueri optatam haberet requiem, sed vt non moreretur:sed iam nunc mortuus erat, ergo superuacuum erat orare pro eo. Secundò, quia dato quòd oraretur pro anima defuncti,superfluum erat orare pro anima pueri, quia iste puer mortuus est in tali ætate, in qua impossibile erat eum peccasse, ideo constans erat, q iste puer adeptus fuisset requiem optatam.In talibus autem iniuria est, si quis determinate oret pro illo, nam iniuriam facit martyri, qui orat pro martyre. extra de celebr.miss.cap.cum Marthæ.ita iniuriam facit existenti in vita æterna,qui orat pro illo, si notum est, quòd ille sit in vita æterna. Sed obijcies, quòd Ecclesia orat pro istis paruulis,quando moriuntur.Respondendum,quòd Ecclesia non orat specialiter pro istis, sed pro omnibus fidelibus defunctis, & quamquam orationes ex nomine istorum dicantur, non pro eis, sed pro aliis funduntur, quibus in Ecclesia prodesse possunt. Vel aliter dicendum, quòd ecclesia fundit preces pro istis paruulis in die obitus sui magis ad cæremoniam, quàm ad necessitatem, vel vtilitatem, vt non videantur isti à cæteris catholicis discordare. Itẽ patet hoc,quia cũ isti paruuli moriũtur, de quibus nõ est dubiũ,q sint in vita æterna, aut ,p eis Ecclesia aliq̃ cæremoniam,vel officiũ faciet:aut nihil. Si dicas,q nihil,est inconueniens,quia viderẽtur tũc nõ esse partes

Vtile est ,p mortuis ieiunare,& alia bona facere.

Quare pro infantulis orat Ecclesia cum non indigeant.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ecclesiæ; nec de gremio fidelium,cùm pro eis nihil magis fiat quam pro paruulis,qui sine baptismate moriuntur,qui nunquam fuerunt partes Ecclesiæ,& constat eos æternaliter periisse.Si autem aliquid debeat dici pro eis,aut dicetur officium, sicut pro cæteris mortuus, pro quibus Ecclesia orat: vel dicetur officium martyrum,vel virginum,vel confessorum,pro quibus Ecclesia nihil orat,sed cantat officium de laudibus eorum.Secundum non potest stare, quia isti paruuli nullius meriti sunt,ita vt inter virgines,martyres,aut confessores poni debeant, ideo nec dicetur officium istorum pro paruulis, consequenter ergo dicetur officiũ defunctorum, quod pro cunctis fidelibus dici solet, non ad necessitatem istorum, sed ad cæremoniam,vt supra dictum est. *Nunquid potero eum reuocare amplius,* quasi dicat,frustra est,quòd orem pro eo, quia quamquam orem,nunquam redibit ad me,s.viuens. *Ego vadam magis ad eum,ille verò non reuertetur ad me,*i.ego ibo ad eum per mortem; & ipse nunc non reuertetur ad me per vitam. Dixit autem Dauid,quòd iret ad eum, s.ad locum,in quo ipse erat. Et accipitur locus largè, tanquam si receptaculum, in quo sunt animæ in alio sæculo,esset idem pro omnibus,quia datis diuersis receptaculis,nesciret Dauid,an iturus erat ad idem receptaculum, sunt tamen diuersa receptacula: sic etiam erat cõis opinio apud omnes homines,q̃ esset alius locus per se, in quo mortui essent sub terra, sicut est hic locus,in quo omnes hoïes sunt.Sic dixit Iacob:Descẽdam ad filium meum lugens in infernum. Genes.37.

Resurrectionem an crediderit Dauid possibilem. Q. XXV.

QVAERET aliquis, quomodo dixit hic Dauid, quòd filius suus non poterat reuerti amplius ad eum: nam videtur, quòd redire poterat resurgendo, & de resurrectione non debebat desperare Dauid, quia alij surrexerunt: nec est putandũ, q̃ Dauid crederet impossibilem esse resurrectionẽ,nam sciebat Deũ omnia posse, & ipse sæpe confessus fuerat Deũ posse viuificare, & mortificare. Aliquis autem dicet, q̃ Dauid dixit hoc de filio suo, quia in veteri testõ non fuit resurrectio mortuorum,sicut in nouo. Sed hoc falsum est; nam Elias suscitauit vnum mortuum, vt patet seq.lib.c.17. Eliseus verò suscitauit duos mortuos. De vno habetur infra 4.lib.c.4.De alio habetur eo.lib.c.13.Dicendum tñ,q̃ in veteri testõ rarò fuerunt suscitationes mortuorũ. In nouo autem testõ fuerunt valde multæ; & tamen ante Dauid non fuerat aliqua suscitatio mortui, vnde Dauid quamquam sciret possibilem esse resurrectionem, & crederet, q̃ aliqñ futura erat, tamen non putabat,q̃ accidere deberet vsque ad finem sæculi, eo q̃ nũquam viderat aliquem surrexisse, ideo putabat frustra esse petere pro suscitatione filii, si non suscitãdus erat,Deo aliter disponente.Vel intelligũtur verba Dauid de modo orationis suæ,scilicet, quia ipse orabat,p filio suo ne moreretur, & iam ille non poterat non mori cùm mortuus fuisset,ideo non poterat redire ad eum. Vel aliter,Dauid erat dubius ante mortem pueri,an verba prolata à Nathan dicta fuissent secundùm comminationem Dei, vel secundùm diffinitionem: si enim dicerentur secundùm diffinitionem,impossibile erat ea moueri: & quia nunc mortuo puero, inuenerat Dauid verba ista dicta fuisse secundùm diffinitionem Dei:credebat,quòd etiam si omnes homines orarent Deus non exaudiret, immo quòd peccatum esset contra Dei diffinitionem cognitam aliquid petere. *Et consolatus est Dauid Bethsabee vxorem suam.* Hic ponitur secundum huius partis, scilicet, humana consolatio: nam post mortem filij, Dauid consolatus est seipsum,& vxorem suam.Et dicitur,quòd consolatus est Bethsabee, quia ipsa flebat nimis, eo quòd filius eius mortuus fuerat. *Ingressusque ad eam.* Hebræi dicũt venit ad eam,scilicet,persuadendo verbis,quia Bethsabee nolebat cognosci vlterius à Dauid, eo quòd putabat quòd omnes, qui nascerentur de ea, morerentur, sicut iste paruulus mortuus fuerat propter maledictionem Dei.Dauid autem iurauit Bethsabee, quòd non est sic,quia ex ea nasciturus erat filius regnaturus post eum. sic enim ipsa dixit Dauid,quando erat in ægritudine,scilicet,domine mi tu iurasti per dominum Deũ tuum ancillæ tuæ:Salomon filius meus regnabit post me,& ipse sedebit in solio meo.seq.lib.cap.1. *Dormiuit cum ea.* Scilicet:Vt vacaret proli,quia adhuc filius suus successurus ei nondum natus fuerat. *Quę genuit filium, & vocauit nomen eius Salomon.* Ipsa imposuit nomen eius,& vocauit illum sic, quia Salomon interpretatur pacificus,& est sensus, quòd in pace esset.

Quare Bethsabee vocauit filium suum Salomonem. Quæst. XXVI.

QVAERET aliquis, quare vocauit eum Salomon. Aliquis respondebit, quòd conuenienter hoc nomen impositum fuit ei, eo quòd Salomon interpretatur pacificus, nam toto tempore vitæ suæ fuit pax in terra Israel vsque ad finem regni, quãdo Deus suscitauit ei quendam aduersarium Idumæum. sequ. lib.cap.11. & sic dicetur, quòd istud nomen propheticè ei impositum est. Sed dicetur, quòd non stat; quia per propheram iussit Deus Salomonem vocari alio nomine,scilicet, amabilis domino, vt patet in litera: ergo non conuenit ei istud nomen propheticè, quia alioquin non fuisset aliud nomen impositum per prophetam. Dicendum est, quòd mater imposuit istud nomen filio,& poterat esse duplici ratione. Vno modo ad significandum vitam eius, quia vita, pax, & salus ad idem pertinent: sed alius filius mortuus erat, & iste erat viuiturus:ideo vocauit eum pacificum. i.in pace conseruandum,& non moriturum,sicut præcedentem filium. Aliter põ dici, q̃ vocauit eum Salomon .i.pacificum, quia ipsa audiuerat à Dauid q̃ iste puer regnaturus erat, & in tpe eius esset abundantia pacis: ideo vocauit eum pacificum. Sic patet 1. Paralip.22. Scilicet: Filius,qui nascetur tibi,erit vir quietissimus: faciam. n. eum requiescere ab omnibus inimicis suis per circuitũ. Et ob hanc causam pacificus vocabatur. *Et dominus dilexit eum,*i.Deus dilexit specialiter istũ puerulum ad benefaciendum ei. *Misitque in manu Nathã Prophetę.* Idest, Deus misit per Nathan ad imponendum ei nomen. Dicitur autem in manu Nathan id, quod fit per ipsum Nathan, sicut dicimus, q̃ omnia negocia expediũtur per manus istius, idest,per istum: nam per manus nullum negocium expeditur. *Et vocauit nomen eius amabilis domino.* In Hebræo habetur: Idida,quod interpretatur dilectus à Deo: litera tamẽ nostra noluit ponere nomen, sed expositionem. *Eo quòd diligeret eum dominus.* Idest,nomẽ conueniebat ei, quia Deus diligebat eum nimis. Hoc põt intelligi de dilectione,quæ est per gratiã gratum facientẽ, & hoc modo Deus diligit omnem hominem,qui est in charitate,& sic fuit Salomon in principio regni sui: nam erat vir iustus,& desiderans Deo placere in omnibus, ideo quãdo factus est rex,nõ petiuit à Deo, nisi sapientiã ad regendũ populũ sibi subiectũ: & Deus dedit ei sapientiam,& omnia alia bona, vt patet seq.lib.cap.3. vel dicitur,q̃ Deus diligebat istum puerũ. s. disponendo eum ad magna bona naturalia, & gratis data: nam Deus dedit ei sapientiam,& alia bona gratis data,quia nunlia nunquam habuit aliquis,qui præcessisset eum: sicut ipse dicit de diuitijs Ecclesiastes primo,de Sapientia autem patet sequ.lib.cap.3.

Cur Deus misit Prophetam ad imponendum aliud nomen Salomoni. Quæst. XXVII.

QVAERET aliquis, cùm nomen primum impositum Salomoni, scilicet, Salomon fuisset ei impositum propheticè, cur Deus misit Prophetam ad imponendũ aliud nomen. Respondendum, q̃ propheta non venit ad tollẽdum primum nomen quasi illud non conueniret ei, sed venit ad augendum,apponens aliud nomen,vt significarentur plura bona: nam Salomon per primum nomen habuit significationẽ pacis futuræ in regno suo: voluit autem Deus adhuc significare maiora bona in Salomone,ideo posuit ei secundum nomen, scilicet, amabilis Domino, & in hoc significabantur multa bona conferenda Salomoni: nam si Deus diligebat eum, non est dubium, quin ei multa bona largiretur. Sciendum autem q̃ Nathan non venit propriè ad ponendum nomen Salomoni, sed ad reuelandum aliquid futurum de eo, scilicet,quòd Deus diligeret eũ. Et ad hoc imposuit ei nomen, quia tamen istud non fuit impositum directè,vt nomen suum esset,non vocatus fuit postea Idida,ideſt,amabilis domino,sed Salomon. *Igitur pugnabat Ioab.* Hic ponitur tertium huius partis,scilicet,historiæ cõtinuatio.Nam supra decimo incepta fuerat historia de pugna Israel contra Ammon: quæ interciſa fuerat propter enarrationẽ euentus Dauid & Bethsabee, ideo isto enarrato redit scriptura ad enarrandum historiam,& dicitur. *Igitur Ioab pugnabat contra Rabbath filiorum Ammon,*i.dum hæc fierent,quæ supra dicta sunt,pugnabat Ioab contra Ammonitas existentes in ciuitate Rabbath.In quo sciendum q̃ istud,quod hic dicitur, fuit post superiora,s.q̃ Ioab misit ad dicendum Dauid, quòd veniret ad capiendum vrbem Ammonitarũ, scilicet, q̃ iam natus fuerat Salomon,vel saltem mortuus fuerat primus filius natꝰ de Bethsabee,quia alioquin nõ iuisset Dauid ad bellum cõtra Ammon, dum existeret in ira Dei,s. antequam veniret ad eum Nathan nuncians peccatũ suum,& doleret Dauid,& non est verisimile q̃ Deus dedisset tũc victoriam Dauid; ideo iam mortuus erat paruulus. *Et expugnabat urbem regiam.* Ista erat Rabbath quæ vocatur regia,quia erat ciuitas maior totius terræ Ammon,& in ea morari consueuerant reges Ammonitarum. *Misitque Ioab nuncios ad Dauid.* Hic ponitur magna probitas Ioab, quia cùm ipse potuisset capere vrbem, & esset ei gloria, noluit, sed misit ad Dauid, vt veniret ad capiendum eam, & laudaretur Dauid, & non Ioab. *Dimicaui aduersum Rabbath*, ideſt, iam feci multa bella contra eam, intantum quòd breue est, vt capiatur. *Capienda est urbs aquarum.* Ista est vrbs Rabbath, siue regia. Et dicitur capienda est,ideſt,in breui est vt capiatur, vel paruus labor restat ad capiendum. In Hebræo dicitur. *Cœpi urbem aquarum.* Sed tunc objicitur, quòd si capta erat, quomodo mittebat ad Dauid, vt caperet eam? Respondent Hebræi quòd ista vrbs diuisa erat in duas partes, scilicet, in vrbem plana & arcem,primam autem partem cœperat Ioab, & non secundam, ideo misit ad vocandum Dauid,vt caperet secundam. Sed istud est subterfugere, nec conuenit literæ; quia Ioab misit ad Dauid, vt caperet vrbem, & hoc vt victoria ascriberetur Dauid, & non Ioab: si tamen Ioab cœpisset totam vrbem præter arcem: maior pars victoriæ tribueretur sibi quàm Dauid,ideo non est verisimile, q̃ vocasset Ioab ipsum Dauid ad capiendam solùm arcem,sed totam vrbẽ,vt victoria tota attribueretur Dauid: ideo dicendum est q̃ litera Hebraica mutat hic tempus, sicut sæpe facit, & ponit,cepi,i.capienda est, & tunc est sensus q̃ Ioab vocauerit Dauid ad capiendam totam vrbem. Vocatur autem Rabbath vrbs aquarum,eo q̃ per eam transibant aquæ multæ.Nicolaus.n.dicit q̃ apud Rabbath erant aquæ multæ,& paludes, in quibus Ammonitæ tenebant spem q̃ ciuitas non caperetur; & tñ hoc nõ obstante,capta est.Aliter aũt dicendum, q̃ vocatur ciuitas aquarũ,i.fluminum,quia transeunt per eã aliqua magna flumina. Sic.n.Haram vocatur ciuitas aquarũ. Nam in Hebræo vocatur Haram maharaim,i.Haram fluuiorum,s.quia transit per eam fluuius Euphrates. Idem tñ fluuius transit per terram Ammonitarum, vt patet Nu.22.s.Balaam habitabat super fluuiũ terræ filiorũ Ammon,& tñ constat, q̃ Balaam habitabat in Mesopotamia,vt patet Nu.23.& Deute.23.ergo vñ q̃ fluuius,qui transibat per Mesopotamiam, quæ vocat in Hebræo Haram maharaim,est ille,qui transibat per terram filiorũ Ammon,& transiret iste per ciuitatem regiam.Nam verisimile est,q̃ ciuitas maxima cõstrueretur apud fluuiũ magnũ, & sicut Euphrates vocatur fluuius excellenter non expresso alio nomine,vt patet Exo.23.Ita vocaretur aquarum excellẽter,quia plures aquas habebat,quã alia flumina terræ illius. *Nunc ergo congrega reliquam partem populi.* Ioab habebat secum magnam partẽ Israelitarum, Dauid aũt debebat congregare reliquos bellatores,qui manserant in terra.

Rabbath quare vocatur vrbs aquarum.

Ioab quare voluit quòd Dauid congregaret reliquam partem populi. Quæst. XXVII.

QVAERET aliquis,quare dixit Ioab, q̃ congregaret Dauid reliquam partem populi. Aliquis respondebit,q̃ gens, quam habebat Ioab non sufficiebat ad capiẽdum vrbem, ideo voluit,ut Dauid duceret maiorem exercitum.Sed falsum est,quia Ioab dixit,capiẽda est vrbs aquarum,i.in breui est,q̃ capiatur. Etiam ipse potuisset capere eam Dauid non veniente, cùm litera dicat: ne cùm a me vastata fuerit,nomini meo ascribatur victoria:ergo vñ q̃ poterat faciliter capi vrbs à Ioab,nõ veniẽte Dauid. Sed dicendum q̃ hoc dixit Ioab ad maiorẽ laudẽ Dauid,s.vt magis coloraretur factũ,& ascriberetur victoria ipsi Dauid: nam si Dauid iuisset ad pugnandum,& non tulisset alios bellatores præter eos, quos habebat Ioab, dato q̃ caperet vrbem,non videretur q̃ aliquid egisset, quia ipse solus erat; sed ascriberetur victoria Ioab tanquã ipse iam omnia illa disposuisset.Si autem Dauid duceret secum magnum exercitũ,& in primo bello caperet ciuitatem,putaretur q̃ ipse cęperat eam viribus suis,quia habebat plus de exercitu quã Ioab,& sic ascriberetur ei victoria. *Obside ciuitatem,*i.veni ad obsidendũ eam, *Et cape eam,*i.cito capies postq̃ obsideris. *Ne cùm a me vastata fuerit vrbs, nomini meo ascribatur victoria,*q.d.ego possum faciliter eam vastare: si tñ hoc fecero,victoria ascribetur mihi & nõ tibi,ideo melius est vt tu venias ad obsidendum,& capiendum eam,vt ascribatur tibi victoria.In Hebræo habetur. *Vocabitur nomen meum super eam*, ubi litera nostra dicit: nomini meo ascribatur uictoria,quod idem est. *Congregauit itaque Dauid omnem populum.*i.reliquos bellatores, qui nõ iuerant cum Ioab ad bellum. *Et profectus est aduersum Rabbath,*i.iuit ad urbem Rabbath,quam tunc obsidebat Ioab. *Cumque dimicasset cepit eam,*i.immediatè post conflictum cepit urbem, quia Ioab dixerat, q̃ in breui capienda erat. *Et tulit diadema regis eorũ de capite eius,* i.accepit coronam regis Ammõ. Nominatur aũt hic ista corona,qa fuit aliqd spãle.s.in magnitudine pp põdus:ut patet immediatè, *Pondo auri talentum,*i.habebat

diadema istud vnum talentum auri in pondere. *Habens gemmas pretiosissimas.* Ideſt, erant in diademate isto multæ gemmæ magni valoris. In Hebræo habetur. *Habens lapidem honorabilem.* Et idem est quod in litera nostra. Hebræus tamen ponit singulare pro populi, & è contrario sæpissime. *Et impositum est super caput Dauid.* Scilicet, Dauid imposuit sibi illud diadema ad honorem. Non est autem intelligendum, quòd Dauid acciperet istam coronam sub eadem figura, & imponeret sibi: sed fecit eam conflari, & reduci in aliã formam, & tũc imposuit sibi illam. Sic patet, 1. Paral. 20. Scilicet, Tulit Dauid coronam de capite eius, fecitque sibi inde diadema, ideſt, de illa corona fecit aliã coronam. Dicunt etiam Hebræi, quòd Dauid non tenebat istam coronam super se, nec rex Ammon; quia nullus posset talentum ponderis ferre in capite, sed quòd corona ista pendebat per quosdam funes super caput regis, quando sedebat, & non sustentabatur ab ipso, sed hoc non est satis verisimile. Dicendum ergo quòd corona ista erat in capite regis. Nec obstat, ꝙ dicatur, ꝙ habebat talentum auri, quia forsitan talentum non est magnum pondus; nam non est pondus æquale apud omnes gentes. *Sed & prædam ciuitatis asportauit multam valde.* Ideſt, accepit de ciuitate Rabbath multam prædam, quia illa erat ditissima, eo ꝙ erat ciuitas regia: & secundùm ꝙ fecit in hac ciuitate Dauid, ita & in omnibus aliis vrbibus terræ Ammon.

An licuerit Dauid accipere diadema regis, & ponere in capite suo. Quæst. XXIX.

QVAERET aliquis, de diademate illo, quod accepit Dauid, an licuerit sibi illud accipere, & ponere in capite suo. Pro quo sciendum, quòd plurimi volunt, quòd istud diadema non erat regis, sed cuiusdam idoli Ammonitarum, qui vocabatur Melchom, & tunc non licebat sibi accipere coronam istam, quia erat idoli. Quod autem Melchõ esset idolum Ammonitarum apparet infra 4. lib. cap. 23. Hoc autem dicunt isti, quia in hebræo habetur hic, coronam Melcham, quod isti putant esse idolum Melchom. Hoc autem magis probatur 1. Paral. 20. cùm dicitur: tulit autem coronam Melchom de capite eius. Tunc igitur stat dubium, quomodo poterant licitè hebræi accipere illam, vt imponeretur capiti Dauid, quia Deus vetuit Israelitis accipere ea, quæ erant super idola, vt aurum, & argentum, de quibus facta erant ipsa idola: vt patet Deut. 7. Scilicet: Sculptilia eorum igne combures, non concupisces argentum & aurum, de quibus facta sunt, nec assumes quicquã ex eis: ergo nec ista corona erat sumenda. Respondẽt Nicolaus, & Andreas, quòd Dauid non accepit coronam illam eo modo, quo tenebat illam Melchom: sed conflauit eam, & purgauit secundùm legẽ, & tũc imposuit sibi: hoc autem videtur haberi. 1. Paral. 20. cùm dicitur: tulit autem Dauid coronam Melchom de capite eius: fecitq; sibi inde diadema. ſ. purgando, & conflando, & redigẽdo in aliam formã. Sed adhuc non stat ista responsio, quia siue purgaretur corona, siue non, nequaquam poterat habere eam Dauid, eo ꝙ erat corona idoli: & de rebus idoli simpliciter vetitum erat aliquid accipi, vel duci in domum, & quicũque duceret fieret anathema. Item illi, qui accipiebãt moriebantur: sic patet. 2. Mach. 12. de illis pugnatoribus, qui iuerunt cum Iuda Machabæo, & acceperunt de templis idolorum quædam donaria, quæ inuenta sunt postea sub vestibus eorum, & dicitur ibi ꝙ propter hoc mortui sunt. Respondet Nicolaus, ꝙ prohibitio illa, quæ habetur Deut. 7. solùm intelligebatur de terra Chanaan, ideſt, quòd de idolis terræ Chanaã non acciperent Israelitæ aurum, vel argentum, & tamen quòd possent accipere de idolis aliarum gentium: Ammonitæ autem non erant Chananæi; ideo poterant hebræi accipere coronam Dei illorum. Sed istud est valde irrationabiliter dictum, quia Deus prohibuit Israelitis accipere aliquid pertinens ad idola, vt non haberent occasionem colendi ea, quia erant Israelitæ nimis proni ad idola, sed manifestum est, quòd non erat magis illicitum Israelitis colere idola vnius gentis quàm alterius, ergo non erat magis prohibitum eis accipere de donarijs idolorum in vna gente quàm in alia. Item non stat, quia 2. Machab. 12. Bellum factum erat contra non Chananæos, & de templis illorum sumpta sunt donaria idolorum, & tamen illa iudicantur ibi illicita. Etiam quia ibi simpliciter dicitur donaria idolorum esse illicita, scilicet, inuenerunt autem sub tunicis interfectorum de donarijs idolorum, quæ apud Iamniam fuerunt: à quibus lex prohibet Iudæos. Dicendum ergo, ꝙ Dauid nõ accepit coronam idoli Melchom, sed coronã regis Amnon. Quod patet, quia dicitur in litera, & tulit diadema regis eorum. Sciẽdum tñ. ꝙ motiuum istorum est, quia 1. Paral. 20. dicitur: tulit coronam Melchom de capite eius. Sed dicendũ, ꝙ istud non obstat, quia in Hebræo ponitur hic quoddã nomẽ, quod potest equiuocari. ſ. Melcham, & significat propriè regem eorũ. Si tamen tollantur quædam puncta, siue apices, quæ in litera hebraica ponuntur loco vocaliũ, poterit dici Melchom: nã eædem literæ sunt prorsus in Melchom, & Melcham, hic tamen nõ est dubium poni Melcham: ideo litera nostra transtulit, Regis eorũ, & non Melchom. Postea tamen in 20. c. 2. Paral. Posuit Melchom, eo ꝙ facile erat mutari apices, non mutatis literis ad hoc, ꝙ diceretur Melchom. Item quod dicunt. ſ. ꝙ conflauit coronam: non est intelligendum, ꝙ conflauerit eam ad hoc, ꝙ esset licitum sibi uti auro illius, quo prius licitè vti non poterat: sed conflauit ad faciendum eam alterius figuræ, uel ad faciendum minorem, uel quod ueriſimilius est fecit ad tollendum insignia Ammonitarum. Nam in corona regis Ammon essent aliqua insignia Ammonitarum; Dauid autem quia non erat rex Ammonitarum noluit ibi manere illa insignia, sed ponere insignia Israel, ideo oportuit, quòd conflaret coronam regis Ammon, ut faceret inde sibi diadema. Dicendum ergo, ꝙ ista corona erat regis, & non idoli, ideo potuit Dauid licitè imponere eam sibi, quia non erat prohibitæ res idolatrarum, sed res idolorum. *Populum quoque eius abducens serrauit.* Ideſt, accepit Dauid populum ciuitatis Rabbath, & serrauit, diuidens illos per medium in serra sicut ligna. 1. Paralip. 20. habetur: fecit super eos tribulas. Dicuntur enim tribulæ a terendo, ideſt, frangendo, & possunt accipi pro serris, quia serra magis frangit quàm seccet, uel vocantur tribulæ, ideſt, triturę, scilicet, instrumenta facta ad triturandum segetes, quoniam frangunt ipsas paleas. *Et circumegit super eos ferrata carpenta.* Ideſt, duxit quadrigas de ferro super Ammonitas. Vocatur enim carpentum quadriga, sed hic magis accipitur pro trituris ferratis, quæ habent nouaculas multas in parte inferiori, & cùm transeunt super aliquem, eum totum laniant, dissecant, & rumpunt, ideo dicuntur carpenta à carpendo, ideſt, secando, vel rumpendo. Simile habetur Amos primo, scilicet, Sup tribus sceleribus Damasci, & super quatuor non conuertam eum, eo quòd triturauerit in plaustris ferreis Galaad. Triturare tamen ad trituras pertinet, & non ad plaustra. Ita hic ponuntur carpenta pro trituris, quamquam significent quadrigas. *Diuisitque cultris.* Ideſt, diuidebat homines in partes minutas gladio. *Et transduxit in typo latericum.* Ideſt, super figuram, vel cumulum laterum. Ra. Sa. dicit, quòd Dauid fecit trahi Ammonitas super lateres duriſſimos, & sic rumpebantur carnes eorum. Vel dicitur in typo laterum, ideſt, in clibano, vbi lateres coquebantur, scilicet, quòd Dauid cremauit Ammonitas in clibano. Ra. Dauid Kimhi dicit, quod cremabat Dauid Ammonitas in clibano, vbi ipsi cremabant filios suos idolo Moloch, de quo habetur Leuitic. 18. & 20. scilicet: Nõ dabis de semine tuo idolo Moloch. Sed istud non est ad propositum, quia in litera dicitur de lateribus, qui nihil attinent ad idolum Moloch. In libro autem Paralip. 1. cap. 20. ponuntur alia nomina tormentorum, & dicitur quòd Dauid eduxit populum, qui erat in Rabbath, & fecit super eos tribulas, & trahas, & ferrata carpenta transire, ita vt dissecarentur, & conterrerentur. Et non ponuntur ibi omnia genera tormentorum, quæ habentur hic, quia typus laterum non ponitur ibi. Vocantur autem ibi tribulæ, quæ vocantur hic serræ, & litera vocat trahas id, quod hic vocatur gladius. Carpenta autem ferrata vtrobique ponuntur. De typo autem laterum dicendum, quòd erat multitudo laterum, super quos ducebantur Ammonitæ: ita vt rumperentur carnes eorum. Sic patet in Hebræo, cùm dicitur: fecit eos transire per locum laterum. Sciendum, quòd Nicolaus dicit, quòd Dauid non fecit istud in tota terra Ammon, nec etiam in tota ciuitate Rabbath, sed solùm in illis, qui dederunt consilium regi, vt deturparet nuncios Dauid. Sed istud non stat, quia dicitur supra in litera: populum quoque eius abducens serrauit: populus tamen significat totam gentem ciuitatis, & non aliquos speciales, scilicet, consiliarios regis, ideo oportet, quòd intelligatur de toto populo. Item quia dicitur infra in litera: sic fecit vniuersis ciuitatibus filiorum Ammon: ergo non solùm factum est in consiliariis regis, sed ẽt in toto populo tam in vrbe illa, quã in aliis. *Sic fecit vniuersis ciuitatibus filiorum Ammon,* ideſt, postquam cæpit ciuitatem Rabbath, pugnauit contra alias ciuitates terræ Ammon, & cepit illas: habuitque prædam, & punitut populum, sicut puniuerat eos, qui erant in Rabbath. Credendum tamen est, quòd quamquam hoc fecerit Dauid in omnibus ciuitatibus terræ Ammon, quòd non posuit omnes Ammonitas ad istas torturas. Vel est dicendum quòd omnes, qui sic torquebantur non peribant: nam constat, quòd non perijt hac vice tota terra filiorum Ammon: cùm post hoc aliquando pugnauerint Israelitæ contra Ammonitas, sicut fuit tempore regis Iosaphat, qui fuit de posteritate Dauid: nam contra eum pugnauerunt Moabitę, & Ammonitę, vt patet 2. Paralip. cap. 20. *Et reuersus est Dauid, & vniuersus exercitus in Ierusalem,* scilicet, postquam destruxerunt ciuitates Ammonitarum. Non legitur autem an residuos de populo Ammon subiecerit Dauid in tributum, sed satis credendum est quòd sic,

Dauid an peccauerit infligendo tot cruciatus Ammonitis. Quæst. XXX.

QVAERET aliquis, an Dauid peccauit infligendo tam duros cruciatus Ammonitis. Aliquis dicet quòd sic, quia ista erat nimia crudelitas, quæ etiam in hostes non erat exercenda; nam satis erat, quòd Dauid occideret eos, & non trahere per tam aspera, & cruda tormenta. Respondeo, quòd Dauid non peccauit faciens hoc: nam inter cætera peccata Dauid non ponitur istud, nec increpatur alicubi de hoc. Cùm autem arguitur, quòd ista erat magna crudelitas, potest responderi, quòd crudelitas non vocatur nisi quando pœna excedit culpam, & ipsa pœna est aliquid excogitatum, vt afflictus intensius torqueatur: hic autem pœna non excedit culpam, quia culpa Ammonitarum fuit valde magna, cùm Dauid intenderit eis facere bonum; ipsi autem rependerunt malum pro bono, & tale malum quod erat valde infame: nam dicitur supra 10. quòd erant viri confusi turpiter valde. Insuper autem illi armati sunt contra Dauid, cùm Dauid nihil adhuc ageret contra eos, cùm potius debuissent suppliciter petere veniam. Non ergo erat pœna ista magna peccatis eorum. Aliter potest dici, quòd quamquam ista pœna erat valde afflictiua, tamen non erat exterminatiua, quia non moriebantur omnes, qui subijciebãtur his tormentis, licèt grauiter affligerentur. De multis tamen eorum credendum est, quòd Dauid illos afflixerit nimis, & occiderit, quia erant valde rei; ideo non fuit ista magna pœna, sed magna castigatio Ammonitarum, vt nulli deinceps auderent deturpare Israelitas.

Crudelitas quando vocatur.

CAP. XIII.

FACTVM est autem post hæc, vt Absalom filij Dauid sororem speciosissimã, vocabulo Thamar, adamaret Amnon filius Dauid, & deperiret in eam valde, ita vt propter amorem eius ægrotaret: quia cùm esset virgo, difficile ei videbatur, vt quippiam inhonestè ageret cum ea.

DICTVM est in præcedentibus de Dauid transgressione, & occulta punitione, scilicet, in pueri morte. Hic agitur de manifesta pœna Dauid in Amnon occisione; & quia Dauid peccauit in homicidio & adulterio, Primò describitur primogeniti occisio, Secundò vxorum Dauid violenta cognitio. infra decimo sexto capitulo, Tertiò populi rebellio. infra vigesimo. Fuit autem occisus Amnon primogenitus Dauid, quia defloraurit sororem suam Thamar. Et diuiditur in tres partes. Primò ponitur Thamar ab Amnon violenta defloratio. Secundò rancoris in corde Absalom retentio ibi. *Porrò non est locutus Absalom.* Tertiò pudoris vindicatio ibi. *Factum est autem post hæc.*

An ordo continuus sit. Quæst. I.

QVAERETVR circa primum, an ea, quę habentur hic, habeant ordinem continuatum ad præcedentia. Respondendum quòd sic, quia præcedenti capitulo dictum est de culpa Dauid, & quomodo erat pœna infligenda ei pro hoc, quæ sibi denunciata est per Nathan: hic autem subditur infligtio ipsius pœnæ quantum ad quandam partem, scilicet, in morte Amnon. Si autem dicutur, an istud fuerit immediatè post præcedentia; respondeundum quòd litera dicit hic, quòd factum est istud post præcedentia, sed non determinat tempus, satis tamen verisimile est, quòd fuerit istud pauco tempore post præcedentia: nam iam filij Dauid erant magni, ita vt

Opinio Nic. & Andr.

Alph. Tost. in Secundum Regum.

Universidad de Deusto Biblioteca

possent vacare his libidinibus, de quibus hic. *Factum est autem post hæc*, scilicet, accidit pauco tempore post superiora istud quod habetur hic, *Vt Absalom filij Dauid sororem speciosissimam*. ideſt, accidit quòd Amnon amaret Thamar sororem Absalom, quæ erat speciosissima. Vocatur autem Absalom filius Dauid, quia erat filius eius tertius de Maacha filia Tholmai regis Gessur: supra tertio. Vocatur autem Thamar soror Absalom, non quòd non esset soror Amnon, vel aliorum filiorum Dauid, cùm ipsa esset filia Dauid, sed quia erat specialiter soror Absalom, vno modo quòd esset soror eius ex patre & matre, alio modo quòd esset soror quantum ad specialem affectum, scilicet, q̃ Absalom diligeret eam magis quàm alij fratres. Primus modus loquendi est sæpe in scriptura, sicut Ioseph vocatur frater Beniamin, quamquam non solùm esset frater eius, sed etiam aliorum, tamen erat Beniamin frater Ioseph ex patre & matre, alij autem solùm ex patre. De hoc Genes. 45. dicitur: En oculi vestri, & oculi fratris mei Beniamin vident, quòd os meum loquatur ad vos. De secundo patet Gene. 49. vbi Simeõ, & Leui vocantur fratres, non quòd ipsi soli essent fratres, sed quia inter se erant similiores in opere, ideo cõueniebant ambo facilius quàm alij ad iniquitatem. Vnde dicitur ibi: Simeon, & Leui fratres vasa iniquitatis bellantia. Sic etiã dicitur Gen. 34. quòd Simeon & Leui erant fratres Dinæ; & tamen non solùm ipsi erant fratres eius ex patre & matre, sed etiam Ruben, & Iudas: nam Dina erat filia Liæ, & Iacob: & isti quatuor viri erant filij eorundem, diligebant tamen Leui & Simeon Dinam magis quam alij fratres, ideo ipsi vocabantur fratres eius. Quod patet, quia ambo soli leguntur pugnasse contra Sichimitas, vt eruerent sororem suam de domo regis. Genes. 34. Absalom autem vocatur frater Thamar, quia erat frater ex patre & matre: cæteri verò ex patre tantum. *Vocabulo Thamar*, i. quæ appellabatur Thamar. Quandam filiam habuit Absalom elegantis formæ, nomine Thamar, ob desiderium istius sororis, vt patet sequen. cap. erat autem speciosissima Thamar, & istud fuit quod induxit miserum iuuenem, vt deperiret in amorem illius. *Adamaret Amnon filius Dauid*, scilicet, amabat eam amore illicito ad fruendum ex libidine. Ecce enim quam illicitus amor inter fratres, qui etiam inter alias personas minori gradu consanguinitatis cõiunctas illicitus est. Intantum namque illicitus, quòd iura inter has personas nihil fœdi criminis suspicantur: vt patet extra de præsump. c. cum in iuuentute. Vocatur autem Amnõ filius Dauid, non quòd Absalom & alij non essent filij Dauid; sed quia Amnon erat specialiter filius Dauid, scilicet, quia erat primogenitus illius, vt patet supra 3. *Et deperiret in eam valde*, ideſt, tantũ amabat eam Amnon, quòd peribat propter illam, scilicet, quòd debilitabatur corpore, & immutabatur color eius. *Ita vt ægrotaret propter amorem eius*. Intantum enim exarserat huius illiciti amoris cupido, vt miser iuuenis ægrotaret. Causa autem huius duplex erat, prima vehemens desiderium; nã cura incendit viros, & necesse est eos qui magnas curas habent, toto corpore æstuare, & cùm iste ardor excessiuus sit, tota corporis temperies dissoluta ægritudinem inducit. Potissimũ autem hoc accidit in illis, qui curas habent de negocio venereo, nam desiderium istud ex nociuo quodam calore prouenit, ideo poetæ Venerẽ Vulcano, qui est Deus ignis, coniunxerunt, eo quòd libido de natura ignea est. Secunda causa erat desperatio de assequendo optatum: putabat enim Amnon quòd nunquam posset habere Thamar, & illam ardẽtissimo desiderio optabat: ideo ista desperatio eum grauius affligebat. Hoc patet in litera, quia dicitur quòd cùm esset virgo, difficile ei videbatur, vt quippiam inhonestè ageret cum ea: despe ratio tamen amorem incendebat. *Quia cùm esset virgo, difficile ei videbatur, vt quippiam inhonestè ageret cùm ea*. Ista erat causa sui doloris, scilicet, quia non poterat optatis frui; & intelligitur hoc dupliciter, vno modo q̃ Thamar, quia erat in statu virginali, erat abscondita secundùm consuetudinem virginum illius temporis, maximè filiarum regum, & sic Amnon non habebat opportunitatem loquẽdi cum illa, vel agendi aliquid inhonestè; si autem fuisset iam nupta, sæpe posset publicè videri, & Amnon posset loqui ad illam. Secundò intelligitur quòd status virginalis hoc prohibebat, scilicet, quia si Thamar iam fuisset nupta, licèt cognosceret eam Amnon, non depræhenderetur, quia iam cognita fuisset ab alio, nunc autem quia virgo erat, si ipse cognosceret eam, depræhenderetur hoc, & puella careret viro, vel si susciperet eum, esset postea semper ei exosa. Vtraque autem infelix sors est, & ob hoc Thamar non consentiret, & etiam ipsi Amnon durũ videretur dehonestare eam. Primus tamen sensus est melior, quia Amnon non curabat de honore, vel dãno puellæ; sed solùm quia non poterat habere opportunitatem agendi aliquid cum illa. Quod patet, quia consilio alterius iacuit in lecto, & adueniente illuc Thamar, oppressit eam; si autem attendisset ad damnum puellæ, non egisset hoc. Item patet quia amicus Amnon non dedit ei consilium, nisi qualiter haberet opportunitatem loquendi, & fruendi voto cum Thamar: si tamen attendisset Amnon ad honorem puellæ, dedisset ei amicus suus consilium qualiter honestè posset frui optato, ne quid infamaretur Thamar. In Hebræo habetur. *Quia cùm virgo esset, mirabatur Amnõ, si quid ei facere posset*. Et idem est, scilicet, quia status virginalis tollebat ei opportunitatem loquendi cum illa, & mirabatur si vnquam posset frui optatis. *Erat autem Amnon amicus nomine Iodanab*. ideſt, Amnon habebat quendam amicum nomine Ionadab. Ponitur autem de isto, quia iste fuit consiliarius ad perpetrandum malum.

Amnon captus amore Thamar sororis suæ.

Quare poetæ Venerem Vulcano cõunxerunt.

Quis esset Ionadab amicus Amnon. Quæst. II.

QVAERET aliquis, de isto Ionadab quis erat. Aliqui respondẽt, quòd erat Nathan Prophe-ta, vt refert Andreas, sed ipse arguit quòd Nathan, cùm esset vir sanctus, non dedisset tale consilium, vt perpetraretur incestus turpissimus. Respondet ad hoc ipsemet Andreas, quòd fortè ista erat talis soror, cum qua non cõmittebatur incestus, ideo ipse posset dare ad hoc consilium. Sed dicẽdum quòd hoc non stat, quia iste Ionadab erat filius fratris Dauid, scilicet, filius Semmaa, vt patet in litera. Nathã tamen non erat de stirpe Dauid, nec loquitur scriptura de illo tanquam esset de hac stirpe, vt patet Eccles. 46. scilicet, post hoc surrexit Nathan Propheta in diebus Dauid, & quasi adeps separatus est a carne: si tamen fuisset de stirpe Dauid non diceretur, quòd surrexit in diebus Dauid, quasi esset aliquis alienus. Item non stat, quia motiuum istorum est, quòd esset iste Nathan, eo quòd dicitur de eo, quòd erat vir prudens valde, Nathan autem erat huiusmodi. Dicendum q̃ prudẽtia accipitur ibi in malum pro astutia quadam, & illud leue est esse in omnibus, nec erat aliquid tale in Nathan. Item responsio Andreæ pro illis non stat, scilicet, quòd cum hac sorore non committeretur incestus, quia cùm ista esset soror Absalom, necesse erat qualitercumque dicatur, quòd cõmittebat incestum eam cognoscendo, vt infra dicetur. Item dato q̃ non cõmitteretur incestus, vtpote si Thamar non esset soror Amnon ex pater, nec ex matre, tamen saltẽ committeretur violenta oppressio virginis. Hoc autẽ peccatum est graue, ideo quilibet consulens illud peccat mortaliter. Item dato, quòd Thamar voluntariè cognita fuisset, quia tamen erat illicita cognitio virginis, erat stuprum, quod est peccatum. Item quicũque coitus præter matrimonialem illicitus est, sed hic nõ erat matrimonialis copula. Item litera dicit, quòd videbatur difficile Amnon, vt quippiam inhonestè ageret cum illa. Ergo quicquid ageret, inhonestum erat, & consequenter uitium: consulentes tamen in talibus mortaliter peccant. Dicendum ergo, quòd non fuit iste Nathan propheta, sed quidam iuuenis consanguineus Amnon; & sicut ipse ad iuuenilia opera facilis erat: ita & amico suo Amnon ad turpia desideria ministerium præbuit. *Filius Semmaa fratris Dauid*. Habebat enim Dauid septem fratres, & ipse erat octauus, vt patet præced. lib. cap. 17. Semmaa autem erat inter hos tertius. præced. lib. c. 16. & huius filius erat Ionadab, & sic Amnon, & Ionadab erãt patrueles, quia patres eorum erant fratres. *Vir prudens valde*. dicitur hoc ad significandum, quòd facile erat sibi inuenire consilium ad quæcunque quæsita. Vocatur autem prudentia largè: quia prudentia est de bonis: nunquam enim prudentia potest esse sine morali virtute, nec virtus moralis sine prudentia. 6. Ethic. in fine: qui tamen ad mala consulit, non agit secundùm virtutem moralem, ergo nec secundùm prudentiam: est autem quędam virtus naturalis intellectiua, quam dæmoticam vocant, & illam si ad malum quis traxerit, astutia vocabitur, si autem ad bonum prudentia, vt patet 6. Eth. Ionadab autem habebat istam vim intellectus, quia tamen eam conuertebat ad illicita, vocabatur astutus, & nou prudens: scriptura autem largè loquitur. *Qui dixit ad eum, quare sic attenuaris macie filij regis per singulos dies?* quasi dicat, quare tu, cum sis filius regis, attenuaris quotidie? Est sensus: alij homines parua potentes attenuantur, cùm aliquid contra eorum intentionẽ euenit, & quia optatis frui nequeunt: tu autem cùm sis filius regis, & primogenitus, potes habere singula, quæ volueris, cur ergo attenuaris? In hebræo habetur. *Cur es debilis singulo mane singulo mane*. dicunt enim hebræi, quòd Amnon ducebat noctes in somnes cogitando pulchritudinem Thamar, & præinopia somni grauabatur nimis, & in aurora apparebat tenuis. Sed ipsi volunt innuere, quòd tenuitas Amnon solùm apparebat in aurora, quia in litera sua dicitur, singulo mane singulo mane. Sensus autem est, q̃ Amnõ per singulos dies magis tenuis efficiebatur, & hoc considerabat Ionadab. Causa autẽ huius erat assiduitas sollicitudinis, & intensus libidinis ardor, quæ miserum iuuenem incessãbiliter cremabant: hæc autem omnia ueniunt à potestate amoris, quæ quidem magna est super omne genus animaliũ, & nos etiam inuitos cruciat, ita vt dissimulare non possimus. De hac potestate furentis amoris, immo insanæ libidinis dicetur aliquid in fine capituli. *Cur non indicas mihi?* quasi dicat, cùm sim amicus tuus, etiam cùm sim vir consilio potens, prauè agis celando à me, quia fortè iam tenuisses quod optas. *Dixitque ei Amnon*. Libenter detexit ei vnlnus suum aliquid medicaminis ab eo optans. *Thamar sororem Absalom fratris mei amo*. quasi dicat, propter eam sic pereo, cùm desperem me frui posse optatis. Vocauit autẽ Thamar sororem Absalom, quia illius erat soror ex patre & matre, sibi autẽ erat soror ex patre tantum. Etiam non vocauit eam sororem suam, quia amabat eam, & nomina ista cognationis propinquissimæ non conueniũt ad libidinem, sed alia nomina significantia teneritudinem quãdam: sic enim Phædra, qui diligebat Hippolytum priuignum suum, cùm ab eo vocaretur mater, vel domina, dixit ei, quòd non vteretur talibus nominibus, sed quod vocaret eam sororem, vel famulam. sic ait Seneca tragœdia. 4. cuius nomen est Hippolytus: carmine. 4. cùm introducitur Phædra loquens Hippolyto in hæc verba, scilicet.

Me vel sororem Hippolyte, vel famulam voca.
Famulamque potius, omne seruitium feram.
Non me per altas ire si iubeas, niues.
Pigeat gelatis ingredi Pindi iugis.
Non si per ignes ire, & infesta agmina.
Cunctis paratum ensibus pectus dare.
Mandata recipe, sceptra, me famulam accipe.
Sinu receptam supplicem, ac seruam rege
Miserere amantis.

Sicut ergo Phædra, quæ erat nouerca Hippolyti noluit ab eo vocari mater, vel nouerca; nec uoluit eum vocare filium, sed fratrem, vt saltem ex nomine actus nõ videretur tam turpis, ita & Amnon noluit vocare Thamar sororem suam. *Cui respondit Ionadab*. Ex improuiso enim iste inuenit consilium, quia astutus valde erat. *Cuba super lectum tuum, & languorem simula*. Non putauit enim Ionadab aliũ modum conuenientiorem, quàm ut iaceret in lecto, quia aliàs non pateret opportunitas alloquendi Thamar, cùm ipsa esset virgo clausa: dicebat autem Ionadab, quòd Amnon si mularet languorem, & tamen ipse verè languẽs erat, quia supra dicitur, quòd deperibat in eam, & ægrotabat propter amorem eius: non tamẽ erat ille languor talis, propter quẽ accubare deberet lecto, sed iste languor paulatim medullas ebibit quousque totum hominem destruxerit, nec quidquam morbi apparebit in eo, sed continua macies, & coloris turbatio, liuorque oculorum, & cibi cunctarumque rerum fastidia; noctes insomnes, omnisque actus, & occupationis honestæ ablatio; quousque totis euacuatis medullis, vitæ emoriatur scintillula, ita ut istum morbum innominatũ iustè appellabimus. *Cumque venerit pater tuus, vt visitet te*. Hoc enim verisimile erat, quòd languens te Amnon veniret Dauid ad uisitandum eum, quia diligebat eum cùm esset primogenitus, & non solùm tunc diligebat, immo etiam postquam egit hanc insaniam diligebat eum; vt patet infra in litera, scilicet, cùm audisset rex verba hæc contristatus est valde, & noluit contristare spiritum Amnon filij sui, quia primogenitus ei erat. *Dices ei: veniat, oro, Thamar soror mea, vt det mihi cibum*. Hoc poterat rationabiliter petere Amnon, quia ægrotantibus complacere debemus in omnibus, quæ desiderant: dum tamen non sint contra eorum salutem, potissimum quia solent eis insurgere quædam desideria, in quibus si non faueatur eis; molestè ferunt, & augetur morbus. *Et faciat pulmentum, vt comedam de manu eius*. Hoc autem dicebat Amnon, quia simulabat se delectari nimis si comederet pulmentum de manu sororis suæ, & alleuiaretur, quod non contingeret ei, si susciperet cibum de manu alterius. Vocatur autem pulmentum quicunque cibus confectus, maxime autem cibus factus de farina, quia pulmentum a pultibus dicitur, sic autem fuit hic, quia Thamar fecit duas sorbiciunculas Amnon, vt patet infra. *Vt comedam de manu eius*. Ideſt, non potero comedere ita gratè de manu alterius, sicut de manu sororis meæ, scilicet, vt ipsa cibos paret, & ipsa mihi propinet. *Accubuit itaque Amnon, & quasi ægrotare cœpit*. Arbitratus est enim rectè dixisse Ionadab, ideo cõfestim executus est, Et dicitur quòd accubuit, & quasi cœpit ægrotare. q.d. finxit se ægrotare, cùm non ægrotaret ita vt indigeret accubitu, erat tamen verè languens, cùm quotidie attenuaretur. *Cumque venisset rex ad visitandum eum*. Venit enim illico, quia diligebat eum vt primogenitum. *At Amnon ad regem, veniat obsecro Thamar*

Universidad de Deusto
Biblioteca

mar soror mea. Hoc petiuit à patre, quia Thamar non veniſſet ad mandatum alicuius alterius, cùm eſſet virgo nimis incluſa. Item petiuit hoc a patre, vt magis tolleretur ſuſpitio, quàm ſi ipſe mitteret ad vocandum eam. *Vt faciat in oculis meis duas ſorbiciunculas*. Ideſt, vt faciat me vidente. Hoc autem videbatur fieri, vt Amnon magis deſideraret cibum ſuſcipere, quem parari videret: faciebat tamen ob hoc, vt maiori tempore coram eo ſtaret, & haberet opportunitatem ampliorem ad optata. Vocatur autē ſorbiciuncula cibus liquidus factus de farina commixta aquę, vt patet infra, ſcilicet, quæ tollens farinam commiſcuit; & liquefaciens in oculis eius coxit ſorbiciunculas. Dicitur autem ſorbiciuncula à ſorbendo, quia cùm ſit cibus liquidus magis ſorbetur, vel bibitur, quàm comedatur. *Miſit ergo Dauid ad Thamar domum, dicens*. Dauid autem nullius mali conſcius ſimplici corde iuſſit vocari Thamar. Duo enim tollebant hic omnem ſuſpicionem. Primum quia Amnon erat frater Thamar, & inter perſonas tanta conſanguinitate coniunctas non præſumitur de iure aliquid turpe poſſe committi. Secundum erat, quia Amnon erat languens, & Dauid putabat eū ineptum ad venereos ludos. *Veni in domum Amnon fratris tui*. Ex hoc patet q̄ iſti filij regis non habitabant in domo regis, nam Amnon non habitabat in domo eius, cùm dicatur ſupra quòd rex venit ad viſitandum eum. De Thamar quòd nō eſſet in domo regis patet, quia dicitur q̄ rex miſit in domum Thamar, ēt patet q̄ ipſa non maneret vbi erat Amnon, quia dī q̄ venit Thamar in domum Amnon: iſtud autem erat, quia fortè Amnon erat iam coniugatus, & Abſalom, & alij filij regis, & habebant diſtinctas domos. Thamar autē quia erat virgo nondum tradita viro, fortè cuſtodiebatur in domo Abſalom fratris ſui: vel in alio loco ſecretiori cum alijs virginibus. *Et fac ei pulmentum*. Scilicet, duas ſorbiunculas, quæ vocantur pulmentum, quia erant de farina. *Venitque Thamar in domum Amnon fratris ſui*. Scilicet, ad iuſſum regis venit illico paratura cibos. Ipſa quoque regia virgo ſimplici corde iuſſu patris venit, nihil inhoneſti apud fratrem ſe perpeſſuram exiſtimans. *Ille autem iacebat*. Scilicet, quando venit Thamar; quoniam ſimulauerat morbum, vt exple ret iniquitatem. *Quæ tollens farinam commiſcuit*. Scilicet, accepit farinam, & commiſcuit aqua, quia ſorbiciunculæ hoc modo fiunt. *Et liquefaciens in oculis eius*. Ideſt, eo præſente liquefecit farinam. Dicitur autem hoc, quia cibus iſte erat nimis liquidus, cùm miſceretur ei multum de aqua, ita vt farina efficeretur iam magis potabilis quàm comeſtibilis. Dicitur autem quòd fecit hoc in oculis eius, quia ipſe petierat, quòd eo præſente faceret, & de manu eius ſuſciperet cibos. *Coxit ſorbiciunculas*. Scilicet, quia farina iſta poſtea mixta aquę coquebatur, vt efficeretur aliquid comeſtibile, quia farina cruda non eſt ad cibum. In Hebræo habetur. *Tollens farinam pinſuit in oculis eius*. Sed idem eſt, quòd liquefacere eam, vel commiſcere. *Tollenſque quod coxerat effudit, & poſuit coram eo*. Ideſt, poſtquam coctę ſunt ſorbiciunculæ, effudit eas in catinum & poſuit coram Amnon. Eſt autem intelligendum, quòd cùm iſta ſierent, multi aderant tam de filijs regis quam de alijs. Hoc autem, quia Amnon erat vir honorabilis, eo q̄ erat primogenitus regis: etiam quia nunc egrotabat, & multi aſſiſtebant ei viſitantes illum; & quando Thamar poſuit ſorbiciunculas coram eo, alijs præſentibus, ipſe finxit præ tędio ægritudinis non poſſe manducare, & tunc receſſit paululum inde Thamar tollens ſecum cibos quouſque excluderentur omnes de loco, & tunc ipſa ingreſſa eſt conclauim. Nam dicitur quòd poſtea vocauit eam Amnon, vt introduceret cibos in conclaui; ex quo neceſſe eſt dicere, quòd ſemel introiuit, & exiuit cum cibis, & denuo reuerſa eſt. In Hebręo habetur. *Tulit ſartaginem, & effudit ſorbiciunculas*. Litera autem noſtra non nominauit ſartaginem, ſed ad idem redit. *Et nolnit comedere*. Scilicet, quamquam appoſuerit coram eo cibum, noluit comedere fingens faſtidiū, & hoc vt vniuerſos excluderet à ſe. *Dixitque Amnon, ejicite vniuerſos à me*. Ideſt, excludite omnes à præſentia mea. Hoc autem dixit tanquam illis abſentibus magis moueretur ad cibum, agebat tamen hoc ad opportunitatem iniquitatis. *Cumque ejeciſſent omnes, dixit Amnon ad Thamar*. Intelligendum eſt quòd Thamar eſſet tunc extra cameram Amnon tenens cibos, & expectans, quando Amnon vellet eos ſumere. *Infer cibum in conclaui, vt veſcar de manu tua*. Conclauis erat camera, in qua iacebat Amnon, & Thamar erat nunc foris, ideo dixit Amnon, quòd introduceret cibum in conclaui, ſcilicet, ad lectum ſuum, quia ipſe in his omnibus non ſurgebat etiam ſi receſſiſſent ab eo omnes, vt ſemper ęgritudinem ſimularet. *Tulit ergo Thamar ſorbiciunculas, quas fecerat*. Ideſt quas tenebat extra cameram, & nunc putans, quòd vellet comedere Amnon, tulit eas. *Et intulit ad Amnon fratrem ſuum in conclaui*. Scilicet, quia ipſe iacebat, & oportebat quòd ipſa accederet ad eum. *Cumque obtuliſſet ei cibum*. Scilicet, ſuper lectum eius. *Apprehendit eam*. Ideſt, non curauit ſumere cibum, ſed tenuit eam fortiter, ne euaderet manus illius, nec comedit cibum, quoniam non expectabat illum. *Et ait veni, cuba mecum ſoror mea*. In his omnibus Amnon iacebat in lecto, nec ſurrexerat quamquam manu teneret virginem, & ſimul orabat, & violentiā inferebat, dicens: veni cuba mecum ſoror mea. Orabat quidem, quia voluiſſet Amnon quòd ipſa ſponte hoc pertuliſſet, tenebat quidem eam, quia timebat q̄ non conſentiens ſubito fugeret, & ipſe priuaretur ab optatis. *Quæ reſpondit ei, noli frater mi, noli opprimere me*. Expauit enim virginalis ſimplicitas, putauerat namque ſe ſine fraude vocatam, nunc verò conſpiciebat ſe inauxiliatam in medio laqueorum, ideo velut profuſis lachrymis tenerè orabat, noli frater mi, noli me opprimere. *Nec eſt hoc fas in Iſrael*. Ideſt, inter Iſraelitas non eſt licitum quòd ſoror ſtupretur à fratre ſuo: eſt autem licitum inter barbaras gentes, quæ ratione carent, ſicut ſunt Troglodite, & Garamantes, & alię plures gentes habitantes in deſerto Aethiopiæ coniuncto vię ſolis. Hi enim matrimonio non vtuntur, ſed ſicut ferę, & pecora in coitu nullam affinitatem diſtinguunt, ita vt iſtę gentes nulla ſanguinis ſacra iura cognoſcant. hoc tamen non erat licitum in Iſrael, vbi erat gens rationabilis, & à Deo in moribus inſtituta. *Noli facere ſtultitiam hanc*. Scilicet, quia ſtultiſſimum erat, quòd frater ſororem ſuam cognoſceret vim inferens. *Ego enim ferre non potero opprobrium meum*. Ideſt, tanta erit infamia, quam mihi ſic irrogabis, quòd ego nullo modo eam potero ſuſtinere, ſcilicet, quia oportet quòd totum meum bonum pereat, & nihil honeſtatis mihi relictum ſit.

Quare Thamar dixit ſe non poſſe ferre opprobrium ſuum. Quæſt. III.

QVAERET aliquis, quomodo Thamar non poſſet ferre opprobrium ſuum. Reſpō dendum, quòd ſicut illud dicimur nō poſſe facere, quod de iure non poſſumus, ita illud non poſſumus tolerare, quod manente honeſtate uon toleramus: Thamar autem non poterat manēte vlla honeſtate ſua tolerare infamiam hanc, quia fœminæ nullum bonum ſupereſt, virginitate indebitè adēpta: ſic autem erat in Thamar, ideo eligibilior ſibi mors erat, quàm tale opprobrium tolerare.

rare. In ſuper quia oportebat carere viro in æternum, nam aut acciperet virū tacita ignominia ſua, ſcilicet, q̄ defiorata eſſet, vel expreſſo hoc. ſi autem tacito, lapidāda erat: quia permiſit ſe matrimonio tradi adempta virginitate: ſic patet Deutero. 22. ſcilicet, quòd ſi vir accuſāret uxorem, dicens: hanc accepi uxorem, & non inueni eam virginem: lapidanda erat, niſi parentes puellæ adducerent in iudicium ſigna virginitatis in veſtimento: ſi autem exprimeret ante matrimonium contractum ſe non eſſe virginem: forte nullus accipere vellet vxorem, vel ſi quiſquam acciperet, poſtea eam aut contemptibilem, aut exoſam haberet: quorum quodlibet ipſi Thamar intolerabile erat, ita ut melius ſibi foret perpetuam pati uiduitatem. *Et tu eris quaſi unus de inſipientibus in Iſrael*. Ideſt, nullus reputabitur magis inſipiens in toto Iſrael, quàm tu, cùm filius regis exiſtens, talem dementiam attentaueris. *Quin potius loquere ad regem, & non negabit me tibi*. Ideſt, ſi deſideras frui concubitu meo, non ſic ſtultè agas, ſed pete me a rege in uxorem, & ille non negabit me tibi, ſcilicet, quia omnia tibi gratis concedet, eo quòd te diligit cùm ſis primogenitus.

Quomodo dixit Thamar, quòd rex non negaret tradere eam in uxorem Amnon fratri ſuo. Quæſt. IIII.

QVAERET aliquis, quomodo dicebat Thamar, quòd rex nō negaret eam tradere in vxorem: nam hoc videtur contra legem, cùm eſſet Thamar ſoror Amnon. Aliquis reſpondebit, quòd hoc nō obſtabat, quia non erat ſoror eius ex matre, ſed ex patre tantum, erat autem ſoror Abſalom ex utroque. Sed hoc non ſtat, quia q̄ocunque eſſet fraternitas impediebatur matrimonium, ſic patet Leuit. 18. ſcilicet, turpitudinem ſororis tuæ ex patre ſiue ex matre, quæ domi, vel foris genita eſt non reuelabis: ergo quamquam attineret ex ſola matre, copula eſt illicita. Andreas reſpondet, quòd illa lex intelligitur de fratribus genitis ex mulieribus Iudæis, ſecus autem de Gentilibus: mater verò Thamar & Abſalom erat gentilis, ſcilicet, filia Tholmai regis Geſſur: ſupra 3. Et fuit capta a Dauid in bello, accepitq; eam de numero captiuorum ſibi in uxorem, circunciſis vnguibus, & deploratis parentibus, vt patet Deutero. 21. ideo in filijs huius non erat ſicut in filijs aliarum vxorum Dauid, & quia Amnon erat filius uxoris Iſraelitæ, & Thamar mulieris gentilis, poterant copulari matrimonio. Sed hoc non ſtat, quia quomodocūque eſt fraternitas inter aliquos, impeditur contractus in veteri teſtamento: cùm lex dicat de ſorore ex patre, vel ex matre, nec poteſt fieri differentia aliqua, quòd ſit ſoror ex matre Gentili, vel Hebræa. Nam quomodocunque hoc fiat, eo q̄ in muliere ſumpta de Gentilitate lex non faciebat aliam differentiam; niſi quòd ſi vir non diligeret eam, poſſet illam repudiare, non tenendo in uxorem, tamen non poſſet eam uendere alteri genti, nec ſubijcere in ſeruitutem, eo quòd defloraverat eam. Iura ergo cognationis neceſſariò manebant integra, cùm lex de hoc non diſpoſuiſſet: ergo ſicut in alijs uxoribus de Iudaiſmo ſuſceptis non licebat tale matrimoniū inter fratres, ita nec in uxoribus ſumptis de Gentilitate. Nicolaus autem reſpondet aliter, ſcilicet, quòd iſtud matrimonium licitum erat, eo quòd nulla iura conſanguinitatis erant inter Thamar & Amnon, quæ hoc impedirent. Pro quo ipſe dicit, quòd Maacha mater Abſalom, & Thamar filia regis Geſſur aſſumpta eſt à Dauid in bello, & tūc erat prægnans de quodam viro Gentili, & inde genita eſt Thamar, ita ut Thamar non eſſet filia Dauid, & conſequenter non eſſent aliqua iura cōſanguinitatis. Sed

Nicolaus refellitur.

hoc non ſtat, quia oportet dicere, quòd erat Thamar ſoror Amnon ex parte patris: quod patet, quia litera dicit: veniat, oro, Thamar ſoror mea. Et iterum dixit ad regē Amnon: veniat, obſecro, Thamar ſoror mea. Et iterum dicitur: venit Thamar in domum Amnon fratris ſui, & Dauid dixit, veni in domum Amnon fratris tui: & iterum dicitur, quòd Thamar intulit ſorbiciunculas ad Amnon fratrem ſuum; Amnon quoque vocauit eam ſororem, dicens: veni cuba mecum ſoror mea: & illa dixit ad Amnon: noli me opprimere frater. Item patet, quia primo Paral. 3. numerantur omnes filij Dauid: & ſequitur, omnes hi filij Dauid abſque filijs concubinarum habuerūt Thamar ſororem: ergo verè erat ſoror ipſorum, & filia Dauid. Ad hoc autem fortè dicet aliquis, quòd non erat ſoror, ſed vocatur ſic largè ſoror, eo quòd erat ſoror Abſalom, qui erat frater Amnon. Sed adhuc iſtud non ſtat, quia ſi Thamar non fuiſſet verè filia Dauid, quamqnam vocaretur largè ſoror Amnon, non gauderet priuilegijs filiarum regum: & tamen dicitur infra, quòd Thamar erat induta talari tunica, huiuſcemodi enim filię regis virgines veſtibus vtebantur, ergo litera manifeſtè dicit eam filiam regis; alioquin non bene argueret: Thamar eſſe indutam talari tunica, adiungens ad hoc, q̄ filiæ regis virgines vtebantur his veſtibus. Item patet quia Abſalom frater Thamar conſolabatur eam ſuper hac re, dicens: Num Amnon frater tuus concubuit tecum? ſed nunc ſoror tace, frater tuus eſt: ne affligas cor tuum pro re hac. Si tamen Amnon non eſſet frater Thamar verè, iſta conſolatio eſſet ridicula, ſcilicet, q̄ frater ſuus cognouerat eam, ergo erat verè frater ſuus, & per hoc excuſabatur defloratio Thamar: nam cum ille eſſet frater ſuus, poſſet eam fallere, cùm ipſa nō teneretur ſe ab eo cuſtodire. Dicendum ergo quòd verè erant fratres Amnon & Thamar, & quòd ipſa erat filia Dauid. Cùm autem dicitur, quomodo poterat eſſe inter eos matrimonium? Reſpondendum, quòd non poterat eſſe: Thamar tamen dixit hoc volens effugere manus eius, vt quomodocunque eam dimitteret. Vel aliter & melius, ſcilicet, quòd Thamar erat virgo & ignara iuris, neſciens qui gradus cōſanguinitatis excluderent matrimonium: putauit autem fortè quòd cùm ipſa eſſet ſoror Amnon ex patre tantum, quòd poſſet eſſe vxor eius, ſed non poterat. *Noluit autem acquieſcere precibus eius*. Ideſt, quamquam Thamar ſupplex, & miſeranda oraret, ita vt à barbaro quocunque ipſa virginalis ſimplicitas exaudiri mereretur, ferox ille frater exaudire non voluit, ſed in his omnibus eam dutè tenebat, ne effugeret manus eius. *Sed prævalens viribus oppreſſit eam, & cubuit cum illa*. Erat enim Amnon vir fortis: ipſeque furoris impetus eum fortiorem reddebat: vnde virginalis teneritudo ei reſiſtere nequiuit. O virorum inſenſatiſſime Amnon, ò miſerabilis, ſed non miſerande iuuenis, quid flagitij paras? quid infamē domum opprobrijs grauas? Verè quidem à facinoroſo patre ſceleſtius filius didiciſti, ſed mitius ille: ipſe nāque exteros adulterio & homicidio polluit, tu verò paternam domum, & regiam familiam inceſtuoſo facinore maculaſti, quid enim in te debilis ille igniculus tam furioſum effecit, vt propinquiſſimæ conſanguinitatis iura non veritus ſororem propriam violares? Qd enim non te paterna reuerentia, non honeſtatis amor, non ipſa infamis fama ab hoc perpetrando ſcelere abſtraxerunt, ſaltem ipſæ virgineæ ſupplices, & obortis lachrymis fuſæ præces, quas barbarus quiſque & ferę nō homo exauditione dignas haberet, tuam inſaniam emolire debuiſſent. Sed ò miſerabilis iuuenis omne ſcelus ſuperas, omne flagitium vincis, quid enim non attendis quantum te honore prælatum celſitudo regia tenebat, qui tanquā primogenitus paterna gloria fungebaris?

Reſponſio auct.

gebaris? Nunc te infamem factum calamitosa mors expectat, & digna quidem temerarijs ausis tuis reddita sunt. Tu enim omnem rationem, & pietatem furore superasti, Tibi ergo mortis dignissimum genus illatum est. Nam non vt filij regis, aut cæteri probi viri mori solent, sed vt vilissimus virorum in ipsa temulentia perijsti. *Et exosam eam habuit Amnon magno odio nimis.* Ideſt, postquam semel cognouit eam Amnon: habuit ad eam magnum odium, ita vt nec eam pacifice intueri posset. *Ita vt maius esset odium, quo oderat eam, amore, quo eam ante dilexerat.* Hoc enim admirandum est, quòd cùm iste iuuenis ardentissimè diligeret Thamar, ita vt deperiret in eam, & ægrotaret propter illã, vnico expleto accessu, posset eam exosam habere, & potissimè cùm dicatur, quòd odium istud fuit maius amore, quo eam prius dilexerat.

Amor Amnon erga Thamar versus in odiũ.

Vnde ortum est odium Amnon contra suam sororem Thamar. Quæst. V.

QVAERET aliquis, vnde insurrexit tam amarum odium ipsi Amnon contra sororem suã dilectissimam. Respondent Hebræi, ꝙ Amnon in defloratione Thamar grauiter læsus fuerat in genitali vase, ita vt oportuerit illud abscindi: modum autem huius læsionis turpissimum ipsi tangunt: hunc tamen explicare aut saltem cõmemorare fœdissimũ arbitror, sed hæc falsa & ridicula sunt. Respondendum ergo, quòd istud odium maximum nõ superuenit naturaliter, sed à Deo: cùm enim Amnon ante hoc nimis dilexisset Thamar, etiã post hoc eam diligere debuisset cupiens illo frui, quod prius optauerat. Sic enim fuit de Sichem filio regis Emor, qui videns Dinam filiam Iacob exarsit in eam, & rapuit illam, atque oppressit, conglutinataq; est anima eius animæ illius, ita vt propter illam omnibus se duris subijceret, & circuncisionem ipsam, quam Gentiles opprobrium putabant, sponte cum toto populo suo acceptaret, vt patet Gen. 34. Amnon autem maiori amore Thamar dilexerat, ideo magis ei conglutinari debuisset, sed è contrario factum est. In quo cognoscenda est manifestè Dei iusta punitio, vt ad illum amorem, qui excellẽter irrationabilis est, excessiuum odium consequatur, vt sic pœna detur per opposita. Dei enim statutum est, vt illi, qui valde iniquè agunt, sibiipsis etiam nullo puniente pœna sint. Sic ait Aug. in lib. Cõfessionum, scilicet. Iussisti domine, & sic est, vt pœna sit sibi omnis inordinatus animus. Et quia copula ista fuerat per magnam iniquitatem, magnũ odium consecutum est. Sic etiam fuit de Medea filia regis Colchorum, quæ nullum facinus inausum reliquit, patriam offendit, patrem Thesauro spoliauit, par nullum fratrem lacerauit, vt solius peregrini Iasonis amore frueretur. Sed ad hunc immanissimum amorem, immo furentem insaniam quam sæua odia consecuta fuerint, audire piget. Ille enim qui excessiuè contra fas amabatur, amarissimo odio habitus est; ita vt scelesta illa Medea ad vindictam eius communes filios, ipso cernente, nec tamen impedire valente, iugularet. De hoc Seneca in tragœdia. 7. cuius titulus est Medea. Amor autem Sichem ad Dinam nõ fuit tam illicitus, cùm nihil ibi mali nisi violentia intercidisset. Euenit autem omnibus, qui magna scelera patrauerit, vt animo eorum magna odia etiam sui ipsorum insurgant, ita vt se diligere nequeant: sed furentibus cogitationibus inquietentur. Istæ autem sunt pœnæ, quę more poetarum tres furiæ appellantur, quæ non solùm in inferno, ut ipsi aiunt, sed etiam uiuentibus se inferunt, cùm iniquitas eorum ad magnum gradum peruenerit. Sic enim fuit in Iuda Saluatoris nostri discipulo, ac proditore, cùm Dominum atque Redemptorem vẽdidisset, huius tam horrẽdi facinoris memoratu aliorumque infandorum, quę ante apostolatũ susceptum peregisse refertur, si credimus, grauiter intra seipsum, premente conscientia, affligebat, & præ inquietudine amari cordis in seipsum concitatus, seque exosum habens abiens laqueo se suspendit, & crepuit medius, & effusa sunt viscera eius. Non dissimile autem huic cõscientiæ prauę in se sæuientis exemplum patet in Oedipo Laij regis filio, & reginæ Iocastæ in Thebana ciuitate prouinciæ Boętiæ, quę in Græcia est, regnantiũ. Hic enim Layum patrem suum bello petens occidit, matrem autem incestans gemina prole grauidauit. In de quippe gemelli Etheocles & Polynices orti sunt. Horum autem infœlix Oedipus sibi conscius, praua in se desæuiente conscięntia oculos funditus sibi eruit huius lucis communis indignos. His autem aliud deterius excidij genus additurus erat, se de altissimis scopulis in mare Ionum præcipitare uolens, nisi Antigona filia ceci patris iam ductrix facta à prauè conceptis inhibuisset. De hoc Seneca tragœdia 5. quæ dicitur Oedipus, carmine primo. Item factum est hoc iudicio Dei ad pœnam Dauid, scilicet, vt ipse puniretur in actu isto. Nam si Amnon non expulisset Thamar tãquam exosam, fortè habitus fuisset alius modus, & non occisus fuisset Amnon ab Absalom. Deus tamen volebat Amnon perire in pœnam Dauid, ideo laxauit habenas huic magno odio. *Dixitque ei: Amnon surge, & vade.* Ideſt, recede hinc: nõ enim poterat iam eam præ magnitudine odij gratè videre. *Quæ respondit ei: maius est hoc malum, quod nunc agis aduersum me, quàm quod ante fecisti, expellens me.* Ideſt, maius malum est, quod nunc facis mihi me expellendo tanquam meretricẽ, quàm malum quod fecisti prius, me uiolenter cognoscẽdo.

Respõsio Hebr. ridicula.

Medeæ amor in odiũ versus.

Qui magna peccata cõmittũt, euenit vt etiam seipsos odiant.

An maius malum fecit Amnon expellendo Thamar, quàm opprimendo. Quæst. VI.

QVAERET aliquis, quomodo est verum, ꝙ maius malum nũc inferret Amnon Thamar sorori suæ, quàm uiolando eam. Respondendum, quòd hoc erat maius, quia oppressio fuit occulta, eiectio autem erat manifesta, & iniuriæ manifestæ sunt semper maiores iniurijs occultis. Item, quia Thamar putabat, ꝙ posset esse vxor Amnon; sicut supra dixerat, loquere ad regem, & non negabit me tibi, ideo licèt ipsa noluisset à principio opprimi, quia tamen iam oppressa erat, voluisset accipi in vxorem ab Amnon, & si tacuisset Amnon defloratione, & petiuisset a rege Thamar in vxorem, fuisset occulta res ista, & non sequeretur aliqua infamia Thamar, licèt passa fuisset quoddam malum, scilicet, violentiam. Nunc autem cùm publicè expelleretur, non erat spes de recipiendo eam in uxorem, ideo erat istud malum maius, quàm præcedens. In Hebræo habetur. *Propter causam malitiæ huius magnæ maioris, quàm prius fecisti mecum.* Ideſt, istud, scilicet, quòd me mitteres est causa malitiæ magnæ, & maioris quàm illius, quam prius fecisti mecum, opprimendo me. *Et noluit audire eam.* Nunc enim infelicior erat iuuenis iste, quia cùm infandũ perpetrasset scelus ex nimio amore, saltem eam, quam stuprauerat, illæsam obseruare debuisset, hoc enim malum non erat, immo laudabile, patrata semel iniquitate. Quod autem sic factum fuerit, sceIus fuit, scilicet, iniuriam iniuriæ addere. *Et vocato puero, qui ministrabat ei.* Scilicet, non eiecit eam per se Amnon, sed vocauit puerum suum, vt eam eijceret. Hoc autem non quòd Amnon iaceret in lecto languens, sed quia uoluit eijci Thamar de domo sua in callem, ipse autem erubescebat exire in callem ferendo eam, ideo

ideo iussit hoc puero: noluit enim quòd Thamar maneret saltem in aliqua parte domus eius, eo non respiciente, quousque uenire possent aliqui cum quibus ipsa honestiùs iret, sed misit eã solam, & quasi nudam, & detestabilius, quã si misisset meretricem. *Eijce hanc à me foras.* Ideſt, eijce eam à conspectu meo, & non solùm, vt non uideam eam, sed etiam foras, scilicet, vt non sit in domo. *Et claude hostium post eam.* Timebat enim Amnon, quòd Thamar præ uerecundia non audens per callem progredi rediret in domum, ideo iussit domum claudi ne introire posset. *Quę induta erat talari tunica.* Vocatur tunica talaris tunica de serico, vel tunica facta de diuersis coloribus, ideo uocatur alio nomine polymita; vt patet Gen. 37. nam polymita dicitur à poli, quod est pluralitas, & mitos, quod est gutta quasi pluralitas guttarum, vel tincturarum. Vocatur autem talaris, ideſt, longa accedens usque ad talos; quia virgines vtebantur vestibus longis. In Hebræo vocatur serica, vel de fragmentis, scilicet, quòd esset facta de diuersis partibus pannorum. Ponitur autem de ista tunica talari, quia infra dicitur, ꝙ secuit eam. *Huiusce modi enim filię regis virgines vestibus vtebantur.* Id est, erat induta Tamar tunica talari, quia filiæ regis in statu virginali vtebantur his tunicis. Ex hoc patet, ꝙ Thamar erat filia regis, alioquin non bene diceretur hic, quòd erat induta talari tunica, quia filiæ regis vtebantur his vestibus. *Eiecit itaque eam minister illius foras.* Ideſt, minister Amnon exclusit Tamar de domo; quia licèt esset filia regis, & iniustè passa, & misereretur eius, obtemperans iussis domini, exclusit eã. *Clausitque fores post eam.* Intelligitur de foribus exterioribus, ita ut nõ posset regredi Tamar in domum. *Quę aspergens cinerem capiti suo.* Ideſt, asperſit cinerem, vel puluerem super caput suum.

Cur Tamar asperſit cinerem capiti suo. Quæst. VII.

QVAERET aliquis, quare faciebat istud Tamar. Respondendum, ꝙ propter duo. Primum erat ad significandum dolorem, nam antiquis erat ista consuetudo, ꝙ quandocunque vellent innuere magnũ dolorem, scindebant vestes, & imponebant puluerem super caput: sic patet de illo viro Amalecita, qui uenit ad Dauid, nuncians mortem Saulis: nam dicitur, ꝙ apparuit homo veniens de castris, Saul veste consisa, & puluere aspersus caput; supra primo. Ipse quoque Dauid scidit vestimenta sua, cognita morte Saul. eo. cap. Iussit etiam Dauid Ioab, & uiris suis, quòd scinderent vestimenta sua, & accingerentur saccis ante exequias Abner, supra tertio. Ipse quoque Dauid postea vestimenta sua scidit, audito quòd filij sui mortui essent: vt patet infra in litera. Idem fuit in Niniuitis, qui induti sunt saccis, & sederunt in cinere, vt patet Ionæ. 3. scilicet, quando erant in angustia, putantes quòd ciuitas subuertenda erat. Thamar autem nunc posuit cinerem super caput ad signandum se humiliatam fuisse, & vilificatam usque ad cinerem, vel puluerem terræ. Secunda causa erat ad signandum, quòd uiolenter cognita fuerat; nam iam nõ poterat occultari Thamar fuisse defloratam, & si taceret, putaretur consentiens, ideo ne amplius infamaretur, cœpit conqueri de uiolentia sibi inflicta per ista signa tristitiæ. Sic enim est in legibus quarundam gentium, quòd virgines defloratæ si non lacerauerint vultum suum vnguibus ad effusionem sanguinis, non credantur violenter defloratæ. *Impositisque manibus super caput suum ibat clamans, & ingrediens.* Ideſt, etiam posuit manus super caput ad significandam verecundiam, & confusionẽ. sic etiam ad significandum cõfusionem in quibusdam alijs ho-

minibus caput erat discoopertũ è contrario: sic patet de leprosis Leuit. 13. Nam isti toto tempore debebãt habere caput nudum, & os veste contectum; sed in diuersis accipiuntur diuersa pro confusione, & dicitur quòd ibat ingrediens, & clamans, ideſt, ingrediens in domum fratris sui Absalom clamabat, ibi autem potius fecit hoc, quia ille erat, cui cõqueri deberet, cùm ille posset iniuriam sibi factam vindicare: etiam quia ex hoc proueniebat magna iniuria Absalom, cũ Thamar esset soror sua ex patre & matre. *Dixitque ei Absalom frater suus.* Scilicet, quando ipsa ingressa est in domum Absalom clamans. *Num Amnon frater tuus concubuit tecum?* Sciebat enim Absalom, ꝙ Thamar iussu regis iuisset ad parandum cibos Amnon, ideo cùm nunc vidisset eam deturpatam, nihil potuit extimare, nisi ꝙ defloratа esset ab Amnon. Cogitauit autem de illo, quia arbitratus est, ꝙ nullus præter Amnon ausus fuisset tangere Tamar, cũ esset filia regis. *Sed nunc soror tace.* Hic Absalom consolabatur Tamar, quia indicibilis erat planctus eius: & dixit, ꝙ cessaret à planctu. *Frater tuus est.* Ideſt, non debes tantum te affligere, quia frater tuus est, qui te oppressit, quasi dicat, si oppressa fuisse ab aliquo extraneo crederetur, quòd tu fuisses spontanea, quamquã conquereris: sed nunc oppressa ès à fratre suo primogenito, à quo non te debebas obseruare, vnde facile erat, ꝙ te opprimeret, si vellet, & nullus te putabit in hoc consentientem. *Mansit itaque Tamar contabescens in domo Absalom fratris sui.* Ideſt, ex hoc tẽpore mansit Tamar in tristitia magna, & angustia in domo fratris sui Absalom perpetuam seruans viduitatem, quia iam defloratа fuerat, & ignominiosum sibi matrimoniũ esse putabat, quia vel necesse erat alicui uiro se inferiori coniungi, vel opprobrium sustinere virginitatis ablatæ; ita ut non esset sibi manendum apud virum tanquam uxori, sed tanquam famulæ abiectissimæ. Honestius ergo, & tolerabilius esse putauit sustinere perpetuam uiduitatem. *Cum autem audisset rex Dauid verba hęc.* Scilicet, ꝙ Amnon defloraуerat Tamar. *Contristatus est valde.* Scilicet, quia filius suus egerat aliquid turpissimum, & filia sua passa fuerat aliquid inhonestissimum. *Et noluit contristare spiritum Amnon filij sui.* Ideſt, quamquã nimis deliquisset Amnon deflorando sororem, noluit Dauid punire eum: immo noluit saltem uerbo increpare illum. *Quoniam diligebat eum.* Ideſt, nimis diligebat Dauid ipsum Amnon; ideo molestum erat ei increpare illum. *Quia primogenitus erat ei.* Ideſt, propter hoc diligebat eum nimis, quia erat primogenitus eius, scilicet, erat iste filius Achinoam; & natus est ei primus in Hebron. supra 3. cap.

Quare Dauid non coegit accipere Tamar in vxorem, cum defloraſſet eam. Quæst. VIII.

QVAERET aliquis, quare Dauid non compulit Amnon ad accipiendum Tamar in uxorem, cùm iam defloraſset eam, vt nõ esset tanta iniuria Tamar: nam etiam secundùm legem hoc posset fieri. Aliquis respondebit, ꝙ Amnon susципere nollet eam, cùm iã habuisset exosam: matrimonia tamen non possunt contrahi inuoluntariè. extra de sponsalibus. cap. cum locum. Respondendum, quòd in lege ueteri erant aliqui casus, in quibus uiri cõpellebantur susципere aliquas mulieres in uxores. Sic erat hic, cùm quis uiolenter defloraret puellam, vel seducendo eam, vt patet Exod. 22. scilicet. Si seduxerit quis uirginem necdum desponsatã, & dormierit cum ea, dotabit eam & habebit uxorem, ideſt, obligabitur dare ei dotẽ, & accipere illam in uxorem. Respondet Nicolaus, quòd non fuit factum hoc propter

Casus, in quibus in veteri lege viri cogebantur susципere mulieres aliquas in vxores.

pter timorem occisionis Tamar: nam Amnon postquam cognouit illam, tantum habuit exosam, quòd non potuit illam conspicere, nec pati quòd maneret in domo: si ergo nunc ei traderetur uxor inuoluntariè, magis eam haberet exosam, & occideret. Simile autem est de libello repudij: nam Deus hunc permisit ad euitandam mortem uxorum, quam intulissent Iudæi, si coacti eas tenerent. Sic patet Matt. 19. Scilicet, ad duritiã cordis uestri libellus repudij datus est, idest, quia habebatis cor durum, & occidissetis vxores, si compelleremini eas tenere. Sed adhuc dicendum, quòd hoc non stat, quia non poterat Dauid tradere Tamar in uxorem Amnon, quia erant fratres, vt supra probatum est: & tale matrimonium reprobatur à lege Leuit. 18. ideo oportuit, quòd Tamar maneret sine uiro.

Dauid an peccauerit non castigando Amnon.
Quæst. IX.

QVAERETVR vlterius, an Dauid peccauerit non castigando Amnon filium suum super hac re, & an teneretur eum occidere. Aliquis dicet quòd sic, quia delicta grauia erant, scilicet, cognoscere sororem, & violenter, quæ sunt incestus, oppressio, & stuprum. Nicolaus respondet, quòd non tenebatur Dauid occidere Amnon, quia aut occideret eum pro incestu, aut pro stupro, vel violentia. Pro primo dicit, quòd non, quia hic non erat incestus, nam incestus est illicitus coitus inter personas consanguinitate coniunctas in gradu prohibito à lege, sed inter Thamar & Amnon nõ erat aliqua consanguinitas, ideo nec incestus. Item non pro stupro, quia stuprum inter personas solutas non erat in veteri testamento crimen capite plectendum. Item non pro violentia, quia violentia illata virgini non desponsatæ non faciebat virum mortis reum, sed solùm obligabat eum ad sumendum illam in vxorem, & nunquam repudiandum, & ad quãdam pecuniariam pœnam patri puellæ soluendam. Deute. 22. Item violentia requirebat, quòd deduceretur in iudicium, & probaretur. Thamar autem non accusauit Amnon, nec probauit illatam violentiam, ideo non erat condemnandus Amnon ad aliquid: dicit tamen quòd credendum est, quòd aliquo tempore Dauid correxerit Amnon increpando eum super hoc, licèt tunc nihil dixerit. Sed dicendum est ista dicta Nicolai non stare. Cùm enim dicit, quòd non fuit incestus, falsum est, quia hic erat consanguinitas propinquissima, scilicet, fraternitas, ideo erat incestus tanto magis detestandus, quanto erat in gradu propinquiori, erant autem isti fratres, vt supra probatum est. Nicoiaus tamen putat eos nõ fuisse fratres, & in hoc deuiat. Item non stat si quis dicat, quòd Dauid non potuit de iure occidere Amon pro hoc, quia non fuit deductum in iudicium, nec probatum: nam vbi est aliquid, quod est solùm in præiudicium partis, & potest remitti per partem, iudex non procedit nisi ad petitionem partis, qa non petendo, vel non accusando, videtur remittere ius quod habet. In casu tamen, in quo præiudicatur iuri publico, quamquam pars non petat, iudex ex officio suo procedere debet, quia nõ est delictum remissibile per partes: sic enim est in incestu, quia læditur ius publicum, ideo licèt iniuriam passus remittat, quãtum ad eum pertinet, non est remissio simpliciter, ideo semper manet officium iudicis. Dauid autẽ erat iudex, ideo constito sibi de hoc crimine, licèt Thamar non accusaret Amnon, ipse debebat procedere cõtra Amnon: potissimè quia Thamar videbatur conquesta de Amnon, inquantum publicè proclamabat se ab eo oppressam, ideo tenebatur Dauid procedere. Aliud autem dictum Nicolai, scilicet, quòd Dauid aliquando increpuerit Amnon super hoc, non videtur stare, quia scriptura ista facta est post mortẽ Amnon & Dauid, ideo si accidisset post istud increpatio Amnon, enarrasset illam; sed dicitur simpliciter, quòd noluit Dauid contristare spiritum filij sui Amnon, qa diligebat eum, ergo videtur quòd nũquam increpuit illum. Item aliquando criminum correctio differtur ex quibusdam causis specialibus, sed regulariter crimen immediatè vt constiterit puniendum est. Causa autem, quæ facit differri punitionem, est scandalum, vt si fortè tumultus insurgeret in populo, & conuocatio ad arma, posset tunc desisti à punitione alicuius delicti, si creditur, quòd alio tempore conuenientius punietur. Eodem modo si ille, qui increpandus est, vel castigandus est passionatus, & ex hoc est indispositus ad suscipiendam disciplinam, debet ad modicum differri quousque sit extra passionem: sic enim Abigail volens increpare Nabal virum suum pro malo, quod fecerat contra Dauid, non locuta est ei, quando erat ebrius, sed expectauit ad sequentem diem, præced. lib. c. 25. In casu autem isto nihil istorum erat: nam non erat aliquod scandalũ, si Dauid vellet increpare Amnon, vel eum punire, & si aliquod scandalum erat, vtpotè quia aliqui de populo vellent auxiliari Amnon, ne puniretur à Dauid, istud magis esset postea. Nam nunc propter horrorem criminis Amnon omnes de populo habebant eum exosum, & rari ei fauerent, postea verò crimine illo veniente in obliuionem plures haberet adiutores. Item non stabat secundum, scilicet, quòd nunc esset Amnon passionatus, quia cùm Amnõ intulisset malum, & Thamar sustulisset illud, ipsa erat passionata, & ille non: vnde poterat conuenienter susciperе disciplinam. Si igitur Dauid aliquando intendisset punire, vel increpare Amnon, nunc habebat tempus aptissimum: & tamen nunc non corripuit, ergo credendum est verisimiliter, quòd nunquã eum increpuerit. Et sic dicendum ad quæsitum, quòd Dauid peccauit in hoc, quia pro tanto scelere aliqua correctio fuisset necessaria, & ob hoc scriptura dicit quasi in reprehensionem Dauid quòd noluit contristare spiritum Amnon filij sui, quia diligebat eum.

Opinio Nicolai reijcitur.

An Dauid teneretur occidere Amnon filium suum pro incestu. Quæst. X.

QVAERETVR vlterius, concesso quòd hic fuerit incestus, sicut verum est, scilicet, quia Thamar erat soror Amnon, an Dauid teneretur occidere eum. Respondendum est, quòd hic est duplex dubium, vnum est an Amnon merereturmortem pro isto incestu. Secundum est, dato quòd mereretur, an Dauid debebat eam sibi infligere. Ad primum dicendum, qp Amnon merebatur mortem pro hoc, quia quicunq; cognosceret sororem suam, occidendus erat. Sic patet Leuit. 20. scilicet. Qui acceperit sororem suam filiam patris sui, vel filiam matris suæ, & uiderit turpitudinem eius, illaque conspexerit fratris ignominiã, nefariam rem operari sunt, occidantur ambo in conspectu populi. Thamar autem non erat occidenda, quia violenter passa fuerat, ergo solus Amnon occidendus erat. Ad secundum respondendum, quòd quamquam mereretur mortem Amnon, tamen aliqui dubitãt, an liceret Dauid eam sibi inferre. Aliqui dicunt, quòd non, eo quòd pater erat, & non licet patri pro quocumque crimine occidere filium. Aliqui enim de gentilibus tenuerunt, quòd nunquam pater deberet occidere filium, etiam si esset iudex, & filius deliquisset: quia sic efficitur pater infelix, sic enim Virgilius increpat Brutum primum consulem, quia duos filios suos securi percuti fecit ad palum ligatos, quia patriæ proditores erant, fouentes partem Tarquinij regis Romanorum. Vnde ait in sexto Aeneidos.

Infœlix, vt cunque ferrent ea facta minores.
Vicit eum amor patrię, laudisque cupido.

Sed dicẽdum, quòd ista nihil sunt, nam patri licet occidere filium aliquando, vt iudex, & aliquando non vt iudex, sed vt priuata persona. De secundo patet Deut. 13. vbi dicitur, quòd si vxor, vel filij, aut quæcunque personæ suaderent alicui colere Deos alienos, debebat occidere illos, scilicet, quòd accusaret eos, & ipse primum lapidem mitteret in illos. De primo patet, quia nemo dubitat patri licere quando fuerit iudex condemnare filium in actione ciuili. Item si sit criminalis actio ad paruam pœnam infligendam, vt ad solam deportationem, vel ad paruam fustigationẽ, nemo dubitatur hoc licere patri: quia etiam, vt est persõna priuata, licet sibi filium verberibus castigare moderate. Non est ergo dubitandum, quin possit filium occidere, si iudex sit, & causa coram eo ventiletur, quia tunc non agit, vt pater, sed vt iudex: ideo oblato hoc casu, in quo filius per patrem iudicandus sit, si reus criminis sit, tenetur pater in eum sententiam ferre, vel alteri delegare causam illam, vt sententiam ferat, ne crimina remaneant impunita. Et si fortè pater velit cedere dignitati iudicatiuæ, vt non cogatur occidere filium suum, & per hoc ille impunitus euadat, pater mortaliter peccat: tanquam fauens criminosis, & personarum acceptor, & malè administrãs officium, pro quibus etiam secundùm leges humanas puniri deberet. Dauid autem noluit filium pro manifesto crimine condemnare, nec alteri commisit istam causam, ideo peccauit satis grauiter. Ob hoc autem videtur, qp Deus tradiderit Amnon occidẽdum per manus Absalom: quia Dauid noluit eum iustè occidere. Simile fuit de filijs Hely summi sacerdotis; nam ipse noluit castigare eos, quamquã sciret grauia peccata eorum; ideo Deus dixit, quòd in die una morerentur ambo filij eius, vt patet præced. lib. c. 2.

An Dauid potuerit Amnon absoluere. Quæst. XI.

QVAERETVR vlterius, an aliqua causa erat, quæ posset excusare iustè Amnon à morte. Aliquis dicet, quòd sic, quia Dauid poterat parcere ei, cùm ipse esset iudex, & pater, cui iniuria illata fuerat, & non teneretur ad mortem: quod patet, quia hic iniuria fuit illata ipsi Tamar, & Dauid patri eius. Poterat autem Dauid remittere quod in se erat, & inducere Tamar, vt remitteret: deinde ipse quod inquantum iudex remitteret executionem iuris, remittente parte, ideo licitè fieret. Respondendum, quòd hoc non stat, quia Dauid aut remitteret aliquid inquantum iudex, vel inquantum pars. Primum non potest, quia iudex nihil potest remittere de iure partis, vel de iure publico, sed tenetur cuicunque de iustitia prouidere: solùm autẽ iudex remittit, quando pars petierat, & ex hoc tenebatur iudex sibi exhibere complementum iustitiæ, si postea pars remittat, ipse quoque cessabit ab executione. Si autem sit ius publicum, vt si sunt aliqua delicta, quæ sunt contra statum publicum, & in fauorem reipublicæ principaliter iura imposuerunt pœnam delinquentibus, Iudex non potest remittere pœnam debitam: nisi forte sit legis conditor, quia ille potest dispensare in lege, vel tollere illam in totũ: sed hic delictum istud præiudicabat iuri partis, & iuri publico: poterat autem Dauid remittere ius suum, scilicet, iniuriam sibi factam, & filiæ suæ; saltem inducendo eam ad hoc: non poterat tamen remittere ius publicum, scilicet, qp læderetur ius consanguinitatis per incestum, ideo manebat aliquid quod per nullũ remitti poterat, & propter hoc debebat occidi Amnon. Sed adhuc dicetur, quòd Dauid poterat remittere ius publicum dispensando in lege, quia ipse erat legislator cùm esset rex, reges autem possunt condere leges in terris suis; potissimè quando non cognoscunt aliquem superiorem: sic erat rex Dauid, qui nullum superiorem habebat. Respondendum, quòd ipse poterat dispensare in legibus illis, respectu quorum erat legislator: In lege tamen condita a superiori non poterat, quia minor non habet ius in superiorem: lex tamen de morte infligenda incestuosis, fuit à Deo lata. Leuit. 20. ideo non poterat dispensare in ea, ergo occidendus erat Amnon.

An poterat remitti mors Amnon, eo quòd erat primogenitus, qui regnaturus erat. Quæst. XII.

QVAERETVR vlterius, an poterat remitti ei mors, qa erat primogenitus regis. Aliquis dicet, quòd sic, qa primogenitus successur⁹ erat in regno, vt ergo non priuaretur regnũ legitimo successore, debebat remitti ei mors. Sic enim fuit de Ionatha filio Saulis, quia Saul uolebat eum occidere cùm deprehensus esset à Deo in crimine, & pater iurasset eum occidere; populus tamen eripuit eum de manu Saulis, ne occideretur: erat enim primogenitus regis. De hoc præced. lib. c. 14. Respondendum, qp etiam propter hoc non erat ei remittendum delictum. non est enim intelligendum absolutè, qp omnia delicta remittenda sunt alicui, ne regnum priuetur legitimo successore. Patet hoc, quia si filius regis induxisset aliquos ad colendum idola, occidendus erat, & nullo modo debebat ei parci. Deuter. 13. alij autem similes casus esse possunt. Iste autẽ casus de Amnon licèt esset fœdissimus; tamen non erat tam grauis, vt idolatria, ideo ut regnum non careret successore, poterat aliqualiter remitti. Nunc tamen non erat motiuum aliquod ad remittendum, & hoc propter duo. Primum, quia dato, quòd uixisset Amnon, non erat ipse regnaturus, licèt esset primogenitus, quia Deus determinauerat supra septimo, quòd ille, qui regnaturus erat, adhuc nasciturus erat de Dauid: & iste erat Salomon. Amnon autem iam natus erat, ideo non poterat succedere Dauid; nullus etiam de alijs filijs. Vnde nihil obstabat mors Amnon. Secũdum est, quia propter mortem Amnon non priuabatur regnum legitimo successore; nam si Dauid non haberet alium filium: nec expectaretur alius habiturus, poterat parci Amnon ne deuolueretur regnum ad alios de alia stirpe. Item non erat Amnon magis legitimus hæres, quàm quilibet alius de filijs Dauid, cùm tunc non esset determinatum ius successionis in primogenitis, sed patres poterãt ordinare quis de filijs succederet eis in regnum: sicut fecit Dauid de Salomone. & quamquam Dauid haberet alios filios maiores, tamen totus Israel expectabat quem vellet Dauid constituere in regem de filijs suis. seq. ib. c. 1. Roboam quoque filius Salomonis, quamquam haberet plures filios, instituit tamen regem Abiam, qui non erat primogenitus, quia erat sapientior, & potentior alijs, vt pater. 2. Paralip. c. 11. ergo quilibet de filijs Dauid poterat succedere ei, & consequenter non erat parcendum Amnon, ne priuaretur regnum successore legitimo. Cùm autem arguebatur de Ionatha, quem populus à morte eripuit. Dicendum, quòd non fuit simile, primò, quia Ionathas non peccauerat, nam ipse non audiue-

rat præceptum patris ſuper populum. præced.lib.c.14. Amnon autem peccauit grauiſſimè. Secũdò quia Ionathas dato q̃ in aliquo deliquiſſet, fecerat magnum bonum in Iſrael, nam ipſe ſolus cum armigero aggreſſus eſt aciem Philiſthinorum, & occidit multos, & ex hoc reliquus Iſrael habuit occaſionem pugnandi, & vincendi, prælle.cap. & iſta fuit potiſſima cauſa quare populus liberauit eum à morte: vnde dixit populus ad Saulem: ergo ne Ionathas morietur, qui fecit ſalutem hanc magnam in Iſrael, hoc nefas eſt: viuit dominus ſi ceciderit capillus de capite eius, quia cum Deo operatus eſt hodie. Amnon autem non fecerat aliquid notabile, propter quod deberet eripi à morte, licèt peccaſſet, ergo nihil erat, propter quod deberet excuſari Amnon. Sciendum autem quòd in Hebræo non habetur iſta litera tota, ſcilicet, & noluit contriſtare ſpiritum Amnon filij ſui, quoniam diligebat eum, quia primogenitus erat ei.

Porro non eſt locutus. Hic ponitur ſecundum huius cap. ſcilicet, retentio rancoris in Abſalom, quia propter hoc quod fecit ſorori ſuæ Amnon, habuit ſemper eum exoſum. Et dicitur. *Porro non eſt locutus Abſalom ad Amnon, nec bonum, nec malum.* Ideſt, quamquam Amnon valde offendiſſet Thamar, & conſequenter Abſalom, quia erat frater eius ex patre & matre, non locutus fuit Abſalom aliquid Amnon; & tamen veriſimile erat, q̃ loqueretur ei grauiter propter magnã offenſam. Fecit hoc autem Abſalom ad diſſimulandum, quia ipſe proponebat occidere Amnon, & quia ſi locutus fuiſſet ei grauiter obſeruaſſet ſe ab eo, & nõ habuiſſet opportunitatem occidendi ipſum, nihil locutus eſt, tanquam ſi nihil egiſſet. *Oderat enim Abſalom Amnon.* Ideſt, quamquam nihil mali loqueretur Abſalom ad Amnon, tamen oderat eum in corde ſuo. *Eo quòd violaſſet Thamar ſororem ſuam.* Iſta iniuria videbatur totaliter illata Abſalom, quia nullus erat, ad quem tantum pertineret ſicut ad eum, quia ipſe erat frater illius ex patre & matre. Thamar quoque ad ipſum ſolum recurrit cõquerens, & apud eum manſit ſemper poſt defloratione. *Factum eſt autem.* Hic ponitur tertium huius cap. ſcilicet, vindicatio pudoris in Amnon: quia in pœnam oppreſſæ virginis occiſus eſt. Et dicitur. *Factum eſt autem poſt biennij tempus.* Ideſt, tranſiuit biennium poſt defloratione Thamar, & adhuc Abſalom nihil egerat contra Amnon. *Vt tonderentur oues Abſalom.* Quolibet enim anno tondebantur oues, ſed non fecit Abſalom hoc, quod intendebat in alijs tonſionibus ouium.

Quare expectauit Abſalom vindicare ſe contra Amnon per biennium quando tondebantur oues.
Quæſt. XIII.

QVAERET aliquis, quare Abſalom non aggreſſus eſt occidere Amnon, niſi poſt biennium, & hoc quando tonderentur oues. Reſpondendum, quòd cauſa expectationis biennij fuit, vt tolleretur omnis ſuſpitio: ſi enim Abſalom inuitaſſet omnes fratres ſuos pauco tempore poſt defloratione Thamar, ſuſpicari poſſet de eo, quòd congregabat illos ad agendum aliquod malum in vindictam oppreſſionis Thamar: nunc autem cùm Abſalom à principio diſſimulauerit rem iſtam, & poſtea fluxerunt duo anni, in quibus nihil ſuper ea cõtra quemquam egerat, aut locutus fuerat, nullus recordabatur huius rei, ideo ablata erat ſuſpitio quòd Abſalom aliquid agere vellet ex hac cauſa. Ad ſecundum cùm quæritur, quare fecit hoc in tonſione gregum. Dicendum q̃ nullum tẽpus erat, in quo magis ſine ſuſpitione agere poſſet, & ſecurius ad ſe liberandum. Apparet primũ, quia fortè non erat conſuetudo inter filios regis Dauid, quòd ſe inuicem inuitarent; ideo ſi Abſalom voluiſſet facere aliquod feſtum fratribus ſuis inuitando eos, quia erat aliquid noui, cauſaret ſuſpitionem: nam nouitates ſemper ſuſpectæ ſunt. Tempus autem tondendi greges apud Hebræos erat tempus faciendi magna conuiuia, & feſta. Et hoc erat propter patriarchas, qui fuerunt origo iudaici populi: illi tamen paſtores erant. Gen. 47. ſcilicet, Paſtores ouium ſumus nos, & omnes patres noſtri. Patet etiam hoc de Nabal Carmello, qui quando tondebat gregem ſuum, fecit feſtiuitatẽ magnam; & dicitur, quòd erat ei conuiuium quaſi conuiuium regis. præceden. lib. cap. 25. & ob hoc Dauid miſit nuntios ſuos in die illa ad Nabaldicentes: In die bona venimus ad te, ideſt, in die magni conuiuij, & exultationis. eo. cap. Habebat ergo opportunitatem Abſalom faciendi cõuiuium in die tonſionis gregum ſine ſuſpitione, quia hoc apud omnes commune erat. Alia autem cauſa erat potior, ſcilicet, vt Abſalom haberet opportuniorem locum liberandi ſe: nam occiſo Amnon intẽdebat fugere de terra Iſrael ad terram Gieſſur, vbi morabatur auus ſuus maternus. Propinquior autem locus erat, vbi tondebantur oues, ſcilicet, Baalhaſor ad terram Gieſſur, quàm Ieruſalem, in qua morabantur Dauid, & omnes filij ſui, ideo ſecuriùs ſibi fuit ad fugiendum, quòd fieret conuiuium in loco tonſionis gregum, quàm in Ieruſalem. Item, quia ſi in Ieruſalem Abſalom occidiſſet Amnon, fortè non potuiſſet euadere, quia ibi erant multi ſerui regis, & filiorum regis, qui caperent Abſalonem pro morte Amnon: in loco autem tonſionis gregum non erat ſic, quia ille pertinebat ad Abſalonem: habebat enim ibi magnam partem ſubſtantiæ ſuæ: alij autem filij regis nihil ibi habebant, ſed iuerunt quaſi expediti nihil ſecum portantes ad ſuſcipiendum cõuiuium fratris ſui in Baalhaſor: vnde poterat ipſe eis omnibus inferre quidquid mali vellet. Potius ergo fecit hoc Abſalom tempore tonſionis ouium, quàm alio tempore. *In Baalhaſor, quæ eſt iuxta Ephraim.* Ideſt, oues tondebãtur in quadam villa nomine Baalhaſor, quæ eſt apud terram Ephraim. Iſta villa non deſcribitur in Cathalogo diuiſionis ſortium, de quo habetur Ioſue 15. vſque ad 20. niſi fortè habeat aliud nomen, nam multæ vrbes ſunt binomiæ, vel trinomiæ ſicut Ieruſalem, & Hebron, & ſimiles. Erat autem iſta villa in ſorte Beniamin. Nam dicitur, q̃ erat apud Ephraim: tribus tamẽ Beniamin habet ſortem cõiunctam tribui Ephraim, vt patet in deſcriptionibus ſortium. Ponitur autẽ hoc ad ſignificandum, q̃ Abſalom propinquior erat terræ Gieſſur, ad quam fugiturus erat, quã ſi hoc egiſſet in Ieruſalem. *Et vocauit Abſalom omnes filios regis.* Ideſt, vocauit ſingulos ex nomine ſpecialiter inuitando eos ad hoc. Et non intelligitur, q̃ inuitaſſet Amnon cũ iſtis: nam poſtea dicitur, q̃ orauit Abſalom ipſum Dauid, vt permitteret Amnon ire cum eo ad prandiũ, vt patet infra, & tamen iam vocauerat omnes filios regis: nam dixit Abſalom ad Dauid: ſi nõ vis venire, veniat obſecro nobiſcũ ſaltem Amnon. Et dicitur nobiſcũ, ideſt, cum omnibus filijs regis. Habebat enim tũc Dauid multos filios, nam ſex genuerat in Hebron. ſup. 3. & oẽs iſti erant viri: alios ẽt genuit in Ieruſalem, & aliqui iſtorum iam eſſent adulti, vt poſſent ire ad conuiuium. *Venitque ad regem.* ſ. Abſalom vehit ad Dauid orans, vt iret ad tonſionem gregum ſuorum. *Et ait ad eum, ecce tondentur oues ſerui tui.* i. oues meæ, qui ſum ſeruus tuus tondẽtur in Baalhaſor. Vocabat enim ſe Abſalom ſeruum Dauid, quamquã eſſet filius eius, ad humiliandum ſe illi, ſic etiam vocauit ſe ſeruum iterum. inf. 15. *Veniat ergo rex cum ſeruis ſuis ad ſeruum ſuum.* ideſt, veniat

veniat rex cum filiis ſuis ad tonſionem ouium mearum, qui ſum ſeruus. Ecce enim quàm reuerenter loquebatur Abſalom ad Dauid: nam quamquam eſſet Dauid pater Abſalom: tamen vocauit eum regẽ, & non patrem: quia rex eſt nomen timoris, & honoris magni. pater autem eſt nomen dulcedinis. Politic. c. 1. vocauit etiam filios regis ſeruos eius, dicens, veniat rex cum ſeruis ſuis, ideſt, cum filiis.

Quare Abſalom cum Amnon iuuitauit Dauid, & omnes fratres ſuos. *Quæſt. XIIII.*

QVAERET aliquis, cùm Abſalom inten deret occidere Amnon in conuiuio, cur vocabat Dauid patrem ſuum ad hoc cum aliis filiis regis, quia potius impediret Dauid opus Abſalom, quàm iuuaret. Reſpondendum, quòd Abſalom ſolùm Amnon inuitaſſet, ſi potuiſſet, eſſet tamen magna ſuſpitio contra Abſalom ſi ſolum Amnon vocaret ad conuiuium in loco diſtanti ab vrbe, vbi eſſet Amnon inauxiliatus, & nollet venire præcauens inſidias: vocauit ergo omnes filios regis, vt cum illis ſimul poſſet vocare Amnon, & non putaretur, quòd illum ſpecialiter vocabat. Filij autem regis nihil obeſſe poterãt Abſalom in opere ſuo, quia nec timebat eos, nec propter reuerentiã eorum aliquid de opere omiſſurus erat. De Dauid autem erat maior difficultas, nam ſi veniſſet ad conuiuium, nimis impediretur Abſalom propter reuerentiam eius; fortè non audens occidere coram ipſo filiũ ſuum Amnon. Deliberauerat tamen Abſalom etiam ſi veniret Dauid occidere Amnon, quamquam fuiſſet ſibi in hoc aliqua difficultas. Nam propter magnã irreuerentiam, quàm committeret ad patrem occidẽdo coram eo filium ſuum, vocando eum in fraudem, fortè nunquam pepercíſſet Dauid Abſalom, quia illa iniuria magis videretur redundare in Dauid quàm in Amnon. Pepercit tamen Dauid poſtea Abſalom. ſequen. cap. Abſalom autem vocabat Dauid ad maiorem ſecuritatem, ſcilicet, vt excluderetur omnis præſumptio. Nam eunte patre cum filiis nemo poſſet arbitrari, quòd Abſalom intenderet aliquod malum præſente patre efficere: & quia putabat Abſalom, q̃ Amnon attenderet ad aliquam ſuſpitionem volebat procurare maximam ſecuritatem, quæ procurari poterat, & iſta erat ſi iuiſſet illuc Dauid. *Dixitque rex ad Abſalom: noli fili mi rogare, vt veniamus omnes, & grauemus te.* Ideſt, ſufficit, quòd eant tecum aliqui de fratribus tuis, & non eamus omnes, quia grauabimus te magnis ſumptibus: non enim erant filii regum diuites valde, ſicut nunc: tum quia multi erant filii Dauid, ſcilicet, ultra quindecim: tum quia non diuidebatur ſubſtantia regum ſic per filios, vt nunc, ſcilicet, quia non erant introducta tot genera tributorum, & impoſitionum munerum, & ſeruitutum: ſed erat populus ſub rege, quaſi liber: reges autem, & filij eorum pro maiori parte de bonis propriis, ſcilicet, agricultura, & aliis poſſeſſionibus alebantur, vnde non poterant nimis abundare. *Cùm autem cogeret eum.* Ideſt, Abſalom cogebat Dauid. Eſt modus loquẽdi improprius, nam non cogebat Abſalom regem, ſed orabat, quia tamen præces illæ inſtantiſſimæ erant, videbantur cogere. *Et noluiſſet rex.* Ideſt, Dauid nolebat ire cum Abſalom. *Benedixit ei.* Ideſt, imprecatus eſt ei bona dicendo: vade in pace fili mi: vel in nomine domini. Iſtud non habetur in Hebræo, ſcilicet, benedixit ei. *Et ait Abſalom: ſi non vis venire, veniat obſecro nobiſcum ſaltem Amnon frater meus.* Ideſt, ſi tu non vis, ſaltem iube fratri meo Amnon, vt veniat nobiſcum, ideſt, mecum, & cum aliis filiis regis.

Alph. Toſt. in Secundum Regum.

Cur vocauit Abſalom Amnon. *Quæſt. XV.*

QVAERET aliquis, quare Abſalom dixit: veniat ſaltem nobiſcum Amnon. Reſpondendũ, q̃ hic vocauit Abſalom ipſum Amnon tanq̃ habentem locum Dauid: quia de nullo alio dixit quòd veniret, quia non veniebat Dauid. Cauſa fuit quia Amnon erat primogenitus Dauid, & erat princeps omnium fratrum ſuorum, quaſi ſucceſſurus patri, ideo nullus erat, qui conuenienter repræſentare poſſet vicem Dauid niſi Amnõ: vnde vocatus eſt pp abſentiam Dauid, & de illo Dauid fecit maiorẽ difficultatem quàm de alijs, dicens q̃ non iret. Abſalõ autem à principio non vocauit eum cum alijs, vt non intelligeret, q̃ propter eum fiebat iſta vocatio. Sed poſtea vocauit eum quaſi in defectum Dauid, vt ſupplereret locum eius: & hoc erat vocari ab accidenti. Sed dicet aliquis, quomodo Amnon habebatur in maiori reputatione apud regem, quàm ceteri, cùm non eſſet ipſe ſucceſſurus in regno. Reſpondendum, quòd fuit hoc propter duo. Primum fuit, quia licèt Dauid ſciret per reuelationem, q̃ non erat regnaturus Amnõ, ſed Salomon, vt declaratum fuit ſupra. 7. tamen volebat, quòd ſaltem eo viuẽte dum nullus regnabat, haberet Amnon locum primogeniti quantum ad oẽs honores: vt non videretur penitus fruſtrari iure primogenituræ. Etiam ſciendum q̃ filij regis alij putabant ipſum Amnon ſucceſſurum Dauid, quia erat primogenitus, eo q̃ nihil illis reuelauerat Dauid de diſpoſitione regni. Scda cauſa erat, quia licèt primogeniti non hrent confirmatum ius ſuccedendi in regno, habebãt tñ ius ſpãle quantum ad alia, inquantum erant filij perſonarum priuatarũ. Nã Deus præceperat q̃ primogenitus eſſet tanq̃ caput filiorũ, & reciperet cũcta duplicia de hrditate patris. Deuter. 2[illegible]. ideo inquantum Dauid erat perſona priuata: Amnõ erat potior in iure penes eum ceteris filijs: & quia v uente Dauid nullus ſuccedebat, debebat tenere Amnon principatum ſuum tanq̃ primogenitus. ſ. q̃ eſſet caput aliorum filiorum. *Dixitque ad eum: non eſt neceſſe, vt vadat tecum.* Ideſt, ſicut non eſt neceſſe quòd ego vadam tecum, ita nec Amnon, quia fortè grauabit te ſumptibus, ſed ſatis eſt q̃ eant alij fratres tui. *Coegitque eum Abſalom* Ideſt, Abſalom coegit Dauid orando: nam tam inſtanter Abſalõ orauit ad Dauid q̃ coactus eſt mittere cum eo Amnon. *Et dimiſit cum eo Amnon* Ideſt, dedit ei licentiam eundi cum Abſalone: nam Amnon erat primogenitus, & primus ad manũ regis de illis, qui aſſiſtebant ei: & non auderet recedere de Ieruſalem ſine licentia patris. *Et vniuerſos filios regis.* Iam omues iſti conſenſerant ire cũ Abſalom: tamen non receſſerunt quouſque rex licentiaret eos. *Præceperat autem Abſalom pueris ſuis* Ideſt, diſpoſuerat cum ſeruis ſuis de occiſione Amnõ, & præcipiebat eis qualiter, & quãdo occiderent eum. *Dicẽs, obſeruate cum tumulentus fuerit Amnon vino.* Erat enim intentio Abſalom inebriandi Amnon, vt cùm efficeretur hilaris à vino, etiam ſi videret aliqua, nihil ſuſpicaretur: & cùm occideretur nõ poſſet fugere. Dicitur aũt temulentus. i. vino plenus, ſicut hr præc. li. c. 1. cùm dr. extimauit igitur eã Heli temulentã, & dixit, vſquequo ebria eris? *Et dixero vobis, percute te eum.* i. non percutiatis eum immediatè vt fuerit tumulẽtus, ſed q̃n ego dedero vobis ſignum de percutiendo eum. Eſt aũt intelligendum, q̃ Abſalom ſedebat ad menſam cũ alijs fratribus, vt tolleret ſuſpicionem, nec putaretur q̃ aliquid mali moliebatur contra eos, dum ipſi cibum ſumerent. *Interficite & nolite timere.* Ideſt, quãdo dedero ſignum interficite eum, & nõ timeatis dicentes q̃ eſt filius regis. *Ego.n. ſum, qui præcipio vobis* i. non agitis hoc

propria auctoritate, sed mandato meo: ideo ego qui F
precipio reddam vos securos super facto hoc. Credendum est ergo, quòd quando fugit Absalom ad auum suum in Gessur: quòd isti iuerunt cum illo, alioquin occidisset eos Dauid. *Roborammi & estote viri fortes.* Idest, accipite audaciam faciendi, & agite sine timore sicut viri fortes, scilicet, quòd quamquam sint hic oēs filij regis, non timeatis eos. Istud dicebat Absalom ad exhortationem, quia putabat ꝙ timerent serui sui inijcere manus in filios regis, qui erant domini sui. *Fecerunt ergo pueri Absalom aduersus Amnon sicut præceperat eis Absalom.* Scilicet, finito conuiuio cùm nondum surrexissent filij regis de mensa, irruerunt serui Absalom in Ammon, & trucidauerunt eum.

An peccauerunt serui Absalom occidendo Amnon. Quæst. XVI.

QVAERET aliquis, an Absalom peccauerit occidendo Amnon, & an serui eius peccauerint exequendo mandatum. Respondendum de seruis Absalom non est dubiū, quin peccauerint, quia siue Absalom posset licitè occidere Amnon, siue non, nequaquam licebat seruis eius occidere Amnon, quia nulli licet occidere alterum iussu alterius, nisi ille sit persona publica potens iubere, scilicet, iudex mandans ministris. In alijs autem quamquam aliquis sit potens occidere alium propria auctoritate in quibusdam casi- H
bus permissis à lege: tamen non potest iubere alteri, quòd occidat eum: vt si quis reperiat alium turpiter agentem cum vxore sua, tam secundùm leges communes, quam municipales potest eum occidere propria auctoritate, non tamen potest iubere alteri, quòd occidat eum. Ita autem erat de Absalom, nam iste non erat iudex, ideo non potuit iubere ministris, vt occiderent Amnon: potissimè, quia dato quòd Absalom esset iudex, hic non agebat vt iudex, sed vt persona priuata prosequens propriam iniuriam, & non facto processu & lata sententia, sed per quandam excogitatam fraudem, ideo serui eius non debebant ei obedire.

An peccauit etiam Absalom in occidendo Amnon fratrem suum. Quæst. XVII.

QVAERETVR de secundo. San ipse Absalom peccauerit hoc faciendo. Aliqs dicet ꝙ non, quia Absalom habuit iustā causam occidendi Amnō, nā oppresserat Thamar sororem suā. Itē Dauid erat iudex, & noluit satisfacere in Amnon de iniuria illata Thamar & Absalom; ideo cū iam nullum iudicem haberet superiorem Absalom, ad quem recurrere posset pro cōplemento iustitiæ; videtur ꝙ poterat propria auctoritate occidere Amnon. Respondendum, quòd Absalom peccauit occidendo Amnon, sic enim confessus est seq. c. scilicet, obsecro, vt videam faciem regis, quòd si memor est iniquitatis meæ interficiat me: ergo ipse confitebatur iniquitatem fuisse. Item dato, quòd quis offensus sit ab alio ita vt ille mortis reus sit, non licet huic propria auctoritate illam inferre, nisi in paucis causibus expressis à lege: non erat autem talis casus in facto Absalom, ideo non licebat ei facere. Item erat Absalom frater Amnon, erat igitur magis illicitum quàm in alijs. Item Absalom fecit hoc per insidias, & fraudem magnam, præstita securitate fratribus suis inuitando eos ad cibos, & postea occidendo quemcunque eorum: ideo dato, quòd Amnon mortis reus esset, & Absalom propria auctoritate F
posset illam inferre, quia tū egit per istum modū scelleratissimum, reus erat mortis, & ob hoc fugit, putans, quòd si illico captus fuisset, rex eum trucidasset. Ad primam rationem in contrarium dicendum, quòd non habuit Absalom iustam causam occidendi Amnon, licèt Amnon habuerit rationabilem causam mortis suæ: non tamen sufficit, quòd qui occiditur mereatur occidi ad hoc, quòd occidens iustè agat, sed etiam quòd occidens in hoc auctoritatem habeat. Absalom autem non habebat auctoritatem, quia non erat iudex, ideo non habebat iustam causam occidendi Amnon. Ad secundam rationem respondendum, quòd dato, quòd Dauid nō prouidisset de remedio pro iniuria facta Absalom, & G
Thamar: non poterat propria auctoritate Absalom hoc facere. Cùm autem dicitur, quòd Dauid non prouidebat. Dicendum, quòd ad hoc requirebatur quòd Thamar prosecuta fuisset iniuriam suam, vel saltem Absalom pro parte sua. Absalom tamen nihil locutus est super hac re: nam dicitur supra: Porro non est locutus Absalom ad Amnon nec bonum, nec malū: iudex tamen nunquam dicitur negligens, quousque requiratur a parte. Item dato, quòd Dauid requisitus fuisset ab Absalom, vt prouideret ei de remedio pro iniuria susceptā, & non prouidisset, non poterat Absalom propria auctoritate vindictam sumere: nam tunc sequeretur, quòd propter iudicis desidiam cessarent omnes leges. Hoc enim esset, si quilibet propria auctoH
ritate ius sibi de alio faceret. Hoc tamen falsum est, ideo non licuit Absalom hoc facere: potissimè, quia si in defectum iudicis hoc egisset, debebat denuntiare ipsi Amnon, quòd esset hostis suis, & debebat subire duellum cum eo, vel agere alio modo minus illicito: egit tamen per insidias, & excogitatam fraudem, & præstita securitate, ideo peccauit nimis. *Surgentesque omnes filij regis.* Scilicet: Surgentes de mensa: nam in mensa occisus est Amnon, & potuisset Absalom occidere cæteros filios regis, sed noluit, quia solus Amnon offenderat eum. *Ascenderunt singuli mulas suas, & fugerunt.* Putabant enim quòd Absalom vellet occidere omnes, fortè vt ipse solus maneret de filijs regis ad succedendum: errabāt tamen, quia poterat eos
I occidere Absalom, si voluisset, habuerunt tamen isti motiuum huius præsumptionis, quia mors inchoata est in primogenito, qui videbatur successurus.

Quomodo Israelitæ habere potuerunt mulas, cùm essent eis prohibitæ. Quæst. XVIII.

QVAERET aliquis, quomodo Israelitæ poterant habere mulas, nam mulæ fiunt per generationem æquiuocam, & non est vna species, quæ habeat generationem ex simili, sed ex animalibus diuersarum specierum gignitur indiuiduū speciei istius, sed Iudæis erat prohibitum coniungere animalia
K diuersæ speciei, vt asinos & equas; vel equos & asinas, vt patet Leuit. 19. Scilicet: Iumenta non facies coire cum alterius generis animantibus. Respondendū, quòd solùm vetabatur Iudæis facere coire animalia diuersæ speciei, tamen non vetabatur vti illis; ideo poterant emere illa ab aliis gentibus ad vsus suos: vnde omnes filij regis vtebantur mulabus: rex quoque Dauid mula vtebatur, vt patet sequenti lib. cap. primo. Scilicet: Ponite Salomonem filium meum super mulam meam, & ducite eum in Gion.

Cumque adhuc pergerent in itinere. Idest, filij regis fugiebant ad eum: & nondum peruenerat illuc. *Fama præuenit ad Dauid, dicens.* Scilicet: Alij præcesserunt filios regis, & nuntiauerunt Dauid ista quæ se-

quuntur. *Percussit Absalom omnes filios regis: & non remansit ex eis saltem vnus.* Istud enim nuntiauerunt aliqui, qui præuenerunt filios regis, & putabant sic esse. Fuit autem modus, quia sedentibus ad mensam filijs regis, ministri Absalom ceperunt percutere Amnon, quidam autem de seruis filiorum regis fugiētes illico venerunt ad Dauid, nuntiantes mortē omnium filiorum regis. Illi enim nullum viderūt occisum, sed quia viderunt percuti Amnon, putauerunt quòd Absalom vellet percutere omnes, nescientes cur potius illum, quàm cæteros percutere vellet. *Surrexit rex*, scilicet, de throno suo. *Et scidit vestimenta sua*, scilicet, rumpenda illa per partem anteriorem. Istud enim erat in signū doloris: sic enim fecit audita morte Saulis. sup. 1. c. Thamar quoque scidit tunicam talarem, cùm op G
pressa est. sup. in litera. *Et cecidit super terram.* idest, proicit se super puluerem. Istud est signum grauis amaritudinis; nam aliquando antiqui scindebant vestimēta sua solùm, aliquando scindebant vestimenta, & ponebant puluerem super caput, vel iacebāt super terram. Primum pertinebat ad magnam amaritudinē. Secundum ad maximam, ideo quando Dauid audiuit mortem Saulis & Ionathæ, quamquam tristatus est valde, tamen nō amaritudine maxima, ideo solùm scidit vestimenta sua, tamen non posuit puluerē super caput, nec proiecit se super terram, supra 1. c. Item in morte Abner non erat amaritudo grauissima, ideo iussit Dauid Ioab, & socijs suis, ꝙ scinderent vestimenta, & induerentur saccis: sed non iussit, ꝙ ponerent cinerem super caput. supra 3. Cùm autem nunc nuntiatum est omnes filios Dauid interfectos, nō poterat ipse magis anxiari, quàm super hoc: ideo scidit vestimenta, & iacuit super puluerem. Similiter quoque nūtiatum est Niniuitis ciuitatem subuertendam post quadraginta dies: ipsis autem non poterat maior tribulatio aduenire, ideo sciderunt vestimenta sua, & induti sunt saccis, iacueruntq; super cinerem. Ionæ 3. Thamar quoque quando oppressa est, quia non poterat ei deterius esse, quàm taliter virginitate priuari, scidit vestimenta sua, & imposuit cinerem capiti. supra in litera. *Et omnes serui ipsius, qui assistebant ei, sciderunt vestimenta sua.* Scilicet, quādo ista nuntiata sunt, astabant multi Dauid de ministris eius, & omnes sciderunt vestimenta, & planxerunt sicut Dauid. *Respondens autem Ionadab filius Semmaa fratris Dauid, dixit.* Iste voluit tollere partem tristitiæ regis denuntians nō perijsse omnes filios eius, sed solum Amnon: iste erat, qui dederat consilium Amnon qualiter opprimeret Thamar, & erat filius fratris Dauid. Aliqui autem putant istum fuisse prophetam Nathan, eo quòd sciuit dicere, qui perierant de filijs regis, quod nemo sciebat, sed supra improbatum est. Etiam istud motiuum non est sufficiens, quia Ionadab non dixit hoc tanquam sciens illud, sed tanquam rationabili coniectura arguens: quod patet, quia dixit: solus Amnon mortuus est, quoniam in odio Absalom erat positus ex die, qua oppressit Thamar sororem suam. *Ne extimet dominus meus rex, quòd omnes pueri filij regis occisi sint.* Idest, non est hoc extimandum, quamquam sic referatur. Amnon solus mortuus est. *Quoniam in odio Absalom erat positus.* Idest, nullus occidit nunc filios regis nisi Absalom, sed ipse nullum habebat exosum ad hoc, quòd eum occideret nisi Amnon, ergo eum solum occideret. *Ex die qua oppressit Thamar sororem suam.* Idest, illa fuit causa odij, & istud odium obseruatum est in corde Absalom ex die, qua Thamar oppressa est. *Nunc ergo ne ponat dominus meus rex super cor suum verbum istud.* Repetitio sententiæ est. Nam prius asseruerat hoc non probando, deinde subiunxit probationem per coniecturam, nunc iterum repetit conclusionem probatam, dicens: non ponat

signa mœroris doloris.

A rex super cor suum uerbum istud, ideſt, non putet in corde suo istam famam esse ueram. *Dicens, omnes filij regis occisi sunt.* Ideſt, non extimet rex hoc, quia non est uerum. *Quoniam Amnon solus mortuus est.* Non dicebat hoc Ionadab tanquam sciret Amnon mortuum, quia etiam de morte illius non constabat ei, sed arguit ex dictis aliorum: nam assertum est, quòd omnes filij regis erant mortui, ipse verò credidit aliquem mortuum esse propter famam, & quia non erat verisimile alium perijsse nisi Amnon, illum solum mortuum asseruit. *Fugit autem Absalom.* Scilicet, postquam occisus est Amnon, quem ipse quærebat, fugit Absalom, quia non putauit sibi securum manere in terra Israel. *Et leuauit puer speculator oculos suos.* Scilicet, illico, vt ista dicta sunt regi ascendit quidam in turrim altissimam montis Sion, de qua erat locus speculandi, vt uideret, an aliquis veniret de parte illa, ad quam erat Baalhasor, vbi fuerat conuiuium filiorum regis. *Et aspexit, & ecce populus multus veniebat per iter deuium ex latere montis.* Ideſt, vidit speculator, quòd ueniebat populus multus in Ierusalem per latus montis, & ille mons erat contra Baalhasor, vbi fuerat conuiuium. Dicitur autem, quòd ueniebat populus per iter deuium, quia fortè propter timorem Absalom non arripuerunt iter rectum quando fugerunt de Baalhasor: sed quilibet fugiebat per eam partem, per quam poterat: & ueniebant per latus montis, scilicet, per abrupta, in quibus non erat uia publica, sed iter deH
uium. *Dixit autem Ionadab ad regem.* Subintelligendum est, quòd speculator uenit ad referendum id, quod uiderat; & tunc Ionadab confirmauit opinionem suam. *Ecce filij regis adsunt.* Nesciebat Ionadab, an isti uenientes essent filij regis, quia tamen dixit speculator, quòd ueniebant per latus montis, quòd erat contra Baalhasor, certissimè credidit, quòd erant filij regis. *Iuxta verbum serui tui, sic factum est.* Hic gaudebat Ionadab, quia verbum suum verum erat, & quia leniretur tristitia regis, eo quòd non irruerat tanta calamitas quantam ipse suspicabatur. *Cumque cessasset loqui, apparuerunt & filij regis.* Ideſt, cùm finiret Ionadab verba præcedentia aliàs prædicta ad regem, apparuerunt filij regis in foribus domus. *Et intrantes leuauerunt voces suas, & fleuerunt.* Scilicet, per iter ipsi flebant mortem amaram
I fratris sui Amnon, cùm tamen introierunt coram rege cœperunt planctum nouum eleuantes voces magno eiulatu ad signandam hanc tristitiam. Et ibi intelligendum est, quòd fuerit clamor magnus utrinque. *Sed & rex, & omnes serui eius fleuerunt ploratu magno nimis.* Ideſt, tunc Dauid, & serui sui cœperunt plorare amarius, quàm primò. Nam prius solùm cognouerant mortem Amnon secūdum præsumptionem: nunc verò certissimè cognoscebant. Hic autem subintelligendum est, quòd Dauid, & filij sui fecerunt planctum magnum, & duxerunt corpus Amnon de
K Baalhasor, & sepelierunt in Ierusalem, celebrauerunt-que magnificas exequias, sicut decebat pro regis primogenito fieri. *Porro Absalom fugiens abijt ad Tholomai filium Ammiud regem Gessur.* Scilicet, dum hæc fierent fugit Absalom, & non fuit aliquis persecutus eum, quia notum erat, quòd fugeret: fuit autem ad Tholomai regem Gessur, ideo autem fugit ad istum, quia erat auus eius pater matris: sic dicitur supra tertio, quòd Dauid accepit in uxorem Maacha filiam Tholomai regis Gessur. Est autem terra Gessur in Syria, vel apud eam. Sic dicitur infra decimoquinto. Vouit enim seruus tuus, cùm esset in Gessur Syriæ. *Luxit ergo Dauid filium suum Amnon multis diebus.* In Hebræo habetur. *Cunctis diebus.* Litera autem nostra dixit multis diebus, eo quòd iste planctus non durauit semper, sed quasi per tres annos: nam post tres annos redu-

ctus est Absalom in terram Israel, quia iam cessauerat luctus Dauid. *Absalom autem cùm fugisset, & venisset in Geßur, fuit ibi tribus annis.* In istis tribus annis luxit Dauid pro Amnon, & finitis illis ad preces Ioab reuocauit Dauid Absalom ad terram Israel, quod patet seq.c. *Cessauit autem Dauid rex persequi Absalom.* Scilicet, in tribus annis istis Dauid persequebatur Absalom, non quidem pugnando contra eum; sed non permittendo ipsum ingredi in terram suam, & comminando mortem, si ingrederetur in eam. Litera autem nostra dixit, cessauit. In Hebræo tamen est verbum æquiuocum, & potest dici. *Cessauit Dauid post Absalom.* Idest, cessauit persequi Absalon: vel. *Desiderauit Dauid post Absalon.* Istum secundum sensum tenent Hebræi, dicentes, quòd Dauid desideranit iam videre Absalom, postquam transierant tres anni. Et dicunt hoc esse factum ad instantiam matris eius. Maacha. Sed sensus literæ nostræ est melior, quia nō apparet, quòd Dauid pepercit Absalom nisi ad magnam instantiam Ioab, & mulieris Thecuitidis, sequen.ca. Si tamen Dauid desideraſſet videre Absalom, nullo instante ipse reuocasset eum. Item non stat, quia postquam precibus Ioab reductus est in terram Israel, iussit Dauid q̄ non introiret in Ierusalem, nec videret faciem eius, seq.cap. Ergo nullo modo desiderauit ipse videre Absalom. Etiam nunquam Absalom vidisset faciem Dauid, nisi post duos annos, postquam reductus est Absalom in terram Israel, Ioab iterum orasset pro eo ad Dauid, quòd permitteretur venire ante regem, & tūc permissus est, infra. 15. ergo non desiderabat eum Dauid videre, alioquin non opus fuisset, vt quis pro eo orasset: & sic debet intelligi litera Hebraica, quòd cessauit Dauid post Absalon, & non quòd desiderauit post eum. Litera autem nostra ad maiorem explanationem posuit persequi, scilicet, q̄ cessauit Dauid persequi post Absalom. *Eo quòd consolatus esset super Amnon interitu.* Idest, iam non dolebat pro morte Amnō, quia oblitus erat illam, ideo incepit remittere furorem, quem habebat ad Absalom.

De proprietatibus amoris. Quæst. XIX.

CVM in præcedentibus de misero iuuene Amnon dictum sit, quòd exarserit supra modum in Thamar sororem suam, ita vt deperiret in eam, quod ex potestate furentis, & libidinosi amoris prouenit, de eo modica pertractare secundùm sui magnitudinem conuenientius erit. Sit itaque prima proprietas amorem ad libidinem esse aliquid à natura cātum in nobis, quod ex sui communitate patet; non enim solis hominibus inest, sed etiam cœtera animantium genera hunc manifestè patiuntur. Nihil aliud in nobis amor iste est, quàm quædam inclinatio à natura ad aliquid nobis simile generandum. Et cùm quis hoc cæco igne exuritur, ad hoc eum natura incitare intendit. Quia tamen appetitus, qui secundùm naturam irrationabiles sunt, scilicet, quòd quamuis ad aliquem finem à natura ordinentur, tamen, non acquisito fine illo, cessant, contingit, vt motus illi in nobis cęterisque animantibus insurgentes sine aliqua ipsorum ordinatione in generationem cessant, vt in eis liquet, qui taliter libidinem explent, qualiter aliquid gigni impossibile est: si tamen iste motus rationabilis esset, cùm ad solam generationem à natura præstitutus sit, nunquam cessaret, nisi ad generationem incitaret eos, quibus inest. Hic autem appetitus in cunctis animalibus poni debuit, quoniam omnia sui ipsorum conseruationem desiderant: natura igitur hoc desiderare debuit. Conseruatur autem cuiuslibet speciei natura in indiuiduis, & non solùm in indiuiduis, vt subsistunt; sed etiam vt successiuè multiplicantur. Hi autem duo modi conseruationis naturæ duo principia exigebant, secundùm quę manerent. Indiuiduum namque subsistens, in quo natura seruatur, alimento conseruatur: generatione autem nequaquam: quoniam eorum, quæ existunt generatio non est: sed eorum, quæ non existunt. Procurauit igitur natura eiborum desiderium, quibus se inquantum natura patitur conseruare possent. Secundum autem quo natura potissimè cōseruatur, est multiplicatiua successio. Hoc enim proprium naturæ cōseruatiuum est. Nam cibus ad indiuiduum directè pertinet, quod diutius seruari nequibat nisi multiplicatiua successio haberetur. Successione enim indiuiduorum cōseruatur natura, quam in vnico aut in plurimis, si abesset successio, seruari impossibile videbatur. Ad hanc autem multiplicatiuam inducendam successionem, per quæ generationem duntaxat fieri debebat, sagacissima natura, aut ipse naturę auctor cōtum animalibus perfectis ingeniauit, & quoniā in natura motum aliquem sine motiuo principio fieri impossibile erat, oportuit vt ad ipsum coitum, qui in animalibus generatiua via erat, incentiuum quoddam tribueretur: hic autem est amor, quo cūcta impetu quodam in libidinem agitantur: qui nisi animalibus traditus foret, nulla eis ad generandum pateret via, cùm ad propagationem per coitum nullatenus mouerentur. Adhuc autem fuit aliud non paruum in hoc mysterium, vt Arist. & Senecæ, & aliorum sapientum tradit auctoritas, scilicet, magnum delectationis irritamentum. Alios autem communes actus si inspiciamus in nullo natura irritamentum posuit, quod quidē rectissimè factum est, quoniam quamquam natura alimēto conseruaretur, nihil tñ est, quo eam vt propagatione, quæ per coitū est, conseruari liqueat. Vt igitur maxima naturę cōseruandæ cunctis aīantibus sollicitudo foret, natura de magnis quoddam delectationis irritamentum illi actui inseruit, vt saltem experiendæ delectationis causa aīalia quælibet capta in propagandas soboles mouerētur: si enim nihil amplius in eo quàm in cęteris vulgaribus actionibus delectamenti cuiuscūq; irritamētum esset, rarissima animalium, potissimè de hominibus in illum mouerentur, huius autem cuilibet etiam carnis corruptionem non experto patet. In hac consideratione addēda est secunda proprietas, inter cęteras passiones nullam impetuosiorē esse amore, quo ad libidinem prouocamur, nec in hoc aliquid nobis à cęteris animalibus discretum est, quoniā sicut nos præcipites furor in libidinem agit, ita & ipsa bruta, quæ nullius rationis habenis vllatenus detineri valent, adhuc ferocius quodammodo rapientur. Hoc enim mutua taurorum de femella orta conflictatio, & interdum mors, atque vulneratio prodit. In cęteris quoq; animantium modis similia quodammodo experimur. De his Virgilius Georgicorum li. 3. sic ait.

Omne adeo in terris genus hominumque ferarumq;
Et genus equorum, pecudes, pictæque volucres
In furias, ignemque ruunt, amor omnibus idem.
Et post pauca addit.
Ipse ruit, denteſque Sabellicus exacuit sus.
Et pede subigit terram, fricat arbore costas.
Atque hinc, atque illinc humeros ad vulnera durat.

Et postea concludit eundē inesse hominibus ignem, nec admirandum de hoc fore, inquiens.

Quid iuuenis magnum cui versat in ossibus ignem
Durus amor.

Et sicut iste egregius poetarum diffinit, admirandum quidē nihil est iuuenes ī hoc furiosos sustinere tumultus, atq; in id qđ natura ex inclinatione indidit impetuosius brutis oninibus præcipitari. Nam & si rōnis habena

1. Proprietas amoris.

Amor à natura cantus est.

habena aliquid in hominibus egerit, vt in quibusdam saltem pudore ab illicito trahat, multa tamen huic cęco, ac furioso igni in hoībus pabulū subministrant, quæ in bestijs nullatenus sunt. Sit ergo in hac consideratione tertia proprietas furentem libidinem maiorem in hominibus, quàm in bestijs fore. Nam & si bestię in libidinem ruunt, hic motus cęcus est, quoniam non à seipsis, sed ab ipso furoris libidinosi impetu subducūtur: nihil tamen cognoscunt quod amant, sed id quod experiuntur, quasi insensibiliter, vt ita dicā, sentiunt. Hominibus autem non solùm ipse insanus fomes irritamentum libidinis est, sed interdum ipsa formæ pulchritudo, magis mouendi causa est, quo fit, vt interdum non ex fomite homines in libidinem ruāt, sed ex solius excellentis appræhensione formæ. Vnde & qui solo furioso impetu concitantur ad explēdam solam libidinem, eos impetus transuersos agit: nec his discernendæ formæ cura vlla est. Qui autem ex appræhensione formæ mouentur, propriè motu amatorio concitantur, quoniam appræhensum bonum, & non ipse interior pulsus eos trahit. Quo fit, vt vehementiores motus illorum sint, qui ex appræhensione excellentis concitantur formæ, quàm qui solo fomite impelluntur. Nam satisfacere fomiti leue est: appræhensio autem formæ aliquid excellentius respicit. Congruentius quoque amatorum passiones in his, qui appræhensa forma mouentur, quàm in cęteris reperiri, patet. Pertinet autem ad hanc excellens amoris gradus, quo aliqui incidunt in eam passionem, quam medici amorem hereos vocant. Potest autem vtrumque cuiquam interdum simul inesse, quod bestijs nunquam conuenit. Maior igitur viris quàm brutis ad libidinem incitamenta sunt. Amplius autem aliud huic amori in viris pabula subministrat, quoniam sciunt quod amant, & in amando delectantur præter delectationem, quæ in commixtione venerea est. Bestijs autem nihil tale competit, cùm non cognoscant. Homines etiam amatis frui possunt, cùm se toto pectore tradant: brutis verò hoc propter defectum cognitionis non accidit. Maius ergo hominibus quàm brutis ad libidinem incitamentum inest. Quarta proprietas in hac consideratione sit, quòd licèt in viris fortis amor sit, fortior tamen est cùm datur competitor in amato. Tunc enim amor in immensum efferatur: tūc enim ad omnia ruit, & si quouis modo amoris intepuerant ignes, rediuiuus ex medulis renascitur calor. Tanta enim tunc amoris concitatio fit, vt taciti motus insanientis magis, quàm amantis similitudinem gerant. De hoc Seneca libro tertio, de ira sic ait: Auferre mihi hic hæreditatem voluit, hic me diu spem supremam captantem criminatus est: hic scortum meum concupiuit, quod vinculum amoris esse debuit, seditionis atque odij causa est idem velle. Hoc autem vniuersaliter consequitur amatoribus, vt quouis modo sibi competitorem sciant; siue in eo quod amantes iam possident, aut amare inchoantes sibi affaturum præstolantur, acrius exardescit amor. Impetuosius tamen ruit, cùm id quod amatori pace fruenti iucundè possidetur, alteri amandum, solicitandumque videtur. Et si fortassis nullus amatoribus in amato competitor sit, quē alio nomine appellauere riualem: id tamen suspectus sibi fingat amor, insanius amare necesse est. Ideo Ouid. lib. 1. de Remedio amoris dissuadens hunc libidinosum amorem riualis, diffiniuit secludendam suspitionem, scilicet, vt neminem nobis in amato competitorem arbitremur, inquiens.

Ac tu tibi quemquam riualem fingere noli.

Subdit autem huius causas. Quoniam competitio in amato in furias impellit amatorem. Quod exemplo

Alph. Tost. in Secundum Regum.

Proprietas amoris.

Fortior est amor, cùm datur competitor in amato.

inducit Horestis, qui tepidè dilexit Hermionem: cùm autem sibi eam Achilleides rapuisset Pyrrhus, acerrimo commotus dolore fortius deficientes resumptis viribus insurrexere ignes. Idem de Menelao patet, qui non multum prius vxorem Helenam amauerat, cùm tamen ab Alexandro, qui Paris dicebatur, eam raptam sciret, fortius dilexit, quo decennalia bella Græcorum vsque ad Troianam deletionem surrexerunt. De his Ouidius libro quarto de Remedio amoris ait.

Acrius Hermionem ideo dilexit Horeſtes,
Esse quòd alterius cœperat illa viri.
Quid Menelae doles? ibas sine coniuge Cretam.
Et poteras nupta lentus abesse tua.
Vt Paris hanc rapuit, tunc demum vxore carere.
Non potes, alterius creuit amore tuus.

5. Proprietas amoris. Impetuosior ē Amō, cùm magis amantur illicita.

Quinta proprietas in hac consideratione est: qa licèt amor ad libidinē impetuosius sit, impetuosior tñ est, cùm magis amantur illicita. Quis enim nescit quanto in Cinyram patrem Myrrha insanierit furore, ita vt quamquam occultus ille esset ignis, peritura foret, nisi quauis inquisita fraude patre potiretur. Hæc enim misera in patrem vehementer ardebat, ita vt eo viso in eius amplexus vltra quam cognati sanguinis charitati conueniat, lachrymas effundebat: sed infœlices furor iste exitus habuit. De his Ouidius Methamorphoseos libro decimo. Nec enim Biblidis in fratrem conceptus sæuus amor incognitus est, quam licèt virginalis sexus pudor, & naturæ reuerentia, atque propinquissimæ cognationis iura à concepta insania vtrumque reuocarent: ferocissima tamen furia cuncta domans ad illicita pertrahebat. Sic enim inter vtrumque fluitans, ac potius naufraga varijs affectibus quatiebatur: frementis tamen insaniæ magis illisa insultibus: & cùm per facinus amato fratri amoris sui vehementiam scriptitaret in cœteris quidem præualente furore descripserat, sed cùm ad eius, quem tam illicitè amabat, aut potius insaniebat, nomen scribendum peruentum est, hinc ad scribendum insanientem furor exagitat, hinc pudor ac iuris; reuerentia reuocat, vt sæpe scriptum nomen tabulæ amatoriæ, sæpe quoque deletum foret: tandem pudore, reuerentia, sacris cognationibus, & iure perdomitis, quod sæuus impulerat amor, scribendum fuit. Hæc tamen insania amantem morti dedit, cùm is, qui per illicita amabatur, tantum facinus inhorresceret. De hoc Ouidius Methamorphoseos libro decimo. Ignotum quoque sœculis esse non arbitror Canacis furorem in Machareum fratrem, & quid sacrorum cognationis propinquissimæ pudore, ac reuerentia contemptis, per immane facinus actum sit: pertinacis quidem naturæ amor est, nullique cedere consueuit: nam nitimur in vetitum, semperque negata cupimus. Nec te quoque Phœdram infamibus ortam natalibus, actuque ipso infamis effecta relinquam. Hæc enim in castitatis amatorem Hippolytum durè exarsit, nec eam agnationis coniunctissimæ iura distraxerunt, vt eum, qui viri sui natus eiusque esset, sacris coniugalibus infesta, & quod amplius est, propinquissimis iuribus agnationis per infandum scelus amaret.

Quantum autem incanduerit furor innuit Ouidius in libro Heroidum epistola Phędræ ad Hippolytum, quæ incipit.

Qua nisi tu dederis est caritura, salutem
Mittit Amazonio Creſſa puella viro.

Prodit autem miserrima ipsa sæuas flammas suas, ad nutricem loquens, in tragędia quarta: cuius nomen est Hippolytus.

Non me quies nocturna, non altus sopor

Universidad de Deusto
Biblioteca

Soluere curis: alitur, & crescit malum,
Et ardet intus, qualis Aethneo vapor
Exundat antro. Palladis telæ vacant.
Et inter ipsas pensa labuntur manus.
Iuuat excitatas consequi cursu feras,
Et post paucum ait.
Fatale miseræ matris agnosco malum,
Peccare noster in syluis nouit amor. Aut quis iuuare
Dædalus flammas queat?

Hanc autem infœlicem crebris licèt monitis nutrix imbuisset, nihil tamen actum èst, quoniam quamquã illud, quo incitabatur, malum esse sciret: tantis tamen tolerandis ignibus se impotentem fore dicebat: cùm habetur eadem quarta tragœdia,

Extingue flammas nec te diræ spei
Prabe obsequentem. Quisquis in primo obstitit,
Pepulitque amorem, tutus ac victor fuit.
Quo misera pergis? quid domum infamem grauas?
Superasq; matrem? maius est monstruo nefas.
Cui insana fœdera nequit.
Quę memoras scio,
Vera esse nutrix, sed furor cogit sequi.
Potensque tota mente dominatur Deus.

Nec hoc Phædræ insania contenta est: nam & ipsum præsentem Hippolytum tenere tentauit quoquo modo eius genibus advoluta, quam cum insanientem Hippolytus, & admiratus, & in iracundiam motus apprehenso crine iugulare voluisset, aut voluisse finxisset, hoc sibi gratissimum Phædra professa est amantis inimori manibus, de quo Seneca eadem tragœdia carmine 4. sic ait.

Et ipsa nostræ fata cognosco domus.
Fugienda petimus, sed mei non sum potens.
Te vel per ignes, per mare insanum sequar.
Rupesque, & amnes, vnda quos torrens rapit.
Quacunque gressus tuleris, hac amens sequar.
Iterum superbe genibus aduoluor tuis.

Horum autem exemplorum vetustas plena est: nec tamen his immorandum erit. Aliquando autem ad sacras scripturas veniendum erit, vt familiaria nostra tãgamus. Quis enim miserum iuuenem Amnon tanto nescit insanientis amoris æstuasse calore, vt deperiret in Thamar sororem suam, quantum in nulla feminarum sibi pereundum erat? Et si captandæ occasionis ad illicitè desiderata cupidine ægritudinem finxerit, veram tamen ante hoc corporis in valetudinem ac maciem inciderat, ita vt admiraretur Ionadab amicus suus, causam ignorans; & fortassis huic infeliei iuueni nisi voto potiretur moriendum erat, absumptis penitus cæco igne medullis. Quod autem illi, qui infando stimulantur amore, ferocius quàm illi, qui licita concupiscunt concitentur, in promptu causa est. Nã ad id quod licitum est fieri, cuilibet facile est moueri. Id autem quod valde illicitum est, aliquid magnum est, magna autem siue bona, siue nefaria sint, nemo nisi magnus aggreditur.

6. Proprietas amoris.

Amor ad libidinem valde indomitus est.

Sexta proprietas in hac cõsideratione est, amorem ad libidinem valde fore indomitum: nam ceteras domari passiones non difficilè est, in amore autem magna apparet difficultas. Cùm enim passionales affectus inquirimus, duos impetuosos ac difficiles reperiri patet, amorem, scilicet, & iram. Ira tamen non est tantæ difficultatis in resistendo. Amor autem difficilis est: sic enim ait Arist. Ethicorum lib. 2. adhuc autem nobis omnibus ex puero connutritur, propter quod difficile est cõtinere hanc passionem cõtemporaneã vitæ. Adhuc autem difficilius voluptati pugnare quã ire, quemadmodum ait Heraclitus. Quamobrem interdum contingit, vt cæteros passionales affectus deuincamus, amorem autem nequaquam. Sic enim de Orpheo dicitur, qui cantu suo inferorum Deos ad lachrymas compulit, ac vxorem infernæ mancipatam sedi, cantus dulcedine inferorum iudices mouens, accepit. Omnibus his tamen amor, quo in Eurydicen vxorem Orpheus æstuabat, placari nõ valuit, nec hic, qui cætera subijcit inferorum legi subdi potuit, vt saltem modico tempore ab amatæ abstineret aspectibus. De hoc Seneca in tragœdia prima, cuius nomen est Hercules furens, in metro, quod incipit. O fortuna iuris &c. vbi dicit.

Odit verus amor, nec patitur moras.

De hoc Boetius de Consola. li. 3. metro vltimo, quod incipit. Felix, qui potuit. Nec hoc cuiquam præterrationem videatur; magna namque est amoris potentia, & ob hoc eum pharetratum finxit antiquitas, atque sagittas, & arcus tanquam insignia semper gerere, & quem vellet sagitta percutere, alios quidem acrius, alios verò leuius feriens. Finxit quoque eum faces ferre, & indifferenter, cui vellet, concitare flãmas. Has autem virginum pectori, & iuuenum indidit, fenibus quoque quosdam apponit æstus. Hoc quippe nec ininstè dictum est, quoniam & amore vrimur, atque verberamur, vt sagittæ, & flammæ nocumento corporibus esse solent. De hoc Seneca tragedia. 4. quę dicitur Hippolytus carmine. 3. sic ait.

Diua non miti generata ponto.
Quam vocat matrem geminus Cupido.
Impotens flammis simul & sagittis.
Iste lasciuus puer. Et acre nitens.
Tela quàm certo iaculatur arcu.
Non habet latam data plaga frontem.
Sed vorat tectas penitus medullas.
Nulla pax isti puero, per orbem
Spargit effusas agilis sagittas.

Septima proprietas in hac consideratione est, quòd libidinosi amoris potentia vbique dilatata est: nulla enim mundi pars ab amore vacat, nec se quispiam ab hoc quouis priuato iure liberum monstrare valet, omnibus enim hic succendit flammas. De hoc Seneca tragœedia quarta carmine. 3. sic ait.

Quæque nascentem vidit ora solem,
Quæque ad occasus iacet ora feros.
Si qua feruenti subiecta cancro est.
Si qua maioris glacialis Vrsæ.
Semper errantes patitur colonos. Nouit hos ęstus iuuenum feroces
Concitat flammas, fenibusque fessis.
Rursus extinctos reuocat calores.
Virginum ignoto ferit igne pectus.

Adhuc etiam amoris potentia dilatata patet, nam nõ solùm his, qui ratione degunt dominatur, sed & bruta cuncta suo iuri subdit, nec tanta imperij magnitudo terrarum angusto ambitu dignata est: quin & ipsa, quæ sub cæruleis magni Occeani mouentur vndis amoris leges sentiunt: dominanti amori subiecta sunt. Ea quoque, quæ ipsa rerum natura donante æthereas acceperunt digressiones aeris immensi spatia penetrando, amoris huius ditioni subduntur. De his Seneca tragœdia quarta carmine tertio, sic ait.

Sacer est ignis (credite lęsis).
Nimiumque potens quà terra mari
Cingitur alto, quoque æthereo.
Candida mundo sidera currunt.
Hęc regna tenet puer immitis,
Spicula cuius sentit imis
Cęrulus vndis grex Nereidum.
Flammasque nequit eleuare mari.
Ignes sentit genus aligerum.
Venere instincti quam magna gerunt.

Gregę

Grege pro toto bella iuuenci
Si coniugio timuere suo.
Poscunt timidi prælia cerui.
Et mugitus dant, concepti
Signa furoris, tunc virgatas
India tigres decolor horret.
Tunc vulnificos acuit dentes
Aper, & toto est spumeus ore:
Sęui quatiunt colla leones:
Cum mouit amor, tunc sylua gemit.
Murmure sæuo. amat insani
Belua ponti, lucęque boues.
Vendicat omnes natura sibi.
Nihil immune est, odiumque parit.

Est autem, & aliud magnæ potestatis insigniũ in amore, nam inter passionales affectus quibusdam nullus ferocior videtur candente ira: amor tamen, si ferox incubuerit, iracundiam omnem tollit, omniaque odiorum genera diruit. Si tamen maiorẽ iracundiam amore diffiniremus, nequaquã amori iracundia, sed potius iracundiæ cunctus amoris cederet furor. De hoc Seneca in tragœdia quarta, carmine 3. ait.

Nihil immune est, odiumque parit,
Cùm iussit amor, veteres cedunt
Ignibus iræ. Quid plura canam?
Vincit sęuas cura nouercas.

Octaua proprietas amoris.

Amor libidinosus viros magnos ignominiosè deiecit.

Octaua proprietas in hac consideratione est, quòd libidinosus amor sæpe viros magnos ignominiose deiecit. Sæuus namque amor Herculem illum totis sæculis admirandum ad ancillaria ministeria subegit. Nam cùm Ioles filiæ regis Aetoliæ teneretur amore, eius parens iussis ministeria exercuit ancillaria: fœmineo primum indutus apparatu. De hoc Seneca tragœdia 4. carmine. 3. ait.

Natus Alcmena posuit pharetras,
Et minax vasti spolium leonis,
Passus aptari digitis smaragdos,
Et dari legem rudibus capillis,
Crura distincto religauit auro,
Luteo plantas cohibente socco,
Et manu, clauam modò quam gerebat,
Fila deduxit properante fuso.

Hic etiam sæuus amoris furor Phœdram impulit, vt licèt rubore magno contra agnationis, & coniugij sacra loquens suffunderetur, Hippolyto supplicaret, vt saltem se in seruam amantẽ reciperet: cùm ipsa Athenarum regina, atque eius nouerca foret. De hoc Seneca tragœdia. 4. carmine. 4. sic ait.

Me vel sororem Hippolyte, vel famulam voca,
Famulamque potius, omne seruitium feram.
Non me per altas ire, si iubeas, niues
Pigeat, gelatis ingredi pindi iugis;
Non, si per ignes ire, & infesta agmina;
Cunctor paratis ensibus pectus dare;
Mandata recipe sceptra, me famulam accipe.
Sinu receptam supplicem, ac seruam rege,
Miserere viduę.

Grœcorum etiam fortissimum Achillem amore perdomitum à bellis vacasse, ac Treiciam digitis increpuisse lyram: Ouidius in lib. Heroidum. admonuit in epistola Briseidis ad Achillem, quæ incipit.

Quam legis à rapta Briseide litera venit.

Grœcorum etiam acies in Troianos mouit, & Grœcos inter se ciuiliter pugnare fecit. De hoc Seneca tragœdia 9. cuius nomen est Octauia, ait

Inuicta gerit tela cupido,
Fulminis vestros obruet ignes.
Quis extinxit fulmina sæpe.
Captumque Iouem cœlo traxit,
Lęsi tristes dabitis pœnas

Alph. Tost. in Secundum Regum.

Sanguine vestro, non est patiens,
Feruidus irę, facilisque regi.
Ille ferocem iussit Achillem
Pulsare lyram; fregit Danaos;
Fregit Atridem regna euertit
Priami, claras diruit vrbes.
Et nunc animus quid ferrat horret.
Vis immitis violenta Dei.

Tantam autem antiqui amoris in vulnerando violentiam crediderunt, vt Deos quoque suos amore captos interdum de cęlo ad terras descendisse, formasque sumpsisse humanas ferant; sicut de Phębo dicunt, quòd pecora virginis cuiusdam amore captus custodierit. Iouem quoque Deorum summum nunc in volucrem, nunc verò in taurum, aliasque rerum varias figuras mutatum dicunt, vt amoris sui potiretur fructu. Lunam quoque, quam aliter aut Dianam, aut Latoniam virginem nuncupant, amore æstuasse ferunt, quo interdum mota cęlestes cursus regulares non tenuerit. De hoc Seneca tragędia quarta, carmine 3. ait.

Et iubet cęlo superos relicto',
Vultibus falsis habitare terras.
Thessali Phœbus pecoris magister.
Egit armentum, positoque plectro.
Impari tauros calamo vocauit.
Induit formas quoties minores,
Ipse qui cœlum, nebulasque ducit.
Candidas ales modo mouis alas.
Dulcior voce moriente cycno.
Fronte nunc torua petulans iuuencus,
Virginum strauit sua terga ludo.
Perque fraternos mala regna fluctus,
Vngula lentos imitante remos,
Pectore aduerso domuit profundum,
Pro sua uector timidus rapina.
Arsit obscuri dea clara mundi.
Nocte deserta nitidosque fratri
Tradidit currus aliter regendos.
Ille nocturnas agitare bigas
Discit, & gyro breuiori flecti.
Nec suum tempus tenuere noctes,
Et dies tardo remeauit ortu,
Dum tremunt axes grauiore currui

Nona proprietas amoris.

Amor eliminari, & emoliri potest.

Nona proprietas in hac consideratione est, amorem hunc ferocem emoliri, & aliqualiter eliminari posse. Si quis autem illum excludere velit, remedia poterit inquirere, quæ ponit Ouidius in duobus libris, quos de Remedio amoris fecit. In quibus quamquã multa, quæ radicem quandam eliminandi amoris habẽt, ponantur, pleraque tamen scelesta valde sunt: cùm vitium maiori vitio expurgandum admoneatur. Vt cũ iubet, quòd si quis voluerit alicuius, cui fortissimè cathenatus tenetur, amorem excludere, duas aut plures simul amet, vt sic saltem diuisus amor minor sit ad quamlibet, cùm dicit.

Hortor, vt binas pariter habeatis amicas.
Fortior est plures, si quis habere potest.
Secta bipartito cum mens discurrit vtroque:
Alterius vires subtrahit alter amor.

Alia autem remedia idem ponit Ouidius, quæ licèt vitium non includunt, facile tamen est intendenti eis in vitium labi; ideo neutra horum nobis, qui vitia, & uitiorum origines, atque occasiones volumus euitare, tenenda sunt. Alia autem honesta sunt, vt si nobis amoris incubuerit flamma, otio non vacemus: otia namque libidinem nutriunt, labores autem sæuas amoris flammas extinguunt. De hoc Ouidius de Remedio amoris ait.

Otia si tollas, periere cupidinis arcus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quæritur Egistus, quare sit factus adulter: Causa in promptu est, desidiosus erat.

In his aũt potissimũ cauendum est, vt postquam quis amatã reliquerit, aures enarrantibus de ea faciles non præbeat, nec recordetur eorum, quæ cum ipsa aliqñ aut egit, aut locut' est. Nihil nãq; sicut amor recrude scit. De hoc Seneca epist. 69. sic ait. Qui amorẽ exuere conatur, euitanda est ei omnis dilecti corporis admonitio: nihil enim quàm amor facilius recrudescit: ita qui vult deponere desideria rerum omnium, quarum cupiditate flagrauit, & oculos, & aures ab his, quæ reliquit, auertat: cito rebellat affectus. Memoriam enim amatarum rerum, & particularum circunstantiarum actuum amoris nimis euitandas Ouidius admonet in libro de Remedio amoris, inquiens.

Loca sæpe nocent, fugito loca conscia vestri.
Concubitus, causas mille doloris habent.
Et rursus.
Loca sola caueto.
Hic fuit, hic cubuit, thalamo dormiuimus isto.
Hic mihi per noctem gaudia festa dedit.

Sunt autem plurima huius sęui atq; insanientis amoris remedia, de quibus amplius dilatare sermonem non expedit.

CAP XIIII.

INTELLIGENS autem Ioab filius Saruiæ, quòd cor regis versum esset ad Absalom: misit Thecuam, & tulit inde mulierem sapientem: dixitque ad eam: Lugere te simula, & induere veste lugubri, & ne vngaris oleo, vt sis quasi mulier iam plurimo tempore lugens mortuum.

DESCRIPTA in superioribus pœna Dauid pro homicidio, hic subiungitur pœna eius pro adulterio. Modus autem fuit, quia Absalom reuocatus de exilio fecit seditionem contra patrem, & cognouit concubinas eius, in quibus punitus est Dauid pro adulterio cum Bethsabee. Et diuiditur in duo, quia primò ponitur Absalonis de exilio reuocatio. Secundò eius contra Dauid conspiratio. sequen. cap. Prima diuiditur in quatuor. Primò ponitur mulieris informatio. Secundò mulieris informatę petitio. ibi. *Itaque cùm ingressa*. Tertiò petitionis interpretatio ibi. *Dixit ergo mulier*. Quartò regis concessio ibi. *Et ait rex ad Ioab*.

An ordo sit continuus, & immediatus. Qnest. I.

QVAERETVR circa primum: an ea, quæ habentur hic fuerint facta post præcedentia, an sit ordo mutatus, & an immediatè facta sint. Respondendum ad primum, quòd hic est ordo continuus, nam supra dicebatur de fuga Absalonis propter mortem Amnon, hic autem agitur de reuocatione eius. Ad secundum dicendum, quòd ista fuerunt facta post ea, quæ habentur præced. cap. tribus annis. Quod patet, quia præced. cap. dicitur quòd Absalom mansit tribus annis in Gessur, & cessauit persequi eum Dauid: post istos autem tres annos Ioab videns Dauid cõsolatum super morte Amnon, cœpit tractare de reuocatione Absalom & egit ea, quæ habentur hic. *Intelligens autem Ioab filius Saruiæ, quòd cor regis versum esset ad Absalom*. Idest, Ioab cognouit quòd Dauid iam conuersus erat ad Absalom, non quidem ad eum diligendum, sed ad cessandum à persecutione.

Quomodo Ioab cognouit cor Dauid versum esse ad Absalom. Quæst. II.

QVAERET aliquis, quomodo Ioab cognouit versum esse cor Dauid ad Absalom. Respondendum, quòd præteritis temporibus Dauid sæpe commemorabat mortem Amnon, & signabat se nimis dolere de proditione Absalom, ideo apparebat mentem eius esse contra Absalom: elapsis autem tribus annis, iam Dauid nũquam faciebat mentionem de morte Amnon, & gaudebat, nec dicebat malum aliquod de Absalone, ideo putauit Ioab, quòd esset cor Dauid versum ad Absalom, ipse autem diligebat Absalom, ideo tractauit occultè, quomodo reduceretur Absalom.

Quomodo cor Dauid conuersum erat ad Absalom. Quæst. III.

QVAERETVR vlterius, quomodo est verum, q̃ cor Dauid versum esset ad Absalom: nam infrà, quamquam orasset Ioab, non concessit Dauid, quòd rediret Absalom ad curiam, & videret faciem regis; sed solùm quòd rediret in terram Israel, & faciem regis non videret. Item Absalom reductus in terram Israel, mansit duobus annis extra Ierusalem, & non vidit faciem regis, quousque iterum orauit pro eo Ioab, & venit ad regem, vt patet infra in litera. Respondendum, quòd cor Dauid non erat versum ad Absalom, ita vt diligeret eum, vel desideraret videre ipsum, quia alias ipse misisset pro eo, nullo orante pro illo: sed intelligitur, quòd versum erat cor eius ad eum, scilicet, ad desinendum persequi eum, quia præterito tẽpore persecutus fuerat ipsum: nunc autem cessabat persequi ipsum. *Misit Thecuam*. Est Thecua quædam ciuitas in terra Israel, de qua fuit Amos propheta, vnde dicitur Amos primo ca. verba Amos, qui fuit in pastoralibus Thecuæ. *Et tulit inde mulierem sapientem*. Idest, de ciuitate illa accepit quandam mulierem prudentem in verbis, vt sciret referre coram rege verba, quæ loqueretur ei Ioab.

Ioab obseruauit tempus persuadendi Dauid, ne persequeretur Absalom. Quæst. IIII.

QVAERETVR, quare Ioab non misit pro muliere ante istos tres annos, vt suaderet regi. Respondendum, quòd Ioab voluit obseruare tempora, vt Dauid esset dispositus ad hoc, quòd suaderetur ei à muliere: tempore autẽ prẽterito Dauid dolebat nimis de morte Amnon, & erat iratus contra Absalom: si quis ergo inquietaret eum super hoc, grauius moueretur contra Absalom, & molesta haberet verba, vnde recrudesceret dolor, & deterius fieret ipsi Absaloni: nunc autem cessauerat omnis dolor Dauid pro Amnon, & nihil mali dicebat de Absalom: ideo putauit Ioab tempus esse aptum ad pertractandum, & tunc misit pro muliere.

Cur Ioab non orauit Dauid pro Absalom per se. Quæst. V.

QVAERETVR vlterius, cur ipse Ioab per se non orauit hæc à Dauid. Respõdendum, q̃ Ioab erat nimis sollicit', ne incideret in odiũ Dauid & quia Absalom offenderat nimis Dauid, si Ioab per seipsum orasset pro eo, crederet fortè Dauid, quòd Ioab fouebat partẽ Absalom, & irasceretur ei nimis. Noluit ergo per se hoc petere, sed per mulierem, vt si fortè rex indignaretur super hoc, non cognosceret auctorem esse huius Ioab: si vero Dauid haberet hoc gratum, vel esset aliqualiter expositus ad persuasionem, loqueretur Ioab, & facilius fieret.

Quare Ioab misit Thecuam pro muliere magis quàm aliò. Quæst. VI.

QVAERETVR vlterius, quare Ioab misit Thecuam pro muliere potius q̃ ad alium locum. Rabb. Sa. & Rabb. Dauid Kimhi dicunt, quòd in Thecua erant multæ oliuæ; & ob hoc homines illius loci erant sapientes potius quã in alijs locis; misit ergo illuc Ioab. Sed dicendum quòd hoc non stat, quia oleum non facit hominem peritiorem: nam non disponit phantasiam melius quàm alij cibi: magis enim hoc conuenit butyro & melli; ideo dicitur Isa. 7. butyrum, & mel comedet, vt sciat reprobare malum, & eligere bonum, quasi dicat, quòd illa duo disponunt hominem ad prudentiam, vt eligat & reprobet. Dicendum ergo, quòd hoc non stat, sed erat in ciuitate Thecua mulier quædam nimis prudens, quod cognoscens Ioab misit pro illa, quia ipsa poterat conuenientius proponere verbum regi: misisset autem ad quemcunque alium locum si ibi inuenisset mulierem valde prudentem potius quàm in Thecua.

Ioab quare potius misit pro muliere, quam pro viro. Qnest. VII.

QVAERETVR vlterius, quare potius misit Ioab pro muliere prudente, quàm pro viro: nam ita poterat hoc proponi per virum, sicut per fœminam. Respondendum quòd Ioab voluit proponere factũ istud non plane, sed per quandam parabolam, sicut ponitur in litera: illa autem non poterat conuenire alicui viro secundùm se totam, quia non posset aliquis sic simulare luctum a magno tempore, sicut fœmina. Etiam rationes viri petentis filium liberari a morte non essent ita efficaces sicut rationes fœminæ, eo quòd ipsa habebat maiorem causam orandi pro filio, ne occideretur, eo quòd ibi peribat genus suum, & successio viri sui, nec maneret aliquis succedens in hæreditate, & familia viri sui. Si autem esset vir, quamquam occiderentur aliqui filij eius, poterat ipse gignere alios, qui succederent ei, fœmina autem si aliquos gigneret ex alio viro, non succederent in hæreditate viri prioris, ideo habebat fœmina causam petendi, quam non haberet vir.

Quare voluit hęc Ioab proponi in parabola. Quæst. VIII.

QVAERETVR vlterius, quare Ioab voluit, quòd proponeretur istud factum in parabola: nam si nunquam parabola exponenda esset, vt negocium maneret occultum, poterat aliqualiter hoc esse rationabile, mulier tamen expositura erat parabolam, & exposuit, quia aliàs nihil profecisset, ideo videbatur superuacuum quòd in parabola propositum fuerit. Respondendum est, quòd ratio fuit duplex proponendi in parabola. Prima fuit ad magis persuadendum, scilicet, vt rex non intelligens parabolam, iudicaret iuxta petitionem mulieris, & quia casus de eiectione Absalom erat similis huic, quem proponebat mulier, & in quo rex sententiauerat absoluendo, mulier conuerteret tunc sermonem ad casum de Absalom: & quia casus erat idem, rex erubesceret, si non sententiaret absoluendo in vtroq;, vnde fuit iste modus exquisitus ad ligandum regem in verbo. Secunda ratio fuit ad habendum opportunitatem loquendi, nam si mulier primum verbum locuta fuisset de Absalone, fortè Dauid noluisset audire, & sic totus conatus Ioab esset exclusus: nunc autem cùm proponeretur ista parabola: Dauid nõ intelligens de quo diceretur audiret eam, & esset attentus: tunc mulier posset conuertere sermonem ad Absalom, & iam Dauid non retrocederet, eo quòd diu audiuisset eam. *Diuitque ad eam, lugere te simula*, idest, ostende vultum & habitum lugentis. Istud autem erat necessarium ad maiorem repræsentatiõnem & persuasionem, vt Dauid magis crederet esse verisimile, quàm si non se ostenderet lugentem. *Et induere veste lugubri*, scilicet, appare coram rege in veste lugubri, scilicet, in veste nigra, & despecta, uel in sacco; aut secundum consuetudinem luctus quarumcumque terrarum. Hoc etiam ponitur ad maiorem verisimilitudinem: quia quanto plura signa essent, tanto firmius probaretur. *Et ne ungaris oleo*, idest, non vngas caput tuum oleo. Erat enim consuetudo in terra Chanaan, quòd viri & fœminæ capita oleo vngerent, & hoc erat ad refrigerandum, quia terra illa calida est. Etiam fiebat ad quietem, & lætitiam. Sic dicitur Psal. 44. Vnxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis. Et sic ponebatur oleum ad lætitiam. Sic etiam dicitur Matth. 6. Cum ieiunaueritis, nolite esse, sicut hypocritę tristes, qui exterminant facies suas, ut uideantur. Sed subditur: Tu autem cùm ieiunas, vnge caput tuum, & faciem tuam laua: & sic fiebant ista ad significandam lętitiam, cùm ista sint contraria exterminationi faciei, quam hypocritæ faciunt ad tristitiam. Conuenit autem hoc lugẽtibus pro mortuo, quia in illis nulla debet esse lætitia. *Vt sis quasi mulier plurimo iam tempore lugens mortuum*, idest, vt appareat ex facie tua, & habitu, quòd magno tempore fueris in fletu, hoc autem fiebat, ut rex magis misereretur ei propter amaritudinem eius.

An liceret Israelitis lugere mortuos. Quæst. IX.

QVAERET aliquis, an liceret Israelitis lugere mortuos. Aliquis dicet quòd non, quia lugens mortuos erat contaminatus per septem dies, & priuabatur ab ingressu in sanctuarium, & ab accessu ad res sacras. Nume. 19. sed istud malum erat: ergo malum erat lugere mortuos. Item quando infirmatus est filius Dauid planxit pro eo, cùm uerò mortuus est lauit se, & unxit oleo, dicens: propter infantem uiuum, dum adhuc uiueret, ieiunaui & fleui; nunc autem quia mortuus est, quare ieiuno? supra 12. ergo superuacuum erat, & stultum plorare pro mortuo. Respondẽdum quòd rationabile est plorare pro mortuo, immo pium ualde, quia homo debet homini compassionem pro similitudine speciei, & cognatione, & multis aliis causis, ideo debet ei compati in aduersitatibus suis, iuxta illud Apostoli. Si fuerimus socii passionum, erimus & cõsolationum. Per lachrymas autem significatur interior compassio; ideo licitum est pro mortuo lachrymas fundere. Hoc autem patet exemplo sanctorum uirorum: nam Abraham iuit, ut lugeret uxorem suam in Hebron. Gene. 23. Iacob etiam fleuit super filium suum Ioseph magno tempore. Genes. 37. unde consolari nolebat, sed dixit; descendam ad filium meum lugens in infernum. Filij quoque Iacob planxerunt eum. Gen. 50. Dauid etiam

fleuit

fleuit amarissimè pro Ionatha,& Saule. supra 1.fleuit etiam pro Abner, supra 3. Fleuit etiam pro Amnon. præceden.cap. Nullus enim est sanctorum virorum veteris testamenti qui charorũ funeribus pias lachrymas nõ impenderit, Christus etiam forma actionum nostrarũ fleuit pro Lazaro,& infremuit spiritu, quando vidit sorores eius flentes, & alios Iudæos cum eis. Ioan.11.Hoc idem apparet ex approbatione scripturę: nam scriptura sacra valde laudat Tobiam, cuius actus principalis erat sepelire mortuos, vt patet in toto lib. suo. Item patet hoc,quia,scriptura iubet lugere mortuos,dicens; melius esse ire ad domum luctus, quàm ad domum conuiuii : iubet etiam ad mortuos ire & pro illis lugere,vt patet sæpe in Eccles. in c.38.scilicet, in requiem mortui requiescee, fac memoriam eius, & consolare eum in exitu spiritus sui. Et iterum ibidem. Fili in mortuum produc lachrymas,& quasi dira passus incipe plorare, & secundũ iudicium contege corpus illius,& non despicias sepulturam illius. Licitum est igitur lugere super mortuos,immo in quibusdam valde meritorium est. Ad primam rationem in contrarium dicendum,quòd lugens pro mortuo non incurrebat ex hoc aliquam immunditiam,nec priuabatur introitu sanctuarij, sed solùm illi, qui tangebant mortuum,vel erant apud eum, vel exibant ad sepeliendum illum plangendo super eum ; aliàs autem quamquam quis seorsum ploraret pro mortuo, non incurrebat aliquam immunditiam,vt declaratum est supra 12.quæst.23.Sed quia interdum necesse erat tangere mortuum faciendo officia funeris,& plangendo super illum,& isti incurrebant immunditiam: Dicendum quòd etiam isti incurrentes immunditiam non peccabant, immo quoque merebantur nimis. Nam si quis nollet ire ad paterna funera,& dimitteret patrẽ insepultum,ne contaminaretur tangẽdo illum,nemo dubitat, quin iste grauiter peccaret : & tamen si iste iret ad paterna funera,contaminaretur, & eundo exhibebat patri debitam pietatem , in quo merebatur: ideo aliquando qui nollet contaminari,peccaret mortaliter,& si contaminaretur,mereretur. Et non solùm erat hoc de cognatis, qui tenebantur propinquis suis ad officia funeris,sed etiam de omnibus aliis,si illa impenderent merebantur. Sic patet de Tobia, qui sepeliebat mortuos quoscunque reperiret, & tamen manifestum est, quòd in quolibet eorum contaminabatur, & tamen laudat eum scriptura maximè de hac pietate impensa mortuis, ergo merebatur faciendo, quamquam contaminaretur . In nullo autem homine erat ista contaminatio peccatum , sed pœna quædam inflicta a lege propter honestatem , & excellentiam ministeriorum veteris testamenti , ne tractarentur ab immundis , quia tunc viderentur parui honoris.Sed tunc dicetur contra, quia lex non dat pœnam sine peccato. Respondendum,quòd interdum lex imponit pœnam sine aliquo peccato; & tamen cũ magna causa,scilicet,propter honestatem,& reuerẽtiam magnam eorum, qui subditi sunt legi, & ministeriorum,quæ sunt in illa lege. Simile habetur in nouo testamento, nam quis potest incurrere bigamiam sine peccato,& tamen bigami puniuntur,quòd non ordinentur.Homicidę etiam interdum iustè agunt, sicut illi,qui sunt iudices,nam illi sunt ministri Dei, & merentur nimis.Sic patet ad Rom.3.& 1.Pet.ca.2.tamen isti & alii homicidæ non ordinantur regulariter.Sic ẽt de incurrentibus lepram,vel alios defectus, aut membrorum mutillationes,quia sine culpa sua possunt incurrere,& tamen non ordinantur,vel si ordinati fuerint priuantur administratione ordinis , vt patet extra de Corpo.vitiato. per totũ. & extra. de Biga. & extra. de Homici.per totum . Ita in veteri testamento sine culpa puniebantur contaminati super mortuo , tamẽ non sine causa.Hæc autem vera sunt , præterquàm in Sacerdotibus veteris testamenti : nam Sacerdoti magno non licebat , quòd contaminaretur super aliquo mortuo,etiam si esset pater,vel mater. Sacerdotes aũt minores non debebant contaminari super aliquo,nisi in patre,& matre,filio & filia, fratse & sorore, quæ non accepit virum,vt patet Leui.21.Isti autem peccarent si contaminarentur in alijs personis,non quia ipsa contaminatio secundùm se esset peccatũ , sed quia lex prohibebat eis contaminari:laicis autem, & Leuitis non erat prohibitum,ideo poterant licitè contaminari in quocunque.Ad secundam rationem dicendũ, quòd Dauid non dixit , frustra esse plorare pro mortuo,vel malum esse,cùm ipse sæpe plorauerit,& planxerit super mortuos, vt nunc declaratum fuit: sed dixit,quòd frustra erat in casu illo , in quo ipse loquebatur : nam ipse orabat pro puero , vt non moreretur & flebat;cùm autem mortuus est,non poterat non mortuus esse; ideo frustra tunc ploraret,vt nõ moreretur, vel vt ad vitam rediret:non tamen frustra ploraret impendendo pium affectum funeri eius.

Ad primam rationem.

Pœna aliqñ datur a lege sine peccato , non tamẽ sine causa.

An ploraret pro mortuo longo tempore liceret Iudęis.
Quæst. X.

QVAERETVR vlterius,cùm dicatur hic quòd mulier ista simularet se lugere mortuum lõgo tempore , an liceret lugere pro mortuo magno tempore . Aliquis dicet quòd non, quia scriptura præfixit parvum tempus , sic patet Eccles.22.scilicet : Modicum plora super mortuum, quoniam requieuit : supra fatuum plora,quia deficit sensu. Luctus mortui septem dies ; fatui autem & impii omnes dies vitæ illorum. Item patet hoc Ecclesiast.38.vbi pro mortuo planctus vnius diei ponitur,cùm dicitur : Fac luctum secundũ meritum eius vno die, vel duobus ; ergo non licebat longo tempore plorare mortuos. Respondendum,q̃ plorare mortuos dupliciter accipitur , vno modo pro plangere,vel facere officia funeris. Alio modo pro tristari de morte illorum,& emittere lachrymas sine cæremonia planctus & funeris . Quantum ad primum modum erat diffinitum tempus,in quo deberet lugeri pro mortuo,scilicet,vno die,vel duobus secundùm meritum ipsius mortui , vt patet Eccles.38. scilicet,q̃ quanto erat mortuus maioris honoris, & dignitatis ; tanto pluribus diebus fieri debebant cæremoniæ funeris,& in isto planctu non licebat manere multis diebus , quia iam statutum erat, vel de consuetudine introductum , quot diebus pro singulis cæremoniæ funeris impenderentur.Si autem accipiatur lugere mortuum,idest,esse tristem de morte illius,& impendere lachrymas sine cæremonia planctus & funeris, licitũ erat multis diebus plorare super mortuum.Sic enim Iacob plorauit multis diebus pro Ioseph.vt patet Genes.37.scilicet,scisisque vestibus indutus est cilicio lugens filiũ multo tempore: Cõgregatis autem cunctis filiis eius , vt lenirent dolorem patris , noluit consolationem recipere,sed ait: descendam ad filium meum lugens in infernum , idest, nunquam cessabo a fletu quousque moriar, & descendam ad filium meum in sepulchrum. Dauid quoque fleuit pro Amnon multo tempore,scilicet,tribus annis , vt patet præced.cap. Licebat ergo huic mulieri longo tempore lugere , siue pro uiro,siue pro filio , & indui vestibus viduitatis. Ad auctoritates in contrarium dicendum , quòd illæ intelliguntur de fletu prout est planctus cũ cæremonijs funeris,& de hoc intelligitur Eccles.38.scilicet,q̃ planctus mortui esset uno , uel duobus diebus secundùm

dum meritum eius.Alia autem auctoritas,quæ habetur Eccles. 22. de planctu septem dierum,intelligitur aliqualiter de cæremoniis funeris , quia licèt nõ fierẽt tot cæremoniæ,sicut in primo, vel secundo die: quia tamen par.7.dies durabat immunditia super mortuo, Num.19. vt plurimum illi. 7. dies agebantur in luctu. Sic patet de viris Iabes Galaad , qui planxerunt septẽ diebus,& ieiunauerunt pro Saule , vt patet præceden. lib.cap.vlt. & 1.Paralip. 10. *Et ingredieris ad regem.* Scilicet:Vt proponas ei verba, quæ dicam tibi. *Et loqueris ad eum sermones huiusce modi.* Idest, loqueris sermones istos, quos ego nunc dicam tibi de reductione Absalom. *Posuit autem Ioab verba in ore eius.* Idest, instruxit eam de omnibus, quæ loqui debebat tãquam si Ioab loqueretur per os eius. *Itaque cùm ingressa esset.* Hic ponitur secundum huius cap. scilicet mulieris informatæ petitio:& dicitur quòd ingressa est mulier Thecui tes ad regem, scilicet, quasi intraret animo petendi ꝓ filio suo. *Cecidit super terram coram eo .* Idest, prostrauit se. istud erat ad impendendum magnum honorem regi,coram quo non sufficiebat caput humiliare , sed inclinari vsque ad terram. *Et adorauit.* Scilicet : humiliando caput . Propriè enim adoratio significat inclinationem capitis , & ista impenditur cuicunque homini,potissimè viris virtuosis , & honoratis , & vocatur adoratio duliæ. *Et dixit serua me rex .* Idest , libera me à periculo.Istud dicebat mulier , vt animum regis attentum redderet ad audiẽdum tanquam de aliquo magno locutura esset. In Hebræo habetur. *Saule rex .* Sic enim exponunt Hebræi. Et videtur eis esse conueniens, quia in principio locutionis debuit ista mulier salutare regem. Sed non stat, quia infra 4. lib. cap.6. quædam mulier clamauit ad regem, dicens ista verba solùm, quæ habentur hic in Hebræo : & respondit ei rex:Non te saluat dominus ; vnde saluare te possum? de area,an de torculari? Et si tamen mulier illa saluasset regem,non respondisset rex sic:ergo apparet, ꝙ petiit à rege,quòd saluaret eam, & nõ salutabat eum: quia tamen est magna propinquitas in significato:Hebræi exponunt sic: litera tamen nostra posuit veritatẽ. *Et ait ad eam rex,quid causę habes?* Idest,quid petis,cum velis saluari? *Quæ respondit,heu,mulier vidua ego sum .* Incipit enarrare casum , in quo petit prouideri : & vocat se viduam,vt signet se esse personam miserabilem, & moueatur facilius rex ad miserendum ei, & expedien dum causam. *Mortuus est enim vir meus .* Hoc allegauit mulier ad magnum fulcimentum causæ suæ : nam si ipsa non fuisset vidua , non debuisset hoc petere propter duo: primò,quia dato, quòd vnus filiorum suorũ alium occidisset, non debebat ipsa petere,sed vir, qui caput est fęminæ,& in cuius potestate filij sunt.Secũdò,quia potissima ratio mulieris fuit, quòd non extingueretur scintilla sua,& non tolleretur successio viri : si tamen vir suus viueret nõ tollebatur successio , nec extinguebatur scintilla eius;ideo debuit allegare se esse viduam ad magnam confirmationem iuris sui: vocauit tamen ista mulier se viduam,& dixit,quòd mortuus erat vir suus. Primum tamen sufficiebat , nam si vidua erat,mortuus erat vir:vel si mortuus erat vir,vidua erat:dicitur tamen hoc ex superabundantia . Dicit autem Ra. Sa. quòd hic significatur duplex viduitas, vna scilicet , per mortem viri, & alia per mortem filij. *Et ancillæ tuę erant duo filij.* Idest,ego ancilla tua habebam duos filios . Dixit autem solùm de duobus filijs,nam si plures habuisset , dato quòd vnus occidisset alium,non deberet occisor saluari: quia non extinguebatur scintilla mulieris, nec peribat successio propter mortem istius, cum essent alij filij superstites. *Qui rixati sunt aduersum se in agro.* Istud dixit mulier nõ asserendo , sed referendo ea , quæ dicebant accusatores filij sui : nam nullus erat in agro , qui hoc vidisset', ideo filius superstes negabat factum , & mater identidem,cùm peteret liberationem eius , sed accusatores hoc asserebant,ut moreretur accusatus. *Nullusque erat,qui eos prohibere posset.* Idest,nullus erat in agro,qui posset sedare eorum iurgia, & consequenter nullus fuit testis huius occisionis:ex quo magnum fulcimẽtum habebat petitio mulieris : quia nemo debebat de crimine condemnari,nisi testibus conuictus, aut spõte confessus. *Et percussit alter alterum , & interfecit eum.* Hæc omnia intelligenda sunt, non quòd mulier confiteretur illa , sed quòd referret aduersariorum dicta. *Et ecce consurgens vniuersa cognatio aduersus ancillam tuam.* Scilicet: Omnes cognati huius filij mei superstitis insurgunt contra me ad occidendum eum . Dicit autẽ hoc,quia ipsa sola conabatur eum defendere. Intelligitur autem cognatio ex parte patris huius iuuenis; nam cognati ex parte matris non insurgebant: & causa erat, quia isti non consequebantur aliquam utilitatem . Nam si quis moreretur sine liberis hæreditas deuoluebatur ad cognatos patris : cognati autem ex parte matris , uel ipsa mater nunquam succedebant filio;ut patet Num.27. quare autem hoc fieret , cùm sit contra leges communes,& municipales, quæ nũc sunt,declaratum est eo. cap. cognati ergo ex parte patris non amore iustitiæ , sed desiderio successionis habendæ uolebant, quòd occideretur interfector: cognati autem ex parte matris , cùm non haberent aliquam successionem ex hoc, non procurabant mortẽ interfectoris. *Trade eum,qui percussit fratrem suum .* Scilicet:Da illum in potestate nostra, quasi ex hoc innuatur,quòd mater occultaret filium:uel haberet eum in loco securo. *Vt occidamus eum pro anima fratris sui,quem interfecit .* Dicitur autem , ut occidamus, quia isti cognati ex parte patris occidere debebant occisorem , & non iudex:nam quando quis occidisset alium , occisor tradendus erat in manus accusatoris , ut occideret eum,ut patet Num.35. Dicitur autem pro anima fratris sui,idest, ut destruamus uitam eius pro uita fratris sui. Iste enim est modus loquendi scripturæ, scilicet,quòd danda erat anima pro anima,oculus pro oculo,dens pro dente;ut patet Leui.24.& Deut.19. *Et deleamus hæredem.* Ista non erant uerba accusatorum,sed mulieris:sequebantur tamen ex uerbis accusatorum, quia si ipsi uellent occidere illum iuuenem, cùm ipse solus esset hęres patris delebant hæredem, & hoc uidebatur inconueniens; ideo ponebat istud mulier in fulcimentum suum. *Et quærunt extinguere scintillam meam.* Quasi dicat,nimis grauant me, quia uolunt extinguere scintillam meam siue lumen . Vocatur autẽ filius scintilla patris , uel matris , quia nihil est, in quo refulgeat esse patris , & matris, & conseruetur nisi in filio:causa autem grauaminis erat,quia tollebatur successio uiro mulieris huius. *Quę relicta est.* Idest,sola ista scintilla relicta est: intelligitur de filio , quia mortuo uno solùm supererat alius . *Vt non supersit viro meo nomen, & reliquæ super terram .* Idest , & faciunt hoc cognati filij mei, ut uiro meo non relinquatur nomen, nec posteritas. Dixit autem mulier , quòd non supereset nomen, nec reliquiæ uiro suo;& non dixit de se. Causa est,quia filij non succedebant matribus, sed patribus , cùm matres nunquam haberent regulariter aliquid, in quo filij succederent, cùm ipsę non succederent patribus per se,nec cum fratribus simul, ut patet Num. 27. nisi in defectu fratrum , qñ nullus esset. Etiam filij non denominabãtur de progenie matrũ, sed patrũ. Relinquebatur aũt nomẽ patris in filiis , eo ꝙ progenies patris semꝑ deriuabatur ꝑ filios, & dum manerent filij,manebat nomẽ pris in eis, qbus nõ existẽtibus nõ erat aliqs,per quẽ extenderetur pris progenies,

Universidad de Deusto
Biblioteca

nies,& sic peribat vna linea cognationis in Israel. Ob hoc autem quando moriebatur aliquis sine liberis, lex iubet quòd frater eius acciperet vxorem ipsius defuncti, & suscitaret semen fatri suo, & vocaretur primus filius nomine defuncti, vt patet Deuterono. 25. manebant autem reliquiæ alicuius inquantum conseruabatur esse suum in aliquo, & postea extendebatur per alios,

An hęc mulier falsum dicebat. Quæst. XI.

QVAERET aliquis, an ea, quæ proponebat hic ista mulier vera essent, vel solùm proponeret ea ad introducendum sermonem de Absalom, quem intendebat. Aliqui dicunt, quòd verum proponebat ista mulier, sed iungebat cum eo casum de Absalom. In contrarium videtur, quòd ista mulier falsum diceret, scilicet, quòd ipsa non habebat filios, de quibus referebat; vel saltem nihil sibi accidit de his, quæ dicebat. Et apparet primò, quia dicitur quòd Ioab misit pro ista muliere Thecuam; si tamen duo filij sui habuissent rixam, sicut ipsa retulit, ipsa venisset non petente Ioab ad proponendum quærimoniam suam. Item Ioab dixit ei, lugere te simula: ergo secundùm veritatem nō lugebat: si tamen vnus filiorum suorum occidisset alium, ipsa verè luxisset, & induta fuisset pannis viduitatis, ergo non erat verum quod referebat. Item patet, quia dixit illi Ioab, quòd loqueretur tanquam mulier plurimo tempore lugens mortuū; ergo nullum mortuum ante hoc luxerat, si tamen vnus filiorum suorū occisus fuisset, verè luxisset; ergo nihil horum erat. Item dicitur hic quòd posuit Ioab verba in ore eius, ideſt, instruxit eam in omnibus, quæ dicere debebat: si tamen ipsa habuisset casum hunc antequam Ioab ei loqueretur, ipsa excogitasset verba ad exprimendū quærimoniam, ergo nihil ei acciderat. Item si verum fuisset hoc, quod dicebat mulier, postquam ipsa persuasit regi de reductione Absalom conata fuisset, vt filius suus liberaretur, sed post hoc nihil omnino locuta est de filio, ergo nihil tale erat. Itē patet, quia Dauid quæsiuit a muliere, dicens: nunquid manus Ioab tecū est in omnibus his; & ipsa respondit, per salutem animæ tuæ domine rex nec ad dexteram, nec ad sinistrā est: seruus enim tuus Ioab præcepit mihi, & ipse posuit in os ancillæ tuæ omnia verba hæc. Ergo nihil locuta est mulier, nisi quod dixit ei Ioab: si tamen aliquis de filijs suis mortuus esset, & alius peteretur ad mortem, sine verbis Ioab, ipsa haberet aliquid quod loqueretur: ergo falsum erat quod loquebatur. Item patet quia dixit mulier, quòd Ioab præceperat ei, q̄ verteret figuram sermonis: si tamen verū esset, quod dicebat de filijs; non verteretur figura sermonis, si essent duo casus distincti, scilicet, vnus de filio suo & alius de Absalom: ergo videtur quòd nihil fuerat de filio eius, sed solùm fuit quædam parabola introducta ad exprimendum de Absalone. Respondendum autem quòd falsus erat casus, quem proposuit ista mulier, & solùm proposuit eum ad instigationem Ioab. Ratio autdm in contrarium nihil militat, quia nihil adducit ad probationem: sunt autem in contrarium multæ probationes manifestæ. *Et ait rex ad mulierem.* Videns quòd proponeret aliquid rationabile, voluit ei condescendere, & dixit. *Vade in domum tuam*, ideſt, non maneas hic amplius pro expeditione huius negocij, quia iam expeditum est. *Et ego iubebo pro te*, ideſt, ego dabo sententiam in fauorem tuum, scilicet, quòd nemo noceat filio tuo.

An Dauid potuisset liberare occisorem. Quæst. XXII.

QVAERET aliquis, an Dauid posset facere hoc. Aliquis dicet quòd non; quia iudex non potest remittere ius partis alteri parti, nā hoc esset tollere ei quod suum est: sed cognatio occisi habebat ius vindictæ contra occisorem, ergo non poterat Dauid remittere illud ius saluando mulieris filium à morte. Aliquis respondebit ad hoc, quòd Dauid poterat istud facere, nam ipse erat legislator, & sicut potest legislator tollere legem in totum, ita potest tollere actionem, vel ius competens alicui ex lege: cùm ergo hic competeret vindicta ex lege, poterat illam tollere Dauid, qui erat rex. Respondendū, quòd hoc non stat, nam legislator potest tollere legē, & quicquid oritur ex illa, si ipse sit legislator respectu illius legis, vel sit illa lex alicuius non habentis potestatem maiorem quàm ipse habet, sicut quando aliquis legislator succedit alteri, potest tollere leges, quas alius dedit, si tamen lex sit condita ab aliquo superiori, non potest illam tollere legislator. Sic autem erat hic, nam lex de homicida occidendo non fuit posita a Dauid, sed a Deo: vt patet Numer. 35. ideo non poterat Dauid tollere illam legem, nec actionem competentem alicui ex illa. Item dato quòd Deus non posuisset legem de occidendo homicidam, naturaliter competit cognatis sanguinis aliqua actio contra occisorem, inquantum ille eis intulit iniuriam, sed non correspōdet naturaliter determinata pena huic actioni, sed per legem positiuam: si autem Dauid omnem pœnam remisisset huic iuueni, non solùm remitteret actionē insurgentem ex iure positiuo, sed etiam ex iure naturali, & hoc non potest aliquis princeps, cùm ius naturale sit a Deo inditum mentibus nostris; vt patet ad Roma. 2. Ergo Dauid non poterat remittere hic ius partis. Dicendum igitur quòd cùm accusaretur iste iuuenis de homicidio, aut crimen constabat aliqua sufficienti probatione, aut non: si primo modo, aut pars remittit ius suum, aut non: si remittit poterit quoque iudex remittere, immo tenetur cessare ab executione iustitiæ, vel a processu causæ si pars omnino remittat, & hoc est verum in criminibus, quæ sunt totaliter remissibilia per partē, sicut est homicidium, ideo si parte remittēte iudex aliquid agere velit, iudex iam iniustè agit. Si autem pars non remitteret ius suum, nullo modo poterat iudex remittere crimen, sed reuocabatur tradere occisorem in manibus accusatoris; sic patet Num. 35. scilicet: Non accipietis pręcium ab eo, qui reus est sanguinis, statim & ipse morietur. Ideſt, iudices non accipiant præcium ad absoluendum eū, qui reus est sanguinis parte inuita. Si autem non constaret de homicidio, erat tanquam si non esset homicidium perpetratum. Sic autem fuit hic, quia nullus erat in agro, qui videret hos iuuenes pugnantes, ideo non poterat viuens conuinci de homicidio; quia homicida pluribus testibus conuincendus erat. Nu. 35. scilicet: Homicida sub testibus punietur, ad vnius testimonium nullus condemnabitur. Poterat ergo Dauid remittere huic iuueni, immo cogebatur eum absoluere, non præiudicando iuri aduersariorum, si aliquid probare possent, & sic fecit, quia Dauid dixit mulieri, quicunque contradixerit tibi, adduc eum ad me, ideſt, facias eum comparere in iudicio, & ego audiā: & sic non peccauit Dauid diffiniendo pro muliere. *Dixitque mulier Thecuites ad regem.* Quamquam respōdisset ei rex benignè, tamen ipsa adhuc non contenta, voluit magis inquietare regem. *In me Domine mi rex sit iniquitas, & in domum patris mei*, potest dupliciter intelligi.

ligi. Vno modo quòd ista mulier sciret regem multis negocijs occupatum, & quamquam nunc benè diffiniuisset pro illa: obliuisceretur huius propter alia negocia, & interim cognatio tota occideret filium mulieris. Et est sensus: in me Domine iniquitas & in domum patris mei, ideſt, si tu obliuiscaris hnius rei occidetur filius meus, & veniet iniquitas, ideſt, pœna super me & super domū patris mei, quia ex morte filij mei omnes puniemur. Huic autem consonat litera Hebraica, quæ dicit: in me Domine mi rex erit iniquitas, & in domum patris mei, i. erit super me malum istud. *Rex autem, & thronus eius sit innocens*, ideſt, rex erit innocens, quamquam mihi malū eueniat, scilicet, quia istud sit præter intentionem eius, ideo sequitur conclusio, quòd rex firmaret hoc magis in corde suo, vel daret maiorem securitatem filio mulieris huius. Secundo modo est sensus, quòd mulier vellet suadere regi dubitanti, vt si fortè rex putaret aliquod delictū esse absoluere istam mulierem, & filium suum occisorem, mulier dicit: in me sit iniquitas, & in domum patris mei, & rex sit innocens, & thronus eius: ideſt, rogo Deum quòd de isto peccato, si aliquod est, nihil imputetur regi: sed totum veniat super me, & super domum patris mei. Dicitur autem, quòd rex, & thronus suus sit innocens, ideſt, ipse non puniatur pro hoc in persona sua, nec etiam in throno suo, ideſt, in posteritate sua, quæ post eum regnare debet, & sedere in throno. *Et ait rex qui contradixerit tibi, adduc eum ad me.* Vidit rex, quòd mulier inquietabat eum magis, ideo dedit ei maiorem certitudinem, dicens: qui contradixerit tibi, ideſt, qui noluerit obedire sententiæ meę inquietandò filium tuum, adduc eum ad me, scilicet, citando illum ex parte mea. *Et vltra non addet, vt tangat te*, ideſt, postquam comparuerit coram me, ego interdicam ei istud, & non tanget te vltra, ideſt, non molestabit super hoc negocio. In Hebræo habetur: *Qui loquitur ad te adduc eum ad me.* Et idem est, scilicet, qui loquitur ad te, ideſt, qui locutus fuerit contra te in hac re. *Quæ ait, recordetur rex Domini Dei sui.* Hic ponitur alia inquietatio mulieris ad regem, quia ipsa adhuc non contenta hac responsione petiuit maiorem certitudinem super vita filij sui, & quia ista mulier iam erubescebat totiens petere a rege, petiuit hic per inuocationem Dei ad signandum magnam humilitatem, scilicet, recordetur rex Dei sui, ideſt, rogo, quòd attendat ad Deum suum, & propter eum velit liberare me, & filium meum. *Vt non multiplicentur proximi sanguinis ad vlciscendum*, ideſt, rogo quòd rex faciat ne multiplicentur proximi sanguinis ad vlciscendum in filio meo. Pro hoc sciendum, quòd quando occidebatur aliquis, quilibet de cognatis habebat ius contra occisorem accusandi eum ad mortem; competebat tamen directius propinquiori, & illo agere volente, non agebant alij: illo verò remittente iniuriam, vel nolente agere, succedebant omnes alij in actione, & sic vsque ad vltimum. Nolebat autem mulier, quòd multiplicarentur proximi sanguinis ad vlciscendum, ideſt, quòd daretur locus omnibus cognatis agendi contra filium suum, quod fieret per modum assignatum a rege, quia si primum inquietatorem mulier duceret ad regem, succederet alius cognatus in sanguine; & rursus ille inquietaret, & deberet duci ad regē, & sic fieret successiue de omnibus cognatis filij mulieris fœminæ, in quo ipsa grauaretur multiplicatis accusatoribus, quia sępe deberet venire ad regem, & sequeretur aliud periculum maius, scilicet. *Et ne quaquam interficient filium meum*, ideſt, fac quòd non multiplicentur vltores sanguinis, vt non occidant filium meum, quia si multiplicantur occidēt eum, scilicet, quia dum ego citauero aliquem eorum coram te, alij cognati occident filium meum, & non proderit ei remedium istud. In Hebræo habetur: *Recordetur rex Domini Dei tui.* Sed ista est mutatio personę ex improprietate idiomatis; & nihil refert. Deberet autem dici: Dei sui. Habetur etiam in Hebræo: *Ad augendum redemptorem sanguinis.* Vbi nos dicimus, vt non multiplicentur proximi sanguinis ad vlciscendum. Et est sensus: fac quòd non augeantur, vel multiplicentur redemptores sanguinis. Vocatur autem redemptor sanguinis, qui habet ius accusandi occisorem ad recompensationem, siue redemptionē sanguinis occisi, & idem est quod litera nostra. *Qui ait: Viuit Dominus.* Hic dedit rex maximam securitatem mulieri iurando, quòd nullo modo moreretur filius eius. *Quia non cadet de capillis filij tui super terram*, ideſt, non solùm non occidetur, sed etiam nihil mali ei fiet, ita quòd non cadat saltem vnus capillus eius in terram.

An ista mulier bene concluserit pro Absalom per similitudinem filij sui. Quæst. XIIII.

QVAERETVR an ista mulier bene concluserit id, quod volebat de Absalom per similitudinem mortis filiorum suorum. Aliquis dicet, quòd non: quia quamquam sentētiaretur pro filio suo, quòd liberaretur ab occisoribus, tamen non sic sententiari debebat de Absalom, eo quòd non constabat filium suum esse occisorem, cùm non adessent testes, de Absalone autem manifestum erat, quòd ipse occidisset Amnon. Item non stat, quia potissima ratio istius mulieris erat, quòd non habebat alium successorem vir suus si ille occideretur, sed periret nomen, & reliquiæ illius. Non erat autem sic de Absalom, quia non erat solus ille filius Dauid, cùm multos alios haberet, & plures adhuc gignere posset. Respondendum secundùm Rab. Sa. quòd simile erat de Absalom, & de filio mulieris huius: quia sicut non fuerunt testes huius homicidii, ita nec homicidij patrati per Absalom. Sed obijcietur, quòd ibi fuerunt omnes filij regis, & multus populus cum eis. Respondet Nic. secundùm Rab. Sa. quòd isti non erant idonei testes, quia erant cognati Amnon. Sed hoc non stat, quia si illi fuissent cognati Amnon, & non Absalonis non fuissent idonei testes: erant tamen fratres vtriusque, ideo testimonium illorum idoneum erat ac si neutrius essent cognati. Sed adhuc respondet Nicol. quòd isti filij regis erant valde fauorabiles Amnon contra Absalom, eo quòd Absalom erat filius mulieris alienigenæ, scilicet, Maacha filiæ regis Tholmai de Gessur: mater autem Amnon erat de Israel de vrbe Iezrahel, vt patet supra tertio, ideo magis fauerent ei. Sed istud nihil est, quia nō sufficiebat tam parua præsumptio ad repellendū istos a testimonio. Item non obstante hoc, non solùm erant præsentes filij regis, sed etiam multi alij serui eorum, qui poterant conuenienter testificari. Quod patet, quia præcedenti capitulo dicitur quòd speculator vidit multum populum uenientem per latus montis, & illi erant filij regis, ut patet ibi: ergo non solum ipsi fuerant in conuiuio, sed etiam multi alij; nā nō erat ullatenus uerisimile, quòd filii regis irent incomitati. Item hoc non stante adhuc homicidiū illud erat notorium, quia Absalom fugit illico, ut occidit Amnō, & ipse cōfessus est hoc, cùm dixit ad Ioab, quòd si rex memor esset iniquitatis eius occideret eum: ergo non erat dubitandum de homicidio Absalonis, & sic erat disimile. Ad secundā rationē cùm arguit de hærede superstite. Dicendum, quòd non potest negari non esse plenam similitudinem. Dicendum igitur, q̄ mulier ista proposuit hunc casum, non quidem tan-

Arguitur q̄ non primo.

Secundo.

Responsio Ra. Salom.

Ad secundā

quam

Universidad de Deusto
Biblioteca

quã necessario ex determinatione eius resultaret determinatio in casu Absalonis, sed quia determinato hoc, cùm esset aliqualis similitudo ad casum Absalom, rex diffiniret sic de Absalone. Adduxit etiã præter hoc mulier tres rationes persuasiuas. Prima erat, quòd deberet reduci Absalom, alioquin cùm maneret in terra idolatrarum, ipse & uiri sui possent declinare ad idola, & sequeretur magnum inconueniens. Secunda ratio erat, quia Dauid nõ poterat remedium adhibere morti Amnon per exilium, & mortem Absalonis, ideo non erat bonum, quòd persequeretur eum. Tertia ratio est, per similitudinem ad Deum, quia quamquam homo peccet, Deus non delet eum subitò, sed expectat, & miseretur reducens eum ad se, ideo sic Dauid debebat facere filio suo: istæ tres rationes tanguntur infra in litera.

Quare ista mulier non posuit casum similem ex toto, sicut Absalom. Quæst. XIIII.

QVAERETVR vlterius, quare ista mulier non posuit casum, in quo ex determinatione eius, sequeretur determinatio in casu Absalonis: scilicet, ponendo talem casum per omnia, qualis fuit in Absalone: satis enim hoc fieri potuisset: quia in potestate eius erat fingere uerba, vt uellet: nam nunc mentita est, vt supra probatum fuit, ideo poterat alio modo etiam mentiri. Respondendum, quòd potuit Ioab informare mulierem in tali casu sicut fuit casus Absalom: sed non expediuit, quia tunc non haberet mulier aliquam rationem efficacem ad liberationem filij sui, eo quòd confiteretur filium suum esse occisorem, sicut patebat de Absalone: & tunc rex non poterat remittere ei pœnam inuitis accusatoribus. Item mulier non allegaret, quòd si moreretur ille filius periret hæres viri sui, & ideo non haberet aliquid inductiuum ad hoc, quòd rex sententiaret pro ea: vnde certissimè credi debet, quòd si sic proposuisset casum, quòd rex potius condemnasset filium suum, quàm absoluisset: & tunc ipsa non haberet aliquid, per quod introduceret casum de Absalom, & esset totus labor superuacuus. Melius ergo fuit, vt proponeretur sicut ipsa proposuit, quamquam non sequeretur determinatio casus Absalõ per casum de filio suo, quia saltè proficeret ad aliqualem persuasionem, cùm absoluto filio suo induceretur quædam similitudo ad liberationẽ Absalom. *Dixit ergo mulier.* Hic ponitur tertium huius cap. scilicet, petitionis interpretatio: nam postquam obtinuit mulier in casu, quem proponebat, exposuit intẽtionem suam in casu Absalom. *Loquatur ancilla tua ad dominum meum regem verbum.* Ideſt, oro, vt dominus meus rex permittat mihi ancillæ suæ, quòd loquar ei vnum verbum. Hoc petiuit ne forte rex iraſceretur ſi ipſa illicentiata inciperet loqui de Absalom, cùm non attineret ad casum suum. *Et ait loquere.* Concessit ei potestatem loquendi; ideo quamquam loqueretur de Absalom, vel de aliquo alio rex non iraſceretur, quia ipse concesserat facultatem loquendi. *Dixitque mulier, quare cogitasti istiusmodi rem contra populum Dei?* Hic incipit mulier allegare tres rationes, propter quas deberet reuocari Absalom. Prima erat, quia aliàs ipse, & qui cum eo erant possent declinare ad idolatriam, & Dauid, qui cogeret eos manere in terra illa, peccaret tanquam dans occasionem idolatriæ. Istud argumentum fecit Dauid contra Saulem, dicens: ſi Deus incitat te aduersum me, odoretur sacrificium: ſi autẽ filij hominum, maledicti sint in conſpectu domini, qui ciecerunt me hodie, vt non habitem in hæreditate domini, dicentes: vade & serui dijs alienis. præced. lib. cap. 26. Et hoc significatur, cùm dicitur: quare cogitasti istiusmodi rem, scilicet, quòd non reduceres Absalom, & alios eiectos contra populum Dei, ideſt, istud militat nimis contra populum Dei, ideſt, contra Israel, scilicet, quòd aliqui de Israelitis colant idola, vel vocatur populus Dei ipse Absalom cum illis, qui fugerunt cum eo, quia erant multi, & de istis fiebat præiudicium, quia dabatur eis occasio declinandi ad idola. *Et locutus est rex verbum istud.* Ideſt, determinauit in corde suo, vel protulit ore, quòd non reduceret Absalonem, & socios suos. *Vt peccet.* Ideſt, & peccabit. Ponitur hic, vt, consecutiuè, & non causaliter, scilicet, quòd Dauid non determinauerat istud sub hac intentione, vt peccaret, sed ad hanc determinationẽ sequebatur, quòd peccaret dando occasionem idolatrandi Absaloni. *Et non reducat eiectum suum.* Ideſt, istud est, in quo rex peccat, & determinauit illud facere, scilicet, quòd non reducat eiectum suum, scilicet, Absalom. Vocatur autem Absalom eiectus, non quòd Dauid eum eiecerit, nam ipse fugit, sed quia compellebat eum manere in terra, ad quam fugerat, interdicẽs ei introitum in terram Israel. *Omnes morimur.* Ista est secunda ratio suasiua, scilicet, quia mors Amnon non poterat reparari per mortem, vel exilium Absalom, ideo non debebat Dauid insistere circa hoc. Et dicitur: omnes morimur, ideſt, ista est conditio generalis. *Et quasi aquę dilabimur in terram, quæ non reuertuntur.* Ideſt, per mortem dilabimur in terram, scilicet, quia cõuertimur in eam, & non reuertimur ad viuendum, sicut aquæ, quæ semel dilapsæ in terram, non redeunt in priorem locum. *Nec vult Deus perire animam.* Ista est tertia ratio, quę inducitur per similitudinem ad Deũ, scilicèt, Deus non vult, quòd pereant homines, quãquam aliquando peccent, ita Dauid non debebat illico velle mortem Absalonis, quamquam peccasset. *Sed retractat cogitans, ne penitus pereat, qui abiectus est.* Ideſt, voluit cogitationes intra se, & retractat priorem sententiam latam contra aliquem de morte, vt non pereat totaliter. Et dicitur, quòd Deus retractat, scilicet, sententiam: nam quando aliquis peccat est dignus morte, & Deus iudicat illum pro hoc moriturum: interdum tamen retractat, ideſt, mutat sententiam iudicans, quòd non moriatur iſte, qui prius morti adiudicatus est, iuxta illud commune. Si noueris mutare vitam Deus nouerit mutare sententiam, & istud est, qui alicui Deus mortem comminatus est pro malo opere, & postea conuertitur ad bonum. De hoc Iere. 18. Scilicet: Subitò loquar de gente, & regno, vt eradicẽ, & destruam, & disperdam illud, ſi pœnitentiam egerit gens illa à malo suo, & ego pœnitentiam agam super malo, quod cogitaui, vt facerem ei: dicitur, vt non penitus pereat, scilicet, per mortem, quæ est pœna vltima: vel dicitur penitus perire per gehennam, ad quã aliquis pro peccato mortali vadit, & iam non expectatur redemptio. Dicitur, qui abiectus est, ideſt, qui expulsus fuit à diuino fauore per sententiam mortis contra eum latam, vel expulsus per peccatum mortale. *Nunc ergo veni.* Postquam mulier posuit casum de filio suo, & de Absalom, hic facit continuationem de vno ad aliud innuens, quòd ipsa directè veniebat pro casu filij sui, quia tamen respõdit ei rex conueniẽter, proposuit incidentaliter casũ de Absalone: & hoc dicit, vt rex non putet, quòd solùm venerit ad proponendum de Absalone: & dicitur. *Nunc ergo veni, vt loquar ad dominum meum regem verbum hoc.* Ideſt, nunc ueni nisi vt loquerer verbũ hoc. ſ. de filio meo. *Præiens populo.* Ideſt, volui istud dicere põte populo, vt oẽs nouerint sniam regis super absolutione filij mei, & nemo me inquietet amplius, vel vt iste populus sit mihi testis, quòd rex absoluerit filium meum, & possint hoc

hoc fateri coram accusatoribus eius. In Hebræo habetur. *Populo faciente me timere*, ideſt, populus incutiebat mihi timorem, dicens non ingrediaris ad regem, quia non audiet te, vel iudicabit contra te, sed istud procedit ex æquiuocatione literæ Hebraicæ, quæ potest significare, pupulo faciente me timere, vel populo vidente me, & accepit litera nostra secundum sensum, quia idem est dici populo vidente me, vel populo præsente mihi, litera autem superior, scilicet, nec vult Deus perire animam, cum tota clausula habetur nimis variè in Hebræo, scilicet. *Non parcet Deus animæ, & cogitat cogitationes, vt non abijciat abiectum suum.* Et istud redit ad literam nostram, scilicet, nõ parcit Deus animæ, ideſt, non occidit Deus animam, sicut dicit litera nostra, nec vult Deus perire animam, & videtur esse totaliter contra literam Hebraicam; sed debet accipi interrogatiuè, scilicet, non parcet Deus animæ? quasi dicat, nunquid non parcet? ideſt, sic faciet: quod patet ex sequentibus. Cùm autem dicitur cogitat cogitationes; est sensus quòd reuoluit intra se cogitationes ad hoc, vt misereatur eiecto, & non pereat, & hoc dicit litera nostra, scilicet, retractat cogitans, ideſt, retractat sententiam, quam tulerat contra aliquem; vel retractat cogitationes, ideſt, repetit eas, ut inueniat modum, per quem liberet eum, quem condemnauerat. Et dicitur: vt non abijciat abiectum suum, ideſt, vt nõ totaliter abijciat. Nam ille, qui abiectus est, non potest eijci, nisi accipiatur eiectio aliquando pro totali eiectione irreuocabili, & aliquando pro eiectione non totali, quæ reuocabilis est; & sic Deus cùm eiecerit aliquẽ a se, adhuc recogitat, vt non abijciat eum, ideſt, vt non totaliter abijciat. Et hoc est, quod dicit litera nostra, scilicet, vt non totaliter pereat, qui abiectus est. *Et dixit, ancilla tua loquar ad regem*, ideſt, ego ancilla tua dixi, scilicet, intra me proponendo, quòd loquerer ad regem super casu filij mei. *Si quo modo faciat rex verbum ancillę suæ*, ideſt, locuta sum ad experiendum, ſi rex aliquo modo faceret verbum meum, scilicet, quod orabam pro filio meo. *Et audiuit rex verba, vt liberaret ancillam suam*, ideſt, rex consensit verbis meis liberando me ancillam suam. Dixit autem mulier, quòd liberauerat eam, non quidem, quòd ipsa peteretur ad mortem, quia solus filius eius petebatur; sed quia ipsa reputabat hanc causam totaliter esse suam, & ſi filius periret, quòd ipsa peritura esset, sed nunc liberatus est filius, ideo ipsa quoque liberata est. *De manu omnium, qui volebant de hæreditate Domini delere me, & filium meum.* Isti erant cognati filii huius mulieris, qui petebant eũ ad mortem, & per hoc volebant delere ipsum & matrem de hæreditate domini, ideſt, de terra Israel, quæ vocatur hæreditas domini, quia illam Deus sibi habet firmiter, sicut hæreditatem, quæ firmiter pertinet ad hæredẽ: vnde specialiter terra ista pertinet ad Deum, & ob hoc ipse dixit, terra possessionis vestræ non venderetur in perpetuum, quoniam mea est, & vos coloni mei estis. Leuit. 25. dicitur autem quòd volebant delere istam mulierem, & filium suum; quia filius directè delebatur, ſi occideretur, sicut petebant accusatores: mater autem deleretur, quia mortuo filio nullum haberet superstitem de progenie sua, & per hoc ipsa non maneret in hæreditate domini. *Dicat ergo ancilla tua.* Hic incipit concludere in petitione pro Absalom, scilicet, dicat ergo ancilla tua, ideſt, permitte ancillam tuam dicere id, quod sequitur, scilicet. *Vt fiat verbum domini mei regis, quasi sacrificium*, ideſt, loquatur dominus meus rex, respondendo pro Absalone, qui eiectus est, sicut respondit pro filio meo, scilicet, absoluendo eum, vt fiat verbum regis, quasi sacrificium, ideſt, fiat ita gratum sicut sacrificium, quasi dicat, ſi rex respondet de Absalom absoluendo eum, erit verbum istud gratissimum sicut sacrificium. Sunt enim sacrificia ritè oblata, Deo acceptissima, intantum quòd dicitur odorari odorem suauitatis, ut patet Leui. 1. & 3. ita esset, ſi rex responderet absoluendo Absalom. In Hebræo habetur. *Dixit ancilla tua.* vbi nos dicimus dicat, & mutatur tempus. Non enim proprie potest dici, dixit, quia hic non dixit aliquid mulier asserendo, sed optando, scilicet, dicat ancilla tua, ideſt, permittatur dicere. Si autem accipiatur, dixit, in præterito, erit per modum assertionis & non conuenit sententiæ. Dicitur etiam in Hebræo. *Fiat verbum domini mei regis quasi quies, vel ad quiescendum*, ideſt, loquatur rex verbum quod ſit quaſi quies, scilicet, absoluendo Absalom: quia istud erat magna quies & iucunditas, uariatur autem hoc, quia in litera nostra ponitur sacrificium propter æquiuocationem nominis Hebraici hic positi. Nam illud æqualiter significat sacrificium, uel quietem, sed solùm differt in quodam puncto, quod ponitur pro quiete, & non pro sacrificio; sed ille punctus non est de substantia, uel radice nominis, cùm non ſit litera, sed apex. *Sicut enim angelus Dei, sic est Dominus meus rex.* Istud potest introduci per modum laudis ad persuadendum, scilicet, quòd mulier ista diceret regi, quòd erat sicut angelus Dei, ad hoc quòd per istam laudem facilius moueretur ad concedendum, quod petebat mulier de Absalone. Aliter potest accipi & continuetur hoc ad præcedens, scilicet, dicat ergo ancilla tua, ideſt, permittat me rex loqui, quaſi dicat, ſcio quòd permittet, & non offendetur verbis meis, quia rex est sicut angelus domini, qui non mouetur benedictione vel maledictione, ideſt, siue bonum, siue malum dicatur ei, non iraſcitur, & ob hoc non iraſcetur quicquid ego loquar. In Hebræo habetur: *Sicut angelus Domini, sic Dominus meus rex ad audiendum bonum, & malum*, ideſt, est rex sicut angelus ad audiendum bonum, & malum, scilicet, quia vtrumque audire potest, & non iraſcitur, quod nullus homo facit, sed soli angeli Dei, qui non mouentur verbis nostris: & hoc est quod dicitur in litera nostra, scilicet, vt nec benedictione, nec maledictione moueatur, scilicet, non mouetur benedictione ad aliquid iniustè conferendum, quod non colaturus esset: & hoc quaſi per adulationes cõferat, nec etiam mouetur maledictione, scilicet, ad irã ad hoc quòd aliquod iniustum infligat. *Vnde & Dominus Deus tuus est tecum*, ideſt, quia non moueris benedictione, nec maledictione: sed semper rectè agis, Dñs Deus tuus est tecum, scilicet, diligendo te in omnibus operibus tuis. *Et respondens rex, dixit ad mulierem.* Iam enim rex audierat vtramque petitionem mulieris: & intelligebat ista omnia ficta esse, vt introduceretur petitio de Absalom. Credidit quoque quòd mulier non ſufficisset ad ista confingendum, nec ausa fuisset illa petere, nisi quis instruxisset eam & confortasset, ideo putauit, quòd Ioab instruxerat eam in omnibus ijs; & nunc petit ab ea, vt respondeat, an fecerit ista Ioab. *Ne abscondas a me uerbum, quod a te interrogo*, ideſt, non neges mihi veritatem super hoc, quod peto. *Dixitque mulier: loquere Domine mi rex*, ideſt, loquere quidquid volueris, quia non occultabo veritatem tibi. *Et ait rex; Nunquid manus Ioab tecum est in omnibus his?* ideſt, nunquid Ioab adiuuit te, & dedit fauorem tibi in omnibus his, quæ proposuisti?

Quare Dauid putauit Ioab potius quàm alium adiuuisse hæc mulierem. Quæst. XV.

QVAERET aliquis, quare potius rex cogitauit de Ioab, quòd adiuuisset mulierem illam quàm aliquis alius. Respondendum, quòd forte Ioab erat amicus Absalonis, antequam recederet

Universidad de Deusto
Biblioteca

recederet de Israel per mortem Amnon, & nunc re- F
tinens amicitiam orabat occultè pro illo, vt rediret in
terram Israel, & fortè nullus erat inter seruos regis,
qui tantum diligeret Absalonem sicut Ioab, ideo po-
tius suspicatus est de illo quàm de alio. Vel fortè fuit
hoc, quia erat Ioab vir valde prudens, & non erat ali-
quis ita astutus in domo regis ad faciendum hoc si-
cut Ioab, & quia cautè factum est arbitratus est, quòd
ille egisset. Hoc autem signatur in Hebræo, vbi litera
nostra dicit infra per salutem animæ tuæ rex, quia nec
ad dexteram, neq; ad sinistram est: vbi dicitur in He-
bræo; quòd non est vir ad dexterandum, vel intelli-
gendum, aut faciẽdum in omnibus his, nisi Ioab, ideo
quòd ipse fecerit. Potuit etiam Dauid hoc suspicari,
quia fortè Ioab fauebat isti mulieri, quando propone- G
bat ista coram rege, scilicet, quia aderat ei, & appare-
bant in eo aliqua signa, quòd ipse desideraret fieri id,
quod petebat mulier, & ex hoc argui poterat cõscius
facti. Multæ quoque aliæ præsumptiones ex tempore
haberi poterant, quas nos considerare non possumus
propter hoc, quòd abstrahimus negocium agibile à
suis particularitatibus, & tunc fit obscurum. *Respondit
mulier*. Sensit enim mulier, quòd Dauid intellexerat
fictionem eius, & vnde habuisset originem: ideo nihil
voluit negare, sed sponte confessa est quidquid rex pe
tebat, & amplius. *Et ait, per salutem animæ tuæ domine mi
rex*, idest, iuro per salutem tuam, scilicet, per vitam tuã,
quòd sic est, vt dicis. *Nec ad dexteram, nec ad sinistram est
ex omnibus his, quæ locutus est dominus meus rex* ideſt, nihil
aliud est plus, vel minus ad dexteram, vel ad sinistram H
quam id quod dominus meus rex arbitratus est. In
Hebræo habetur. *Si est vir ad intelligendum, vel dextran-
dum in omnibus, quę locutus est rex.* Hebræi autem expo-
nunt, ideſt, nõ est vir in palatio regis, vel in toto Israel
ad intelligendum, vel dextrandum, ideſt, qui posset in-
telligere hæc, & dextrare, ideſt, dirigere, vel informa-
re alium in eis nisi Ioab; ideo de ipso intelligendum
est, quòd fecerit hoc. Litera autem nostra posuit,
quòd non est ad dexteram, nec ad sinistram, eo quod
dicitur in Hebræo ad dextrandum, & conuenit hoc
magis sententiæ quàm modus loquendi Hebraicus.
Seruus enim tuus Ioab ipse præcepit mihi, ideſt, ipse præce-
pit, vt venirem coram te ad dicendum hæc. *Et ipse po-
suit in os ancillæ tuę omnia verba hęc*, ideſt, ipse instruxit I
me in omnibus his, quæ dicere debebam, ita vt ego
non deberem addere verbum ad id quod ipse mihi
dixit, nec quicquam variare. *Vt verterem figuram sermo-
nis huius*, ideſt, iussit quòd verterem figuram sermo-
nis, ideſt, vt loquerer de vna re, tanquam si loquerer
de alia. Nam proposuit mulier ista verba de filio suo,
& hoc non proposuit ad hoc quòd consequeretur ab
solutionem pro filio suo, quia nihil tale erat, nec cura-
uit de hoc; sed solùm vt introduceretur petitio de
Absalom per similitudinem petitionis de filio suo, si-
cut fit in parabolis, quas interdum proponit scriptu-
ra in prophetia; quia illę non sunt sic realiter, sed so-
lùm introducuntur ad aliquid significandum. *Seruus
tuus Ioab præcepit istud*. Replicatio sententiæ est, sci- K
licet, ipse præcepit mihi quid facerem, & qualiter
facerem.

Quare mulier ista voluit confiteri omnia Dauid.
Quæst. XVI.

QVAERET aliquis, quomodo ista mulier
ausa est confiteri quòd Ioab fecisset istud,
quia fortè irasceretur nimis Dauid contra
Ioab, quasi voluisset eum occultè fallere,
Respondendum, quòd mulier ista vi-
dit, quòd veritas erat cognita per Dauid, ideo non pos
set ipsa iam occultare; & si conaretur occultare, ma-
gis offenderet regem, quia vellet ei manifestè menti-
ri; vnde ad omnem euentum putauit melius esse cõ-
fiteri quàm negare. Item mulier ista vidit, quòd iam
rex condescendebat petitioni suæ de Absalom, & q
erat iucundus, quando ista dicebat, ita vt appareret ei
non habere animum aliquid mali agendi, ideo puta-
uit esse securum confiteri, quòd Ioab fecisset istud.
Sciendum autem quòd Ioab erat coram Dauid, quan
do ista loquebatur mulier: ideo rex immediatè locu-
tus est ad Ioab, vt patet in litera. *Tu autem domine mi rex
sapiens es.* Hoc autem dicit mulier ad significandum,
quomodo rex cognouerit quid Ioab, & ipsa molin
fuerint, scilicet, tu es sapiens, sicut angelus Dei ad in-
telligendum omnia, quæ fiunt, ideo intellexisti, quòd
Ioab esset auctor huius. Vel aliter introducitur ista lo-
tera, scilicet, quòd mulier excusaret se, & Ioab in hoc
quia posset dicere rex: quomodo tu, & Ioab conabā-
mini fallere me per sermonem simulatum: respon-
det mulier, quòd non putabant fallere regem. Nam
sciebant, quòd cũ ipse esset sapiens sicut angelus Dei,
nihil poterat eum latere de his, quæ fiunt in terra: &
sic Ioab, & ipsa non faciebant hoc animo fallendi re-
gem, quia sciebant quòd hoc non lateret eum; sed
faciebant animo conuenientius persuadendi, & sic
non merebantur malum, & istud est etiam excusatio
pro præcedenti dubitatione, scilicet, quòd mulier nõ
dubitauerit dicere ista facta a Ioab, eo quòd ille non
faciebat aliquid horum animo fallendi regem, ideo
non erat in culpa. *Sicut habet sapientiam angelus Dei.*
Non intelligebat mulier quòd Dauid haberet tantam
sapientiam sicut angelus, quia nullus homo hoc exis-
mat, sed est similitudo quædam, scilicet, quòd sicut
angelus Dei excedit in sapientia omnes homines, ita
Dauid excedebat oẽs. *Vt intelligas omnia super terram*,
ideſt, vt intelligas omnia negocia, quæ fiunt super ter-
ram, ita quòd nihil te latere quæat. Etiam istud accipi-
tur cum moderatione, quia non est sensus, quòd Da-
uid sciret omnia, quæ fiebant super terram, sed intelli-
gitur, quòd sciebat multa, & excellenter super alios
homines, & est Hyperbole, sicut sæpe dicitur in scrip-
tura; vt habetur Gen. 41. omnes prouinciæ veniebant
in Aegyptum, vt emerent escas, & tamen manifestũ
est, quòd non ibant illuc omnes, sed multæ.

Et ait rex ad Ioab. Hic ponitur quartum huius cap.
regis concessio. Et diuiditur in duo, quia primò Abſa-
lom reducitur. Secundò status reducti in terra Israel
describitur ibi. *Porro sicut Absalom.* Circa primum di-
citur. *Et ait rex ad Ioab.* Volebat enim Dauid conce-
dere reductionem Absalom, sed noluit istam conce-
dere mulieri petenti, quousque inquisiuit, an Ioab es-
set auctor huius, quo cognito concessit hoc Dauid
Ioab, & non mulieri; voluit enim quòd ipse redde-
ret gratias Dauid pro hoc, & non mulier. Etiam quia
mulier non erat digna tanto beneficio, sed Ioab, qui
erat vir excellens in Israel, & cognatus regis. Item
quia Absalom teneretur nimis obligatus illi, per quẽ
reduceretur in Israel, & si concessisset rex mulieri, q
petente ea reduceretur Absalom, teneretur ei Abſa-
lom pro hoc beneficio, non erat autem decens obli-
gare filium regis huic mulieri, sed fuit melius, quòd
obligaretur Ioab, quia erat vir famosus, & de cogna-
tione Absalonis; ideo concessit ei, & non mulieri.
Ecce placatus feci verbum tuum, i. ego facio tibi hanc gra-
tiam, q pp preces tuas placor Absalom remittendo
iram, quam contra eum cõceperam, & facio verbum
tuum, scilicet, q reduco eum sicut petiuisti. *Vade igitur
& reuoca puerum Absalom*, ideſt, vade in Gessur, & re-
duc inde Absalom. Fuit autem missus illuc Ioab pro-
pter honorem Absalom: nam poterat simplex nun-
cius

eius cum litera regis destinari de securitate Absalo- A
nis; vt esset tamen honorabilior reditus eius, mis-
sus est illuc Ioab vir honorabilissimus in toto Is-
rael.

Dauid quomodo potuit remittere Absaloni mortem.
Quæst. XVII.

QVAERET aliquis, an Dauid potuit licitè re-
mittere pœnam mortis Absalonom. Aliquis
dicet, quòd non, quia Absalom obligatus erat
ad mortẽ propter homicidium, & ista ob-
ligatio erat per legem Dei, quam Dauid non tulerat:
ideo non potuit dispensare in illa, sicut si esset lex ab
eo lata. Respondendum, quòd Dauid poterat consi- B
derari hic vt rex & iudex, vel vt pater. Primò modo
non habebat potestatem remittendi pœnam, quia iu-
dex non potest contra legem: & Dauid respectu illius
legis erat solum iudex, & non legislator: ideo nihil po-
terat toliere, aut mitigare. Si autem consideretur vt
pater, erat facta ei iniuria in morte Amnon; & cùm
sit delictum istud remissibile per partem, cui inflicta
est iniuria: poterat Dauid remittere eam: & quia parte
remittente iudx tenetur cessare à processu in casu, in
quo crimen est per partem remissibile, necesse erat, q
ipse inquantum iudex cessaret à processu cõtra Abſa-
lonem: cùm ipse inquantum pars remisisset debitum:
& sic poterat Dauid remittere crimen, non dispensan
do aliquid in lege Dei. *Cadensque Ioab super faciem suam* C
in terram adorauit. Ideſt, quando Dauid dixit Ioab, q
propter eum volebat reducere Absalonem, prostra-
uit se Ioab super faciem suam in terram, & adorauit
regem: ista enim erat cõsuetudo antiqua, & nunc est,
scilicet, quòd quando reges, & magni domini profer-
rent verbum concessionis rei petitæ, vel confirrent il-
lam verbo, aut promitterent conferendam: humilia-
rentur coram eis in terra illi, in quorum fauorem ista
dicebãtur. *Et benedixit regi.* Ideſt, imprecatus est ei bo-
na: vtpotè si diceret: dominus conseruet regiã celsitu-
dinem, vel thronum tuum in sempiternum, & sic de
similibus. *Et dixit Ioab: hodie intellexit seruus tuus, quia in-
ueni gratiam in oculis tuis domine mi rex.* Ideſt, hodie co- D
gnoui, q tu diligas me, & sim tibi acceptus: cùm tam
arduam rem intuitu mei feceris. Non dicebat Ioab, q
hodie intellexisset se habere gratiam in oculis regis,
quia ante hoc intellexerat: cùm Dauid fecisset ei mul
ta bona, & constituisset illum principem belli, & bo-
norabilẽ in toto Israel: sed dicitur, quòd cognoscebat
istud hodie, scilicet, intensius, & perfectius, quã prius
cognouisset, cũ nunc fecisset pro eo aliquid valde ma-
gnum. *Fecisti enim sermonem serui tui.* Scilicet, quia ego
oraui pro hoc per mulierem Thecuitem: & cõcedẽ-
do istud, non concessisti sermonem illius, sed sermo-
nem meum. *Surrexit ergo Ioab, & abijt in Gessur.* Noluit E
enim morari super hoc, sed illico executus est, tũ pro-
pter mandatum regis, tum quia ipse desiderabat hoc
facere, cùm fuisset auctor procurando reductionem
hanc. *Et adduxit Absalom in Ierusalem.* Scilicet, adduxit
eum, vt videret regem: nesciebat enim Ioab, an vellet
rex ejicere eum, ne videret faciem suam; sed putauit,
quòd sicut fecerat eum reduci, ita faceret eum venire
ante se, sed rex noluit. *Dixit autem rex: reuertatur in do-
mum suam, & faciem meam non videat.* Est enim præsup-
ponendum, quòd antequam accederet Absalom ad
vrbem Ierusalem, nunciatum est Dauid, quòd veniret
ad videndum eum, & ille dixit: reuertatur in domum
suam, scilicet, quia Absalom habebat domum in Ie-
rusalem, in qua habitaret: & faciem meam nõ videat,
ideſt, non veniat ad palatium meum, nec stet coram
me, nec eat ad alia loca, ad quæ ego iuero. Hoc autem

faciebat Dauid, vt non recordaretur de morte Am-
non. Nam fortè videns coram se Absalom, recorda-
retur de morte Amnon, & tristaretur vel induceretur
ad occidendum Absalonem. *Reuersus est itaque Absa-
lom in domum suam*, scilicet, cùm vellet introire in pala-
tium regis ad videndum eum, & prohibitus est in-
troire, reuersus est in domum suam, quam habe-
bat in Ietusalem. *Et faciem regis non vidit*, scilicet, illa
vice non vidit regem, nec etiam vsque ad duos an-
nos, vt patet infra in litera. *Porro sicut Absalom.* Hic Absalom re
describitur Absalom reducti status, scilicet, qualiter se ducti stat⁹.
habuit in Ierusalem postquam rediit de Gessur, & de
scribitur hic pulchritudo eius: fuit enim pulchritudi-
ne admirabilis, ita vt non reperiretur ei in omni ter-
ra aliquis pulchritudine æqualis. Et dicitur: *Porro
sicut Absalom non erat vir pulcher in omni Israel*, scilicet,
tempore suo non fuit ei aliquis æqualis in toto Israel
in pulchritudine: immo nec in alijs regnis reperie-
batur; erat autem ista pulchritudo in condecentia,
& proportione membrorum: & in debitis lineamen-
tis, & in coloris viuacitate, & conuenientia: vnde in
omnibus his non reperiebatur aliquis defectus in il-
lo. *Et decorus nimis.* Pulcher & decorus non signant
idem, quia pulcher dicit proportionem membro-
rum debitam: decorus autem dicit lineamenta, &
coloris exhilarationem: omnia autem hæc habebat
Absalom. *A vestigio pedis vsque ad verticem non erat
in eo vlla macula*, ideſt, a planta pedis vsque ad capitis
summitatem non reperiebatur in eo aliquid repræ-
hensibile, & quòd pulchrum non esset. *Et quando
tondebat capillos, semel autem in anno tondebatur.* Ponit
tur hic quoddam signum pulchritudinis suæ, scilicet,
multitudo capillorum, quod patet in tonsione: &
dicitur quòd tondebatur semel quolibet anno. In
Hebræo habetur supra, vbi nos dicimus decorus ni-
mis. *Laudabilis nimis.* Et idem est, scilicet, quòd e-
rat Absalom valde laudabilis de pulchritudine, cùm
non esset ei aliquis æqualis. Dicitur etiam in He-
bræo, vbi nos dicimus, semel in anno tondebatur.
De diebus ad dies tondebatur. Et intelligunt Hebræi q
significantur multi dies per hoc, scilicet, quòd rarissi-
mè tondebat Absalon capillos suos. Sed dicendum
quòd accipitur pro anno: nam in Hebræo habetur
hic. *Iamim.* Et significat dies, quando tamen po-
nitur Iamim sine certo numero, accipiunt pro an-
no: & sic est hic, maximè quia dicitur in Hebræo,
post finem dierum ad dies; in quo innuitur, quòd
finiebatur annus antequam tonderetur, quia grauа-
bat eum cæsaries, ideſt, non tondebatur propter a-
liud, nisi quia cæsaries, ideſt, multitudo capillorum
grauabat eum: nam erat nimietas capillorum in Ab-
salom plus quam in alijs hominibus, & in hoc appa-
rebat pulchritudo: quia de necessitate pulchritudi-
nis oportet esse capillorum abundantiam. *Ponderа-
bat capillos capitis sui ducentis siclis*, ideſt, postquam
tonsus erat appendebat capillos absciſos, & ponde-
rabant ducentis siclis. Est enim siclus moneta, & E
pondus, ponderabantur autem capilli ad ducentos
siclos, quod erat valde magnum pondus. Vix enim
capilli cuiuslibet alterius hominis tonsi annuatim
ponderarent quinquaginta, vel sexaginta siclos: & isti
ponderabant ducentos. *Pondere publico*, ideſt, pon-
derabantur capilli pondere publico, scilicet, quo to-
ta ciuitas vtebatur. Hoc dicitur ad differentiam si-
clorum, quia sicli sanctuarij erant dupli in pondere
ad siclos vulgares: pondus autem publicum erat de
siclis vulgaribus.

M *Quare*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quare capilli Abſalonis ponderabantur. Queſt. XVIII.

QVAERET aliquis, ad quid ponderabantur capilli Abſalonis. Aliqui reſpondent, quòd ponderabantur ad vendendum, ſ. quia erant pulchri nimis, & mulieres emebant eos, ut ſubornarent inde capillos ſuos, colligantes eos cũ ſuis, & occultè miſcentes: & dicunt q̃ ideo dicitur pondus capillorum ducentorum ſiclorum, ſ. quia pro qualibet tonſione dabantur ducenti ſicli in pretio. Sed dicendum, q̃ hoc non ſtat. Primò quia non eſt veriſimile, q̃ filius regis venderet capillos ſuos, nã iſtud erat turpe lucrum. Secundò non ſtat, ſ. q̃ acciperentur pro ornamentis, quia capilli ornamentorum fẽmi narum ſunt valde longi, quos ipſę nutriunt multis annis; capilli autem Abſalom, qui tondebantur annuatim, non poterant eſſe tam longi, vt conuenirent illis ornamentis. Tertiò non ſtat quia non eſt veriſimile, q̃ pro tonſione capillorum darẽtur ducenti ſicli, quia iſtud erat magnum pretium inter Hebræos. Quod patet, quia vnus aries dabatur pro duobus ſiclis, vt patet Leuit. 5. & ille erat bonus aries, qui domino offerri poſſet. Ridiculum ergo erat dicere q̃ darentur centum arietes pro vnica tonſione capillorum. Quarto non ſtat, quia litera iſta non poteſt referri ad pretium, ſed ad pondus: cùm dicatur hic q̃ ponderabat capillos capitis ſui ducentis ſiclis. Dicendum igitur, quòd Abſalom ponderabat capillos ad ſignandam magnitudinem pulchritudinis: nam de neceſſitate pulchritudinis eſt multitudo capillorum, & ad ſignandum excellentiam pulchritudinis ſuper alios, ponebatur magnitudo ponderis capillorum ſuper capillos aliorum hominum, & hoc conuenit literæ. Sciendum autem quòd iſtud magis tenebat tempore illo quam nunc, quia inter Hebræos rari tondebantur, ſed nutriebant comam: ideo ille, qui maiorem haberet comam, pulchrior iudicabatur. Sic autem erat de Abſalom, qui habebat comam ita magnam, quòd tonſio annua capillorum ponderabat ſiclos ducentos: ergo cæteris pulchrior erat. Nunc autem quia viri non nutriunt comam, ſed omnes raduntur, præter paruos capillos ad tutelam, & pulchritudinem capitis, non tantum iudicatur pulchritudo ex multitudine capillorum, ſicut tunc. De Abſalom autem dicendum, quòd cùm ipſe eſſet valde pulcher, & gloriaretur de pulchritudine, non tondebat capillos ſuos niſi ex neceſſitate, ſcilicet, quia grauabat eum ceſaries, ſicut dicitur in litera. Sciendum autem, quòd Ioſephus dicit ſeptimo Antiquitatum: tantam fuiſſe multitudinem capillorum, vt vix octo diebus tonderi poſſet; & erat tonſura ducentorum ſiclorum, qui faciunt quinque minas. Sciendum etiam quòd Hebræi dicunt Abſalonem fuiſſe de Nazaræis, & dicunt eum eſſe de Nazareis perpetuis. Nam quidam Nazaræorum erant temporales, & alij perpetui, vt declaratum eſt Numer. 6.

An Abſalom eſſet Nazaræus. Queſt. XIX.

QVAERET aliquis, an iſta propoſitio Hebræorum ſit vera. Ad hoc præſupponendum de voto Nazaræorum, quòd Nazarei habebãt quendam ſtatum perfectiorem in veteri teſtamento quàm alij homines, ideo ſtatus ille non cadebat ſub præcepto, ſed ſub voto, & quicunque vir, vel mulier vellet, poterat vouere illum, ſicut nunc ſtatum religionis, & obſeruatio conſiliorum non cadit ſub præcepto, ſed ſub voto, & voluntate. Qui verò iſtum ſtatum obſeruabant, debebant abſtinere ab omnibus immunditijs, & potiſſimè ſuper mortuo: nam non debebant tangere aliquem mortuum, vel flere ſuper illum eundo ad funera eius, vel introeundo in domum, in qua iacebat mortuus: immo etiam ſi aliquis ſubito moreretur coram Nazaræis, polluebantur, ita q̃ debebãt repetere votum ſuum a principio: abſtinebant etiam Nazaræi a vino, & aceto, & vuis, & omnibus rebus, quæ ex vua fiunt, vt patet Numer. 6. Erant autem iſti Nazaræi duplices, quia quidam temporales, & quidam perpetui: temporales verò, vt ſi quis voueret obſeruare votum Nazaræorum vno, vel duobus annis, aut quantocunque tempore, & in toto iſto tempore nunquam debebat radere capillos, nec etiam contaminari ſuper mortuo, etiam ſi eſſent pater vel mater, & obſeruare omnia, quæ dicta ſunt. In fine autem temporis radebãtur omnes capilli de capite Nazarei, & cremabantur ſuper altare, & offerebant illa die ſacrificia. Nazaræus autem perpetuus obſeruabat omnia hæc tota uita ſua, vnde nunquam poterat radere capillos, quia illi erant conſecrati domino. Abſalom tamen quolibet anno radebat capillos, ideo non erat Nazaræus perpetuus. Reſpondent Hebræi, quòd poterat radere propter grauitatem, & ſic faciebat Abſalom, nam grauabat eum cæſariæs. Sed hoc non ſtat, quia Numer. 6. dicitur quòd Nazaræus nullo modo raderet capillos uſq; ad expletum tempus conſecrationis ſuæ; ſed Nazaræus perpetuus erat conſecratus ad ſemper, ergo nunquam licebat ei radere aliqua cauſa, uel tondere capillos. Motiuum autem Iudæorum ad ſoluendum, ſcilicet, q̃ licebat propter grauitatem capitis tondere capillos, non ſtat; quia ipſi præſupponunt Abſalonem Nazareum; quo conceſſo neceſſe erat dici q̃ licebat Nazaræis tonderi, quando grauaret eos cæſaries: non tamen conſtat Abſalonem Nazaræum eſſe, ideo dicendum q̃ tondebatur ſolùm quando grauabat eum ceſaries, quia ipſe uolebat gloriari nimis de pulchritudine ſua, & quia multitudo, & magnitudo capillorum faciebat ad pulchritudinem, uolebat sẽper eos ſuſtinere, nec tondebat, niſi quando non poterat tolerare, ſcilicet, quia grauabat eum cæſaries: ſi autem fuiſſet Nazaræus perpetuus, nunquam tonſus fuiſſet, etiam ſi grauaretur cæſarie: ſtatus ille, qui erat perfectionis in ueteri teſtamento, ſumebatur ad tolerandum labores: ideo non erat conueniens, q̃ etiam ſi grauaret ceſaries caput, quod sẽper ſuſtineretur: maiores namq; difficultates ſuſtinent quas tolerant nunc ex uoto, qui conſilia obſeruant, & religionis ſtatum.

Quare ſcriptura faciat mentionem de pulchritudine Abſalonis tam accuratè. Quæſt. XX.

QVAERETVR ulterius, ad quid ſcriptura agit hic mentionem tam accuratè de pulchritudine Abſalom. Reſpondendum uno modo, q̃ ſcriptura agit, hic de Abſalone continuando hiſtoriam de Dauid quantum ad ea, quæ passus eſt per Abſalom, & quia Abſalom erat admirabiliter pulcher, fecit mentionem incidentaliter de eius pulchritudine tanquam de aliquo magno. Sic autem interdum interponit aliqua, quæ non tangunt principaliter hiſtoriam, quia tamen fuerunt contemporanea & fuerunt aliqua magna, deſcribuntur. Aliter autem reſponderi poteſt, quòd ſcriptura poſuit hoc ad aliud myſterium: quoniam ſcriptura ſacra intendit nos ædificare perducendo per exempla uirtutum, & bonos mores ad uitam æternam: ſic enim uult Apoſtolus, quòd omnis ſacra ſcriptura eſt ad exhortandum, & ad inſtruendum. Deus autem inſtruit nos per exempla magnorum uirorum, ut diligamus ipſum: nihil autem eſt, q̃ magis impediat, quàm amor ardẽtiſſimus quem

quem ad præſentia bona gerimus: ideo Deus replet omnia bona huius ſæculi magnis amaritudinibus, vt non putetur in eis eſſe fœlicitatem: & homo cognoſcens ſe per illa non poſſe fœlicitari, aliud bonum extra hæc inquirat, per quod fœlicitetur. Sic ait Aug. 22. de Ciuitate Dei, ſcilicet. Ideo huius vitæ dulcedo amaritudinibus, & erumnis reſperſa eſt, vt alia vita quæratur, quæ nulla amaritudine perturbatur. Fecit ergo Deus aliquid valde admirãdum in hoc: nam eos, quos nos præcipuos in bonis ſummis exiſtimauimus, calamitoſos efficiens, amariſſima confecit morte. Nos enim ſapientiam, delectationem, robur corporis, pulchritudinem, potentiam ſæcularem, agilitatem corporis, & ſimilia, ſumma bona eſſe putamus, quibus ardentiſſimo affectu frui concupiſcimus. Fecit ergo Deus, quòd illi, in quibus iſta bona maxima fuerunt, fœlicitatem nequaquam conſecuti fuerint, ſed calamitoſi inter alios effecti ſunt. Nullus enim inter viros tanti vnquam roboris fuit, ſicut Samſon; qui mille viros contra ſe pugnantes, cum mandibula aſini occidit. Portas etiam vrbis cum vectibus ſuis ſimul eruens ſuper humeros tulit. Iud. 15. ipſe tamen miſeranda morte expleuit uitam. Nam prius à fœmina deceptus, manibus hoſtium traditus, miſerabiliter deturpatus ad molam aſinariam turpiter ut aſinus molere compulſus eſt: poſtea autem amaram vitam dura morte compleuit. Iud. 16. Nullus etiam vnquam in curſu agilior quàm Aſael frater Ioab repertus eſt, qui in curſu ſyluarum capreas ſuperaret: hic tamen ab Abner in bello, & ſine magna gloria percuſſus occubuit. Inter homines etiam nullus Salomone ſapientior fuit, nec ei æqualis repertus eſt: quoniam ſequen. lib. capit. tertio, dicitur, quòd Salomon habuit ſapientiam à Deo ita quòd nullus hominum ante eum, nec poſt æqualis ei fuerit, ipſe tamen cùm in principio regni glorioſiſſimus fuiſſet, deturpatus eſt ad ſenectutem idola colens, & multæ impudicitiæ ſe tradidit. Inimicum quoque Idumæum paruulum habens, ab eo ſatis inhoneſtè timore concutiebatur. De hoc ſequen. libro cap. 11. Diuitijs quoque nullus Salomonem præceſſit, ſed ipſe præcedebat omnes reges terræ. ſequen. libro cap. tertio, ipſæ tamen gloriolum exitum non habuerunt. Nullus quoque Alexandro maior fuit: ipſe tamen inexpleto deſiderio regnandi finitis. 12. annis veneno extinctus perijt. Hoc idem apparet nõ ſolùm in hominibus, ſed etiam in regnis, & imperijs magnis: illa enim regna, quæ maiori gloria claruerunt, duriori calamitate conſumpta ſunt, quod luce patentius eſt, ſi quis hiſtorias Aſſyriorum, Chaldæorum, Perſarum, & Græcorum, ac Romanorum legat. Iſta enim totius orbis imperia celebriora fuerunt, ſed miſeris cladibus ſubuerſa ſunt, ita ut nihil uel parum de eis relictum ſit. Abſalom autem in pulchritudine fortaſſis omnibus hominibus ſęculi excellentior fuit: hunc tamen miſeranda mors exterminauit. Narrat ergo ſcriptura horum excellentias, ut poſtea eorum concludat excidia, ut ſic in nullo eorum bonorum, quæ à nobis potiſſima iudicantur ſęlicitatem eſſe liqueat. Sciendum ulterius, quòd Abſalom cum eſſet uirorum pulcherrimus, & de hoc maxime gloriaretur, uoluit ſuę pulchritudinis memoriam poſteris relinquere, & ob hoc, ut ait Ioſephus. ſeptimo Antiquitatum conſtituit ſibi quandam ſtatuam marmoream in ualle regia, quæ duobus ſtadijs à Ieroſolymis aberat, quam appellauit ſuam manum, dicens, quòd etiam filijs ſuis morientibus, nomen eius in ſtatua permaneret. *Nati ſunt autem Abſalom filij tres, & filia vna nomine Thamar.* Iſtos filios uidetur habuiſſe Abſalom poſtquam redijt in Ieruſalem de Geſſur, iſta autem filia Abſalom uocata fuit Thamar propter deſiderium ſororis ſuæ Thamar, quæ pulcherrima erat: iſta uocatur alio nomine Macha, & accepit eam in uxorem Roboam filius Salomonis, ut patet 2. Paralip. 11. Dilexit autem illam nimis ſuper omnes alias uxores, & concubinas, & filium eius Abiam regem conſtituit, eo. cap. *Elegantis formæ.* Ideſt, fuit ſpecioſa nimis: nec mirũ, quia pater eius pulcher etat ſuper omnes uiros. *Manſitque Abſalom in Ieruſalem duobus annis, & faciem regis non vidit.* Hic continuatur hiſtoria, ſcilicet, quòd Abſalom reductus de Geſſur non uenit illico ad regem uidendum, quia uetitus eſt, ſed manſit duobus annis in Ieruſalem, quibus non uidit faciem regis, quia nunquam ibat ad palatium, nec ad locum, ad quem rex ibat, ne uideret eum Dauid. *Miſit itaque ad Ioab.* Scilicet, uocando eum, ut ueniret ad ſe. *Vt mitteret eum ad regem.* Volebat enim Abſalom ſtare in cõſpectu regis, cùm iam multo tempore non comparuiſſet; & ſi rex nollet, potius uolebat regredi in Geſſur, quàm manere in Ieruſalẽ, & ad hoc uolebat mittere Ioab ad regem, quia nullum alium habebat magis amicum, cùm ipſe procuraſſet regreſſum eius de Geſſur, & iuiſſet pro eo. *Qui noluit venire ad eum.* Neſciebat Ioab ad quid uocaretur, ideo putans ſe ad aliud uocari, non uenit. *Cumque ſecundo miſiſſet, & ille venire noluiſſet.* Ex eadem cauſa, ſcilicet, quia neſciebat ad quid uocaretur. *Dixit ſeruis ſuis.* Scilicet, Abſalom concitatus ira contra Ioab, quia non ueniebat, uoluit exurere ſegetes eius. *Scitis agrum Ioab iuxta agrum meum habentem meſſem ordei: ite, & ſuccendite eum igni.* Iniuſtè agebat Abſalom contra Ioab, cui benefecerat ei: nam non poterat aliquo iure Abſalom hoc facere, cùm non eſſet iudex ad infligẽdum pœnam: & dato quòd eſſet iudex, non habebat iuſtam cauſam puniendi Ioab: cùm ille non peccauiſſet, nam non tenebatur Ioab uenire ad uocationem Abſalom. Peccauit etiam Abſalom, quia apposuit ignem ſegeti: nam in hoc potuiſſet non ſolùm illam comburere, ſed etiam multas alias, & eſſet damnum grauiſſimũ, ipſe uerò teneretur ad omnia damna, cùm dediſſet operam illicitæ rei: immo uidebatur reus mortis, qa ab intentione apponebat flammas ſegeti. *Succenderunt ergo ſerui Abſalom ſegetem igni.* Sicut iuſſerat eis Abſalom: ipſi tamen rei erant, quia non debuiſſent obedire Abſaloni, cùm hoc eſset manifeſtè illicitum. In Hebræo habetur, ſupra. *Scitis partem Ioab.* ubi litera noſtra dixit: ſcitis agrum Ioab, quia nomen quod ponitur hic in Hebræo poteſt ſignificare partem, uel agrum, ſic patet ſecũdo, cùm dicitur: uocatus eſt ager fortium, & in Hebræo habetur iſta dictio, quę hic, ſcilicet pars fortium. *Et venientes ſerui Ioab, ſciſſis veſtibus ſuis.* Viderunt enim quòd ſerui Abſalom ſuccenderant agrum domini ſui, & ipſi non potuerunt eis reſiſtere; ideo in ſignum doloris ſciderunt ueſtes, & uenerunt ad Ioab. *Dixerunt, ſuccenderunt ſerui Abſalom partem agri igni.* Eſt autem intelligendum, quòd Abſalem non cremabat principaliter agrum Ioab, quia nõ uenerat ad uocationem ſuam, ſed magis ut ueniret: nam cùm ipſe nollet uenire uocatus, nunc, quando combureretur ager eius, ueniret, ſaltem ad ponẽdum querelam de damno dato: & ob hoc Abſalom uoluit, quòd ſerui ſui publicè comburerent agrum Ioab, uidentibus ſeruis Ioab, ut ipſi dicerent Ioab, quòd Abſalom fecit illud, & ſic ueniret Ioab ad Abſalonẽ, & mitteret eum Abſalom ad regem. Patet etiam, quia ſerui Abſalonis noluerunt comburere totum agrum, ſed partem eius, ſi tamen egiſſent ad uindictam principaliter, intuliſſent de damno quantum potuiſſent. *Surrexitque Ioab, & venit ad Abſalom in domum eius.* Scilicet, ad proponendum querelam, neſciens cur ſuccenſus fuiſſet ager eius. *Quare ſuccenderunt ſerui tui*

Universidad de Deusto
Biblioteca

segetem meam igni? Nesciebat Ioab an serui Absalonis egissent de mandato Absaloni, vel de propria auctoritate, & si mandato Absalom, volebat scire, cur hoc actum esset. *Et respondit Absalom ad Ioab, misi ad te obsecrans vt venires ad me*, ideſt, misi rogando, vt venires, & noluisti, ideo combusi agrum. *Et mitterem te ad regem, & diceres ei; Quare veni de Gessur?* ideſt, volebam te mittere ad regem vt diceres ei ex parte mea, Quare veni de Gessur? ideſt, ad quid fecisti me venire de Gessur? quasi dicat, si non eram visurus faciem tuam, non erat mihi opus venire de Gessur. *Melius mihi erat ibi esse*, scilicet, quàm manere hic, & non videre faciem tuam, quia ibi nihil mihi deerat, nec etiam tanquam exul, sed tanquam in domo propria, nam erat rex Gessur auus Absalom: hic autem si non video faciem tuam, sum quasi exul, vel incarceratus: melius ergo erat quòd non reduxisses me de Gessur. *Obsecro ergo, vt videam faciem regis*, ideſt, quia ego non veni de Gessur vt magis punirer, sed vt releuaretur pœna, & tamen magis puniar si non videro faciem tuam: obsecro ergo, vt videam eam. *Quòd si memor est iniquitatis meæ, interficiat me*, ideſt, si rex recordatur de iniquitate mea occidendo Amnō, & propter hoc non vult me videre, interficiat me, & non infligat mihi istam pœnam. *Ingressus Ioab ad regem nunciauit ei*, ideſt, iuit ad regem, & nunciauit ei hæc, quæ proposuerat Absalom. *Vocatusque Absalom intrauit ad regem*, scilicet, rex condescendit precibus Ioab nunc secunda vice, & iussit venire Absalom. *Et adorauit super faciem terræ coram eo.* Humiliauit se Absalom vsq; ad terram coram rege ad exhibendam magnam reuerentiam. *Osculatusque est rex Absalom*, ideſt, tunc rex fecit surgere Absalonem de terra, & osculatus est eum tanquam filium suum, remittens ei omnem præteritam iracundiam ex morte Amnon, & recipiens illum in fauorem pristinum, vt patet sequenti capitulo.

CAP. XV.

IGITVR post hæc fecit sibi Absalom currus, & equites, & quinquaginta viros, qui præcederent eum. Et mane consurgens Absalom, stabat iuxta introitum portæ: & omnem virum, qui habebat negocium, vt veniret ad regis iudicium, vocabat Absalom ad se, & dicebat: De qua ciuitate es tu?

DICTO in superioribus de reuocatione Absalom, hic agitur de modo conspirationis, nam Absalom conspirauit contra Dauid, vt auferret illi regnum. Et diuiditur in quatuor, primò ponitur qualiter Absalom contra Dauid conspirauit: secūdò qualiter eum cognoscendo vxores eius, siue concubinas deturpauit sequenti capitulo: tertiò qualiter de morte Dauid tractauit, infra decimoseptimo: quartò qualiter diuino iudicio ipse perijt, infra decimo octauo. Prima diuiditur in quatuor partes, quia primò ponitur quædam simulatio deceptoria, secundò quædam deceptio & conspiratio proditoria ibi. *Post quatuor autem annos.* Vel ibi. *Misit autem.* Tertiò quædam humiliatio Dauid meritoria ibi. *Et ait Dauid seruis suis.* Quartò quædam ordinatio consultoria ibi. *Et dixit rex ad Sadoe.*

An ordo sit continuus, & immediatus. *Quæst. I.*

QVAERITVR circa primum, an ista sint continuata ad præcedentia, vel sit aliquis ordo mutatus, & an fuerint immediate post illa. Respondendum, quòd non est hic aliqua mutatio ordinis, nam præcedenti capitulo, actum est de reductione Absalonis in Ierusalem, hic autem agitur de malis, quæ egit postquam reductus est, ideo oportet quòd istud esset post illud. Ad secundum dicendum, quòd istud fuit paruo tempore post præcedentia; nam id quod habetur in principio huius capituli de modo, quem tenebat ad Israelitas venientes ad iudicium, fuit immediatè postquam reductus est ad regem; nam eo tempore conceperat iniquitatem de aspirando ad regnum, & præmittebat quasdam dispositiones sollicitando corda virorum quibusdam falsis cæremonijs. Quod autem ponitur de manifesta conspiratione contra Dauid, non fuit immediate, sed quatuor annis post præcedentia. Quod patet, quia infra dicitur, quòd post quatuor annos petiuit Absalom licentiam à Dauid eundi in Hebron ad sacrificandum domino, & ibi facta est coniuratio fortis: infra in litera, & sic totum istud capitulum continet tempus quatuor annorum.

Igitur post hæc fecit sibi Absalom currus, & equites, ideſt, postquam receptus est a rege, fecit currus, & equites, scilicet, vt iam honorabilior esset quàm prius. Isti currus erant ad bellandum armati falcibus curuatis in rotis, vt quidquid obuium haberent, lacerarent: & habebat quilibet currus equos quatuor, & isti proficiebant ad bellum, de quibus dictum est supra 8. Erant autem iam in vsu isti currus in terra Israel; nam Dauid accipiebat in bellis currus, & reseruabat illos sibi, vt patet supra octauo, & sic filii regis poterant iam habere currus. In Hebræo habetur. *Fecit sibi currum.* Non est tamen intelligendum quòd vnicum currum egisset, quia hoc non erat aliquid honoris, velut si in tota domo alicuius magni domini solùm esset vnus equus; ideo litera nostra posuit currus. Equites autem erant homines armati, qui solis equis insidebant, & non ascendebant in curribus ad pugnandum. *Et quinquaginta viros, qui præcederent eum.* Isti quinquaginta viri erant distincti ab equitibus & curribus, quia equites & currus constituti fuerant ab Absalone pro tempore belli; ideo non habebat secum continuè equites, & homines ascendentes super currus, sed erant recipientes certum stipendium ab illo, vt venirent ad vocationem eius quandocunq; vocarentur: habebat autem quinquaginta viros, qui præcederent eum, ideſt, qui associarent continuè eū; & isti erant semper cum illo. Dicitur autem: *Qui præcederent eum*; quia serui solent ire ante dominos, & domini in fine totius turmæ. In Hebræo habetur. *Quinquaginta viros, qui currerent ante eum.* Intelligendum est autem cursus de associatione, scilicet, quia semper comitabantur eum; ponitur tamen currere pro præcedere.

Quare Absalom fecit sibi currus, & equites. Quæst. II.

QVAERET aliquis, quare Absalom fecit sibi istos currus, & equites. Respondēdum ꝙ Absalom à principio reductionis suæ ad regem voluit accipere regnum, & ideo incepit captare fauorē totius populi per quosdam modos fraudulentos: vnde dicitur infra ꝙ sollicitabat corda virorum Israel: ad hoc tamen quòd esset rex, oportebat eum esse in magno honore, non solùm quando esset rex constitutus, sed etiam antequam constitueretur, quia videbatur difficile, ꝙ homo parui status & honoris assumeretur ad principatum regalem, ideo voluit Absalom ex magno tempore esse in honore quasi regio: & conabatur præcedere omnes fratres suos in honore, & statu, vt quasi ex ipso statu videretur esse rex, & dignus regno. Sic etiā fecit Adonias alius filius Dauid post mortem istius, nam conabatur regnare, & fecit sibi currus, & equites, & quinquaginta viros, qui eum præcederent seq. lib. cap. 1. & sic videtur, quòd quasi istud erat quoddam insignium filij regnaturi, quod colligitur allega. capit. nam dicitur ibi, quòd pater suus non corripuit eum aliquando, dicens: Quare hoc fecisti? ergo videtur quòd facere sibi illos currus, & equites, & quinquaginta viros erat aliquod malum, alioquin non deberet esse de eo correctio, sed non erat aliud malum nisi signum regnandi, ideo constituit sibi currus, & equites in signum futuræ successionis.

Quare Dauid cùm intellexit quæ faciebat Absalom non obseruauit se ab eo. Quæst. III.

QVAERET aliquis, quare Dauid non obseruauit se ab Absalom, cùm videret, quòd faciebat sibi currus, & equites ad regnandum, vel quare non expellebat eum de regno, aut occidebat ipsum, cùm esset istud signum apertę proditionis. Respondendum est, quòd Dauid non intellexit per ista, quæ faciebat Absalom, quòd vellet insurgere contra eum, sed solùm quòd prætendebat se successurum in regno ipsi Dauid. Quod patet, quia Absalom erat vir prudens, & agebat omnia cautè; ideo si istud fuisset signum insurrectionis contra Dauid, nullo modo ostendisset illud, toto tamen tempore quatuor annorum tenuit Absalom istum modum quousque insurrexit publicè contra Dauid, ergo iste apparatus curruum, & equitum non erat signum insurrectionis contra regem. Itē patet hoc clarius, quia Adonias filius Dauid post mortē Absalonis fecit sibi currus, & equites, & quinquaginta viros, qui præcederent eum. sequ. lib. cap. 1. & Dauid sciens illud non curauit, nec corripuit eum, vt patet ibidem: fecisset tamen si significaretur in hoc manifesta insurrectio. Etiam ipse Adonias non egisset hoc publicè, si esset signum rebellionis, quia timeret exemplum Absalom, qui ex hac causa miserabiliter mortuus est, ideo nihil tale significabatur in hoc, sed solùm successio immediata ad regnum.

Quare Dauid tolerauit Absalonem, cùm sciebat eum non successurum. Quæst. IIII.

QVAERETVR vlterius, quomodo Dauid permittebat hoc Absalom, quia non pertinebat ad eum successio: nam aut successio deberet hēri iure primogenituræ; vel Dei institutione. Si primo modo, non pertinebat ad Absalonem, quia non erat ipse nunc maior inter filios Dauid: Amnō quippe primogenitus erat, qui mortuus est, secundus Cheleab: tertius Absalom, vt patet sup. 3. ergo ad Cheleab pertinebat. Si autem successio deberet prouenire ex Dei institutione, pertinebat ad Salomonem, quia de eo dictum erat, quòd regnaret sup. 7. & 1. Parali. c. 22. ideo non debebat Absalom gerere insignia successuri. Respondendum, ꝙ Dauid non curauit de hoc, quia licèt Absalō ista nūc gereret, nō præiudicabatur iuri posterorum: sic enim Amnon gerebat se tanquam primogenitum, & non erat ipse successurus Dauid, sed Salomon: Dauid tñ honorabat Amnō, vt primogenitum: vt declaratū est sup. 13. Tolerabat autē Dauid ista ex dilectione, quia postquam reductus est, & stetit coram facie eius, dilexit eum nimis: vnde quamquam postea insurrexit cōtra eum, & misit Dauid ad bellum viros suos contra Absalom, iussit ꝙ obseruaretur Absalom à morte dicens, seruate mihi puerum Absalom, infra 18. cùm aūt sciuit eum mortuum, fleuit amarè pro eo, dicens: Fili mi Absalom, Absalom fili mi: quis mihi tribuat, vt ego moriar pro te, Absalom fili mi, fili mi Absalom, vt patet eod. capit. Item Dauid tolerauit similia post mortem Absalom in Adonia, qui eleuabatur, dicens: ego regnabo, & fecit sibi currum & equites: Dauid tamen sciens hæc, non corripuit eum, & hoc quia diligebat eum, sequen. lib. cap. 1. nolebat etiam Dauid perturbare domum suam si nunc increparet Absalonem super hoc, ideo tolerauit.

Et mane consurgens Absalom. Hic incipit simulatio deceptoria, quam habuit Absalom, vt peruenire ad regnum, & est duplex, s. prima ad populum, secunda ad Deum ibi. *Post quatuor autem.* Notatur autem diligentia magna Absalonis aspirando ad regnum, quia quotidie surgebat de mane, vt vacaret blandimētis ad populum. *Et stabat iuxta introitum portæ*, scilicet, iuxta portam palatij regis, vt videret omnes venientes ad regē, & posset eis colloqui. *Et omnem virum, qui habebat negocium, vt veniret ad regis iudicium vocabat Absalom ad se*, ideſt, multi de Israelitis habebant negocia magna, quæ in domo regis iudicanda erant, & veniebant, vt audirentur a rege, & illos vocabat ad se Absalom existens in porta, vt blandiretur eis. *Et dicebat; de qua ciuitate es tu?* Quærebat enim ab illo originem, & causam, super qua veniebat, & multa alia, in quibus apparebat magna familiaritas. *Qui respondens, aiebat ex vna tribu Israel ego sum seruus tuus*, ideſt, ego, qui sum seruus tuus, sum ex vna tribu Israel. Non est autem intelligendum, quòd sic responderent venientes ad Absalonem, sed quilibet respondebat determinatè, dicens: sum de tali tribu, & familia, & loco: scriptura tamen ponit hoc in generali, vt det modum respondendi omnium. *Respondebatque ei Absalom, videntur mihi sermones tui boni & iusti.* In hoc captabat nimis fauorem cuiuslibet, quia quemlibet laudabat, dicens: videntur mihi sermones tui boni, & iusti: hoc autem refertur, non ad responsionem de origine, scilicet, de qua tribu esset, sed erat responsio ad causam, pro qua ille veniebat, nam audita ea, Absalom laudabat illam, tanquam vir ille foueret iustam causam; & ob hoc omnes viri desiderabant litigare iudice Absalone; quia cuiuslibet illorum per se causam laudabat. *Sed non est, qui te audiat constitutus à rege*, ideſt, quamquam habeas bonam causam, in qua deberes obtinere: tamen nullus est constitutus a rege, qui audiat te: ideo perdes causam tuam. In hoc autem Absalom nimis aspirabat ad regnum, quia ostendens diligentiam suam magnam, & fauorem ad quemlibet, & negligentiam magnam atque deordinationem tempore Dauid, innuebat se esse cōuenientem iudicem, si constitueretur, & in hoc mouebantur omnes ad desiderandum constituere eum regem.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quomodo intelligendum est quòd nullus esset iudex in Israel tempore Dauid. Quæst. V.

QVAERET aliquis, quomodo Absalom dicebat: non est, qui te audiat constitutus à rege, ideſt, nullus iudex est in domo regis: quia hoc videtur esse falsum, non est enim verisimile, ꝙ in domo Dauid nulli essent iudices. Item patet, quia sup. 8. vbi ponuntur officiales domus Dauid, dicitur: & regnauit Dauid super oẽm Israel, faciebat quoque iudicium, & iustitiam omni populo, & dr̃ ꝙ Iosaphath filius Ahilud erat à commentarijs: istud tamen officium pertinet ad relationem causarũ, quæ veniũt coram rege. Idem patet 1. Paral. 18. Ergo erat in domo regis aliquis, qui audiret causas populi: Absalom tamẽ dicebat ista falsè, vt induceret ad se populum, vt vellẽt eũ habere in regẽ, & ipse eis diligenter iudicaret. Sed dicet aliquis, quo poterat Absalom persuadere populo referens mendacia manifesta, cũ totus populus sciret aliquos iudices a rege positos esse? Respondendũ ꝙ ista verba Absalom non sunt intelligenda simpliciter, ſ. ꝙ assereret nullum esse iudicem, sed intelligũtur cum quadam dedignatione, sicut cùm quis dicat dolendo, nullus est iudex, i. nullus est, qui rectè iudicet, & ita innuebat Absalom, ꝙ iudices Dauid non bene iudicabant, quia diligebant munera, & sequebantur retributiones: ideo litigare corã illis periculosum erat: populus aũt miserabilis attractus blandimẽtis Absalonis, credebat iudices illos esse iniquos; quia amanti facile est omnia credere, & sperare; ẽt impossibilia, ideo desiderabant isti habere Absalonem iudicem. *Dicebatque Absalom, quis me constituat iudicem super terram?* Hic manifestabat intentionẽ suam, ſ. ò vtinam aliquis me cõstitueret iudicem super terram, & ego rectè iudicarẽ omnibus, & sine quærela. *Vt ad me veniant omnes, qui habent negocium*, i. oẽs causę deferantur ad iudiciũ meũ, & ego possem iudicare in illis quieter. *Et iustè iudicem*, i. ego iustè iudicarem. In hoc. n. nititur colorare Absalom iniquũ effectum suum, ſ. ꝙ ipse non aspirabat ad honorẽ pp desiderium eius, sed pp bonũ publicũ, ſ. vt iustè iudicaret oĩbus. Sed ista fallacia non erat nimis latens, quia qui honorem desiderat, non est dignus honore; & qui desiderat statũ excellẽtem, non põt eum cõuenienter sustinere, quia honores magni onera grauissima iuncta habent: qui tñ honorem cupiunt, non onera, sed requiem, & præesse desiderant. Nam labores, & onera ſm se desiderabilia non sunt, qui ergo dignè accipere dẽt, non volens, & cupiens, sed obediẽs. & compulsus suscipere debet. Propter hoc aũt Ecclesia instituit, vt qñ suscipiẽtur aliqui in episcopos, quilibet respondat bis, Nolo, & tertia vice rñdeat, Volo, quasi in primis ipse intentionem suam ostendat, in tertio autem obediens voluntati alterius subiaceat: si tamen Ecclesia intenderet, ꝙ episcopi desiderarent promotionem suam, non compelleret eos ad mentiendũ bis publicè, dicendo quòd nolunt episcopari, cùm hoc summe desiderent.

Dignitates compulsi suscipere debemus.

Cur Absalom dixit, quis me constituat iudicem, & non dixit regem. Quæst. VI.

QVAERET aliquis, quomodo dicebat Absalom; quis me constituat iudicem, quia ipse non desiderabat quòd fieret iudex, sicut vnus de officialibus regis, sed quòd fieret rex: vt patet infra. Respondendum, quòd Absalom aspirabat ad regnum, sicut postea patuit ex conspiratione, nunc tamen non dicebat: quis me constituat regem, sed quis me constituat iudicem, quia ista faciebat Absalom manens in potestate Dauid: si autem dixisset, quis me constituat regem, audiulsset Dauid & tenuisset Absalonem, & occidisset, vel incarcerasset perpetuo. Dixit ergo, quis me constituat iudicem? quia ista verba non tam male sonabant, cùm posset Absalom esse iudex, regnante Dauid: verba tamen Absalom aliqualiter signabant desiderium suum ad regnum, quia dicebat: quis me constituat iudicem super terram? ideſt, super totam terram: hoc tamen ad neminem pertinebat nisi ad regẽ. Item quia dixit, vt veniãt ad me omnes, qui habent negocium: in quo volebat esse iudex vniuersalis in toto Israel: sed hoc ad nullum pertinebat nisi ad regem: Absalom ergo per hæc verba intentionem suam aliqualiter exprimebat, & aliqualiter iniquitatem desiderij occultabat.

Quomodo Absalom negauit iudices esse, cùm essent multi iudices. Quæst. VII.

QVAERETVR vlterius, quomodo Absalom volebat fieri iudex, vt ad eum venirent omnes, quasi in defectum aliorum iudicum, cùm tunc essent multi alij iudices: nam ẽt dato, ꝙ in domo regis nulli essent iudices, sicut dicebat Absalom, q̃q̃ hoc falsum esset, tamẽ erant iudices per singulas ciuitates qui audiebant causas totius populi, erant etiã super istos alij iudices maiores, ad quos deuoluebantur causæ per appellationem: vel propter ignorantiam iudicum inferiorum; & isti erant 70. qui vocabantur domus iudicij, & successerunt 70. senioribus, quos Deus dedit Moysi in deserto in coadiutores ad regendum populum, & ad iudicandum: vt patet Nume. 11. Horum autem 70. erat caput summus Sacerdos, & ille proferebat sententias, nec erat appellandum ab eo, sed quicunque non obediret ei occidebatur. Deut. 17. de statu horum iudicũ dictum est Nu. 11. & Deut. 17. mansit autem status horum iudicum, ꝙ diu durauit vetus testamentum, quia Deus iusserat, ꝙ semper haberent istum modũ iudicandi. Vnde Christus per istam domũ iudicij condẽnatus est, ſ. per summum Sacerdotẽ, & seniores astantes ei, vt patet Mar. c. 14. & Mat. 26. vt declaratum est Nu. 11. & Deut. 17. manebat ergo iste status iudicum tempore Dauid, & Absalom, ideo nõ oportebat fieri Absalom iudicẽ in defectum iudicũ. Respondendũ ꝙ Absalom non negabat esse iudices in Israel, & illos iudicare semper, sed negauit hoc de iudicibus palatij regis, nam quædam negocia erant, quæ per regem solum, vel per iudices palatij sui ordinanda, & terminanda erant: de his autem dicebat Absalom, quòd nulli erant: & hoc, quia ipse non aspirabat ad statum iudicum de domo iudicij, sed ad statum regis, ideo non dixit, nullus iudex est in Israel, qui te audiat, sed dixit: nullus est constitutus a rege, qui te audiat, quasi dicat, ea quæ ad regem pertinent, negligenter & malè fiunt, ideo bonum erat alium assignari iudicem in domo regis. *Sed cùm accederet ad eum homo, vt salutaret illum.* Istud erat a principio cùm ueniebant habentes negocia ad domum regis, & transibant apud Absalonem, quia tunc humiliabantur coram eo, & salutabant ipsum. In Hebræo habetur. *Vt humiliaretur.* Vbi litera nostra dicit, vt salutaret: & utrumque erat; nam omnes venientes salutabant Absalonem: & etiam humiliari volebant coram eo, quia erat filius regis. *Extendebat manum suam*, scilicet, ad tenendum eum, non permittendo, quòd aliquis coram eo humiliaretur, sed eleuabat omnes de terra, & loquebatur cum eis familiariter: ut magis ad se induceret. *Et apprehendens osculabatur eum*, ideſt, quemlibet de populo venientem ad expediendum negocia osculabatur Absalom: & istud erat signum magnæ dignationis, scilicet, quòd ipse ad tantum se inclinaret, quòd quemlibet de populo oscularetur, fallebat autem per hunc modum Absalom faciliter omnes Israelitas. *Faciebatque hoc omni Israel*, ideſt, omnibus viris de Israel, hoc autem ostendebat eum esse valde propitium, quia neminem dedignabatur, siue magnus esset, siue paruus, & hoc prouocabat amorem populi. *Qui veniebat ad iudicium, vt audiretur à rege*, ideſt, istud faciebat Absalom solùm in illis, qui veniebant ad iudicium, & quorum causæ audiri debebant à rege: in illis verò, qui manebant in Ierusalem non faciebat hoc, quia illi quotidie assistebant ei.

Quare Absalom applaudebat magis venientibus ad iudicium quàm alijs. Quæst. VIII.

QVAERETVR, quare Absalom potius faciebat hoc venientibus ad iudicium corã rege quàm alijs. Respondẽdum ꝙ propter duo, primò quia ipse volebat ad se trahere corda omnium virorum, illos autem, qui erant in Ierusalem iam ad se traxerat per quotidianam præsentiam, & aliquos illorum attrahere non audebat, quia nimis erant coniuncti Dauid, & timebat ꝙ volendo eos ad se trahere manifestaretur conspiratio Absalom. In extraneis autem venientibus ad iudicium non erat hoc, quia illos nunquam viderat cùm nouiter venirent, ideo tunc osculabatur eos, vt tunc ad se traheret, & per hoc non solùm trahebat ipsos, sed etiam omnes alios, qui erant in vrbibus istorum: nam cùm isti redirent de iudicio in vrbes suas, & referrent conciuibus suis quid egisset cum eis Absalom, omnes afficiebãtur ad Absalonem, & sic plurimi qui nunquam viderant Absalonem, toto corde diligerent eum: hoc modo factum est, vt cùm Absalom conspiraret in Hebron contra Dauid, & iussisset per omnes ciuitates eadem hora buccina clangi, viuat rex Absalom, omnes pariter consenserunt, vnde nuntius veniens ad Dauid de Hebron, dixit ei: toto corde vniuersus Israel sequitur Absalom. Secunda causa erat, quia Absalom aspirabat ad regnum, & volebat ostendere necessarium esse, vel opportunum pro vtilitate populi ipsum constitui regem propter negligentiam Dauid, & iudicum suorum, ideo illos, qui cum rege aliquid expedituri erant ad hoc mouebat, quia isti potius curarent ꝙ efficeretur Absalom rex propter eorum causas, & negocia. *Et sollicitabat corda virorum Israel*, ideſt, mouebat per hunc modum corda omnium Israelitarum, vt desiderarent eum facere regem, erat autem magna inductio, quia Absalõ erat vir pulcher nimis, & filius regis, & constitutus in magna dignitate: ideo ꝙ ille dignaretur quoscũq; vulgares tam familiariter tractare, vt eos sicut filios, & amicos carissimos oscularetur: efficacissima persuasio erat, ita vt libenter omnes Israelitæ pro eo morerentur, potissimè quia dabat eis spem futurorum bonorum, ſ. ꝙ iustè iudicaret, si constitueretur in regem, vel iudicem. In Hebræo habetur. *Fecitque hoc.* Vbi dicit litera nostra faciebat: sed melius est, faciebat quàm fecit, quia fecit importat vnicum actum, vel saltem non signat multos: faciebat autem importat consuetudinem faciendi. Dicitur etiam in Hebræo. *Furabatur corda.* Vbi nos dicimus sollicitabat, sed ad idem pertinet.

Quomodo Absalom conabatur effici rex, cùm haberet fratrem maiorem natu. Quæst. IX.

QVAERET aliquis, quomodo Absalom volebat, & conabatur effici rex: cùm esset alius maior eo, ſ. Cheleab: nam ille erat secundus in filijs Dauid, Absalom autem erat tertius, vt patet sup. 3. Item regnum promissum erat a Deo Salomoni, vt patet sup. 7. & 1. Paralip. 22. ideo non poterat competere Absaloni. Responderi potest de Salomone, ꝙ Absalõ nesciebat, an regnaturus esset Salomon, quia non proueniebat ei hoc ex natiuitate, sed ex Dei institutione, & ista erat occulta Absaloni, quia fortè Dauid noluit reuelare eam filijs suis, vt non contenderent de prælatione conquerentes ꝙ ipsi priuarentur iure suo. De Cheleab autem dici potest, ꝙ mortuus erat, vel ꝙ erat iners, & ineptus ad regnum, nec fiebat mentio de eo, velut si non viueret, sic tenet hist. sch. Satis autem dici posset ꝙ erat mortuus. Quod colligitur, quia mortuo Absalone surrexit Adonias filius Dauid, & fecit sibi currum, & equites, dicens: ego regnabo, vt patet seq. lib. c. 1. & subditur ibi causa, erat autem & ipse pulcher valde & secundus natu post Absalom, ex quo apparet ꝙ ex hoc ꝙ natus fuit post Absalom competebat ei aliquod ius ad regnandum, hoc tamen non esset, nisi mortuus esset Cheleab, ideo satis apparet, ꝙ erat mortuus. Sed adhuc dicendum ꝙ istæ responsiones non sunt necessariæ: nam dato, ꝙ viueret Cheleab, & esset aptus ad regnum, & Absalom cognouisset Salomonem à Deo institutum in regem, non attendisset ad hæc, nam si Absalom præ iniquitate non erubuit rapere regnum viuenti patri, & eum occidere conatus est, minus erubesceret auferre illud cuicumque fratri quantumcumque ius haberet.

Absalom quare surrexit contra Dauid. Quæst. X.

QVAERETVR vlterius, quare Absalom uoluit insurgere contra Dauid, ut raperet regnũ, & occideret ipsum. Aliqui dicunt ꝙ hoc fuit, quia Deus incitauit ipsum ad hoc in pœnam Dauid pro adulterio suo, & homicidio, ut patet supra duodecimo, scilicet, ecce ego suscitabo super te malum de domo tua, scilicet, de filijs tuis, & iste fuit Absalom. Sed dicendum, ꝙ hoc non stat, quia quamquam Deus permitteret istud malum fieri contra Dauid, quia peccauerat, tamen motiuum Absalonis ad faciendum hæc non esset istud, quia tunc ipse moueretur, ut iudex ad puniendum delicta patris sui, & oportebat, ꝙ ipse cognosceret, se moueri a Deo ad hoc, & tamen istud nullo modo stat, quia facere hoc illicitum ualde erat Absalom, ideo si nihil aliud inde consequi speraret, non moueret hoc contra patrem, immo nec contra aliquem hominem. Alij autem dicũt, ut Rab. Dauid. Kimhi, ꝙ Absalom insurrexit contra Dauid, quia audierat, ꝙ uolebat constituere Salomonem regem, & in hoc præiudicabat ei, quia erat maior natu, ideo uoluit utrique auferre regnum. Alij autem dicunt, ꝙ fecit hoc ex odio quod conceperat contra patrem suum; nam fecerat eum exulem uolens uindicare stuprum sororis suæ Thamar: deinde cùm reduxisset eũ in Ierusalem, tenuit duobus annis ipsum, non permittens coram se uenire, præceden. cap. ideo immediatè ut reductus est ad uidendum regem, & habuit facultatem ad uindicandum hanc iniuriam, incepit sollicitare populum. Sed magis uidetur dicendum, quòd istud prouenerit ex superbia Absalom: erat enim pulcher super omnes homines, pulchritudo autem solet hominem facere superbum, sicut accidit quasi generaliter de omnibus alijs excellentijs, ideo desiderabat honorem magnum, ſ. regalem; & tanta erat mentis inquietudo & desiderij improbitas, ꝙ nõ patiebatur expectare funera patris, sed ei uiuenti regnum auferre conatus est: & quia non poterat regnũ auferre, quin & uitam tolleret, utrumque auferre uoluit, ut patet infra 17. Ad hoc autem aliqualiter facie-

Ra. Dauid.

Alph. Tost. in Secundum Regum.

bat indignatio Dei contra Dauid: nam licèt Abſa- F
lom iniquus eſſet, non auſus fuiſſet tantam rem aggredi, ſcilicet, patri uiuenti regnum auferre, niſi Deus, qui punire uolebat Dauid, cupidinis laxaſſet habenas. Quia etiam Deus cooperatus fu erit Abſalom in hoc apparet: quia omnia faciliter ei euenerunt, quæ deſiderabat, uſquequo factū eſt bellum. Videbatur enim difficillimum, quòd cùm Dauid eſſet rex tam excellens, & qui à populo nimis diligebatur, potuiſſet Abſalom taliter concitare populum, vt auferret regnum Dauid, & traderet ei. Iſtud tamen fecit Abſalom faciliter, ita ut non intelligeret Dauid quamquam ſemper eſſet ei p̄ſens quouſque omnia cōſummata ſunt: ideo dicendum, quòd Deus nimis cooperaretur Abſalom in his, vt puniretur Dauid: cùm tamen ſufficienter punitus eſſ. Dauid pro culpa ſua, ſcilicet, quòd fugit confuſus, & lugens a facie Abſalonis: cœpit Deus fauere Dauid: & iam nihil permiſit Abſalom, vnde inito bello cùm totus Iſrael conueniſſet cum G
Abſalone, pauci viri Dauid expugnauerunt omnem Iſraelem, & occiderunt plurimos: quouſque Ioab dedit ſignū ceſſandi ab occiſione, infra decimooctauo.

Poſt quatuor autem annos. Hic ponitur ſimulatio deceptiona erga Deum: nam ſupra concitauerat Abſalom populum pro ſe, & contra Dauid: nunc verò per religionis ſimulationem, ſcilicet, fingendo, quod iret ad ſacrificandum compleuit conſpirationem: & dicitur.

Poſt quatuor autem annos. Scilicet, poſt quatuor annos aparitionis Abſalom coram rege facta ſunt, quæ ſequuntur de conſpiratione eius contra Dauid. In Hebræo habetur. *Po quadraginta annos.* Scilicet, quòd occiderunt hæc poſt quadraginta annos, ſed iſta multum differunt. H

Simulatio Abſalonis, an fuerit per quatuor, vel per quadraginta annos. *Quæſt. XI.*

QVAERET aliquis, quomodo poſſit ſtare iſta litera cum Hebræa. Nicolaus reſpondet, quod iſta litera eſt corrupta, & quòd in Bibliis correctis, & in Hebræo habentur quadraginta anni: probat autem ipſe, quòd non poſſunt poni quatuor ſolùm, quia illi, qui ponunt quatuor annos dicunt, quòd illi quatuor anni computantur à tempore, quo fugit Abſalom in Geſſur occiſo Amnon; contra quos arguit, quòd non ſteterit, quia à fuga Abſalom uſque ad regreſſum fuerūt I
anni tres ſupra decimotertio capitulo, deinque uſque ad tempus, quo uidit Abſalom faciem Dauid fuerunt anni duo, præceden. capitu, & ſunt quinque, in ſexto autem anno uidit Abſalom faciem Dauid, deinde fecit ſibi currus, & equites, & conciliauit ſibi populum, quæ non poterant fieri in breui tempore, ſed in uno, vel duobus annis: & ſic eſſet iam octauus annus, vel quaſi ab exilio, vel fuga Abſalom: ideo dicit quòd veritas Hebraica habet quadraginta annos, & non quatuor, & idem habet Biblia noſtra correcta, ideo debent poni quadraginta anni. Sed facile eſt diſſoluere argumenta Nicol. nam licèt ipſe concludat contra illos, qui fouent ſtultam poſitionem: non ſequitur, q̄ poſitio ſua ſit conueniens: quis enim cogit nos dicere, quòd iſti quatuor anni intelligantur à fuga Abſalonis in Geſſur. Sed dicere poſſumus conuenientius, ſicut dicit hiſtoria ſchol. quod iſti quatuor anni computantur à tempore reuerſionis Abſalom de Geſſur: & tunc non ſtat argumentum Nico. quia à reuerſione uſquequo uidit faciem regis, fluxerunt anni duo: præceden. cap. manebant autem alij duo, in quibus poterat Abſalom facere currus, & equites, & conciliare ſibi populum, & poſt illos quatuor annos faceret conIuirationem in Hebron. Idem tenet gloſa interlinearis ordinaria, dicens, duobus annis manſit Abſalom in Ieruſalem non uiſo rege: tertio anno introductus fuit ad eum; quarto fecit currus, & equites, quo tranſacto expulit patrem de regno. Sed adhuc videtur alia conueniētior poſitio, ſcilicet, quòd iſti quatuor anni cōputentur ex tempore, quod Dauid fecit Abſalonem ad ſe uenire, & tunc manent quatuor anni, in quibus Abſalom fecit ſibi currus, & equites, & conciliauit ſibi populum per fraudem. Eſt autem iſta poſitio rationabilior præcedentibus: quia cùm dicatur hic: poſt quatuor annos, & non ponatur à quo tempore computandi ſunt, videtur quòd debeāt computari ex tempore, quod ſupra non clauditur ſub numero, ſed ſupra decimotertio dicitur, quòd Abſalom manſit tribus annis in Geſſur: deinde præceden. capit. dicitur, quòd non uidit faciem regis uſque ad duos annos, & illi computantur à fine trium præcedentium, hic autem dicitur, quòd poſt quatuor annos facta fuit conIuratio, ergo oportet, quòd computentur iſti quatuor anni à fine duorum precedentium, ſcilicet, poſtquam uidit Abſalom faciem Dauid. Ad literam autem Hebraicam reſponderi poterat, quòd illa fuit corrupta: nam facile erat corrumpi, cùm in Hebræo ponatur *Arba* pro quatuor, & *Arbaim* pro quadraginta. Sed obijcietur, quòd libri noſtri non ſunt veraciores libris Hebraicis; ſed potius ſemper eſt recurrendum ad libros Hebraicos pro ueritate: ſic ait Auguſtin. in epiſtola ad Hieronymum octaua, & habetur in Decretis di. nono cap. vt ueterum, ſcilicet: Vt ueterum librorum fides ex Hebræis voluminibus examinanda eſt: ita nouorum Græci ſermonis normam deſiderat. Idem ponit Hieronym. in prologo ſuper Gen. qui incipit. Deſiderij mei. Reſpondendum, quòd regulariter libri Hebræorū veraciores ſunt libris noſtris, quia noſtri de illis translati ſunt: aliquando tamen incidit corruptio in Hebræis, quæ non eſt in noſtris: & iſta non fuit à principio in libris Hebraicis, quando facta eſt translatio noſtra, ſed poſtea: ſic enim ipſimet Iudæi confitentur libros ſuos eſſe vitiatos in aliquibus paſſibus per ticum Hophrim, ideſt, per errorem librariorum: & iſti paſſus omnes ponuntur in quodam libro, qui uocatur Pugio contra Iudæos: Nam & Ra. Dauid Kimhi ſuper Ioſue in c. 21. confitetur in eo. c. in Hebræo deficere duos verſus; & aſſerit, quòd ipſe viderit eos in libris antiquiſſimis; nunc tamen in nullo libro Hebraico reperiuntur, de quo declaratum eſt eo. c. & habentur illi verſus in litera noſtra: non eſt ergo inconueniens nunc in aliquibus locis literam noſtram veraciorem eſſe litera hebraica, ſatis igitur poterat hoc rationabiliter ſuſtineri. Hieronymus tamen aſſerit in libro de Hebraicis quæſtionibus haberi in Hebræo quadraginta annos, & quòd in mendoſis codicibus habentur quatuor. Et addit: ſi quis vero contentioſus quatuor annos eſſe aſſerit, ex quo Abſalom interfecit Amnon, vſquequo dixit vadam, & reddam vota mea in Hebron, errat: quia cùm Abſalom interfecerit Amnon, māſit in Geſſur tribus annis apud Tholomai regem, & in Hieruſalem reuocatus, non uiſo patre duobus moratus ſit, & ſexto anno uidit faciem patris, apparet ergo quòd tempore, quo tranſtulit Hieronymus in Hebræo habebatur quadraginta, & ipſe hanc literam tenet. Argumentum tamen ſuum contra illos, qui ponunt quatuor annos, non eſt efficax: quia eſt illud, quod agit Nicolaus. Dicendum ergo, quòd poteſt litera iſta habere quadraginta, vel habere quatuor, & credendum eſt, quòd illi, qui poſuerunt quatuor habuerunt illud ex aliquo loco authentico: accipiendo eo modo quo ſupra diximus. Si autem uelimus tenere quadraginta ſecurius eſt.

Alia poſitio.

Quando

Quando computatio iſtorum quadraginta annorum incipienda eſt. *Quæſt. XII.*

QVAERETVR vlterius, dato quòd debeamus computare quadraginta annos, à quo tempore incipienda eſt iſta computatio. Reſpondet Ra. Sa. & Ra. Dauid Kimhi, & alij Hebræi volunt, quòd iſtud acciderit tribus annis ante mortem Dauid, ſcilicet, anno trigeſimoſeptimo regni ſui, & dicunt, quòd fuit principium huius computationis petitio regis à Samuele: dicunt enim, quòd Samuel regnauit annis decem, in fine quorum petitus eſt rex, deinde factus eſt Saul rex, qui regnauit vno anno cum Samuele, & duobus annis per ſe, & poſtea B
tranſierunt de regno Dauid trigintaſeptem anni, & tunc accidit iſta turbatio. Sed iſta poſitio non ſtat, eo quòd præſupponit falſa, & aſſerit illa. Primò quia dicunt, quòd decem annis regnauit Samuel per ſe ſine Saule, & poſtea uno anno cum Saule: quod falſum eſt, quia Samuel annis uiginti, indicauit Iſrael, vt patet præceden. lib. cap. 7. cùm dicitur: erat quippe iam annus uigeſimus, & requieuit omnis domus Iſrael poſt dominum. Illi tamen uigintiduo anni computantur à morte Hely, cui immediatè ſucceſſit Samuel, vel à reductione arcæ in Cariathiarim, de qua agitur ibi, quod idem eſt ergo uiginti anni ad minus fuerunt in tempore, quo iudicauit Samuel. Item cùm dicunt, quòd Saul regnauit duobus annis per ſe, C
& uno cum Samuele, nullo modo ſtat, quia regnum Saulis fuit annorum uiginti: nam dicitur Actuum 13. quòd regnauit Saul quadraginta annis, & computantur in illis viginti anni Samuelis: ſic enim vult Ioſeph. 6. Antiquitatum: non enim potuit agere Saul quanta referuntur de eo præced. lib. in duobus annis. Item ipſi Hebræi repugnant ſibi ipſis, quia ipſi uolūt, quòd Saul regnauerit annis duobus ſolùm, quia præced. lib. c. 13. dicitur, quòd regnauit duobus annis in Iſrael, & nunc uolunt, q̄ regnauerit uno anno cum Samuele, & poſtea regnauit duobus annis ſolus. ſed hoc non ſtat, quia illi duo anni, de quibus dicitur præced. lib. c. 13. neceſſe eſt, quòd aliquo modo referantur ad tempus Samuelis, quia poſtquā illud dicitur, vixit D
Samuel magno tēpore, vt patet ex proceſſu hiſtoriæ, nam de morte eius dicitur præced. lib. c. 25. & de illis duobus annis dicitur, c. 13. Item repugnant ſibiipſis, quia Ra. Dauid Kimhi, & ferè omnes Hebræi dicunt, q̄ poſt mortem Samuelis, Saul uixit ſolùm ſeptem menſibus, vt patet ex dictis eorū ſuper 25. c. libri præcedentis: ergo non regnauit duobus annis per ſe, ſed ſolùm ſeptem menſibus. Item non ſtat, quod dicunt, ſcilicet, quòd anno trigeſimoſeptimo regni Dauid factum fuerit hoc, quia tūc ſolùm eſſent tres anni inter factum iſtud, & mortem Dauid: quod patet, quia Dauid ſolùm regnauit quadraginta annis, ſeq. lib. c. 2. & E
ſup. 5. hoc tamen eſt inconueniēs, quia neceſſe eſt poni maius tempus inter euentum iſtum & mortē Dauid: nam multa facta ſunt poſt hæc uſque ad mortem Dauid, vt patet ex proceſſu huius libri, & adhuc poſt hoc Dauid vixit aliquāto tempore, nam factus eſt rex Salomon uiuente Dauid, & poſt illius inſtitutionem vixit aliquanto tempore Dauid, vt patet ſeq. li. c. 1. & 2. Item non ſtat, quia quando factum fuit iſtud, Dauid erat vir potens, & bellator, & voluit egredi ad pugnandum contra Abſalom. infra 18. c. & uiri ſui prohibuerunt: poſtea autem antequā moreretur, ſenuit valde: ita ut cùm operiretur pannis, non calefieret ſeq. li. c. 1. neceſſe eſt tamen plus quā tres annos intercidere inter hoc, quod eſt aliquem eſſe uirum bellatorem fortem, & inter eſſe valde ſenem, ita ut pannis opertus ca

A
lefieri nequeat. Sed adhuc dicet aliquis, quòd Dauid qnamquam conatus fuerit nūc exire ad bellum cum viris ſuis contra Abſalom, erat tamen impotens ad pugnandum. Sed dicendum, q̄ non ſtat, quia nunc Dauid erat vir fortis, vt dixit Chuſy coram Abſalom, ſcilicet. Tu noſti patrem tuum, & viros, qui cum eo ſunt, eſſe fortiſſimos, & amaro animo. Et iterū, ſcit omnis populus Iſrael fortem eſſe patrem tuū. infra 17. ergo adhuc erat vir bellator. Item patet, quia poſt hoc conſueuerat ipſe ire ad bella, & ſemel iuit contra Philiſthinos, & quidam de ſtirpe gigantum conatus eſt occidere eum deficientem viribus, & tunc iurauerūt omnes uiri Dauid, q̄ nunquam deſcenderet amplius cum eis in bellum. infra 21. c. ergo adhuc fortis erat, & ſic opu-
B tet ponere plures, quàm ſeptem, vel octo, vel decem annos inter iſtum euentum, & mortem Dauid. Item non ſtat, quòd hic computetur tempus à petitione regis à Samuele, quia hoc nihil ad propoſitum eſt de rebellione Abſalom in Dauid; ſcriptura tamen nihil ponit, niſi quod alijs connexum ſit. Nico. autem dicit defendendo iſtam poſitionem, q̄ computātur ab illo tēpore quadraginta anni, quia ſicut petitio regis fuit mala, ita rebellio contra Dauid fuit mala. Sed iſtud nihil attinet, quia hoc modo peccata, quæ fuerunt ante diluuium, & peccata Sodomorum poterāt poni hic, cùm mala fuerint non eſt ergo ſtandū huic poſitioni.

An rectè ſenſerint catholici de numero quadraginta annorum. *Quæſt. XIII.*

QVAERETVR vlterius, an ſtet poſitio catholicorum de cōputatione iſtorum quadraginta annorū. Reſpondendum, q̄ poſitio Andreæ, & Hierony. & Nico. & Hiſto. ſcho. & quaſi omnium eſt, q̄ cōputentur iſti quadraginta anni à tempore, quo occidit Saul ſacerdotes in Nobe, & deleuit urbem, de quo præced. lib. c. 22. Dicunt autem cauſam huius eſſe, vt monſtraretur diuina ultio ſuper Dauid, eo q̄ fefellit Abimelech ſacerdotem, & tantæ cedis cauſa fuit, vt ait Hieron. in lib. de quæſtionibus Hebraicis. Dicit etiam Nicolaus, q̄ peccauit Dauid, quia nimis apertè, & incautè ſe habuit, ita ut uideret Doeg Idumæus ea, quæ faciebat; vnde Dauid dixit ad D
Abiathar filiū Achimelech: ego reus ſum omnium animarum patris tui: ſciebam enim in die illo, q̄ cùm ibi eſſet Doeg Idumæus, proculdubio annūtiaret Sauli. Iſta poſitio teneri poteſt, quia communis eſt: potiſſimè cum eā teneat Hieron. Sed adhuc dici poteſt eam non eſſe ualde rationabilē. Primò quia dicit, q̄ Dauid peccauit fallendo Achimelech ſacerdotē, ſed præced. lib. c. 22 ſatis clarè probatum eſt, q̄ non peccauerit ibi in aliquo Dauid. Item patet hoc, quia Chriſtus Matt. 12. excuſat Dauid quantum ad ea, quæ egit in templo petendo panes ab Achimelech, & comedendo, & tamen nihil aliud ibi egit, nec etiā tenebatur Dauid reuelare Achimelech, q̄ fugiebat a facie Saulis, vt probatum eſt præce. lib. c. 25. Item dato, q̄ Dauid peccaſſet, cùm eſſet cauſa occiſionis ſacerdotum, iſta pœna non fuit data pro hoc peccato, ſed pro homicidio, & adulterio Dauid, ſic patet. ſup. 12. ſcilicet. Quam ob rē non recedet gladius de domo tua uſque in ſempiternum, eo q̄ deſpexeris me, & tuleris vxorem Vriæ: ecce ego ſuſcitabo malum de domo tua, ideſt, de filijs tuis &c. Nicolaus autem dicit, q̄ quamquā iſta pœna directè daretur pro homicidio, & adulterio; tamen nihil impedit, q̄ etiam daretur pro culpa Dauid ad occiſionem illam, quia plures cauſæ particulares poſſunt eſſe eiuſdem effectus. Sed hoc non ſtat, quia ſi confiterentur peccauiſſe Dauid: tūc poſſet ſtare, q̄ in hoc infligeretur ei pars pœnæ: tamen hoc nō debet concedi.

Quod

Universidade de Deus
Biblio

Quod etiam cõfirmatur, quia cùm illud esset malum magnũ, si Dauid peccauisset in illo, Deus denunciauisset ei illud, sicut denunciabat alia peccata, & si nõ denũciauit. Item quia seq. li. c. 15. dicitur q̃ Dauid nũquã declinauit à via domini præterquam in sermone Vrię & Bethsabee: & istud non ponitur ibi, ergo non fuit peccatum Dauid. Item non stat ista computatio, quia tũc incipi deberet ab eo tempore, quo Saul cępit persequi Dauid, vt patet præced. lib. cap. 22. Iam enim fugerat Dauid à Saule, & nunquam postea redijt ad ipsum: & tamen in isto tempore non potuerunt esse ad plus, nisi duo, vel tres anni; aut quatuor. Quod patet, quia cùm esset Dauid in terra Israel persequebatur eũ semper Saul, & ter capturus erat eum, ideo Dauid volens declinare periculum fugit in terram Philithinorum, dicens: aliqua die incidam in manus Saulis, melius est, vt fugiam, & saluer in terra Philisthinorum. præceden. lib. c. 27. Et postquam descendit illuc, solùm mansit ibi quatuor mensibus, vt patet eo. c. & in fine illorum mortuus est Saul in bello: sed nullus dicet, q̃ in illis tribus persecutionibus quasi continuis, quas fecit Saul contra Dauid trãsierint plures quàm quatuor anni, quia in toto tempore incideret Dauid aliquãdo in manus Saulis, & non auderet tanto tempore manere in terra Israel, ne incideret in manus eius, ergo ad plus tempus huius persecutionis fuit duorum, vel triũ annorum: & consequenter computando ex tunc. 40. annos, terminabuntur duobus, vel tribus annis ante mortem Dauid: & tunc incidit inconueniens, quod supra allegabatur contra Hebræos, scilicet, quòd esset Dauid tunc senex valde, & tamen tempore isto erat vir fortissimus ad bellum, vt probatum est; ergo non stat, quòd computentur isti. 40. anni à tempore, quo occisi sunt Sacerdotes. Sed dicendum, quod debent computari à tempore, quo Dauid vnctus est in regẽ per Samuelem, & tunc conuenit nimis literæ, scilicet, quòd post. 40. annos, ex quo constitutus est rex voluit eum Absalom priuare regno, & cępit ipse regnare. Item non stat inconueniens quod sequebatur contra positionem Hebræorum, & Hieronymi, scilicet, q̃ à tẽpore, quo Dauid vnctus est in regem per Samuelem vsquequo mortuus est Saul transierunt multa tẽpora; fortè plures quam. 12. anni: nam Dauid veniens coram Saule fuit coram eo magno tempore postquã vnctus est; deinde receſſit ad patrem suum. præced. li. c. 16. postea autem seruauit Dauid greges patris, sicut prius: & factum est bellum, quando Dauid iuit ad videndum fratres suos, & occidit Goliath. præce. li. c. 17. Deinde transierunt aliquanta tempora prius quàm Saul publicè persequeretur Dauid, & sic fuerunt multi anni ex eo tempore vsque ad mortem Saulis. Computando autem ex tunc finietur numerus anno. 28. vel 30. regni Dauid, & restabunt. 10. vel 12. anni de regno eius, & sic poterat Dauid esse tunc vir bellator: quamquam postea quando mortuus est, erat senex valde, & cùm operiretur pannis non calefiebat. *Dixit Absalom ad regem Dauid.* Iam enim putabat Absalom, quòd totum populum conuertisset ad se, ideo etat tẽpus publicè procedendi contra Dauid, ideo voluit ire ad locum, in quo manifestaretur conspiratio. *Vadam, & reddam vota mea Domino in Hebron.* Ideſt, oro vt des mihi licentiam eundi in Hebron ad reddendum vota mea domino, & subditur quæ vota fuerint ista. *Vouens enim vouit seruus tuus cùm esſem in Gesſur Syriæ.* Ideſt, ego emisi domino votum, quãdo eram in Gessur, scilicet, quòd si reduceret me in terram hanc quòd offerrem ei sacrificia in Hebron, ideo vellem nunc reddere. *Dicens si reduxerit me dominus in Ierusalem sacrificabo Domino.* Timebat enim q̃ nunquam illuc rediret, ideo recomendauit se Deo vouens hæc, vt ipse fingit,

Cap. XV.

Quare Absalom voluit ire in Hebron ad sacrificandum. Quæst. XIIII.

QVAERET aliquis, quare Absalom voluit ire in Hebron ad sacrificandum. Respondendum quòd Absalon nihil vouerat Deo, nec desiderabat nunc offerre sacrificia, sed voluit ire in Hebron ad hoc, quòd ibi haberet locum cõfirmandi proditionem suam: nam si vouisset aliquid Absalõ, si Deus reduceret eum in Ierusalem, non expectasset tandiu ad reddendum: nam lex iubebat, quòd illico compleretur, aliàs sicut peccatum erat nullo modo votum reddere, ita peccatum erat tardè reddere, sic patet Deute. 23. scilicet, cùm uoueris votum domino, non tardabis reddere, quia requiret illud Deus tuus, & si moratus fueris reputabitur tibi in peccatum. Iam tamen fluxerant sex anni, ex quo redijt Absalom de Gessur, scilicet, duo, quibus mansit in Ierusalem non videns faciem patris. præced. c. & quatuor, qui transierant, postquam vidit patrem vsque nunc, vt patet in litera, ergo non vouerat aliquid cùm tardauerit tãtum. Item si aliquid vouisset, cùm istud esset quasi ad certum tempus, obligatus fuisset illud reddere immediatè: vel vt si quis dicat: voueo facere aliquid tali die, tenetur facere illa die: ita si quis dixerit: voueo aliquid tale, si Deus reduxerit me in talem locum, tenetur immediatè, vt venerit in locum illum istud explere, si habet opportunitatem: sed Absalom venerat per sex annos ante hoc, ergo tunc tenebatur implerè votum, & non impleuit, ergo non vouerat. Item si Absalom vouisset offerre aliquid domino de sacrificijs, vouisset offerre illa in loco communi, scilicet in Gabaõ, vbi erat tabernaculum domini eo tempore, vt declaratũ fuit supra 6. vel saltem in Ierusalem, vbi erat arca domini in domo Dauid: & erant ibi Leuitæ, & Sacerdotes coram ea seruientes & offerentes, vt patet primo Paral. 16. & non vouisset offerre in Hebron, vbi non erat aliquid sanctitatis: sed dixit quòd vouerat ibi offerre, ergo falsum erat, sed solùm quærebat occasionem ad patrandam iniquitatem. Sed tunc dicetur, quomodo Dauid non videbat ridiculum esse, vel confictum dictum Absalom, cùm non esset verisimile, quòd ibi uouisset offerre. Respondendum, quòd aliquid probabile poterat mouere Dauid, scilicet, quia Absalom natus est in Hebron, & ibi nutritus est in pueritia sua, ei regnaret ibi Dauid, & offerebat ibi Dauid sacrificia, ideo poterat concipere Absalom aliquam deuotionẽ de offerendo ibi sacrificium. Alia autem causa poterat esse efficacior, scilicet, quòd moueretur Absalom deuotione quadam propter sanctitatem loci, quia in Hebron sunt sepulti quatuor patriarchæ cum uxoribus suis, scilicet, Adam cum Heua, Abraham cum Sara; Isaac cum Rebecca; Iacob cum Lia. De Adam patet Iosue. 14. cum dicitur: Adam maximus inter Enacim situs est, & ibi agitur de Hebron. De Heua etiam similiter intelligendum est, quia ambo in eodem loco habitauerunt, erat quoque consuetudo, uirum & uxorem in eodem sepeliri tumulo. De Abraham patet Gen. 25. De Sara uxore sua patet Gen. 23. tũc enim emit Abraham agrum in Hebron ad ius sepulturæ, eo. cap. De Isaac patet Gen. 35. de Iacob patet Gen. 49. ibi etiam habetur simul de alijs patriarchis, & uxoribus suis, cùm dicitur de Abraham: ibi sepelierunt eum & Saram uxorem eius; ibi sepultus est Isaac cum Rebecca coniuge sua, ibi Lya condita iacet, ibi quoque iussit Iacob sepeliri se: poterat ergo per deuotionem horum moueri ad sacrificandum in loco illo, & hoc fortè suspicatus est Dauid.

Absalom

Absalom cur potius iuit in Hebron quam in alium locum. Quæst. XV.

QVAERETVR vlterius, cùm Absalom non haberet verè intentionem reddendi vota, sed faciendi conspirationem contra Dauid, cur potius iuit in Hebron quàm in alium locum. Respondet Ra. Sa. & quidam alij Hebræi, quòd iuit ad emendum arietes, quia erant pingues arietes in Hebron. Sed istud ridiculum est, quia manifestum est, quòd Absalon volebat conspirationem suam ostendere in Hebron, & publicè pugnare contra patrem: in tanta ergo rerum turbatione, & tam ardua causa quid curaret Absalom de lucro arietum? non enim nunc mercator, sed rex effici volebat. Dicendum ergo quòd Absalom iuit in Hebron, quia volebat congregare populum, qui fauebat sibi vt veniret in pugnam contra Dauid: hoc autem non poterat fieri in Ierusalem, quia ibi erat Dauid, & viri eius: & cùm sentiretur, quòd aliqui consuebant ad Absalom tenuissent eum, & non potuisset congregare omnes complices suos, nec clangere buccina: viuat rex Absalom: ideo voluit ire in Hebrõ, quia locus ille satis erat propinquus Ierusalem, scilicet, per 16. milliaria, quæ faciunt octo leucas, vt patet in lib. de situ terræ sanctę: & etiam ponit illud Hierony. in libro de distantia locorum. Aliter dici potest, quòd Absalõ voluit incipere titulum regni sicut pater suus: cœpit autem regnare Dauid in Hebron, & regnauit ibi. 7. annis, & dimidio, postea verò regnauit in Ierusalem: ita ipse fortè putans, quòd non esset ordo rectus regnandi, nec titulus sufficiens nisi Rex coronaretur in Hebron, voluit ibi vngi in regem, sic enim per omnes ciuitates clangebatur buccina, scilicet, regnauit Absalom in Hebron, infra in litera. Aliter dici potest, quòd iuit Absalom in Hebron, quia non poterat conueniẽter ire in alium locum: nam ipse volebat duo, scilicet, habere locum extra Ierusalem in quo congregarẽtur ad eum omnes complices eius, volebat etiam, quòd ipse haberet colorem eundi in locum illum, nã non poterat Absalom ire ad aliquem locum extra Ierusalem sine licentia Dauid. Quod patet, quia nunc petiuit licentiam ad eundum, & expressit causam, supra in litera, si tamen voluisset ire Absalom ad alium locum, non habuisset colorem petendi licentiam à Dauid: quia ille malum præsumeret, ideo visum est sibi conuenientius ire in Hebron, & ista videtur esse causa melior. *Dixitque ei rex, vade in pace.* Dauid enim non suspicatus est aliquod malum, ideo permisit eum ire liberè. *Et surrexit, & abijt in Hebron.* Intelligendum est, quòd iuerint cum eo multi de seruis Dauid, sic dicitur infra, quòd iuerunt cum eo de Ierusalem ducenti viri simplici corde causam penitus ignorantes. *Misit autem.* Hic ponitur secundum principale huius. c. scilicet Absalom conspiratio: nam congregauit in Hebrõ complices suos, & ibi cępit detegi conspiratio in Dauid: & dicitur. *Misit autem Absalom exploratores in uniuersas tribus Israel.* Ideſt, immediatè vt iuit in Hebron misit de seruis suis, qui nouerant istud factum aliquos nuncios per omnes tribus Israel, & isti vocantur exploratores, quia occultè veniebant, & operabantur quousque omnibus res nota fieret, habebat autẽ Absalom confidentiam in omnibus tribubus Israel, quia omnes ad se induxerat per fraudes supra positas, ideo ad singulas tribus, & singulas vrbes misit nuncios, qui referrent eis ex parte Absalonis quid agere deberent, & quando. *Dicens, statim vt audieritis clangorem buccinæ, dicite: regnauit Absalom in Hebron.* Quilibet istorum nuntiorum ferebat tubam ad clangendum, & iam fuerat concordatum in Hebron, qua hora deberet ibi Absalom proclamari in regem, illa enim eadẽ hora iussum est, vt per singulas ciuitates clangeretur buccina, & omnes audientes dicerent simul, regnauit Absalom in Hebron: vel viuat rex Absalom, & sic factum est. *Porro cùm Absalom ierunt ducenti viri de Ierusalem vocati.* Ideſt, præter seruos suos vocauit Absalom ducentos de seruis Dauid, vt irent cum eo: hoc autem faciebat, ut minuerentur viri bellatores Dauid, & posset contra illos facilius prævalere. *Euntes simplici corde, & causam penitus ignorantes.* Ideſt, isti ducenti viri iuerunt bono animo nescientes causam, scilicet, quia ignorabant istam iniquitatem, quam conceperat Absalom, sed putabant se ire cum illo ad sacrificia.

Quare Absalom vocauit. 200. de viris Dauid. Quæst. XVI.

QVAERET aliquis, quare Absalom vocauit istos ducentos viros, quibus non audebat reuelare secretum suum: nam isti ad nihil essent ei vtiles, & possent nocere nimis, quia venirent ad Dauid nunciantes ea, quæ fiebant, & perturbaretur opus Absalonis. Respõdendum, quòd isti proficiebant ad aliquid Absalom, & non poterant nocere in aliquo. Primùm patet, quia volebat Absalom pugnare contra Dauid, & quanto pauciores essent cum Dauid, tanto faciiius Absalom poterat superare eos. Secundùm patet, quia isti viri non poterant nocere in aliquo redeuntes ad Dauid ad nunciandum ea quæ fiebant, quia tenebantur viæ ex omni parte, ita quòd nullus posset transire de Hebron in Ierusalem ad nunciandum aliquid Dauid quousque omnia facta essent, ne ille veniens disturbaret illa: sic enim factum est, postquam fuit Absalom in Ierusalem: nam tenebantur portæ vrbis, ne quis inde egrederetur ad nunciandum Dauid ea, quæ faciebat Absalom: vnde Ionatham, & Achimaas, qui erant viri fortes cursores Dauid, & referebant ea, quæ fiebãt in Ierusalem: non introierunt in urbem, sed manebãt extra apud fontem Rogel, & puella egrediebatur de urbe secretè, & nunciabat eis: ibi tamen cogniti sunt, & misit post eos Absalom persecutores, captiq; fuissent, nisi mulier quædam abscondisset eos in puteo in Baurim, ut patet infra. 17. Sed obijcietur, quòd poterãt uenire nuntij de Hebron in Ierusalem: nam quidam uenit ad eum, & dixit: toto corde Israel sequitur Absalom, ut patet infra in litera. Respondendum, quòd iste nuntius uenit ad Dauid cõsumatis iam omnibus pertinentibus ad conspirationem, cùm iam Absalom non timeret Dauid, sed uellet uenire super eum in Ierusalem: tunc enim dimissa est custodia uiarum, & uenit nuntius ad Dauid. Quod autem iste uenerit expleta tota proditione apparet, quia ad Dauid dixit: toto corde uniuersus Israel sequitur Absalom: hoc tamen non erat nisi postquam conuenerunt multi de Israel in Hebron, & ibi facta sunt omnia pertinentia ad proditionem. *Accersiuit quoque Absalom Achitophel Gilonitem.* Ideſt, uocauit cum cęteris Achitophel Gilonitẽ, ideſt, de ciuitate Gilo. Istum enim tanquam præcipuũ uocauit, & cum eo habuit consilia omnium gerendorum. *Consiliarium Dauid de ciuitate sua Gilo.* Ideſt, erat iste Achitophel consiliarius Dauid, eo quòd erat vir magni consilij: & uocauit eum de ciuitate sua Gilo. ideſt, tempore huius coniurationis non erat Achitophel in Ierusalem, nec uenit cum Absalone inde, sed erat in ciuitate sua Gilo. Erat autem ista ciuitas [illegible] Iudæ, ut patet Iosue. 15.

Absalom

Universidad de Deusto
Biblioteca

Absalom quare vocauit Achitophel. Quæst. XVII.

QVAERET aliquis, quare Absalom vocauit Achitophel. Respondendum quòd res, quas moliebatur Absalom erat valde magnæ, scilicet, expellere de regno patrem suum, ideo opus erat magno consilio ad tractandum eas, non reperiebatur autem aliquis uir in toto Israel tanti consilij sicut Achitophel, unde sequen.c. dicitur: consilium autem Achitophel, quod dabat in diebus illis, quasi si quis consuleret Deum, sic erat omne consilium Achitophel: & cùm esset cũ Dauid, & eum esset cum Absalom, ideo Ambsalom conatus est ut eum ad se duceret. Dauid autem sciens Achitophel esse in consilio Absalonis timuit ualde, & dixit: Infatua quæso domine consilium Achitophel: infra in litera.

Achitophel quomodo accessit ad coniurationem Absalom. Quæst. XVIII.

QVAERETVR vlterius, quomodo Achitophel, cùm esset consiliarius Dauid, venit cũ Absalone in coniurationem. Aliquis dicet, q̃ cùm esset Achitophel extra Ierusalem in vrbe Gilo, quæ fortè est circa Hebron, fecit eum duci Absalom, cui resistere non potuit; ideo fuit in coniuratione. Sed istud non stat, quia Absalom non intulit vim Achitophel, sed solùm dicitur, quòd vocauit eum de vrbe Gilo. Item si inuitus ad hoc venisset Achitophel, nunquam dedisset rectum consilium, sed magis in fauorem Dauid fallendo Absalonem, sed non fecit, quia infra. 17. dicitur, quòd ipse dedit consilium vtile Absalom, Deus tamen infatuauit illud per verba Chusi, & ob hoc suspendit se Achitophel. eod. cap. Item si inuitus fuisset, non procurasset mala contra Dauid, procurabat tamen mala, & ipse per seipsum volebat illa exequi, ideo apparet, quòd non venerat inuitus: sed nimis spontaneus: nam infra. 17. ipse dixit, quòd volebat erigere sibi. 12. millia virorum, & quòd illa nocte irrueret super Dauid, & deleret eum: & sic facturus erat, nisi impediuisset Chusi: ergo verè ipse volebat mala contra Dauid. Dicendum igitur, quòd Achitophel fuit princeps istius totius coniurationis, & ipse dedit audaciam Absaloni aggrediendi ista magna confisus de magnitudine consilij sui, causa autem fuit, quia Achitophel habebat Dauid exosum. Origo huius fuit, quia Dauid cognouit Bethsabee vxorem Vriæ, & fecit occidi Vriam, erat autem Bethsabee vxor Vriæ, & filia Eliam, supra. 11. qui erat filius huius Achitophel, sic patet infra 23. cùm dicitur Eliam filius Achitophel Gilonites, & tamen Eliam erat pater Bethsabee: vt patet supra 11. ergo ipsa erat neptis Achitophel, pro ea ergo & pro morte viri sui concepit Achitophel odiũ inexorabile ꝙ Dauid, nunc aũt putauit se consecuturũ vindictã, & verissimè consecutus fuisset, nisi Deus impediuisset consilia eius: nã infra. 17. dr̃ q̃ consilium suum erat vtile ꝙ Dauid, sed Deus infatuauit illud. *Cumq; immolaret victimas, facta est coniuratio valida* 1. cùm Absalom immolaret victimas, scilicet, quia mansit ibi vno, vel duobus diebus immolando, facta est coniuratio valida, ideſt, conuenerũt ad eum multi de cõiuratione sua, ita q̃ pars sua erat iam satis valida. Sciendum autem q̃ licet Absalõ nihil vouisset, nec iussset in Hebron desiderio offerendi sacrificia, tñ obtulit sacrificia ibi per aliquot dies: & causa fuit, vt lateret propositũ suũ viris manentibus in vrbe, & alijs viris Dauid, q̃ venerant cũ eo, quoscũq; confortaret pars Absalonis, & tũc apertè, pcederet ꝙ Dauid.

Populusque concurrens augebatur cum Absalom. Ideſt, veniebat continuè magna multitudo de omnibus ciuitatibus Israel, & iungebantur Absalom; quia nuntij Absalonis iuerant per omnes ciuitates Israel, & locuti fuerant ex parte Absalom atque publicauerãt in clangore: regnauit Absalom in Hebron: tunc enim tanquam omnes sui essent conueniebant ad eum in Hebron, vt adiuuarent illum contra Dauid. *Venit igitur nuntius ad Dauid.* Scilicet, de illis, qui erant in Hebron; & iam erat coniuratio manifesta, & non seruabantur viæ: vnde potuit ille nuntius venire ad Dauid. *Dicens: toto corde Israel sequitur Absalom.* Istud dixit nuntius, quia uidit multitudinem magnam de omnibus tribubus subito confluxisse; & videbãtur omnes venire alacri animo ad adiuuandum Absalom.

Quomodo totus Israel potuit moueri contra Dauid. Quæst. XIX.

QVAERET aliquis, quomodo totus Israel moueri potuit, vt acciperet in regem Absalonem deserto Dauid. Aliquis dicet, quòd hoc factum est, quia Dauid acceperat regnum de domo Saulis, & ob hoc omnes de tribu Beniamin, de qua erat Saul, erant odiosi Dauid, & quomodocunque voluissent, quòd ipse regnum perderet; sic patet de Semei filio Gera de cognatione Saulis, qui egressus est contra Dauid, quando fugiebat à facie Absalom, & lapides, ac puluerem iaciebat contra eum, & maledictionibus inquietabat, dicens, quòd Deus transtulerat regnum de manu eius in Absalom propter malã, quæ egerat contra domum Saulis: sequenti. c. Sed obijcietur, quia tunc non gauderent ex hoc filij Beniamin: nam non redibat regnum ad tribum suam, in qua esse consueuerat, sed manebat in tribu Iudæ in filio Dauid. Respondendum, quòd adhuc aliquo modo gaudere poterant uiri de tribu Beniamin, quia quamquam dolerent, quòd regnum esset translatum de tribu eorum in quocunque uiro illud maneret, tamen gaudebant, quòd esset ablatum de manu Dauid, etiam si transiret in quemcunque de quacunque tribu, eo q̃ habebant Dauid specialiter exosum, quia per ipsum fuerat ablatum regnum de stirpe ipsorum. Sed dicendum, quòd ista ratio non stat, quia omnes tribus sponte elegerunt Dauid in regem, ipso non inferente vim alicui: immo nec rogante, vt patet supra 5. De hoc etiam 1. Paral. 12. vbi ponuntur illi, qui de singulis tribubus confluxerunt ad Dauid, antequam esset rex in Hebron, & antequam esset in Ierusalem. Quod autem obijcitur de isto uiro Semei, qui maledicebat Dauid: dicendum quòd istud non fuit generale in tota tribu Beniamin, sed in solo Semei accidit: vnde ipse solus de hoc veniã petijt, quando deductus est Dauid in Ierusalem, vt patet infra 19. ipse etiam pro hoc solus occisus est, seq. lib. c. 2. Dicendum ergo, quòd totus Israel potuit moueri cum Absalone contra Dauid propter duo. Primò propter magnam persuasionem, & inductionem, quam habuit Absalom ad omnes Israelitas; nam quandocunque aliquis eorũ veniebat ad iudicium coram rege, osculabatur eum Absalom, & loquebatur ei ualde familiariter: vnde sic sollicitabat corda omnium uirorum Israel, ita ut diligerent eum nimis; etiam quia habebãt spem futurorum bonorum magnorũ temporũ illius, scilicet, quòd magnam reipublicæ curam gereret, & quòd eorũ negocia sollicitè expediret, sicut dixerat. Quis me constituat iudicem super terram, & ueniant ad me omnes qui habẽt negocium, & iustè iudicem? Secundum, & potissimum fuit voluntas Dei depuniendo Dauid, ipse enim dixerat, quòd susciteret malum contra eum de domo sua. supra 12. & intelligebatur de Absalom: sed hoc non poterat fieri, nisi populus consensisset Absalom, ideo Deus præbuit ei populum facilem ad persuasionem, scilicet, quòd ex modica causa mouerentur contra Dauid, Deo permittente istud malum: & aliàs si Dauid non peccasset multæ causæ simul venientes non sufficiissent ad mouendum populum.

Humiliatio Dauid narratur.

Et ait Dauid seruis suis. Hic ponitur humiliatio meritoria Dauid, & ista apparet in duobus. Primò de ciuitate confusibiliter recedendo. Secundò arcam in urbem remittendo ibi. *Et dixit rex ad Sadoc.* Circa primum dicitur. *Et ait Dauid seruis suis.* Scilicet, monens eos, quòd recederent de Ierusalem. *Quia erant cum eo in Ierusalem.* Dicitur hoc, quia Dauid non miſit hic nuncios ad aliquos de seruis suis extra Ierusalem, eo quòd credebat omnes vrbes iam confœderatas Absalom, ideo non expectabat, quòd aliqua earum responderet ei tanquam domino mittendo auxilia, sed solùm portauit seruos suos illos, quos secum habebat in Ierusalem, quia de illis non credidit, quòd aliquis coniurasset cum Absalom. *Surgite fugiamus* Ideſt, non maneamus in vrbe.

Quare Dauid fugit de Ierusalem. Quæst. XX.

QVAERETVR quare Dauid fugit de Ierusalem; nam ipse habebat secum uiros bellatores multos, & fortissimos, & erat in loco valde munito, vbi neminem poterat timere. Aliquis dicet, q̃ Dauid timuit manere in Ierusalem, eo quod Absalon congregaret totum Israel contra Dauid, & delerent Ierusalem, vel obsiderent magno tempore, quousque cogerent manẽtes interius fame perire, vel se tradere: cùm autem fugeret, poterat euitare ista incommoda. Istud autem videtur innuere litera sequens, scilicet, nec enim erit nobis effugium à facie Absalom: festinate egredi, ne forte veniens occupet nos, & impellat super nos ruinam, & percutiat ciuitatem in ore gladij. Aliter dici potest, & melius, scilicet, quòd Dauid non exiuit de urbe timens, quòd Absalom præualeret contra eum; nam cùm auderet pugnare contra eum in campo, facilius posset resistere ei manens in vrbe, sed fecit hoc ad placandum dominum, quia Deus iratus ei concitauerat istud malum contra ipsum, ideo si ipse vellet resistere tanquam nihil mali egisset, non solùm conaretur resistere Absaloni, sed etiam Deo. & tunc Deus daret vires Absalom, vt præualeret contra Dauid ad inferendum aliquam molestiam in pœnam: voluit ergo Dauid humiliari fugiens de Ierusalem tanquam non potens resistere, quia Deus pugnabat contra ipsum: exiuit etiã nudis pedibus, & operto capite flens ipse, & serui sui, vt sic mererentur habere Deum propitium: sic patet seq. cap. cùm Semei malediceret Dauid, & iaceret lapides, & puluerem in eum, & voluisset Abisai abscindere caput illius: dixit Dauid: dimitte eum, vt maledicat iuxta præceptum domini, si fortè respiciat dominus afflictionem meam, & reddat mihi bona pro maledictione hac hodierna. Et ista est melior positio, nam absolutè non timebat Dauid Absalom. *Nec enim erit nobis effugium à facie Absalom* Ideſt, si manemus in vrbe, nullo modo poterimus resistere Absaloni, vel habere remedium contra ipsum, quia Deus adiuuabit eum. *Festinate egredi.* Volebat Dauid, quòd omnes serui sui pararent se cito ad exeundum de vrbe. *Ne forte veniens occupet nos.* Ideſt, ne veniat ad vrbem antequam egrediamur, & occupet nos in vrbe, putabat enim Dauid, quòd Absalom illico veniret in Ierusalem ad obsidendum Dauid, vt caperet, vel occideret eum, & sic regnaret sine hoste: & hoc uerum erat, quia Absalom mox, vt congregauit multitudinem magnam in Hebron, venit in Ierusalem, putans quòd ibi posset capere Dauid, sed iam fugerat. *Et impellat super nos ruinam.* Dupliciter intelligitur. Vno modo, quòd si maneret Dauid in Ierusalem, Absalom veniẽs obsideret vrbem, & diueret muros eius præ multitudine bellatorum, & impelleret ruinam super Dauid, & seruos suos, ideſt, faceret ruere muros super eos manentes in vrbe. Alio modo intelligitur, quod si maneret Dauid in vrbe, pugnaret Absalom contra eum, & impelleret ruinam super eum, & seruos suos, scilicet, quòd non possent se defendere, & caderent gladio, & ita erat ruina. *Et percutiat ciuitatem in ore gladij.* Ideſt, postquam occiderit nos percutiet reliquos habitantes in vrbe gladio.

Cognouit vere Dauid, quod à Deo Absalom suscitatus esset contra eum, ideo ex humilitate dixit se non posse prœualere. Quæst. XXI.

QVAERET aliquis, an Dauid dicebat ista ex humilitate, scilicet, quòd ipse, & serui sui non possent euadere à facie Absalonis, vel quia putabat verum esse. Respondendum, quòd Dauid putabat, & credebat certissimè, quod si maneret in urbe non posset resistere Absalom. Et ratio est, quia sciebat, quòd Deus suscitauerat contra ipsum Absalonem filium suum; nam hoc prædixerat supra 12. ideo si maneret in vrbe resistere volens, necesse esset, quòd infligeretur ei aliqua pœna, eo quòd Deus prædixerat illam, oportebat q̃ caperetur in vrbe ad infligendam illam pœnam, & non solùm infligeretur pœna, quam prius meruerat, sed etiam quia nunc conabatur resistere pœnæ, quam Deus infligebat ei, & sciebat illam infligi pro peccato, & non humiliabatur: ideo fortè permisisset eum, vel multos de seruis suis cadere gladio, vnde non ausus est pugnare manens in vrbe, sed fugit, & humiliatus est coram domino, affligens animam suã. Et tunc quia credidit, quòd fortè Deus remisisset ei, auſus est pugnare contra Absalonem tanquam iam nõ pugnaret contra Deum vindicantem peccata, sed contra hominem aggredientem iniqua. *Dixerunt que serui regis ad eum, omnia quæcunque præceperit dominus noster rex libenter exequmur serui tui.* Quamquam uiderent uiri Dauid, qui erant animosi, & bellatores magni, quòd est quasi opprobrium fugere de vrbe, quia tamen viderunt regem hoc velle ex afflictione spiritus, dixerũt se libenter obedituros. *Egressus est ergo rex, & vniuersa domus eius.* Scilicet, festinauerunt egredi de Ierusalem. Vocatur autem domus regis familia eius, scilicet, vxores suæ, serui, & ancillæ, & filij, nihilque reliquit Dauid de omnibus, quæ pertinebant ad eum præter decem mulieres concubinas, vt patet in litera, & si fortè dimisisset rex vxores suas; omnes cognouisset Absalom, sicut cognouit decem concubinas eius coram toto populo. *Pedibus suis.* Ideſt, non egressi sunt equitantes, sed pedibus suis mouebantur tam rex, quã uxores, & filij sui: & non solùm ibant pedestres, sed etiam discalciatis pedibus, vt patet infra in litera.

Quare Dauid, & omnes, qui cum eo erant, egressi sunt pedestres. Quæst. XXII.

QVAERETVR quare Dauid, & qui cum eo erant, egressi sunt pedestres. Aliquis dicet, q̃ hoc factum est præ velocitate exeundi, & angustia temporis: nam dixerat Dauid festinare egredi: ne fortè veniens occupet nos: vnde non potue-

Universidad de Deusto
Biblioteca

potuerunt accipere equos, sic fuit in Aegypto, quia F
præ velocitate exeundi non potuerunt fermentare panem, sed ligauerunt conspersas massas in palijs. Exod. 12. Sed dicendum, quòd hoc non stat; quia nihil more contracturi erant sumendo equos, sed potius facilius agerent, quia equitantes velocius fugerent, quàm pedestres: maximè mulieres, & pueri teneri. Alij dicent quòd hoc fecit Dauid, quia nesciebat, quò iturus esset, & præ angustia temporis, & fortè non reperiret pascua pro iumentis: ideo potius voluit quòd manerent in vrbe. Sed hoc non stat, quia Dauid & omnes viri sui exponebant seipsos ad mortem recedendo de Ietusalem, & nesciebant an cibos habere possent; ergo à fortiori exponerent animalia sua morti, si putarent ea sibi aliàs esse vtilia, siue pastum habere puta- G
rent, siue non. Potissimè quia facilius erat per desertum, & per agros animalia pastum inuenire quàm homines. Item si ex hac causa factum esset, iussset Dauid, & qui cum eo erant, pedestres solùm; sed non solum hoc, immo etiam nudis pedibus, & velato capite exibat Dauid, vt patet infra, in litera, ergo non procedebat sine equo propter causam dictam. Dicendum igitur, quòd Dauid, & omnes, qui cum eo erant iuerunt pedestres, & cõfusè implorando Dei misericordiam, vt auerteret ab eis furorem suum. Nam Dauid ibat nudis pedibus, quod pertinebat ad magnam afflictionem, cùm esset delicatus, & tener nutritus in delitijs, sic patet infra. 23. scilicet, in cathedra sapientissimus princeps inter tres, ipse est quasi tenerrimus ligni ver- H
miculus, & intelligitur de Dauid, qui solus sedebat in cathedra. Ibat etiam Dauid flens, & operto capite in signum magni mœroris, quæ ipse nullatenus fecisset pro malis, quæ sustinebat ab Absalone, nisi vellet Deũ sibi propitium reddere. Item patet hoc, nam libenter sustinuit irrogatas iniurias à Semei, licèt potuisset abscindere ei caput, dicens: dimitte, vt maledicat mihi, si fortè respiciat dominus afflictionem meam, & reddat mihi bonum pro maledictione hac hodierna, vt patet seq. cap. ergo vt affligeret se Dauid, & omnes, qui cum eo erant egressus est nudis pedibus ipse, & fam ilia sua: sic enim Niniuitæ audientes ciuitatem subuertẽdam exuerunt se vestibus bonis, indutique sacco sederunt in cinere, vt patet Ionç. 3. *Et dereliquit rex decem mulieres concubinas ad custodiendam domum.* Istç decem mulieres derelictæ sunt in palatio regis ad custodiam rerum domesticarum: nam nihil Dauid duxit secum de thesauris suis, vel de his, quæ possidebat, sed omnia reliquit in vrbe non putans illa diripienda: nam sciebat, quòd non erat quæstio super auro & argento, sed super capite viri tollendo ad susçipiendum regnum.

Sciendum, quòd istæ mulieres vocantur hic concubinæ, sed supra. 12. vocantur vxores cùm dicitur: susçitabo malum de domo tua, & dormiet cum vxoribus tuis in oculis solis huius: sunt tamen secundùm veritatem concubinæ, & non vxores, & sic vocantur hic, & seq. cap. & infra 20. Item verisimile est, quod Dauid dimitteret concubinas, & non vxores: quia illas dimitteret, de quibus minus doleret, minus tamen doleret de concubinis, quàm de vxoribus: ideo dimitteret cõcubinas: nisi fortè dicamus Dauid non habuisse concubinas, sicut asserit Nicolaus, sed non stat, quia supra 6. & primo Paralip. 3. distinguuntur vxores, & concubinæ Dauid: de quo satis dictum est supra 6. quæst. 12. Cùm autem obijcitur, quòd supra decimosecundo uocantur uxores, dicendum quòd ibi fuit causa quare uocarentur vxores, & non concubinæ, quæ causa ibi declarata est.

Cap. XV.

Quare Dauid reliquit solas mulieres in domo. Quæst. XXIII.

QVAERETVR, quare Dauid reliqt istas decem concubinas in Ierusalem, cùm totã familiam suam inde educeret, & formidare poterat aliquam sæuitiam hostis in illas. Respondendum, quòd Dauid reliquit illas, quia non timuit quòd occiderentur, cùm essent feminæ: non reliquisset autem aliquos de seruis suis, quia timeret, quòd Absalom occideret illos, putans, quòd mansissent ad aliquas insidias, uel ad renuciandum Dauid ea, quæ fierent in Ierusalem, ideo cum illis decem mulieribus nullum uirum reliquit ad earum solatium, & necessitatem.

Quare Dauid ausus est relinquere concubinas suas sine timore, quòd cognoscerentur. Quæst. XXIIII.

QVAERETVR ulterius, quomodo Dauid ausus est dimittere in domo concubinas: nam timere debuisset, ꝙ Absalõ cognosceret eas: nam Deus dixerat, ꝙ aliquis de domo sua cognosceret uxores eius, supra. 12. Aliquis respondebit, ꝙ Dauid non timuit hoc, quia Deus comminatus fuerat, quòd alius cognosceret uxores eius, & non dixit de concubinis, ideo putauit, quòd non cognoscerentur ab Absalom. Sed non stat, quia in scriptura uerìè accipiuntur ista nomina, scilicet, aliquando uxores pro concubinis, & aliquando concubinæ pro uxoribus: ideo cùm Dauid sciret modum loquendi Dei per prophetas, poterat intelligere, quòd ꝓ uxores possent accipi concubinæ, & sic formidaret. Aliter respondebit aliquis, quòd Dauid intelligebat illud dictum Dei tam de uxoribus, quàm de concubinis, credidit tamen quòd Absulom non esset ille, qui cogniturus esset uxores suas, sed soùlm, qui susçitaret gladium contra eum, nam duæ pœnæ infligendæ prænunciatæ fuerant Dauid, scilicet, quòd nunquam deficeret gladius à domo eius: secunda ꝙ susçitaret malum de domo sua, & dormiret cum uxoribus illius. Primum putauit nunc I
Dauid compleri in Absalom. Secundum autem putauit aliàs esse futurum, ideo non formidauit dimittere concubinas. Sed hoc non stat, quia si hoc cogitasset Dauid, quamquam nesciret an euenturum esset nũctamen propter dubium eligeret securius, & duceret illas secum. Dicendum ergo quòd Dauid nunc nihil cogitauit de hoc, nam quamquã sciret, quòd gladius Absalom ueniebat super eum, quia Deus sic prædixerat, tamen de uxoribus suis rapiendis nihil nunc recordabatur, & Deus hoc faciebat, ut puniretur Dauid iuxta diffinitionem suam, & fecit ꝙ obliuiscereturalioquin duxisset secum omnes concubinas suas, & non completa fuisset sententia Dei contra illum: ut ergo compleretur, Deus excęcauit eum, ne aduerteret ad K
hoc, & reliquit concubinas. Sic. n. facere solet Deus, cùm uult aliquem punire, quoniam non dat ei spiritum, nec cor intelligens, sed excęcat cor eius, & aures eius aggrauat, ut uidens non uideat, & audiens non intelligat, ut patet Isa. 6. & Matth. 13.

Cur Deus in pœnam Dauid non vxores, sed concubinas prostitui voluit. Quæst. XXV.

QVAERETVR ulterius, cùm Deus uellet punire Dauid pro adulterio in simili actu, quare non fecit, ut uxores suæ cognoscerentur ab alio, in quo erat adulterium, sed fecit cognosci concubinas, & in hoc non erat adulterium; cùm

cùm ille non sint alligatæ vinculo matrimoniali. Respondendum, quòd quamquam Deus vellet punire Dauid: tamen miserabatur eius, & non puniebat durè: si tamen vxores Dauid fuissent cognitæ ab Absalom, erat magnum dedecus Dauid: quia quilibet homo etiam paruulus de media plebe natus, reputat maximum malum sibi esse vxorem suam ab alio cognosci. In concubina autem nimis distat, quia concubina nullo vinculo tenetur sicut vxor, ideo paruum dedecus est. Sed adhuc dicendum, quòd licèt vxores Dauid cognitę fuissent tunc ab Absalom: non esset tantũ dedecus, sicut si nunc vxor vnius cognosceretur ab alio, eo quòd tunc poterat repudiari vxor, & accipi alia: & sic quasi tollebatur dedecus: nunc autem propter similem casum non poterat dimitti vxor quantum ad vinculum, nec quantum ad torum, vel cohabitationem: ideo grauius nunc tolleraretur. *Egressusque rex, & omnis Israel pedibus suis.* Ideſt, omnes Israelitæ exierunt pedestres, ita quòd nullus equitabat, quamquam haberent equos. Hoc autem fuit, quia cùm viderent regem pedestrem ire, erubescebant ipsi equitare; sed elegerunt omnes cum rege dolere, & implorare misericordiam Dei. *Stetit procul à domo.* Ideſt, stetit extra Ierusalem procul. Et est sensus, quòd quando Dauid, & serui sui egressi sunt de Ierusalem, steterunt extra vrbem procul subsistentes aliquanto spatio: & hoc quia expectabant, vt congregarentur ibi omnes si fortè aliqui nondum egressi essent de vrbe, vel tardius egrederentur, vt omnes simul irent. In Hebræo habetur. *Stetit in domo longinqua, vel in domo de longe.* Est sensus, quòd stetit in aliqua domo, quæ erat longe ab vrbe. Sed istud accidit propter improprietatem idioma tis, & sensus est, quem facit litera nostra. *Et vniuersi fermi eius ambulabant iuxta eum.* Scilicet, omnes de domo sua erant coniuncti, & circundantes illum. *Et legiones Cerethi, & Pheleti.* Aliqui putant, ꝙ Cerethi, & Phelethi erant iudices, qui ferebant sententias admirabiles: sicut est illa, quam dedit Salomon seq. lib. cap. 5. Vnde Cerethi interpretantur exterminatores: Phelethi autem admirabiles, id est, ferentes admirabiles exterminationes, vel sententias. Sed non stat, quia isti sunt uiri pugnatores. Quod patet, quia distincti erant per legiones; legio tamen est numerus multus. Item quia le- D
gio continet sex mille sexcentos sexaginta sex, & sic essent ualde multi iudices: nunquam tamen ponuntur tot iudices, quia non erant necessarij ad aliquid. Dicendum igitur, quòd erant duæ turmæ pugnatorum admirabilium, qui sic uocabantur, & in eis erant aliquot legiones. *Et omnes Gethęi pugnatores validi sexcenti viri.* Ideſt, etiam ibant apud regem omnes Gethæi, qui erant sexcenti uiri.

Gethei, qui cum Dauid erant, qui essent. Quæst. XXVI.

QVAERENT aliqui, de istis Gethęis, qui erant. Aliquis respondebit, quòd erant sexcenti uiri, qui uenerunt ad Dauid de urbe Geth de terra Philisthinorum. Nam Dauid manserat in vrbe Geth eo tempore, quo fugit de terra Israel, scilicet, per quatuor menses. præced. lib. c. 27. & tunc viri Gethæi cognoscentes probitatem eius desiderauerunt manere cum Dauid, & venerunt sexcenti viri cum eo de vrbe illa: quando ipse redijt in terram Israel. Et hoc videtur significare litera, dicens: omnes Gethęi sexcenti viri, qui secuti fuerant eum de Geth, ideſt, venerunt cum eo de vrbe illa. Sed dicendum est, quòd non venerunt cùm Dauid aliqui viri de vrbe Geth, quando ipse venit in terram Israel: sed soli illi uiri, quos ipse secum tulit de ter- E
ra Israel in Geth: illi redierunt cum eo. Et patet hoc, quia Dauid non habitabat in vrbe Geth, sed in Siceleg: & ibi non habitabant aliqui Gentiles; sed ipse solus cum viris suis, vt declaratum est præced. lib. cap. 27. vnde non poterat accipere viros de Geth: nec de Siceleg, quia non communicabat cum eis. Item patet efficacius, quia Dauid obseruabat se nimis ab omnibus Philisthinis, ne cognoscerent quid ipse agebat, dum erat in terra illorum: nam ibi faciebat prædam in terram Amalechitarum, Gessuri, & Iezei, vt declaratum est præalle. c. Et dicebat regi Geth, quòd faciebat prædas in terra Israel. Et ob hoc dicitur ibidem, ꝙ quando veniebat de præda nullum viuere permittebat ne referret regi Geth ea, quæ fecerat Dauid. eo. c. Si tamen B
Dauid habuisset secum aliquos de Philisthinis: illi cognouissent fraudem Dauid, & retulissent regi Geth: vel saltem, dato quòd essent satis fideles, Dauid timeret quòd reuelarent facta eius: non auderet ergo tenere secum aliquem de viris terræ illius: nec tenuit, dum ibi mansit. Non est etiam verisimile, quòd aliquos de terra illa duxisset secum, quando inde rediit in terram Israel, quia quasi fugitiuus inde recessit, nescientibus Philisthinis, scilicet, quando ipsi erant in bello contra Saulẽ: ergo non erant aliqui Gethæi cum Dauid, qui venissent cum eo de vrbe Geth. Sed dicendum, quòd isti sexcenti viri Gethęi erant illi, quos duxit Dauid secum in terram Philisthinorum, quando fugit à facie Saulis: & manserunt cum eo in terra ipsa quamdiu ibi C
fuit: & postea regressi sunt cum eo in terram Israel. Vnde dicitur supra secundo, quòd omnes illos viros, quos habuit Dauid in Geth reduxit secum singulos cum domo sua, & locauit eos in oppidis Hebron: isti autem. quia fuerant cum Dauid in omnibus angustijs suis, erant ei nunc valde accepti, & familiares: vnde apud ipsum ibant, quando egrediebatur. Nec obstat, quod dicitur, quòd isti erant Gethæi: nam etiam ipsi serui Dauid vocabantur Gethæi; non quia erant de Geth, sed quia ibi manserant aliquo tempore. Sic enim Obededom vocabatur Gethæus, tamẽ ipse erat Leuita. primo Paralip. 15. & 16. Constat tamen Leuitas non posse esse de Gentilibus, sed de tribu Leui. Itẽ cùm dicitur, quòd erant sexcenti, hoc valde conuenit immo quasi probat, quod dictum est, quia sexcenti viri erãt, quos duxit Dauid in terram Geth, vt patet præced. lib. c. 29. & 30. Nam etiam in terra Israel habebat secum Dauid illos sexcentos viros, vt patet præced. li. c. 23. & 25. Item isti viri erant pugnatores validi, quia primo Paralip. 12. dicitur quomodo omnes, qui fuerunt cum eo in terra Philisthinorum erant viri fortissimi: non ergo fuerunt isti aliqui Philisthini Gethæi. *Qui secuti fuerant eum de Geth.* Ideſt, isti sexcenti viri secuti fuerant Dauid de Geth, ideſt, venerant cum eo inde. Et non est sensus, quòd de ciuitate, vel de terra illa habuit eos: sed quia iuerunt illuc cum eo de terra Israel, & redierunt cum eo. *Pedites præcedebant regem.* Ideſt, omnes isti prædicti præcedebant regem recedẽdo de Ierusalem. *Dixit autem rex ad Ethai Gethæum, cur venis nobiscum?* Est sensus, quòd inter illos seruos regis veniebat Ethai, & Dauid noluit vexare eum faciẽdo, quòd veniret nunc cum eo ad labores illos, quos ignorabat, ideo dixit, cur venis nobiscum. q. d. non venias. *Reuertere, & habita cum rege.* Ideſt, non venias mecum, sed redi in Ierusalem, & ibi habitabis cum rege, scilicet, cum Absalom qui est rex nouus. q. d. ibi poteris esse in quiete: mecum autem eris in laboribus. *Quia peregrinus es, & egressus de loco tuo.* Ideſt, non est bonum, quòd venias mecum: quia si tu esses oriundus de terra. hac, & semper manere deberes in ea, iustum esset ꝙ in hac turbatione mecum patereris, sed peregrinus es, scilicet, non est ista terra tua: sed egressus es de loco

tuo

tuo propter aliquam causam animo redeundi illuc,& venisti ad terram istam, vt hic quiesceres: quòd ergo turberis nunc nobiscum,& sustineas labores sine causa, tanquam si esses de origine terræ huius, iniustum est, *Heri venisti, & hodie compelleris nobiscum egredi.* Ista erat alia causa ad hoc, ꝙ deberet manere,q.d.si multo tempore mansisses in terra hac, & lætatus fuisses: non erat iniustum, quòd nunc nobiscum turbareris, vt sicut de bonis illius communicaueras,ita mala eius sustineres: sed heri venisti,& nondum suscepisti aliqđ bonum:quòd ergo hodie egredi compellaris propter me, valde iniustum est. In Hebræo habetur. *Captiuus es de loco tuo.* Vbi nos dicimus peregrinus es,& egressus de loco tuo:quod ad idem pertinet,sed vocatur in Hebræo captiuus ille, qui peregrinus est, vel exul, *Ego autem vadam,quò iturus sum.* Ideſt, non vadas mecum, quia ego vadam,quò iturus sum.i.ad locum incertum vbi mihi bonum prospexero, tu autem laborares si vagareris per loca incerta.

Ethai Gethæus quis esset. Quæst. XXVII.

QVAERET aliquis de isto Ethai Gethæo quis erat. Aliqui respondent, quòd erat filius regis Geth,& amore Dauid venerat cũ eo. Ad hoc autem inducunt, quia dicitur, ꝙ erat peregrinus,scilicet, quia nõ erat de progenie Israel: sed natus erat & nutritus in Geth, sic tenet Ra. Dauid Kimhi. Alij autem dicunt, quòd iste Ethai erat de terra Israel,sed vocatur Gethæus,qa fuit ibi aliquanto tempore cum Dauid,& venit in terram Israel. Sic enim omnes viri,qui iuerunt cum Dauid in terram Philisthinorum vocantur Gethæi,vt supra declaratum est. Sic etiam Obededom vocabatur Gethæus,& tamen erat Leuita. Sed hoc non stat,quia Dauid dixit hic:reuertere,& habita cum rege,quia peregrinus es:nullus tamen de Israelitis vocabatur peregrinus in terra Israel,sed solùm illi,qui erant de gentilitate,ergo non erat Ethai Israelita. Item quia dixit Dauid,egressus es de loco tuo,ergo locus Ethai non erat in terra Israel, sed in alijs gentibus. Item Dauid dixit, heri venisti,& hodie compelleris nobiscum egredi, si tamen venisset iste cum Dauid de Geth, & illuc iuisset, non diceret ei Dauid: Heri venisti, quia plures essent quam 28.vel quasi. 30. anni,quibus venisset,quia nunc erat,28.vel 30.annus regni Dauid,vt supra declaratum est in litera. Itẽ non stat positio Ra. Dauid Kimhi,& aliorum, qui volũt ꝙ iste esset filius regis Achis, & venisset cum Dauid de terra Geth,quando inde venit Dauid:quia supra probatum est,quòd Dauid venit inde antequam regnaret, & erant iam. 28.vel 30.anni ab eo tempore,hic tamen dicitur ad Ethai, heri venisti, & hodie compelleris egredi nobiscum, ergo non venit à principio cum Dauid. Itẽ dicitur,compelleris egredi nobiscum, quasi non esset Ethai de seruis regis,sed alienus. Si tamen 30.annis mansisset Ethai cũ Dauid, & venisset de Geth animo manendi cum eo, iam nõ esset alienus à seruis Dauid,sed computaretur de seruis eius, ideo non uenerat à principio, cùm hic computetur,ut alienus. Item non stat positio illorum, qui dicunt,quòd erat de terra Israel, quia dixit Dauid: Dominus faciat tecum misericordiam, & ueritatem, quia ostendisti gratiam,& fidem:si tamen esset de terra Israel, non poterat ostendere Dauid gratiam, quia ante hoc nunquam fuerat Dauid in necessitate,ut aliquis de terra Israel posset ei facere misericordiam, ergo erat istud in terra aliena,in qua Dauid egerat misericordia,scilicet, in terra Philisthinorum. Dicendum ergo quòd iste Ethai erat Philisthæus de urbe Geth, & erat magnus uir, cùm autem Dauid fuit in terra illa profugus à facie Saulis, ille ostendit ei affectum beniuolum, & benefecit illi:nunc uerò insurgẽte aliqua contentione in terra Gethæorum, Ethai recessit inde, & venit ad Dauid, confidens se bene mãsurum apud eum, sicut ipse benefecerat illi in terra Philisthinorũ. Erant autem pauci dies, quibus uenerat Ethai, quãdo ortum est istud bellum Absalom contra Dauid. Et secundùm hoc non sequitur aliquod inconueniẽs in litera, nã Ethai uocatur Gethæus, quia erat de Geth: etiam dixit ei Dauid,habita cum rege,quia peregrinus es, ideſt,non es de terra ista,sed Gethæus. Etiã dicitur, egressus es de loco tuo, ideſt,nunc nõ uenisti huc animo manendi hic semper, sed recedendi quando tibi expediret,etiam dixit ei,heri uenisti,& hodie compelleris egredi,ideſt,pauci dies sunt,ex quo egressus es de terra tua. *Reuertere, & reduc tecum fratres tuos.* Ideſt, reuertere in Ierusalem non uenias mecum, & face reuerti fratres tuos, scilicet, uiros, qui tecum sunt,& uenerant cum eo de terra sua. In Hebræo dicitur. *Reuertere, & fac reuerti fratres tuos tecum.* Quod idem est, quia fratres sui erant in potestate eius. *Et Dominus faciat tecum misericordiam,& veritatem.* Ideſt,Dominus benefaciat tibi. Hoc dicebat Dauid tanquam expediens se de Ethai.Benefecerat enim Ethai regi Dauid in terra sua,& Dauid intendebat rependere illi uicem nunc, dum manebat cum eo, & quia iam recedebat ab illo, & nesciebat, an ultra uisurus esset eum, uel uenturus ad talem statum, in quo posset ei benefacere, commendabat eum Deo,orans ut Deus retribueret ei illa, quæ ipse Dauid impenderat, quando erat in terra sua.Dicitur autem misericordiam,& Veritatem, quia Deus dicitur alicui seruare ueritatem quãdo promissa homini tribuit: uel quantum homo meretur ei impendit. Dicirur autem facere uel seruare misericordiam, quando facit aliquid supererrogationis.s.quia plura largitur, quàm promisit, uel quàm homo mereatur: sic.n.Dauid orabat,ut nõ solũ Deus retribueret Ethai quantum ipse benefecerat Dauid, sed etiam aliquid ultra. *Quia ostendisti gratiam, & fidem.* scilicet,quia quando eram in terra tua ostendisti mihi gratiam benefaciendo sponte, in quibus non tenebaris, ostendisti etiam fidem.i.seruasti fidelitatem in omnibus,quæ mihi promisisti, & pro his oro,ut Deus faciat tibi misericordiam, & ueritatem.

Fratres Ethai qui essent. Quæst. XXVIII.

QVAERET aliquis,qui erant fratres istius Ethai. Respondet Ra. Dauid Kimhi,quòd isti erant sexcenti uiri Gethæi,de quibus supra dicitur, quorum ipse erat princeps, & uocatur hic frater eorum, quia in exercitu dux,& milites sui dicuntur quasi fratres.Sed hoc non stat,quia sexcenti uiri Gethæi,de quibus supra dicitur,non erant de stirpe Gethæorum,sed erant Israelitæ,ut supra probatum est, Ethai tamẽ erat Gethæus origine, sicut etiam ipse Ra. Dauid confitetur, ergo non erant illi fratres sui. Item illi.600.uiri Gethæi,siue ponantur de stirpe Israel, siue de stirpe Gethæorum, uenerunt cum Dauid,quando ipse uenit de terra Philisthinorum,ut patet supra,scilicet, & omnes Gethæi, qui secuti fuerant eum de Geth.i.qui uenerunt cum eo de Geth: sed Ethai nõ uenit de Geth cum Dauid, sed pauci dies erant, quibus uenerat, ut supra probatum est: ergo non erant illi sexcenti uiri fratres sui. Item dicitur supra, quòd Dauid procedebat de Ierusalem, & iuxta eũ legiones Cerethi,& Pheleti,& omnes Gethæi sexcenti uiri,& tamen post hoc dicitur ad Ethai: reuertere, & habita cum rege, & reduc tecum fratres tuos: ergo non erant illi sexcenti uiri fratres

Ethai,

Ethai, quia illi dicuntur serui Dauid. Item patet,quia cùm Ethai nollet manere in Ierusalem dixit ei Dauid veni,& transi.i.transi nobiscum,& tñ iam dictum erat de sexcentis viris Gethæis, ꝙ ibant iuxta regem: ergo non erant isti fratres Ethai.Item quia dicitur,& transiuit Ethai Gethæus,& omnes viri,qui cum eo erant,& tñ iam dictum fuerat de sexcentis, ꝙ transierant cum Dauid: ergo non erant illi sexcenti viri fratres Ethai. Dicendum igitur, quòd isti fratres Ethai erant aliqui viri,qui venerant cum eo de terra Gethæorum: quia erat Ethai magnus vir, & manebant cum eo in Ierusalem:nunc autem volebat Dauid, ꝙ tam ipse quã viri sui redirent in Ierusalem, quia erant peregrini: sed noluerũt. *Et respondit Ethai regi dicens.* Erat enim Ethai bonus vir,& gloriosus:magis virtutem diligens,quàm quietem: ideo præelegit cũ amico suo Dauid in mortem ire, vel in quamcunque fœuientem fortunam: quàm amico relicto delitijs affluere. *Viuit Dominus, & viuit Dominus meus rex.* Ideſt,iuro per vitam Dei,& per vitam regis,quòd nõ dimittam te.Iurauit autẽ Ethai, vt non liceret ei retrocedere, & vt Dauid non inquietaret eum suadendo,quòd recederet. *Quoniam in quocumque loco fueris domine mi rex, siue in morte, siue in vita; ibi erit seruus tuus.* Ideſt, vbicumque fueris siue in prospera, siue aduersa fortuna, nunquam te dimittam, hoc enim erat perfecta virtus, & firmissima amicorũ lex: indiuisibiles eos ad quæcumque fieri. Ex quo apparet, quòd non erat Ethai amicus vtilis, vel delectabilis; sed honestissimus, quia illi visa aduersitate discedunt, cùm ibi cesset vtile, & delectabile, propter quod ipsi mouentur: quo cessante necesse est amicitiam dissolui, vt patet Ethic. 8.ideo dicitur: Est enim amicus secundùm tempus suum, & non permanebit in die tribulationis.Eccles.6. *Et ait Dauid Ethai: veni, & transi.* Cùm vidisset Dauid probitatem,& firmitudinẽ viri:ꝙ præeligeret pro eo aduersa pati,noluit eum contristare amplius contrarium suadendo,sed suscepit eũ inter suos. *Et transiuit Ethai, & omnes viri,qui cum eo erant.* Transierunt locum in quo erat rex. Sciendum autem quòd Dauid egressus cum festinatione de Ierusalem processit vsque ad torrentem Cedron, qui est inter Ierusalem & montem Oliueti,distans aliqualiter ab vrbe inter hortos vrbis,& ibi expectauit viros suos, vt sciret, qui ibant cum eo: & ibi dixit ad Ethai quòd rediret, qui noluit: ideo tam ipse quam viri sui transierunt torrentem. Omnes autem, qui transibant torrentem ituri erant cum Dauid. *Et reliqua multitudo.* Ideſt,totus alius populus,qui veniebat cũ Dauid transiit torrentẽ. *Omnesque flebant voce magna.* Totus enim populus,qui erat cum Dauid flebat, sicut videbat flere Dauid: ipse tamen Dauid flebat,vt Deus misereretur eius: aliorum autem de multitudine quidam præsentia incommoda aspicientes, lugebant; alij verò diuinam implorantes propitiationem. *Et vniuersus populus transibat.* Ideſt, omnes transibant torrentem Cedron, & Dauid expectabat quousque omnes transirent:vt iret totus populus simul. *Rex quoque transgredie batur torrentem Cedron.* Ideſt,postquam oẽs transierunt, transiuit ipse rex,vt neminem dimitteret citra torrentem. *Et cunctus populus incedebat contra viam oliuæ, quæ respicit ad desertum.* Ideſt,transito torrente Cedron procedebat populus contra viam oliuę.i.contra montem Oliueti.Et dr̃,quæ respicit desertũ,quia mons Oliueti est ɔ̃ desertum respectu Ierusalem, accipitur autẽ hic oliua pro mõte oliuarũ,sicut accipitur musca pro pluralitate muscarũ.s.venit musca grauissima.i.multitudo muscarum.Exod.8. Sciendum aũt ꝙ mons Oliueti distat à Ierusalẽ ꝑ mille passus,vt patet Act.1.vbi dr̃ ꝙ reuersi sunt Apostoli Ieroſolimã à monte, qui vocat Olineti,qui est iuxta Ierusalẽ Sabbathi habens iter:poterant enim iudæi ambulare in sabbatho mille passus. Torrens autem Cedron erat in medio itineris procedentibus de Ierusalem ad montem Oliueti:ideo postquam totus populus transiuit torrentem,procedebat contra montem Oliueti. Sic apparet infra. Ob hoc autem Christus uisitabat ista duo loca,scilicet,torrẽtem Cedron,& hortos,qui erãt apud ipsum, & montẽ Oliueti. Nam consueuerat Christus semper per noctem dormire extra ciuitatem in monte Oliueti super terram, & cum eo discipuli eius, & postea in aurora ueniebat in Ierusalem, & prædicabat quotidie. Sic patet Luc.21. Erat autem diebus docens eos in templo: noctibus vero exiens morabatur in monte, qui uocatur Oliueti, & omnis populus diluculo manicabat ad eũ in templo audire eum. Frequentabat etiam dominus Iesus torrentem Cedron, & hortos,qui erant apud illum. Nam illuc frequenter conueniebat cum discipulis suis, quando ibat in montem Oliueti, & ibi captus est. De hoc Ioan. 18. Egressus est cum discipulis suis trans torrentem Cedron,vbi erat hortus,in quem introiuit ipse cum discipulis suis. Sciebat autẽ & Iudas, qui tradebat eum,locum, quia frequẽter conuenerat illuc cum discipulis suis. In Hebræo habetur. *Cunctus populus incedebat super facies viæ respicientis desertum.* Et non ponitur ibi contra viam Oliuæ. Litera tamen nostra posuit hoc ad magis explanandum, quia ista idem sunt. Nam uia respiciens desertum erat uia Oliuæ. Et sic dicitur.infra in litera,ꝙ.Dauid ascendebat cliuum oliuarum,ideſt,montem oliuarum. *Venit autem Sadoc, & vniuersi Leuitæ cum eo portantes arcam fœderis Dei.* Sadoc erat summus sacerdos,& cum eo Abiathar,vt patet supra 8.& 1.Paral.24.erat autem Sadoc quasi prẽcipuus, & ueniebant cum eo Leuitæ portantes arcam fœderis. Nam arca erat in Ierusalem in domo Dauid in loco, quem parauerat ei Dauid, & cùm egressus est, acceperunt sacerdotes, & Leuitæ arcam ferentes eam vsque ad torrentem Cedron, & inde reuersi sunt.

Quare Christus sæpe visitabat torrentem Cedron, & mõtem oliueti.

Christus ꝑ noctem dormiebat extra ciuitatẽ in mõte oliueti sup terram.

An licebat arcam educi de loco suo ad portandum cum Dauid. Quæst. XXIX.

QVAERETVR, an licebat arcam educi de loco suo ad portandum cum Dauid. Aliquis dicet,quod nõ,quia arca debebat semper manere abscondita in loco sancto, & propter hoc in sanctuario datus est ei locus occultissimus, scilicet, sancta sanctorum: ergo non debebat produci in publicum. Respondendum,ꝙ quando arca erat intra sanctuarium in loco suo,non licebat alicui introire ad videndum eam: cùm tamen ingruebat aliqua necessitas,licitum erat educi illam de loco suo,& produci in publicum:sic enim erat tempore bellorum: nam ducebant Israelitæ arcam in bellum, quando uolebant specialiter Deum fieri sibi adiutorem. Sic patet præceden. libro capitu. quarto. nam semel Israelitæ percussi sunt à Philisthinis, & dixerunt: Quare percussit nos dominus hodie coram Philisthinis? Afferamus ad nos arcam de Silo, & ueniat in medium nostri, vt saluet nos de manu inimicorum.& tunc capta est à Philisthinis. Iterum autem ducta est in bellum, quando pugnauit Saul contra Philisthinos.præceden.libro capit.decimoquarto. Iterum etiam tempore Dauid ducta est arca in bellum contra filios Ammon, vt patet supra 11. Nam dixit Vrias ad Dauid: arca Dei, & Israel, & Iuda habitant in papillionibus. & dominus meus Ioab, & serui domini mei manent super faciem terræ:scilicet, quòd arca erat in papillionibus simul cum Israelitis in bello. Ita ergo nunc cùm Dauid fugeret à facie Absalom,erat principiũ belli: ideo po-

terant Leuitæ portare arcam cum Dauid, & intendebant portare eam quocunq; iret Dauid: quamquam ipse non iussisset hoc, cùm postea reuocauerit, sed sacerdotes, qui tenebant arcam sub potestate sua, acceperunt eam de loco suo, & portauerunt cum Dauid, & intendebant semper portare, nisi Dauid renuisset: ipse autem ex humilitate uoluit, ꝙ rediret arca in locum suum, vt patet infra. *Et deposuerunt arcam Dei.* Scilicet, Leuitæ, qui portabant arcam humeris suis, deposuerunt eam in terram dum transibat populus, & manebat Dauid apud torrentem. *Et ascendit Abiathar.* Id est, ascendit ad locum vbi erat arca. Nam ipsa deposita fuit in aliquo loco alto, & Abiathar ascendit ad eā, scilicet, ad consulendum dominum coram illa, vel ad faciendum aliud. Sciendum quòd Ra. Sa. & Ra. Dauid Kimhi dicunt, ꝙ Abiathar tunc consuluit dominum coram arca, & non respondit illi. Sadoc autem consuluit, & respondit illi Deus, & ablatum est summum sacerdotum Abiathar, quia iam Deus non erat cum eo, & mansit solus Sadoc sacerdos magnus.

An Abiathar fuerit priuatus sacerdotio tempore Dauid.
Quæst. XXX.

QVAERETVR circa hoc, an sit verum. Respondendum, ꝙ non, quia Abiathar, & Sadoc semper fuerunt summi sacerdotes, dum vixit Dauid, & fuit ablatum sacerdotium Abiathar, quando mortuus est Dauid per Salomonem, vt patet seq. li. c. 2, scilicet. Dixit Salomon Abiathar sacerdoti: vade in agrum tuū in Anathoth, & quidem uir mortis es: sed hodie non te interficiam, quia portasti arcam domini corā patre meo, & sustinuisti laborem in omnibus, in quibus laborauit pater meus: eiecit ergo Salomon Abiathar, vt non esset sacerdos domini, vt impleretur sermo domini, quem locutus est super domum Heli in Silo. Item patet hoc, quia tēpore Dauid semper nocabat Abiathar sacerdos. Sic patet seq. lib. cap. 1, scilicet, ꝙ Adonias habebat sermonem cum Ioab, & cum Abiathar sacerdote, & tamen istud fuit prope mortem Dauid. Sed posset aliquis obijcere, ꝙ tunc Abiathar erat sacerdos, sed non erat summus sacerdos: nam ibi solùm uocatur sacerdos. Respondendum, ꝙ hoc non obstat: nam necesse est accipi ibi sacerdotem pro summo sacerdote. Sic patet sup. 8. cùm dicitur, ꝙ Sadoc filius Achitob, & Achimelech filius Abiathar erant sacerdotes, ideſt, summi sacerdotes. Nam non possunt ibi accipi pro sacerdotibus simplicibus, quia non solùm isti, sed multi alij erāt sacerdotes. Item patet seq. 1 ib. c. 1, cùm dicitur, ꝙ Abiathar sacerdos erat cum Adonia, & Sadoc sacerdos non erat cū eo, & sic uocātur ambo isti æqualiter sacerdotes. Constat tamen, ꝙ Sadoc erat summus saeerdos, ergo Abiathar erat etiam summus sacerdos. Item patet hoc effi cacius. 1. Paral. 24. vbi Dauid paulo ante mortē suam ordinauit sacerdotes, & leuitas, & cōstituit Sadoc summum sacerdotem in filijs Eleazar, & Abiathar summum sacerdotem in filijs Ithamar. Item patet quia infra 20. ponuntur iterum officiales Dauid, & dicitur, ꝙ Sadoc & Abiathar erāt sacerdotes, scilicet, sacerdores magni, sed illud fuit aliquanto tempore post hoc. Dicendum ergo, ꝙ nō fuit nunc ablatum summū sacerdotiū Abiathar, sed tēpore Salomonis. *Donec expletus esset omnis populus, qui egressus fuerat de ciuitate.* i. tandiu ascendit Abiathar vsquequo perfectè transiuit torrentem Cedron omnis populus, qui egressus fuerat de ciuitate, vt iret cum Dauid. s. quia toto isto tempore steterit coram arca Abiathar. Vel aliter, & melius, ꝙ Abiathar ascendit in aliquem locum altum, quando populus incepit transire torrentem Cedron, vt uideret qui transibat, & an aliqui manebant nō transeuntes cum rege: cùm autem expletus esset populus descendit. *Et dixit rex ad Sadoc.* Hic ponitur humiliatio Dauid arcā remittendo. Nam quamquā licitè potuisset illam secum ducere, quia tamen honorificētius ipsa maneret in urbe in loco suo, noluit ꝙ ueniret secum. *Reporta arcam Dei in vrbem.* Vsque ad locū illum fuit ducta arca non iubente Dauid, & tunc quando vidit eam, & transiuit populus, iussit reportari illam in urbē. *Si inuenero gratiam in oculis domini.* i. si Deus propitiatus fuerit mihi, & uoluerit misereri. *Reducet me.* s. in Ierusalem reddi tuēdo me in gradum meum, & honorem pristinum. *Et ostendet mihi eam, & tabernaculum suum.* i. tunc ostēdet mihi arcam, quia rediens videbo illam: etiam uidebo tabernaculum suum. s. tabernaculum, in quo ipsa manebat in domo Dauid. nam tabernaculū Salomonis, quod magis vocatur templum, nunquā uidit Dauid: cùm cepit ædificari anno quarto regni Salomonis, & finitum est post septem annos. Est autē sensus huius literę, ꝙ Dauid diceret, ꝙ non opus erat ire arcam cum illo: nam prȩsentia arcę erat ad hoc, ꝙ Deus adiuuaret illos, quibus erat præsens. Sic patet præce. li. c. 4. Afferamus ad nos arcam Dei de Silo, & ueniat in medium nostri, & saluet nos de manu inimicorum nostrorū, sed Dauid dicebat, aut ego inueni gratiam in oculis Dei, aut non: si inueni, ipse reducet me in locum sanctuarij, & uidebo arcam, & tabernaculū, & sic non est opus, ꝙ eat mecum: si autem non inueni gratiam, & si portem eam mecum nō liberabor: ideo melius est, ꝙ reportetur in urbem. *Si autem dixerit, non places.* i. si dixerit Deus de me: non places in oculis meis ad hoc, ꝙ regnes. *Præsto sum, faciat quod bonum est coram se.* i. faciat quod iudicat esse bonum, ideſt, si iudicat bonum esse, quòd ego non regnem: præsto sum ad tolerandum quamcunque pœnam imposuerit.

An ratio Dauid quare remisit arcam fuerit conueniens.
Quæst. XXXI.

QVAERETVR an iste modus arguendi Dauid sit conueniens. Aliquis dicet, ꝙ non, quia hoc modo faceremus, ꝙ præsentia arcæ nihil proficeret, sed hoc est inconueniens: quoniam Israelitę ideo ferebant eam sępe ad bellum, quia putabant per illam consequi adiutorium. Idem etiam argumentum fieret de præsentia crucis dominicę, vel designatione in fronte, quia dices: aut Deus vult liberare istum, aut non: si vult, etiam cruce non præsente liberabit: si non vult, ēt præsente cruce, & omnibus angelis Dei nō liberabit, & sic erit omnino superuacua præsentia crucis, vel signatio, & inuocatio nominis Christi, quia idem argumentū est de utrisque. Sed falsum est, quia non est aliud nomen sub cęlo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri, nisi in nomine Christi, vt patet Act. 4. Idē arguetur de bonis, quæ fiunt pro mortuis, quia illi aut sunt in purgatorio, aut in paradiso, vel inferno: si secundo modo non proficiūt: si primo modo etiam sine orationibus, & bonis, quæ a nobis fiunt liberabuntur illi, qui sunt in purgatorio. ergo non oportet fieri pro illis bona. sed hoc falsum est, quia 2. Machab. 12. ꝙ sancta, & salubris cogitatio est orare pro mortuis. Respondendum, ꝙ argumētum Dauid sufficiens erat. s. quia si ipse inuenisset gratiam in oculis domini, ēt sine arca liberasset illum: si autem non placeret, ēt prȩsente arca non liberaret: sic enim fuit de Israelitis, quando portauerunt arcam de Silo, vt liberarētur de manu Philisthinorum. Nam præsente ea, magis puniti sunt, quàm absente: nam ea absente perierunt quatuor millia, ea verò præsente perierunt triginta millia, & capta est arca ab hostibus.

primā quæstiō. bus. Præcede. lib. c. 4. hoc autem quia illi Israelitæ non placebant Deo. Cùm autem infertur, quòd præsentia arcæ nullo modo erat vtilis, non sequitur: nam poterat esse vtilis dupliciter. Vno modo si Israelitæ placerent Deo, nam tunc præsente arca, vel absente liberandi erant: facilius tamen, & melius, & cum maiori prosperitate liberaret eos præsente arca quàm absente, quia confidebant de nomine eius, & virtute. Secundo modo proderat si Israelitæ non placerent Deo, ita quòd esset eis Deus aliqualiter iratus, non secundùm diffinitionem, sed secundùm comminationem: fortè prȩsente arca placaret: & propter hoc quando mouebantur castra, Moyses faciebat, quòd præcederet arca, dicens: surge domine, & dissipentur inimici tui: & fugiāt qui oderunt te à facie tua. s. ꝙ per arcæ præcessionē Deus faciebat iter magis prosperum Israelitis, quàm alias facturus esset, quamquam diligeret eos. De Dauid autē dicendum, ꝙ ipse sciebat, ꝙ si Deus eum habebat exosum, præsentia arcæ nihil ei proficeret: si tamen eum non habebat omnino exosum, vel si diligebat eum, poterat ei proficere: vt tamen Deo daretur debita reuerentia, voluit Dauid ꝙ maneret arca: etiam si ipse non liberaretur ita cito, sicut liberandus erat. Et p hoc merebatur Dauid volens Deo exhibere reuerentiam, & liberaret illum Deus velocius quàm præsente arca.

Ad secundam. Ad argumētum de præsentia crucis, & signatione idē dicēdum est. s. ꝙ proficit. nam si Deus sit omnino iratus alicui secundùm diffinitionem, non proficit ei crucis præsentia, quia etiam ea præsente peribit: si tñ non sit Deus omnino iratus, poterit per præsentiā crucis, vel per signationem in fronte placari, cùm ista deuote fiāt. Etiam si Deus aliquem gratum habeat facilius liberabitur, & cum maiori prosperitate per hæc, quàm sine ijs. Semper tamen quicumq; fuerit, debet recurrere ad hæc remedia, quia nemo scit an Deus ei sm comminationem, vel diffinitionem iratus sit: ēt si grauissimè peccauerit. Ad aliud quod dicebatur de oratione pro mortuis, dicendum ꝙ semper proficit, cū sit sancta & salubris cogitatio pro defunctis orare, vt à peccatis soluantur. 2. Machab. 12. Quia si isti sunt in vita æterna, vel in inferno, non proficiunt eis. Proficiunt tamen alijs defunctis, quibus proficere potest, vel saltem proficit ei, qui orat: si autē sit in purgatorio, quāquam sine operibus nostris aliquando liberari debebat, tamen facilius liberatur impensis bonis operibus pro illo, & effugit multas pœnas quas aliàs toleraret.

Ad tertiam. *Et dixit rex ad Sadoc.* Hic ponitur quartum huius. c. in quo est ordinatio consultoria. Et diuiditur in duo. Primò ponitur ordinatio de consilio renunciandi, scilicet, qualiter Dauid sciret quid fiebat in Ierusalē. Secundò de consilio dissipando ibi. *Cumque ascendisset.* Circa primum dicitur. *Et ait rex ad Sadoc Sacerdotem.* Scilicet, Sacerdotem magnum, quia ipse & Abiathar erāt Sacerdotes magni. *O videns reuertere in ciuitatem in pace.* Ideſt, ò Sacerdos, qui es videns, reuertere in ciuitatem. Videns. n, idem est ꝙ propheta, & iste erat modus antiquorum, s. ꝙ illi vocarentur videntes, qui postea vocati sunt prophetæ, vt patet præc. li. c. 9. s. Olim in Israel sic loquebatur vnusquisque vadens consulere dominum: venite, & eamus ad videntem, qui enim propheta dicitur hodie, vocabatur olim videns. Sadoc autem non vocabatur videns, quasi esset propheta, sicut quilibet alius de prophetis quibus Deus loquebatur, sed erat conditio communis omnium Sacerdotum summorum quòd essent prophetę. s. quia Deum consulebāt posito rationali in pectore, & respondebat eis, nō tamen habebant modum aliorum prophetarum, quibus loquebatur Deus sine consultatione in rationali. In Hebræo habetur. *Si vides reuertere.* Et est sensus Hebræorum: si videtur tibi bonum, & vtile, ꝙ reuerta-

A ris: reuertere, sed primus sensus est melior, si vides, ideſt, quia videns es: vel tu, qui videns es, reuertere: & istā literā nostram ponit litera Chaldaica. *Et Achimaas filius tuus, & Ionathan filius Abiathar duo filij vestri sint vobiscum.* Dixit hoc Dauid, quia cùm ipse iuberet Sadoc, & Abiathar redire, quia non erant viri apti ad bellum propter senectutem, vellent quòd duo filij eorum, qui erant viri fortissimi, irent cum Dauid, ideo ipse dixit, quòd etiam illi duo manerent cum eis, & istud erat ad hoc, ꝙ isti essent cursores regis. s. denunciando Dauid quidquid audirent in ciuitate de factis Absalom.

An Dauid intenderet fugere de terra Israel in exitu eius.
Quæst. XXXII.

B QVAERETVR, quid intendebat Dauid facere cùm exiret de Ierusalem, & an intenderet recedere de terra Israel, vel defendere se in alio loco fortiori. Respōdendum, quòd Dauid non intendebat fugere de terra Israel, quia hoc est, qđ voluisset Absalom, vt ipse solus dominaretur: nec etiā intēdebat ire ad aliquem locum munitiorem, in quo se defenderet, quia locus, in quo erat, fortissimus erat: nec latuit postea Dauid in aliquo loco. Sed dicēdum, quòd Dauid fugit de Ierusalem ex causa supra assignata, scilicet, vt Deum sibi placaret, tolerando istam cōfusionem, & postea esset sibi propitius. Nam in Ierusalem nō intendebat se posse resistere. Fugit autem C recedens aliquantulum à Ierusalem, ut Absalom non posset eum mox inuenire, & interim p cursores suos poterat intelligere, quid faceret Absalom, & secūdùm hoc poterat scire quid expediret ei facere. Sic patet, quia dixit: ecce ego abscondar in campestribus deserti, donec veniat sermo à vobis indicans mihi. Hic instruebat Dauid Sadoc, & Abiathar quomodo se haberēt ad eum, scilicet, quòd cum manerent in ciuitate, conarentur scire, quid fieret in domo Absalom, & illud transmitterent per filios suos ad Dauid, & tamdiu ipse maneret in deserto absconditus, nesciens quid agere deberet. Sic autem factum est, quia Dauid recedens de Ierusalem mansit in campestribus citra Iordanem, quousque iuerunt illuc filij Sadoc, & Abiathar, & dixerūt Dauid: surgite transite cito fluuium, quia huiusmodi consilium dedit contra vos Achitophel: & surrexit Dauid & omnis populus, & transierunt Iordanē usq; mane, infra. 17. *Reportauerunt igitur Sadoc, & Abiathar arcam Dei in Ierusalem.* Non portauerunt isti humeris suis, quia Leuitæ portabāt eam, quibus Deus iusserat. Num. 4. & 7. & primo Paralip. 15. sed quia isti erant principes Sacerdotum, & Leuitarum nominantur isti soli. *Et manserunt ibi.* Scilicet, ad sciendum quid moliretur Absalom contra Dauid. *Porro Dauid ascendebat cliuum oliuarum.* Ideſt, ascendebat mōtem Oliueti, quia iste mons distabat magis à Ierusalem, quàm torrens Cedron per eandem uiam. Et ob hoc dicitur supra ꝙ cunctus populus incedebat contra uiam oliuæ. i. montem oliueti. In Hebræo habetur. *Ego tardabo in campestribus.* Vbi litera nostra dicit: ego abscondar, sed ad idem pertinet, quoniam ibi abscōdi debebat, & etiam ibi tardaret, scilicet, expectando, quousque nuncij irēt de Ierusalem ad Dauid. *Scandens, & flens operto capite, & nudis pedibus.* Ideſt, Dauid ascendebat per montem, & semper ascendendo plorabat, & habebat opertum caput, & pedes sine calciamentis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Cur Dauid operto capite flebat, & an decens esset. Quæst. XXXIII.

Argnitur primo.

QVAERET aliquis, quare Dauid flebat, & operiebat caput, & an decebat Dauid ista facere. Aliquis dicet quòd non, quia ad uiros flere non conuenit: præcipuè ad reges, qui debent esse cæteris exempla grauitatis, & uirtutum. Item ad fortitudinem pertinet æquanimiter tolerare aduersa, qui autem flet, iam effœminatur, quia lachrymæ mulieres decent: vnde non solùm virtuosus, & virilis non est ploratiuus, sed etiam non sustinet amicos ploratiuos, vel ei muliebriter condolentes. Sic patet Ethic. 9. circa finem, scilicet: Propter quod viriles

Secundo.

G quidem reuerentur contristari amicos totaliter, quòd in complorantibus non complacet propter nec ipse esse comploratiuus: muliebriter autem, & tales uiri coangustatis gaudent, & amant, vt amicos condolentes; imitari autem oportet in omnibus meliorem. Respondendum, quòd Dauid flebat, vt inclinaret Deum ad misericordiam: sciebat enim se peccasse, & quod propter hoc eueniebant ei mala hæc: ideo non pro malis, quæ patiebatur, vel sperabat, dolebat, sed ut per lachrymas, Dei furorem leniret, & misereretur eius. Patet hoc, quia si solùm plorauisset Dauid pro malo, quod sustinebat: solum tolerasset dolorem suum, & non addidisset angustiam dolori suo, & tamen super dolorem suum augebat ipse afflictionem inquantum

H velabat caput suum, & incedebat nudis pedibus. Ergo non faciebat hoc propter mala, quæ patiebatur, sed ipse sponte addebat sibi afflictionem, sed afflictio secundùm se non est desiderabilis: ideo Dauid faciebat hoc propter aliquem finem consequendi bonum, scilicet, propter pœnitentiam, vt Deus sibi misereretur. sic patet seq. c. cùm dixit, dimitte eum, vt maledicat mihi si fortè respiciat dominus afflictionem meã, & reddat mihi bonum pro maledictione hac. Ad primam ratio

Ad primam rationem.

nem in contrarium dicendum, q̃ plorare nõ pertinet ad uiros, scilicet, pro sua aduersitate, quam patiuntur, quoniam uirtus in aduersitatibus fulget, & est uirtuosus tanquã tetragonus sine uituperio. Vt patet. 1. Ethi. & fortis debet gaudere, vel saltem non tristari de malis, quæ patitur. 3. Ethi. plorare tamen ex dolore peccati, ita ut homo effluat in lachrymas, laudabile est. Sic erat in Dauid, qui non plorabat tanquam intolerabile malum esset sibi, quod patiebatur ab Absalom, sed quia Deus iratus ei erat, & uolebat eum pœnitentia placare, quia Deus acceptat cor contritũ, & humiliatum. Psal. 50. laudabile etiã est interdum magnis aliorum calamitatibus plorando compati. Sic enim Christus fleuit super Lazarum, quando uidit sorores suas, & Iudæos flentes. Io. 11. Ad secundam dicendum, q̃ vi-

Ad secundam.

rilis æquanimis tolerat aduersa, & non est ploratiuus pro calamitatibus, quas patitur, quia in illis immobiliter se debet habere, sed q̃ ploret ex dolore peccatorũ commissorum non est contra uirilitatem, aut fortitudinem, cùm iste sit actus unius uirtutis, scilicet, pœnitentiæ.

Sed & omnis populus, qui erat cum eo operto capite ascendebat plorans. Cum rex tristaretur, erubescebãt omnes gaudere. Præcipuè, quia amaritudo occupauerat eos cum iam dubitarent de statu suo. *Nunciatum est autem Dauid, quòd Achitophel esset in coniuratione cum Absalom.* Istud retulit Dauid aliquis ueniens de Hebron. Nam nondum uenerat Absalom in Ierusalem, vt ueniẽtes de Ierusalem nunciarent istud. Fuit autem dictum de Achitophel, quia erat uir famosus in cõsilio, & si ipse erat in coniuratione, poterat nocere nimis Dauid. *Dixitque Dauid, infatua, quæso, domine consilium Achitophel.*

F Istud orauit Dauid, quia Achitophel erat uir magni consilij. Nam in diebus illis habebatur cõsilium eius, tanquam si quis consuleret Dominũ. vnde si permitteretur Achitophel consulere, sicut consueuerat, noceret nimis Dauid: ideo uoluit, quòd consilium eius infatuaretur, ideſt, esset sicut uiri fatui, vel quamquam ipse rectum consilium daret, nihil ualeret: sic factum est postea infra 17.

An Dauid peccaret orando, quòd Deus infatuaret consilium Achitophel. Quæst. XXXIIII.

QVAERETVR an Dauid peccauit orando, q̃ Deus infatuaret consilium Achitophel. Aliquis dicet, q̃ sic, quia q̃ aliquis oret mala alteri

G euenire, etiam si illa temporalia sint, peccatũ est, sed mala spiritualia sunt peiora: ergo grauius peccat orans alteri euenire spirituale malum: sic autẽ erat q̃ infatuaretur Achitophel. Item peccatum est in Spiritum sanctum, si quis uelit, q̃ alius cadat à uirtute, ut q̃ perdat charitatem, vel incidat in peccatũ: sed aliquem infatuari est perdere prudentiam, quę est principua uirtus, ideo orare, q̃ aliquis infatuetur mortale peccatũ est, & de grauissimis. Respondendum, q̃ non peccauit Dauid petendo, q̃ infatuaretur cõsilium Achitophel: nam si peccasset, Deus non exaudiuisset eũ in illo, & tamen exaudiuit. inf. 17. Item si non infatuatum fuisset cõsilium Achitophel, Dauid perijsset, vel

H fuisset in magno periculo, vt patet infra 17. ideo licuit sibi aliquid orare contra Achitophel. Pro quo consi-derandum, q̃ cùm quis habet hostes, aut illi fouẽt con-tra eum litem iustam, aut non. Si primo modo, nõ po-test aliquod malum orare cõtra illos, alioquin peccat mortaliter, cùm petat super innocentẽ mala euenire. Si autẽ illi non fouent iustam causam, aut persequuntur illum, aut non: si non persequuntur, non potest optare eis aliquod malum temporale, nec spirituale: nisi inquantũ quædam mala temporalia sunt, quæ homi-nem ab iniquitate corrigunt, vt patet Isa. 28. Vexatio dabit intellectum. Et hęc mala potest quis desiderare illis hostibus suis, non quia hostes sunt, nec ut potẽtior illis efficiatur, sed ut boni fiant, & hoc non solùm ille

I potest desiderare, sed etiam quilibet, qui nõ est hostis. Si autem hostes persequantur illum, & iniustè. Dicendum, q̃ sicut iste potest agere iustum bellum cõtra illos, & occidere eos, ita potest orare, vt Deus infligat eis aliquod malum temporale, per quod impediantur affligere ipsum iniustè. Sic patet Iere. 16. cùm locutus est contra illos, qui uolebant occidere ipsum, scilicet. Cõfundantur, qui me persequuntur, & non confundar ego: paueant illi, & non paueam ego, ideſt, veniant super eos ista mala, vt ipsi impediantur infligere ea super me. Sciendum tamen, q̃ quantumcunque hostes persequantur aliquem iniustè, non potest ipse orare quodcunque malum super eos, vt si quis oraret cõtra aliquam gentem, qui est sibi hostilis, q̃ Deus eam omnino pestę deleat, vel alio genere exterminij, quia cũ

K quis fouet iustum bellũ, non licet ei pugnare semper, vel hostes subiectos delere, sed solùm usque ad plenã satisfactionem pro iniuria, vel damnis susceptis. Quod-quid autem ultra fit, iniustum est: sed id quod nõ licet fieri, non licet petere à Deo: & quia q̃ aliqua gens tota pereat pestę, vel alio modo, est maius quàm q̃ satisfaciat pro iniuria, vel damno dato: ideo nõ licebit orare, vt gens illa sic pereat, nec etiam q̃ habeat aliud malum, quã illud, qđ infligi deberet in bello iusto. Si autem intelligatur de malo spirituali, vtpote, q̃ aliquis peccet mortaliter, non licèt alicui orare hoc contra hostem suũ, & idem est, si oretur q̃ perdat quamcũque de uirtutibus: vnde si quis sciret, q̃ necessẽ erat

quod

q̃ ipse occideretur iniustè ab hostibus, nisi illi peccarent mortaliter in fornicatione, vel alio genere: nõ deberet orare, vt illi peccarent mortaliter ad hoc, q̃ ipse euaderet mortem iniustam. De Dauid autem dicendum quòd Absalom & Achitophel erant hostes sui, & fouebant iniquam litem, & si Deus non infatuaret consilium Achitophel, inflicta fuisset Dauid mors iniusta, ideo licuit orare, vt infatuaretur consilium Achitophel, inquantum per hoc impediebatur mors eius. Ad primam rationem in contrarium dicendum, q̃ orare vt aliquis perdat bona spũalia. s. vt incidat in peccatum, nũquam est licitum: Dauid aũt non orauit hic sic, quia non petiuit, vt Achitophel esset fatuus, ita q̃ semper maneret priuatus prudẽtia, sed q̃ infatuaretur consilium eius. i. q̃ Deus non permitteret eũ inuenire

B consilium bonum, sed fatuum: q̃ nihil attineret ad rẽ. In hoc autem licèt careret Achitophel quodã bono spũali ad tps: tamen non peccabat, sed erat sibi pœna, q̃ non permitteretur à Deo inuenire consilium bonũ, ideo poterat Dauid orare hoc. Ad 5m dicendum, q̃ peccatum in Spiritum sanctum grauissimum est, & illud accidit cùm quis dolet de charitate, vel virtute alterius, aut vellet q̃ incideret in peccatum. Dauid tamẽ non orauit, vt peccaret Achitophel in aliquo, sed solũ vt infatuaretur eius consilium, quod erat pœnale, & poterat accidere sine peccato. *Cumq; ascenderet.* Hic ponitur ordinatio de dissipando cõsilium. s. q̃ Chusi per eloquentiam suam ostenderet cõsilium Achitophel esse malum. *Cumque ascenderet Dauid summitatem montis.*

C Ideſt summitatem mõtis Oliueti, quia iste erat mons, per quem transiturus erat. Sic dicitur supra, q̃ Dauid ascendebat cliuum oliuarum. In Hebræo habetur. *Cumque ascenderet Dauid verticem.* Et non ponitur an esset vertex montis, vel alterius rei: sed satis intelligitur q̃ erat mons Oliueti, quia de illo supra, sæpe dictũ est. *In quo adoraturus erat Dominum.* Ideſt, in monte illo, quẽ ascendebat nunc Dauid, debebat Dominum adorare.

Dauid quomodo adorare debebat Dominum in monte Oliueti. Quæst. XXXV.

QVAERETVR, qũo Dauid debebat ibi adorare Dñm. Aliquis dicet, q̃ erat ibi aliq̃d

D altare, vel sanctuariũ, in quo Dauid deberet adorare vel facere sacrificia. Sed dicendũ, q̃ non stat, quia facere altaria in mõtibus, vel offerre sacrificia, erat valde vituperabile: vnde increpantur nimis Ezech. 18. illi, qui comedebant super montes. s. faciebant sacrificia, & comedebãt ibi de eis: nõ ergo faceret hoc Dauid. Dicendum q̃ Dauid adoraturus erat Dñm ex loco illo, quia qñcunq; veniebat ad illum locũ, solitus erat adorare Dñm. Causa huius erat: quia ex loco illo incipiebat videri vrbs Ierusalem venientibus ad eam, vel desinebat videri recedentibus ab illa, ideo siue veniret Dauid in Ierusalem, siue ab ea recederet, qñcunq; transiret per verticẽ montis illius, adorabat: causa erat, quia in Ierusalẽ erat arca domini,

E q̃ quam debebat contra eam adorari: sicut facto templo dixit Salomon q̃ vbicumq; essent Iudæi, ẽt extra terram suam, orarent conuertentes se contra Ierusalẽ, & Deus exaudiret eos. seq. lib. c. 8. Sic. n. Daniel, qñ erat in Babylone orabat quolibet die tribus vicibus flexis genibus ꝰ Ierusalem, & apertis fenestris cœnaculi, vt patet Daniel. 6. Alia causa erat, quia ex loco illo videbatur locus, vbi erat arca posita in Ierusalem, & postea constructo templo Salomonis, ex illo loco videbatur templum, & altare sacrificiorum intra templũ: vnde Salomon construxit altaria, & templa dijs concubinarũ suarum in monte isto: & videbantur altaria ex templo Dñi, & sacrificantes Deo in templo uidebãt sacri-

Alph. Tost. in Secundum Regum.

A ficantes idolis in monte Oliueti: ex quo nimis offendebantur, & inclinabantur ad idolatriam offerẽtes Deo sacrificia, unde mons Oliueti uocatus est mons offensionis. De hoc seq. li. ca. 11. s. Tunc ædificauit Salomon phanum Chamos Idolo Moab in mõte qui est cõtra Ierusalem. s. in monte Oliueti: & Moloc Idolo filiorũ Ammon: atque in hunc modum fecit uniuersis uxoribus suis, quę adolebãt thura, & immolabãt dijs suis. De hoc etiam dicitur. 4. Reg. 23. Excelsa quoque, quæ erant in Ierusalem ad dexteram partem montis offensionis, quæ ædificauerat Salomon, polluit, & contriuit statuas, & succidit lucos. Quod autem templum Salomonis uideretur de mõte Oliueti apparet Matth. 24. & Mar. 13. & Luc. 21. cùm dicitur, q̃ sedebat Christus

B in monte Oliueti ꝰ templum: & tunc quærebant ab eo de ædificijs templi discipuli sui: & hoc quia manifeste cernebant, & distinctè ędificia. Dauid igitur accedens ad illum locum siue eundo, siue recedẽdo de Ierusalem, solitus erat orare dominum, qñ ueniret ad locum illum, sicut aliqui homines cùm primũ à longè uident Ecclesias aliquorum sanctorum: genua flectũt. *Ecce occurrit ei Chusi Arechites.* Iste occurrit Dauid ueniens in Ierusalem, quia audierat quomodo uenturus erat Absalom contra Dauid: & uoluit cito ire ad Dauid, sed occurrit ei in uia iam recedenti de Ierusalem.

Chusi quis erat. Quæst. XXXVI.

C QVAERETVR de isto Chusi quis erat. Aliq dicunt de Hebræis, q̃ Chusi erat Aethiops, & fu erat conuersus ad Iudaismum, sicut cõuertebantur multi de alijs gentibus: & mãsit ei nomen gentis suæ, quia Chusi siue Husai in Hebræo significat Aethiopem. Alij. n. dicunt, q̃ Chusi erat de genere Israelitarum, quia tamen erat niger sicut Aethiops uocatus est Chusi. i. Aethiops. Dicit autem Ra. Da. Kimhi, quòd Chusi erat de tribu Ephraim: ideo uocatur Arachites. i. de ciuitate Archithiaroth, quæ erat in sorte Ephraim. Iosue. 16. Nicolaus autem dicit, q̃ uocabatur Arachites à ciuitate Arach, sed non patet ubi esset ista ciuitas. *Scisa veste, & terra pleno capite.* Ideſt, quando occurrit Dauid sciderat uestem suam

D rumpendo eam: & aspersérat puluerem super caput suum, istud autem fiebat in signum extremi doloris. Sic. n. declaratum est supra 13. quòd in doloribus magnis non tamen maximis rumpebantur uestes, & nihil ultra fiebat. In maximis uerò aspergebatur puluis uel cinis super caput: sic enim Thamar defloratа aspersit cinerem capiti. supra 13. & homo ueniens de bello, puluere operuit caput, ut patet supra primo. *Et dixit Dauid.* Hic ponitur ordinatio consultoria de dissipando consilium, qđ fieret in domo Absalom, & ad hoc misit Dauid Chusi in Ierusalem. *Si veneris mecum eris mihi oneri.* Voluit Dauid persuadere Chusi q̃ iret in Ierusalem, nam ipse ire uolebat cum Dauid, & ad hoc dixit q̃ esset sibi oneri. s. quia non præstaret aliquã

E utilitatem, sed impedimentum. Nico. dicit quòd hoc erat, quia Chusi non erat uir bellator, ideo non poterat aliquid conferre Dauid eundo cum eo, quia ipse solùm indigebat nunc uiris bellatoribus. In Ierusalem autem posset ei proficere destruendo consilium Achitophel. Sed non videtur verum, quòd Chusi non esset uir bellator, quia ipse uidebatur dispositus ad pugnandum: nam init postea in pugnam contra Absalom, & ipse fuit nuncius currens ad Dauid, ut nunciaret uictoriam, & mortem Absalom, infra decimooctauo, non tamen fuisset cursor, nisi adhuc esset uir leuis, & ad bellum dispositissimus. Videtur ergo dicendum, q̃ Chusi esset utilis eundo cũ Dauid sicut cęteri, qui ibãt cũ illo, & hoc siue ad pugnãdũ, siue ad

Universidad de Deusto
Biblioteca

consiliandum, quia vtrumque necessarium est sume tempore belli, cùm tamen magis vtilis esset Chusi in negocio Dauid si iret in Ierusalem, suaderet eique dixit: si veneris mecum eris mihi onerosus, idest, inutilis. *Si autem in ciuitatem reuertaris, & dixeris Absalom, seruus tuus sum rex.* Hoc dicebat Dauid: volens, quòd Chusi contraheret aliquam familiaritatē cum Absalom in Ierusalem, vt posset destruere consilium eius. *Sicut fui seruus patris tui, sic ero seruus tuus.* Idest, sicut fui fidelis patri tuo, dum erat rex: ita nunc tibi electo in regem à Deo fidelis ero: ista enim docuit Dauid ipsum Chusi. *Et dissipabis consilium Achitophel.* Idest, sic faciendo poteris dissipare consilium Achitophel. Non enim erat certus Dauid, quòd destrueretur consilium Achitophel, sed erat ista via verisimilis ad destruendum illud. Si autem Chusi maneret in Ierusalem, & abstraheret se à familiaritate Absalom, nō posset destruere consilium Achitophel, quia non vocaretur ipse ad consilium, sed esset suspectus, & fortè non permitteretur manere in Ierusalem, vel occideretur: cùm præsumeretur esse ex parte Dauid.

An Dauid peccauerit instruendo Chusi ad mentiendum. Quæst. XXXVII.

QVAERET aliquis, an peccauit hic Dauid instruens Chusi ad mentiendum, & iubens ei mentiri. Nam dixit quòd vocaret se seruum Absalom, sed manifestum est, quòd non intendebat Chusi seruire Absalō; nec ibat ad hoc: sed magis ad destruendum cōsilium eius. Respondendum, quòd mendacium fuit istud, quia tamen erat officiosum, solùm erat veniale. Aliquis dicet, quòd nō erat officiosum, sed pernitiosum, quia ibat ad destruendum consilium Achitophel, & subuertendum statum Absalom. Respondendum, ꝙ cùm quis vult fallere aliquem volentem agere quod iustum est, & licitum sibi, & hoc procurat per mendaciū, illud est pernitiosum, si tn aliquis velit iniustè agere nocendo alicui, & alius fallat ipsum per mendaciū, ne malum agat: est mendacium officiosum, sic autem fuit hic, quia Absalom intendebat occidere Dauid, & vsurpare regnum, quod erat valde iniustū, ideo quòd Chusi falleret eum per mendacium, non erat perniciosum, sed officiosum. Sed objicietur, quia mendaciū officiosum est, quod alicui prodest, & nulli nocet, mēdacium tamen Chusi nocuit Absalom, quia disturbauit consilium eius, & per hoc ipse postea mortuus est, ergo pernicioſum erat. Nam sic dicitur infra. 17. consilium Achitophel erat vtile, sed disturbatum est. Respondeti potest dupliciter: vno modo ꝙ quando quis agit contra alium, si iustè agit, etiam si ei mala inferat, nō dicitur iniuriam, vel damnum inferre, quia iniuria & damnum dicunt iniustas commutationes, vel distributiones, vt patet. 5. Ethic. Chusi tamen poterat iustè procurare quodcunque malum Absalom, eo ꝙ ipse iniustissimè agebat contra patrem, ideo quodcunque faciendo non dicebatur facere iniuriam, vel dānum, & consequenter mendacium non diceretur pernicioſum, quia non inferebat ei damnum, licèt malū esset ipsi Absalom. Sic. n. iudex sententians ꝯ aliquem malum agit ei, tn non dicitur iniuriam, vel dānū inferre, si iustè condemnet. Aliter potest rn̄deri ꝙ mendacium Chusi & Dauid non fuit pernicioſum, quia nullo modo erat directè ad damnum Absalom, vel ad diminutionem alicuius boni, sed ad defensionem Dauid. Nā Chusi solùm destruxit consilium Achitophel; quod dedit de eundo ꝯ Dauid per noctem. Dissolutio aūt illius erat vtilis Dauid, quia aliàs perijsset ipse vel populus suus, vt patet. ꝯ. 17. non tamen erat in damnū Absalom, quia per hoc non est passus aliquid Absalom, & viri sui, sed impeditus est facere malum quod deliberauerat. Est igitur propriè mendacium officiosum, quia Dauid profuit, & Absalom non nocuit. Si autem dicas, ꝙ Absalom ex hoc mortuus est, falsum est, quia ipse mortuus est, eo ꝙ iuit ad bellum cōtra seruos Dauid, infra. 18. sed de hoc nihil egit Chusi: nam iam ipse erat cum Dauid egressus de Ierusalem postquā destruxit consilium Achitophel, & iuit in bellum contra Absalom, fuitque nuncius mortis eius. infra. 18. Item: mendaciū istud erat officiosum, quia Dauid intendebat reuocare Absalom à malo, & in hoc proficiebat ei, etiam intendebat non lædere eum: nā iussit euntibus ad bellum ꝙ reseruarent sibi puerum Absalom. ꝯ. 18. Item dato ꝙ non potuisset dari mediū, quin Absalom perire deberet cum populo suo, vel Dauid cum seruis suis, licebat Chusi, & Dauid ordinare mendacia, per quæ falleretur Absalom, & periret, quia nūc ista fierent, non vt periret Absalom, sed vt non moreretur Dauid. Hoc autem verum est, si ille qui per mendacium alium decipit, fouet iustum bellum, alioquin mendacium pernitiosum est. Et tunc potius debet aliquis pati, ꝙ moriatur, illæso hoste: quàm ꝙ ipse superuiuat fallens hostem, vt moriatur. Dauid autem fouebat iustam causam contra Absalom: ideo dato, quòd consilium Chusi procederet ad mortem Absalō, vel suorum, vt reseruaretur Dauid: mendacium erat officiosum. A talibus autem mendacijs non oportet excusari Dauid, cùm alia maiora peccata egerit. *Habes autē tecum Sadoc, & Abiathar Sacerdotes.* Scilicet, Sacerdotes magnos. Isti enim reuersi sunt in Ierusalem cum arca, vt patet supra, in litera, & quamquā isti essent digniores, dicebantur esse cum Chusi: eo quòd Chusi erat princeps consilij, quem mittebat Dauid, vt esset in cōsilio Absalom. Abiathar autem, & Sadoc non erant futuri in consilio isto, ideo Chusi erat principalis. *Et omne verbum quodcumque audieris de domo regis.* Idest, omnia, quæ sciueris determinari in domo Absalom. *Indicabis Sadoc, & Abiathar Sacerdotibus.* Chusi debebat indicare his, quia ipse mansurus erat in domo Absalom: isti autem non, sed isti denunciare debebant filijs suis, vt referrent velociter Dauid. *Sunt autem cum eis duo filij eorum Achimaas filius Sadoc, & Ionatham filius Abiathar.* Idest, ipsi habent secum duos filios cursores velocissimos, per quos poteritis mittere omnia, quæ scieritis: isti duo non erant in Ierusalem, quia non audebant ibi manere: eo quòd non permitterentur postea exire ad nunciandum Dauid quod uolebāt sed manebant ipsi extra vrbem absconditi apud fontem Rogel, qui est apud Ierusalem, & puella egrediebatur de vrbe referens eis, quæ dicebantur, & ipsi festinabant ad Dauid, infra decimoseptimo. *Et mittetis per eos ad me omne verbum, quod audieritis.* Scilicet, omne quod scieueritis esse certum. Nam incerti rumores non erant ferendi ad Dauid, quia per hos ipse turbaretur, & nesciret quid agere expediret, ipse tamen solùm habebat regulari per ea, quæ audiret de domo Absalom: sic enim dixit supra. Ecce ego abscondar in campestribus deserti, donec veniat sermo à vobis indicans mihi. i. indicans quid debeam agere. *Veniens ergo Chusi amico Dauid in ciuitatem, Absalom quoq; ingressus est.* Idest, mox ut intrauit Chusi in Ierusalem, intrauit etiam Absalom, ex quo patet quòd nimis festinauerat: & cito potuisset præoccupare Dauid in ciuitate, nam Dauid erat apud verticem montis Oliueti, quando occurrit sibi Chusi, vt patet hic: & illico vt Chusi inde digressus iuit in vrbem, introiuit Absalom: ideo solùm poterat distare Dauid ab vrbe per leucam, vel quasi, quando introiuit Absalom. Vocatur autē Chusi amicus Dauid: eo quòd erat (sic) nimis

Mēdacium officiosum, & pernicioſum quale.

Mēdacium Chusi an fuerit pernicioſum.

nimis familiaris, cùm esset consiliarius eius. Sic enim vocauit eum Absalom, dicens, quare non iuisti cum amico tuo? Hæc est, inquit, gratia ad amicum tuum. seq. cap. Sic enim alij viri nimis excellentes, & familiares regis vocabantur amici eius ex communicatione magna.

CAP. XVI.

QVNQVE Dauid transisset paululum montis verticem, apparuit Siba puer Miphiboseth in occursum eius cum duobus asinis, qui onerati erant ducentis panibus, & centum alligaturis vuæ passæ, & centum massis palatharum, & duobus vtribus vini. Et dixit rex Sibæ: Quid sibi volunt hæc?

DESCRIPTO in præcedentibus qualiter Absalom conrta Dauid conspiraue rit, hic subditur, quomodo eum fœdaue rit, scilicet, polluendo domum suam cognoscendo concubinas regis. Et diuidi- C tur in quatuor. Primò Dauid à Siba seruo Miphiboseth decipitur. Secundò à Semei iniurijs impetitur. ibi, *Venit ergo rex Dauid.* Tertiò Chusi ab Absalom recipitur ibi, *Cum autem venisset.* Quartò Absalom ad concubinas Dauid ingreditur, ibi, *Dixit autem Achitophel Absalom.*

An ordo continuus sit, & immediatus. Quæst. I.

QVAERITVR circa primum, an hic sit continuus ordo ad præcedentia, & an ista, quæ habentur hic fuerint facta immediatè post præcedentia. Respondendum, quòd ordo est D continuatus, quia supra agebatur, quomodo Dauid recessit de Ierusalem: hic autem dicitur quomodo Absalom in illam ingressus est: prius tamen exiuit Dauid, quàm ingrederetur Absalom. Ad secundum dicendum, quòd ista fuerunt facta illico post præcedentia: nam supra dicitur, quomodo occurrit Chusi Arachites Dauid in vertice montis Oliueti. Hic autem dicitur quomodo occurrit Siba Dauid postquam pertransiuit paululum verticem montis Oliueti. Item supra dicitur, quomodo recessit Dauid de vrbe; hic dicitur quomodo introiuit in eam Absalom, & tamen non distabat plenè vna leuca, vel quasi Dauid à Ierusalem, quando introiuit in Ierusalem, vt præceden. c. E declaratum est. *Cumque Dauid transisset paululum verticem montis.* Idest, Dauid habuit obuium sibi Chusi Arachitem in vertice montis, & cùm processisset paululum inuenit Sibam. *Apparuit Syba puer Miphiboseth.* Idest, seruus eius: nam Dauid constituerat eum procuratorem domus Miphiboseth, & gubernabat omnia, & ipse cum omnibus de cognatione sua seruiebat Miphiboseth. supra 9. scilicet, omnis verò cognatio domus Sibæ seruiebat Miphiboseth, & ipse Miphiboseth vocauit Sibam seruum suum. infra 19. scilicet, seruus meus contempsit me, & accusauit me apud te dominum meum.

Quare Siba obtulit munera Dauid. Quæst. II.

QVAERETVR quid intendebat Siba cùm veniret sic ferens munera regi. Dicendum, ꝙ ipse desiderabat habere totam possessionem domini sui, & putauit, quòd nunc posset eam habere: ideo captauit tempus ad hoc, & tulit munera in tempore, quo rex eis egebat, vt valde illa appretiaretur, & postea instituit accusationem contra dominum, dicens, quòd Miphiboseth manserat in Ierusalem ad recuperandum regnum patris sui. Credidit autem, quòd Dauid libenter concederet ei omnia, quæ fuerāt domini sui: & sic factum est, quia dixit tua sint omnia, quæ fuerunt Miphiboseth: ob hoc autem noluit Siba ducere Miphiboseth cum rege: quamquam ille instanter petijsset, vt patet infra 19. De Siba autem dicendum, quòd ipse sciens exitum regis præoccupauit exire de vrbe, & tulit secum ista munera, quæ hic exprimuntur, & præcessit in itinere: deinde cùm transiuisset montem Oliueti retrocessit fingens se venire obuiam regi cum muneribus, vt melius susciperetur, quàm si illa duceret de vrbe. Vel potest dici, ꝙ cum Miphiboseth haberet possessionem in terra Beniamin, in qua erat Ierusalem, & illius erat administrator Siba, iuit ad aliquem locum propinquum vrbi, in quo esset possessio, & inde duxit illa munera veniens regi obuius ad montem Oliueti. *Cum duobus asinis qui onerati erant.* Scilicet, ferebant munera. In hebræo habetur, *Cum duobus asinis stratis* Idest, apparatis, scilicet, habentibus critellam, & cingulum: & nihil dicitur de oneribus eorum: litera tamen nostra dixit oneratis ad magis exprimendum, quia manifestum est, ꝙ erant onerati cùm ferrent hæc munera. *Ducentis panibus, & centum ligaturis vuæ passæ.* Tulit Siba ea, quæ putauit nimis vtilia esse itineri, quia per desertum non reperirēt paratos cibos, & id quod ferebat esset in remedium aliquale: saltem pro his, qui deficerent siti, & fame. Vocantur autem ligaturæ vuæ passæ, idest, racemi vuarum, vel colligationes factę in aliquo funiculo, & sunt plures racemi simul. *Et centum massis palatharum.* Vocantur massæ palatharum caſæi facti de ficubus compressis inter tabulas, quæ vocantur palæ, & quia caſæi sunt iam mixti, ita quòd non est quælibet ficus per se vocatur massa. sic ait Glo. interlinearis ord. & Andre. Istæ massæ vocantur alio nomine massæ caricarum. Tulit autem Siba vuas passas, & massas palatharum: quia in terra illa sunt ista communia propter multitudinem ficuum, & vuarum, quæ magis aptæ sunt ad cibum, quàm ad vinum sicut cōmuniter accidit in terris nimis calidis, & ob hoc sæpe offerebantur similia munera: sic fecit Abigail ad Dastid: nam tulit ei ducentos panes, & duos vtres vini, & centum ligaturas vuæ passæ, & ducentas massas caricarum. præceden. lib. cap. 25. In Hebræo habetur, *Et centum de fructibus.* Litera autem nostra posuit massas palatharum, quia isti fructus solebant communiter offerri in terra Chanaan: sicut fecit Abigail, vt dictum est. *Et vtribus vini duobus.* In Hebræo habetur. *Vno vtre vini.* Litera tamē nostra posuit duos vtres, quia ex modo improprietatis Hebraicæ ponitur singulare pro plurali: & è contra. Etiam non est verisimile, quòd ferendo tanta munera pertinētia ad cibos ferret vnicum vini vtrem: sic enim Abigail ferens eadem munera: tulit duos vtres. præceden. lib. c. 25. *Et dixit rex Sibæ, quid sibi volunt hæc.* Idest, ad quid duxisti ista. *Respondit que Siba.* Erat Siba adulator magnus, & ut captaret regis fauorem: non solùm munera cibi, & potus, sed etiam asinos, in quibus portabantur regi obtulit, dicens. *Asini domestici regis, vt sedeant.* Idest, asini sunt pro domesticis regis, vt

sedeant in eis: vocantur domestici regis, qui erant de familia sua, vt filij, & vxores: & isti indigebant asinis ad sedendum: potissimè ipsę mulieres, quę tenerę erant. omnes autem tam viri, quàm fœminę egressi fuerant de Ierusalem pedestres, vt patet præced. cap. *Et panes, & palatæ ad vescendum pueris tuis.* Idest, ista sint ad cibos pro seruis tuis. De vuis passis idem intelligitur, scilicet, quòd erant ad cibum, quamquam non exprimatur. *Vinum autem, vt bibat, si quis defecerit in deserto.* Idest, vinum est, si quis defecerit siti in deserto, vt bibere possit, & refocilletur. Sciendum autem, quòd Dauid iturus erat per desertum, quia ipse intendebat ire versus Iordanem, & transire illum si persequeretur eum Absalom. Est autem inter Ierusalem & Iordanem desertum quoddam: nam distat Iordanis à Ierusalem vltra vnam dietam: quia Iericho distat à Ierusalem quatuordecim milliarijs, quæ sunt septem leucæ, vt patet in lib. de Diuisione terræ sanctæ: a Iericho tamen usque Iordanem sunt plures, quàm tres, vel quatuor leucæ, vt colligitur eo. lib. In deserto autem medio latere debebat abscondi Dauid, vt dixit præce. c. scilicet, ecce ego abscondar in campestribus deserti, & quia ibi nō inuenirent cibos opportunè duxit ista Siba. *Et ait rex: vbi est filius domini tui?* Scilicet, Miphiboseth, qui erat filius Ionathæ, qui uocatur dominus Sibæ. Sed dicetur contra quia Miphiboseth erat dominus Sibæ. inf. 19. Respondendum, quia aliquando Miphiboseth vocatur dominus Sibæ: & aliquando filius domini Sibæ: de quo declaratum est supra 19. quæsiuit autem Dauid pro Miphiboseth, quia diligebat eum propter Ionatham, & comedebat semper de mensa regis. supra 9. & infra 19. vel fortè Dauid vidit Sibam, & miratus est quomodo non ueniret Miphiboseth: ideo quæsiuit pro illo. In Hebræo habetur. *Vbi rogo te domini tui.* Idest, rogo te dic ubi est filius domini tui, sed est litera decurtata secūdùm morem hebraicum. *Responditque Siba regi: remansit in Ierusalem, dicens; hodie restituet mihi domus Israel regnum patris mei.* Ista fuit maliuola, & falsa responsio: nam Miphiboseth dixit Sibæ, quòd sterneret ei asinum ad eundum cum rege: & noluit, vt haberet opportunitatem ad accusandum ipsum, & petendum possessiones eius, vt pater infra 19.

Quomodo Dauid credidit falsa, quæ retulit Siba de Miphiboseth. Quæst. III.

QVAERETVR quomodo Dauid credidit hoc tanquam uerisimile, scilicet, q̄ Miphiboseth diceret, q̄ regnum patris sui restitueretur ei. Nam sciebat Dauid, q̄ Absalom commouerat totum Israel contra Dauid, & fecerant eum regem: sequebanturque eum toto corde, vt patet præced. cap. quomodo ergo credendum erat, q̄ Miphiboseth diceret regnum esse sibi restituendum. Item ista turbatio nullo modo orta fuerat propter eū, sed propter Absalom: ideo non sibi sed Absaloni regnū dandum erat. Item Miphiboseth erat omnino ineptus ad regnum, quia erat dedecus regni, q̄tod utroque pede claudus, & quasi hominis statua, & non homo, vel canis, vt ipse se appellauerat sup. 9. efficeretur rex. Item Miphiboseth nullum habebat fauorem: nam etiam dum Dauid non esset satis confirmatus in regno, nutriebatur ignobiliter, & nō sicut filius regis in domo Machir in lodobar nihil omnino habens. sup. 9. quomodo ergo haberet nunc fauorem, vt regnaret: nullo inquam modo erat uerisimile. Respōdendum, quòd Dauid credidit hoc, & ratio persuasionis fuit, quia Dauid erat perturbatus nimis: & non poterat attendere diligenter, an istud erat uerisimile, vel non: sed passus est iuxta conditionem afflictorum: quibus omnia mala, quæ contra ipsos dicuntur credibilia sunt. Item potissima causa fuit iniquitas Sibæ: non enim potuit Dauid concipere, q̄ nisi uerū esset auderet Siba talia contra dominum suum dicere, ideo cùm audiuit, & uidit munera, credidit uerum esse. Item quamquam Miphiboseth non crederet se regem efficiendum: posset tamen credere, quòd cùm domus Israel nunc auferret regnum Dauid, qui erat de domo Iudæ vellet, q̄ ipsi haberent aliquam eminentiam, sicut tempore Dauid habuerant uiri Iudæ, & ob hoc illi, qui erant de progenie duorum regum Israel præcedentium exaltarētur nunc: eo q̄ dispositio regni consisteret in 11. tribubus Israel, & non in tribu Iuda: quamquam Absalom rex esset de tribu Iuda, & tunc esset sensus: hodie restituet domus Israel mihi regnum patris mei, idest, restituet me in statum magnū: sicut si uiueret pater meus. Vel fortè poterat Dauid credere, quòd Miphiboseth putaret, q̄ quamquam ista turbatio fuerat facta contra Dauid cum Absalom: non fiebat pro Absalom, vt ipse esset rex, sed erat quidam color ad expelleudū Dauid, & reducendum regnum in tribu Beniamin sicut fuerat à principio, & quia tunc nullus erat in domo Saulis, ad quem magis pertineret regnum, quàm ad Miphiboseth, quia erat filius primogeniti Saulis: ideo credebat, quòd restitueretur ei regnum.

Siba quomodo est ausus accusare dominum suum. Quæst. IIII.

QVAERETVR vlterius, quomodo Siba ausus est talia dicere contra dominum suum Miphiboseth: sciens q̄ capererut in dolo, & proditione, & erat reus grauissimarum penarum. Nam aut Siba putabat, q̄ prævaleret nunc Dauid, vel Absalom. Si Absalom: nihil posset consequi per ista munera, quæ nunc dabat, eo q̄ Dauid tāquam exul de regno expelleretur, vel occideretur: si autem prævaleret Dauid: oportebat q̄ Miphiboseth comparet coram eo, & accusaret Sibam, q̄ prodidisset eū, & non haberet Siba responsionem, sed esset reus proditionis. Respondendum, q̄ Siba putauit, q̄ Dauid per fortitudinem bellicam, & prudentiam, vel per adiutorium Dei, aut aliàs superaret Absalonem: ideo voluit captare fauorem eius nunc quando erat in aduersitate, vt postea propitiaretur ei, & beneficeret. De Miphiboseth autem domino suo putauit, q̄ non auderet cōparere coram Dauid, & sic obtineret Siba, vel si compareret: putabat Siba, q̄ rex non crederet excusationibus suis: sed q̄ fauissēt Absalom: ideo q̄ condemnaret eum. Etiam q̄ dato q̄ reperiretur ueritas semper Dauid misereretur Sibæ, & daret aliquid de possessione. Sic enim factum est, quia quamquā Dauid postea ueritatem comperiret, noluit punire Sibam proditorem, quin potius fecit, q̄ Siba, & Miphiboseth diuiderent possessiones. infra 19. ob hoc autem, quando Dauid redibat in Ierusalem, Siba & quindecim filij eius, & uiginti serui uenerunt ad eum trans Iordanem, vt non posset aliquis accusare eum, sed in præsentia eius timeret Miphiboseth, vel erubesceret accusare. Etiā venit ante alios, vt continuaret fauorem præcedētem, & iam rex erubesceret condemnare illum, cùm tantum se ei familiarem exhibuisset. *Et ait rex: tua sint omnia, quę fuerunt Miphiboseth.* Idest, concedo tibi omnia, quę fuerunt Miphiboseth, scilicet, quæ ego donaui ei. sup. 9. fuit autem valde astutus, quia non proposuit a principio accusationē, vt nō intelligeret Dauid, q̄ hoc animo obtulisset munera, ut crederetur ei accusanti dominum suū, sed solùm obtulit munera, & subticuit quasi nihil aliud intenderet: Dauid autem quęsiuit de Miphiboseth, & tunc ipse respondit accusando eum: quasi non accusaret, sed responderet ad quæsita.

Credidit Dauid Miphiboseth dixisse, quòd regnū patris sui sibi restitueretur.

An potuisset Dauid accipere omnia à Miphiboseth, si Siba vera dixisset. Quæst. V.

QVAERET aliquis, dato q̄ hæc dixisset Miphiboseth, de quibus eum accusauit Siba, an Dauid posset iustè bona sua tollere, & dare Sibæ. Respondendum, q̄ Dauid poterat tollere Miphiboseth omnia bona propter ea, quæ dicebat Siba si uera fuissent. Et hoc propter duo. primò in pœnam: nam quando aliqui committunt crimen lęsæ maiestatis cuismodi erat istud, secundùm legem occiduntur, & bona eorū publicantur, idest, efficiuntur regis, & filij eorum nihil habent de bonis ipsorū: sed ex misericordia sola uita eis reseruatur: extra de hæreticis. c. vergētis. qui igitur potest tollere bona, & uitam: facilius bona auferre poterit. Secundò poterat hoc tollere Dauid inquantum donator; quia ipse dederat Miphiboseth omnia bona, quæ habebat: cū ante hoc nihil habuisset. sup. 9. sed propter ingratitudinē, quando magna est, reuocātur donationes: nam & ille, qui munificus fuerat, propter ingratitudinem reducitur in seruitutem: extra de donatione. c. propter ingratitudinem, sed Miphiboseth esset in hoc nimis ingratus, ergo reducendus erat ad nihil habere sicut prius.

An peccauerit Dauid sententiando contra Miphiboseth. Quæst. VI.

QVAERETVR ulterius, cùm Siba falsa obiecisset domino suo Miphiboseth, an peccauerit Dauid sententiando contra Miphiboseth. Respondendum, q̄ peccauit Dauid propter duo. Primò, quia innocentem condemnauit: habebat enim Miphiboseth rectum animū erga Dauid: vnde fuit in planctu toto tempore, quo Dauid stetit extra Ierusalem, & nō lauit pedes suos, nec mutauit uestes, sicut qui lugeret mortuum. inf. 19. Secundò peccauit Dauid, quia condemnauit eum inauditum, & non uocatum, & indefensum: nam etiam dato, q̄ uerum fuisset peccatum obiectum Miphiboseth, condemnādo eum non uocatum, & indefensum, peccatū esset, quia etiam in notorijs delictis citatio requiritur, ut ueniat reus ad audiendam sententiam, & allegandas aliquas excusationes, si quas habet: nā licèt notorius sit actus, non est notorium an iniustè egit, & ad hoc uocandus est, ne innocens condemnetur. *Dixitque Siba: oro, inueniam gratiam coram te domine mi rex.* Hic ostendit Siba, q̄ ipse non obtulerat munera Dauid, ut daret ei possessiones domini sui, sed solū, ut placeret in oculis eius: unde nihil dixit de possessione sibi collata, sed solùm petiuit, ut semper inueniret gratiam in oculis Dauid. *Venit ergo rex Dauid.* Hic ponitur secūdum huius. c. in quo Dauid à Semei iniurijs impetitur, & dicitur. *Venit ergo rex Dauid vsque Bahurim.* Est enim Bahurim quidā locus in tribu Beniamin, in quo manebat Semei, qui erat de tribu Beniamin, & usque ad illum secutus est Phaltiel uxorem suam Michol plorans, quando ducebatur ad Dauid. sup. 3. uenit autem Dauid ad istum locum, cùm pergeret uersus Iordanem, quia per eū iter erat à Ierusalem in Iordanem. *Et ecce egrediebatur inde.* idest, de Bahurim. *Vir de cognatione domus Saul nomine Semei filij Gera.* Iste sciens, q̄ Dauid ueniret per locum illum egressus est ad maledicendum ei.

De qua tribu fuerit Semei, & de eius maledictione. Q. VII.

QVAERETVR de isto Semei, de qua tribu erat. Aliquis dicet, q̄ erat de tribu Beniamin, quia hic dicitur, q̄ erat de cognatione domus Saul: & tamē domus Saul erat de tribu Beniamin. præce. lib. c. 9. ergo Semei erat de tribu Beniamin. In cōtrariū videtur, q̄ erat de tribu Ephraim, vel Manasse: quia inf. 19. dī ab ipso Semei: ideo prior occurri tibi de omni domo Ioseph: domus autē Ioseph continebat duas tribus, scilicet, Ephraim, & Manasse. Gen. 48. ergo non erat de Beniamin. Respondet Hist. schol. q̄ Semei erat de stirpe Ephraim, vel Manasse: & probat per id, quod allegatum est infra 19. cùm autem obiicitur, q̄ erat de cognatione domus Saulis, dicit q̄ non erat de cognatione ista quantum ad progeniem, sed quantum ad zelum, scilicet, quia zelauit pro tribu Beniamin, & maledixit Dauid: sicut maledicturus esset aliquis de tribu Beniamin. Sed hoc non stat, quia scriptura non loquitur hoc modo: dicendo q̄ sit aliquis filius alterius: quia habet zelum illius: potissime, quia sæpe dicitur, q̄ erat de tribu Beniamin, vt patet hic, & infra 16. & sequen. lib. cap. 2. Nicolaus respōdet, q̄ Semei partim erat de cognatione Beniamin, & partim de tribu Manasse, vel Ephraim. Sed obijcietur, quia viri accipiebant vxores de tribu sua, & familia. Num. 36. ergo oportebat, quòd esset de eadem cognatione ex parte matris, & patris. Respondet, quòd illud verum est in mulieribus, quæ succedebant patribus in hæreditatem: nam illæ non poterant de alia tribu accipere viros, ne permisceretur hæreditas: fœminæ tamen, quæ non succedebant patribus, poterāt accipere viros de quacunque tribu. Sed hoc an verū sit, declaratum est Num. 36. Dato tamen, quòd hoc staret, adhuc non tenet positio Nico. quia ipse vult, quòd esset Semei ex parte patris de Manasse, vel Ephraim: & ex parte matris de domo Saul. Sed hoc non stat, quoniam in veteri testamento cùm filij non succederent matribus, nominabantur semper de stirpe patrum: & propter hoc iubebatur, q̄ cùm quis moreretur sine liberis, frater eius acciperet vxorē ipsius, vt suscitaret semen fratri suo, & filius inde genitus nominabatur nomine viri mortui. Deut. 25. si tamen filii nominarentur a matribus aliquando, nō posuisset lex tantam diligentiam, vt viri semper haberent, in quibus maneret nomen eorum: Semei tamen nominatur de cognatione Saulis, ideo oportet, quòd pater eius esset de cognatione hac. Item patet, quia dato, quòd esset Semei de cognatione Beniamin quantum ad matrē, & nominaretur aliqñ de tribu Benianim, pluries tamē nominaretur de tribu Manasse, vel Ephraim, quā de Beniamin, sed falsum est, quia semper quasi nominatur de Beniamin: vt patet hic cùm dicatur de cognatione Saulis, qui erat de Beniamin. Item Dauid dixit infra: filius meus, qui egressus est de vtero meo, quærit animam meam: quāto magis iste filius Iemini: sed filij Iemini sunt de stirpe Beniamin, vt declaratum est præceden. lib. cap. 9. & 22. Item infra 19. dicitur quòd Semei occurrit Dauid ad transitum Iordanis cum mille viris de Beniamin: si tamen esset de tribu Manasse, vel Ephraim habuisset secum socios de illa tribu, & non de Beniamin. Item sequen. lib. cap. 2. dixit Dauid Salomoni: habes apud te Semei filium Iera filij Iemini, idest, filii Beniamin: ergo semper vocatur de tribu Beniamin: nunquam vocatur autē de cognatione Ioseph, nisi infra 19. ergo magis videtur, quòd sit pater eius de hac tribu quàm de Manasse, & Ephraim. Item non stat quod dicit Nico. quia si fuisset ex parte patris de Manasse, vel Ephraim, cùm filij succederent patribus, & non matribus, fuisset possessio Semei in terra Manasse, vel Ephraim: erat tamen in terra Beniamin, nam morabatur in Baurim, vt patet hic cùm dicatur, q̄ egressus est de Bahurim. Item seq. lib. c. 2. dicitur: habes apud te Semei filium Iemini de Bahurim. Dicendum ergo, quòd iste Semei erat de tribu Beniamin, & de cognatione Saulis totaliter, nec pertinebat

Prima opinio.

Responsio histo. scho.

Opinio Nicolai.

Responsio auct.

nebat ad Manasse, vel Ephraim, & ista fuit causa, quare ipse malediceret Dauid, scilicet, zelo cognationis suæ cui Dauid regnum abstulerat: si tamen fuisset de Manasse, vel Ephraim nihil attinuisset ad eum maledicere, & ob hoc nominatur de cognatione Saulis, ut sciatur cur malediceret. Cùm autem obijcitur, quòd iste erat de Manasse, vel Ephraim, dicendum ꝙ nullo modo pertinebat ad has tribus. Et cùm ipse dixit, ꝙ prior descenderat de omni domo Ioseph, dicendum quòd ibi non importatur nomen alicuius tribus, sed significantur undecim tribus: nam tribus Iuda computabatur tanquam unum caput in Israel, & tribus Ioseph erat caput omnium aliarum tribuum, quæ uocabantur tribus Israel: unde est sensus, quòd Semei dixerit, descendi prior de omni domo Ioseph, ideſt, quamquam de domo Iuda aliqui prius ad regem venerint, quàm ego: tamen de vndecim tribubus Israel, quæ intelliguntur nomine Ioseph nullus descendit prius quàm ego. Aliter etiam exponunt Hebræi, quòd non sit Semei de tribu Manasse, vel Ephraim, sed de hoc infra decimo nono dicetur. *Procedebat egredi ens, & maledicebat*, ideſt, procedebat de Bahurim, & quantò plus procedebat, tantò plus maledicebat. *Mittebat que lapides contra Dauid, & contra vniuersos seruos eius* Non mittebat lapides ad hoc quòd posset percutere eos: quia aliquantulum distabant ab eo, ita vt neminem posset tangere: sed mittebat ad iniuriam, & ad satiandum iram suam. Sic etiam spargebat puluerem contra Dauid, & seruos eius: vt patet infra: tamen manifestum est, quòd puluis non posset peruenire ad Dauid, sed erat ad iniuriam.

Quare Semei maledixit Dauid. Quæst. VIII.

QVAERETVR quare Semei maledicebat Dauid, & faciebat hoc. Respondendum, quod faciebat in vindictam cognationis suę: nam erat de cognatione Saulis, & Dauid abstulerat regnum domui Saulis: ideo habebat eum exosum: & quia nunc insurrexerat Absalom contra Dauid: putabat, quòd iam nunquam rediret Dauid in statum pristinum, sed quòd occideret eum Absalom cùm hoc desideraret, & adiuuaretur à toto Israel: ideo putabat, quòd poterat sine pœna ei quæcunque mala dicere, scilicet quia nunquam ad regnum rediturus erat: & sic apparet ex verbis blasphemiæ eius. Sed dicetur: quomodo Semei nunc ex amaritudine cordis maledicebat Dauid? Nam omnes tribus Israel, & ipsa tribus Beniamin elegerunt Dauid in Regem: ipso non cogente, nec orante, vt patet, supra 5. ideo videtur, quòd nullum retinuissent rancorem viri Beniamin contra Dauid. Respondendum, quòd tribus Beniamin cum omnibus aliis tribubus Israel elegit Dauid in regem, quia sciebat hoc a Deo prænunciatum esse, sed non mouebatur ex desiderio ad hoc: potius enim voluisset, quòd maneret regnum in ea, sicut prius: potissimè autem illi, qui erant de cognatione Saulis, si satis coniuncti ei. Nam isti nullo modo voluerunt Dauid in regem, quia tamen omnes tribus eũ susciebant: non potuerunt ipsi excludere illum, sed susceperunt inuiti. Cùm autem nunc visum est tẽpus vindicandi de Dauid: euomuerunt furorem suum in eum: & quia iste Semei erat vnus de coniunctis domui Saulis, maledixit grauiter Dauid, sic ostendens irã suam, quam toto tempore præcedenti occultam tenuerat. Sed obijcietur, ad quid gaudebat nunc Semei, quòd eijceretur Dauid? nam succedebat ei filius suus Absalom: si enim fuisset Absalom de alia tribu, potuisset gaudere Semei, & omnes de tribu Beniamin: sed ista non erat mutatio aliqua respectu ipsorũ, quia semper manebat regnum in domo Dauid. Respõdendum, quòd quamquam viri Beniamin irascerentur domui Iuda, quia acceperant eis regnum: tamen spetialiter inimicabantur Dauid in persona sua, eo quòd ille acceperat regnum, & fuit auctor transferendi de vna tribu in aliam, erat etiam hostis Saulis, dum viueret, ideo ad eum tenebant inexorabile odium, & volebant, quòd in persona sua pateretur, & quia nunc Semei videbat, quòd Dauid miserabiliter fugiebat, & non putabatur habere spem redeundi: gaudebat Semei velut si regnum translatum esset ad aliam tribũ, cùm nunc hostis eius possideret illud.

An Semei peccauit maledicendo Dauid. Quæst. IX.

QVAERETVR vlterius, an Semei peccabat maledicendo Dauid, & iaciendo lapides in eum. Aliquis dicet, quòd non, quia Dauid merebatur hoc, & Deus suscitabat istum contra eum tanquam ministrum. Item dixit infra Dauid, dimittite eum, vt maledicat mihi iuxta præceptum Dñi, sed faciendo quod Deus iubebat non peccabat. Respondendũ, ꝙ Semei peccauit: quia Dauid iussit eum occidi pro hoc, vt patet sequen. lib. cap. 2. Et erat tunc Dauid propinquus morti, nec mouebatur aliqua affectione passionali, sed ratione: ergo merebatur mortem Semei. Item Semei non habebat causam maledicendi Dauid, quia nihil ei nocuerat, ergo peccabat maledicendõ. Item maledicere principi est magnum peccatum, sic patet Exo. 22. scilicet: Dijs non detrahes, & principi populi tui non maledices: Dauid autem erat princeps populi à Deo vnctus, ideo peccatum erat maledicere ei. Item dato quòd haberet Semei causam maledicendi Dauid: non habebat iurisdictionem: pena autem, quæ sine iurisdictione infligitur, iustè non infligitur: sed Semei nullam habebat iurisdictionem ad hoc, ergo peccauit. Ad primum in contrarium dicendum, quòd quamquam Dauid peccasset, & mereretur maledici, non licebat cuilibet maledicere ei propria auctoritate, sicut non licet cuilibet reos criminis punire, quamquam delictum constet. Cùm verò obijcitur, quòd Deus suscitauit Semei contra Dauid ad maledicendum. Dicẽdum quòd non sufficit, nam etiam suscitauit Absalom ad rebellandum Dauid, vt patet supra 12. scilicet: Suscitabo malum de domo tua &c. Peccauit tamen Absalom grauiter. Ad secundum dicendum quòd si Deus expresè iussisset Semei, quòd malediceret Dauid, non peccaret Semei maledicendo: immo mereretur, quia exequebatur mandatum Dei, Deus tamen non iussit ei, sed inclinauit illum: de quo infra declarabitur, ideo non excusatur Semei. *Omnis autem populus, & vniuersi bellatores a dextro, & a sinistro latere regis incedebant*, scilicet, quando procedebat rex, & maledicebat ei Semei, erat vallatus a viris suis: quia bellatores, & reliquus populus incedebant ad vtrumque latus regis. In quo signatur, quòd non poterant lapides missi a Semei venire ad regem. Vocantur autem hic bellatores omnes viri dispositi ad bellum, qui ibant cum Dauid: populus verò vocatur reliqua multitudo inhabilis ad arma, scilicet, femine, & paruuli, nam de domo regis ibant vxores eius & filij sui, qui computantur nomine populi. *Ita autem loquebatur Semei cum malediceret regi*, ideſt, ista verba, quæ sequuntur proferebat: exprimuntur autem hic verba maledictionis, vt sciatur quam grauis maledictio fuerit Semei in Dauid. *Egredere, egredere vir sanguinum*. Istud verbum egredere, aliud signat in vulgari, quod ad maiorem contumeliam pertinet, & duplicatur propter maius opprobrium. Vocauit autem illum

lum virum sanguinum, ideſt, iniustum occisorem, scilicet, quia occidit, & effudit sanguinem domus Saulis, nam iste Semei imponebat Dauid mortem Abner & Isboseth, quamquam in quolibet eorum Dauid fuerit innocens, vt patet supra 3. & 4. *Et vir Belial.* Vocatur vir Belial homo indomitus, vel sine iugo, s. quia nulli rationi, aut legi subijcitur: sic dr Iudi. 19. erant autem viri illius ciuitatis filij Belial, ideſt, absque iugo, vt ibi exponitur in litera, vocauit autem Semei Dauid filium Belial, quasi per inobedientiam legis, & rationis tulisset regnum de domo Saulis. *Reddidit tibi dominus vniuersum sanguinem domus Saul*, i. dominus dedit super caput tuum pœnam pro toto sanguine effuso de domo Saulis: putabat enim Semei, quòd Dauid fuisset causa mortis Abner, & Isboseth, qui erant principes domus Saulis, ut dictum est. *Quoniam inuasisti regnum eius*. Ideſt, accepisti violenter regnum eius, scilicet, quòd in progenie sua manere debebat. Et potest esse sensus, quòd dato, quòd tu non occideris aliquos de domo Saulis: quia tamen inuasisti regnum eius, reus es sanguinis totius effusi de domo sua. In Hebræo habetur. *Quoniam regnasti pro eo.* Ad idem redit: sed litera nostra propior est, quia innuadere significat violentiam, & intrusionem, de quibus Semei criminabatur Dauid: regnare autem magis pertinet ad titulum. *Et dedit dominus regnum in manu Absalom filij tui.* ideſt, sicut tu iniustè invasisti illud accipiendo de domo Saulis: ita nunc Deus dedit regnum eius in manu filij sui, vt talia patiatur, qualia egit: nam per quæ quis peccat, per ea torquetur. Sapien. 11. Dixit autem traditum regnum Absaloni, quia putauit Semei, ꝙ cùm totus Israel uno corde adiuuaret Absalom, & Dauid iã fugeret, ꝙ nunquam rediturus esset ad regnandum, sed regnaret filius eius. *Et ecce premunt te mala tua*, ideſt, ecce nunc mala, quæ olim fecisti, te premunt, scilicet, quia pro eis nunc pateris. In Hebræo habetur. *Ecce tu pro malitia tua.* Ecce tu pateris hæc pro malitia præterita. *Quoniam vir sanguinum es*, ideſt, effusor sanguinis, scilicet, quia occultè tractasti, quomodo occideres Isboseth, & Abner principes Israel, vt illis occisis regnares. *Dixit autem Abisai filius Saruiæ regi.* Omnes uiri bellatores Dauid audiebant uerba hæc, quę loquebatur Semei, & displicebant eis: solus tamen Abisai tolerare non potuit, & dixit quòd uolebat occidere Semei: erat autem iste Abisai frater Ioab, & Asael, vt patet supra 2. & isti tres erant filij Saruiæ sororis Dauid. 1. Paral. 2. fuit autem nimis inquietus nunc Abisai contra Semei. Ita etiam in reditu regis in Ierusalem, quando iuit Semei veniam petens à Dauid, dixit Abisai: Nunquid pro his uerbis non occidetur Semei, qui maledixit Christum domini? & ibi Dauid increpuit Abisai. infra 19. *Quare maledixit canis hic morituro domino meo regi?* ideſt, quare iste canis mortuus permittitur maledicere regi, quasi dicat, cùm simus hic tot uiri bellatores, iam deberemus occidisse ipsum: quia in contemptum nostrum maledicit regi, quasi nullus sit qui pugnet pro eo: vocauit autẽ eum canem mortuum ad vituperium: quasi dicat, ille non erat homo, qui posset maledicere regi, sed erat quasi quidam canis mortuus, sic eũ vocauit se Miphiboseth. supra 9. Scilicet, quis ego sum seruus tuus, quoniam respexit super canem mortuum similem mei? Vel vocatur canis moriturus: quia in breui moriturus erat. Intendebat enim Abisai illico occidere eum: putans, quòd Dauid permitteret illud. *Vadam, & amputando caput eius.* Ideſt, volo ire, & occidere ipsum: erat enim Abisai vir fortissimus, & putabat, quòd si persequeretur Semei non posset effugere manus eius.

Abisai an peccauerit dum voluit occidere Semei. Quæst. X.

QVAERETVR, an peccauerit Abisai volendo occidere Semei. Aliquis dicet, ꝙ sic, quia Dauid increpuit Abisai, quia volebat occidere Semei, dicens: quid mihi, & vobis filij Saruiæ? si tamen nõ peccasset, non increpuisset eum Dauid. Respondendum, quòd aut quæritur de hoc, quod est velle ipsum occidere: aut de hoc quod est ipsum occidere. De primo dicendum est, quòd non peccabat Abisai volẽdo occidere Semei: merebatur enim Semei mortem: eo ꝙ maledixerat Dauid, lex tamen dixerat: Diis non detrahes, & principi populi tui non maledices. Exo. 22. Et Iudæi consueuerant infligere pœnam mortis maledicentibus principes: poterat ergo desiderare Abisai occidere Semei vindicando iniuriam Dauid, & ministrãdo iustitiam secundùm legem. Item dato, quòd non esset à lege pœna mortis imposita, sed esset arbitraria, Dauid poterat infligere pœnam mortis, & Abisai poterat iuste dolere de iniuria illata Dauid, & desiderare occidere Semei. De secundo dicendum, quòd Abisai non erat iudex, ideo non poterat per seipsum occidere Semei, nullo iubente, sed Dauid erat iudex, & executor legis Dei, qui poterat iubere, quòd occideretur pro hoc Semei, & tunc Abisai posset iussu Dauid occidere Semei, nunc autem solùm desiderauit occidere, & non occidit, ideo non peccauit. Cùm autem obiicitur, quòd Dauid increpuit eum, dicendũ quòd Dauid non increpuit illum tanquam peccantẽ, sed tanquam sollicitantem contra intentionem suã, Dauid enim volebat tolerare istam iniuriam, vt Deus misereretur ei, vt patet infra, & quia Abisai mouebat eum ad vindictam, increpuit ipsum. Sic enim fuit de Christo: nam cùm dixisset discipulis suis, quòd moriturus esset in Ierusalem, dixit ei Petrus: domine absit, non erit tibi hoc, & Christus increpuit eum, dicens: vade retro me Satan, quia nescis, quę Dei sunt, sed quę hominum: hoc autem quia volebat persuadere Petrus Christo, ne moreretur: aliàs tamen Petrus non peccabat in hoc, quia non desiderabat malum, desiderans Christum viuere, cùm adhuc nesciret vtilitatem ex morte eius consecuturam. *Et ait rex: quid mihi, & vobis filij Saruię?* Ideſt, quid habetis mecum, quòd infestatis me ducendo ad id, quod nolo. Et hoc dicit glosa ordi. & Andreas, & Nicolaus, quòd non solùm locutus est Abisai, sed etiam Ioab, vel saltem Ioab mouit Abisai, vt ista diceret: magis tamen videtur dicendum, quòd solus Abisai locutus fuerit, & tamen Dauid increpuit filios Abisai, eo quòd consueuerant duri sibi esse: sic enim quando aliquis offenditur ab aliquo de una communitate, vel progenie: si omnes de illa cõmunitate, vel progenie soleat offendere istum, quando unus offenderit eum, clamabit contra omnes de progenie, vel communitate illa, quòd omnes eum offendunt: ita Abisai, & Ioab filij Saruiæ assueti erant offendere Dauid: ideo quamquam vnus eum aliquando offenderet, contra ambos loquebatur. Sic enim patet supra 3. cùm dixit Dauid: porro uiri isti filij Saruiæ duri mihi sunt, sic etiam infra 19. dicitur de Abisai, quòd locutus est contra Semei, & Dauid dixit, quid mihi, & vobis filij Saruiæ? cur efficimini mihi hodie in sathan? *Dimitte eum, vt maledicat.* Ideſt, nullus noceat ei, sed maledicat quantum uoluerit. In Hebræo non habetur; dimitte eum, sed solùm, maledicat: litera tamen nostra posuit: dimittite eum, quia infra replicatur ista sententia, & dicitur: dimittite eum, vt maledicat. *Dominus enim præcepit ei, vt malediceret*

Dauid.

Dauid, ideſt, nolite prohibere, quia Deus iuſſit, & nemo Deo reſiſtere debet, nec poteſt.

An Deus præcepit Semei, vt malediceret Dauid, & quomodo auſus eſt maledicere Dauid in tanta multitudine.
Quæſt. XI.

QVAERETVR circa hoc, quomodo eſt verum, quòd Deus præcepiſſet Semei, vt malediceret: nam tunc Semei eſſet propheta domini, & non peccaſſet: ipſe tamen confeſſus eſt iniquitatem ſuam, & veniam petijt a Dauid, infra 19. Item ſi Deus iuſſiſſet, nõ peccaſſet Semei, & conſequenter peccaſſet Dauid iubendo ipſum occidi, & Salomon exequendo iſtud. ſequen. lib. cap. 2. Et tamen non peccauit, quia erat Dauid ad mortem, quando illud dixit: ideo peccauit Semei, & conſequenter dominus non iuſſit. Si autem dicatur, quòd dominus iuſſit, ſequitur etiam quòd agebat Deus iniuſtum, mouendo aliquem ad peccandum, ſi Semei dicendo iſta peccabat. Reſpondẽdum, quòd Dauid putauit, quòd Deus præceperat Semei, quòd malediceret ei: vidit enim quòd ipſe proruperat in magnas contumelias maledicendo regi, & proijciendo lapides & puluerem, & hoc faciebat ſolus coram magno exercitu, a quorum quolibet occidi potuiſſet, ideo putauit, quòd nullo modo hoc ageret à ſeipſo, ſed Deus miſiſſet ei, & ob hoc nõ formidabat, & ſic dixit, dominus præcepit ei, vt malediceret: Deus tamen nihil præceperat. Et ſic non ſtant rationes in contrarium, nam nihil Deus præceperat ei, ideo peccabat hoc faciendo. Aliter poteſt intelligi, quòd Dauid putaret, quòd Deus præcipiebat, ideſt, inclinabat iſtum ad maledicendum, & iſte modus erat frequentatus in ſcriptura: nam ſic dictum erat de Abſalom, ſupra 12. quòd Deus ſuſcitaret malum de domo Dauid, & tolleret vxores eius: ſciebat tamen Dauid q̃ Deus nõ iubebat Abſalom hoc facere, ſed inclinabat eum, vel permittebat inclinari, & offerebat facultatem ad hoc faciendum, & hoc intellexit Dauid; nam non putauit quòd Deus expreſſe iuberet Semei, quòd malediceret Dauid, quia illa non videbantur à Deo fieri, ſed propter iram. Dicendum autem quòd verum eſt, quòd Deus mouebat Semei ad maledicendum Dauid, non quidem directè inquantum iſte erat quidam actus malus, & deordinatus, ſed inquantum erat in pœnam Dauid. Nam ſicut incitauerat Abſalom contra eum, & tamen Abſalom faciebat malum, ſed incitauit eum inquantum illud malum erat pœnale Dauid. Ita fuit hic de Semei. Iſta autem incitatio Dei non tollit culpam, nec diminuit, quia non agit homo vt miniſter Dei, velut ab eo motus, ſed propter aliquas affectiones particulares deordinatas, Deus tamen qui eſt ſummè ſapiens, & ſummè bonus, conuertit illum actum malum ad aliquam vtilitatem, ſcilicet, vt ſit pœna illius, qui peccauit: ita Semei mouebatur ad maledicendum Dauid propter odium conceptum, quia tamen Dauid merebatur maledici, conuertit Deus iſtã maledictionem, quę mala erat, vt eſſet vtilis in pœnam Dauid. Dicitur autem Deus ſuſcitare aliquem ad faciendum talia mala inquantum permittit, quòd illa faciat, & illa permiſſio ſolùm eſt propter illum, cui malum infligitur: alioquin autem quamquam aliquis conaretur maledicere, vel mala facere alteri: ſi ille, contra quem iſta ſunt non mereatur ea, vel non proficiatur ei aliquo modo, Deus non permittet quòd maledicatur, vel mala ſibi infligantur, quam quam malus vir ad contrarium conetur: ideo ſcriptura recte dicit, quòd Deus ſuſcitat malum alicui, quia nullo modo fieret niſi Deus ad hoc laxaret habenas viro mala volenti, & facultatem faciendi ei offerret.

Quomodo Semei ſolus auſus eſt maledicere Dauid coram tot viris. Quæſt. XII.

QVAERETVR vlterius, quomodo Semei auſus eſt maledicere Dauid coram tanta multitudine, cùm ipſe ſolus eſſet, & quilibet de exercitu Dauid poſſet ipſum percutere. Reſpondendum, quòd Semei auſus fuit maledicere Dauid propter duo. Primò quia credidit quòd Dauid non poſſet ei malum facere in futurum, putans quòd Abſalom regnaret, & nõ quam reſtitueretur Dauid in regnum, & Abſalom non vindicaret iniurias factas patri, cùm ipſe principaliter perſequeretur eum ad mortem. Secundò fecit hoc, quia non timuit in præſenti aliquod malum ſuſtinere, & iſtud propter duo, primò quia credidit q̃ Dauid, & viri ſui erant ita afflicti, quòd non attenderent ad maledictiones iſtas, ſed potius curarent fugere velociter à facie Abſalom, qui miſſurus erat perſecutores poſt illos. Secundò quia ipſe diſtabat aliquantulum ab exercitu Dauid, & credidit quòd quamquã aliquis de viris Dauid perſequeretur eum, non poſſet ipſum conſequi, eo quòd Semei ambulabat ſuper altitudinem montis, & viri Dauid gradiebantur per vias ad pedes montis. Sic patet in litera cùm dicitur, ambulabat itaque Dauid, & ſocij eius per viam cum eo, Semei autem per iugum montis ex latere contra illi gradiebatur maledicens: putauit autem, quòd nullus conaretur aſcendere montem perſequendo eum: ſi tamen aliquis aſcenderet, ipſe poterat fugere interim in vrbẽ Baurim, quæ erat propinqua, de qua ipſe erat: vt patet ſupra, ſcilicet, egrediebatur vir de Baurim de cognatione Saul. Si autem dicatur, quòd debuiſſet timere Semei, quòd Dauid circundaret vrbem, vt raderetur ſibi Semei: dicendum quòd hoc non timebat, quia Dauid ibat profugus a facie Abſalom, ideo non auderet conſiſtere apud Baurim obſidẽdo eam, nam propter hoc fugerat de Ieruſalem, ideo ſecurus fuit, quòd nihil mali ei fieret.

Dauid potuiſſet iuſtè occidere Semei, tamen noluit propter maiorem perfectionem ſui. Quæſt. XIII.

QVAERETVR vlterius, an Dauid poterat iubere occidi Semei, quia maledicebat ei. Aliquis dicet, quòd non, quia Dauid credidit, q̃ Deus iuſſiſſet Semei maledicere ſibi: vt patet in litera: ergo ſi vellet eum punire, ageret directè contra intentionem Dei, & hoc videtur eſſe peccatum. Item Dauid dixit, Deus præcepit ei, vt malediceret Dauid, quis audeat dicere, quare ſic fecerit: ſi igitur nullus auderet dicere Semei, quare hoc faciebat, à fortiori nullus auderet punire eum, ergo peccatum erat, ſi iuberet eum puniri. Reſpondẽdum, quòd Semei inferebat iniuriam Dauid, & legi inquantum contra mandatum eius maledicebat principi, ideo licet Dauid inquantum perſona priuata non poſſet imponere pœnam Semei, inquantum tamen erat iudex, & executor legis Dei, poterat punire illum notoriè delinquentem, & non peccaret in hoc: voluit tamen anelare ad maiorem perfectionem, ſcilicet, remittendo proprias iniurias, ideo non iuſſit quòd aliquis occideret eum, ſed potius prohibuit Abiſai volentem occidere eum. Quod autem iſta toleratio eſſet ſupererrogationis, patet ex verbis Dauid, quia ipſe dixit: dimitte eum, vt maledicat iuxta præceptum Domini, & ſi fortè reſpiciat Dominus afflictionem meam, & reddat mihi bonum pro maledictione hac: non tamen redditur a Deo præmium, niſi pro opere bono ſupererrogationis, ergo putabat, quòd merebatur in hoc, & conſequenter non tenebatur ad illud. Item quia ſi Dauid putaſſet ſe teneri ad non occidendum Semei, ſciret peccatum eſſe occidere illum, quamquã malediceret, vnde nõ diceret, dimittite, vt maledicat, ſi fortè reſpiciat Dominus afflictionem meam, ſed diceret dimittite, vt maledicat, ne peccemus puniendo eum: ergo putauit ſe non eſſe obligatum ad non nocendum ei, ſed quòd poterat licitè nocere, noluit tamen nocere, vt mereretur a Deo ſuſcipere miſericordiam. Ad primum in contrarium dicendum, quòd quamquam Dauid crederet, quòd Deus iuſſerat Semei maledicere ei, non repugnabat Deo volendo occidere Semei, quia iſtud præceptum non fuerat expreſſum, ſed ſolùm Deus incitabat Semei, vt malediceret Dauid, vt ſupra declaratum eſt. Simile autem eſt in omnibus alijs malis, quæ nobis a Deo infliguntur: nam a quocunque infligantur, ſcimus quoniam a Deo ſunt, quia ille non poſſet nobis aliquid mali infligere, niſi Deus permiſerit, & opportunitatem tribuerit. Sed adhuc dato, quòd nos ſciamus, quòd Deus mittat ad nos aliquem, vt nos percutiat: non tenemur permittere quòd percutiat, ſed reſiſtere poſſumus: ſicut non obligamur velle quæcunq; mala Deus vult contra nos: vt ſi velit, quòd moriamur peſte, vel alia egritudine: non obligamur velle peſtem, ſed poſſumus conari, vt non moriamur. Ad ſecundum cũ dicitur, q̃ ſi nullus auderet dicere Semei quare hoc fecit &c. Dicendum quòd non refertur illud ad Semei, ſed ad Deum, ſcilicet, Deus præcepit ei, vt malediceret, & quis audeat dicere, quare ſic fecerit, ideſt, quis audebit dicere Deo, quare iuſſit Semei, quòd malediceret, ſ. nullus audebit, quia non poterit dicere vas figulo: quare ſic me feciſti? ad Rom. 9. Nec poterit inſurgere virga contra eleuantem ſe, nec ſerra cõtra eum, a quo trahitur. Iſa. 9. poterat tamen dici Semei, quare hoc facis? & puniri, quia iniuſtè agebat. *Et quis eſt, qui audeat dicere, quare ſic fecerit?* ideſt, nullus audebit Deo dicere, quare iuſſiſti Semei maledicere Dauid: ex hoc nõ ſequebatur neceſſariò contra Abiſai, quia quamquã Deus iuſſiſſet Semei quòd malediceret Dauid, poterat occidi iuſtè Semei, vt ſupra dictum eſt, intendebat tamen Dauid inferre ex hoc, quòd non deberet malũ infligi Semei, quia Deus mouebat eum, & bonum erat, quòd Dauid toleraret illud, vt Deus miſereretur ſibi. *Et ait rex Abiſai, & omnibus ſeruis ſuis.* Hic voluit placare Dauid Abiſai, ne inſurgeret in Semei, & quia non ſolùm ipſe deſiderabat percutere eum, ſed etiam multi alij de aſſiſtentibus, locutus eſt Dauid ad placandum omnes, ideo dicitur, quòd locutus eſt ad Abiſai, & ad ſeruos ſuos, ſcilicet, ſeruos regis, & non ſeruos Abiſai. *Ecce filius meus, qui egreſſus eſt de vtero meo, quærit animam meam.* Arguit a fortiori, quaſi dicat, filius meus qui eſt quædam pars mea, quærit animã meam, ideſt, vult me occidere, & hoc fit Deo incitante malum contra me: quid ergo mirum ſi iſte Semei, qui non eſt de genere meo, inſurgat ad maledicendum mihi? quaſi dicat, Deus etiam mouet eum, ideo permittendus eſt maledicere. Dicitur: Qui egreſſus eſt de vtero meo, ideſt, de lumbis meis, quia ibi pendent vaſa ſeminaria, generaliter tamen omnia, quę ſunt intra cutem, dicuntur eſſe in ventre. *Quanto magis iſte filius Iemini*, ideſt, a fortiori iſte Semei, qui eſt filius Iemini, ideſt, Beniamin, vellet auferre animam meam: nam viri Beniamin debebãt habere Dauid magis exoſum quàm aliæ tribus, eo quòd per Dauid fuerat ablatum regnum de ſtirpe ipſorum. *Dimittite eum, vt maledicat iuxta præceptum Domini*, ideſt, non percutiatis eum, ſed

maledicat mihi, ſicut Dominus inclinauit eũ ad maledicẽdum. *Si fortè reſpiciat Dominus afflictionem meam*, ideſt, forte ſic faciendo, quòd ego permittam eum maledicere mihi, Dominus reſpiciet ad afflictionem meam, quam ſponte patior, & miſerebitur mei: ſciebat enim Dauid quòd Deus ſemper reſpicit afflictos corde, & humiliatos, vt patet Pſal. 50. ſcilicet, Cor contritum, & humiliatum Deus non deſpiciet. *Et reddat mihi bonum pro maledictione hac hodierna*, ideſt, ſi reſpexerit afflictionem meam reputãdo eam vt meritoriam, reddet mihi bonum pro maledictione hac, ſcilicet, quia ſponte toleraui hanc maledictionem.

An daturus eſſet Deus Dauid bonum ob tolerantiam iniuriarum. Quæſt. XIIII.

QVAERETVR, quomodo Dauid dicebat, quòd retribueretur ei bonum propter tolerantiam huius maledictionis, quia per hoc, quòd aliquis patitur pœnas, quas peccata ſua meruerunt, nihil meretur: cũ illæ pœnæ non ſint tanquam actus meritorij, ſed ſolũ ſatisfactorij, actus enim meritorij ſunt ſupererrogationis, Dauid autem pro peccatis ſuis patiebatur hæc, ideo non poterant iſti actus eſſe meritorij, ad hoc, q̃ Deus redderet ei aliquod bonum. Reſpondendum quòd Dauid putauit, quòd propter iſtam patientem iniuriarum tolerantiam, Deus miſereretur ei, & reduceret in priſtinum ſtatum, & ſic factum eſt, quia hucuſque aduerſa fuerunt Dauid, nunc autem incepit proſperari: nam mox diſſolutum eſt conſilium Achitophel ſequen. cap. Et corruerunt inimici ſui in bello. infra 18. Et ipſe reductus eſt in Ieruſalem. infra 19. Cũ verò obijcitur, quòd ille actus tolerantiæ erat ſatisfactorius, & non meritorius. Reſponderi poteſt dupliciter, vno modo quòd Deus reddidit bonum Dauid, ſed reddere bonum eſt duplex, ſcilicet, reddere bonũ, quod eſt ceſſatio pœnarum, vel bonum quod eſt ſuperadditio alicuius rei prius non habitæ. Primo modo actus ſatisfactorij ſunt meritorij ad reddendum bonum, quia per actum ſatisfactorium directè tollitur pœna, quæ aliàs debebatur pro peccato. Secundo modo actus ſatisfactorij non ſunt ad reddẽdum bonum, ſcilicet, ad hoc, quòd ſuperaddatur bonũ, quod prius non erat, quia tunc actus ſatisfactorius excederet ſpeciem ſuam, quia ſolùm eſt ad ſatisfaciendum, & non ad merendum. Nunc in Dauid dicendum quòd iſti actus tolerantiæ fuerunt neceſſarij, & fuerunt ſatisfactorij, & expectabat Dauid quòd redderetur ei aliquod bonum pro his, ſcilicet, aliquod maius bonum ceſſationis à laboribus ſuis, & reduci in priſtinam requiem: nam iſti labores fuerant pro peccato inflicti, & per iſtam tolerantiam ſatisfaciebat, & iſtud bonum deſiderabat Dauid. Secundo modo non erant iſti actus ad reddendum aliquod bonum, ſcilicet, quòd acciperet Dauid aliquod maius bonum quàm prius per hanc tolerantiam. Aliter poteſt dici quòd non ſolùm meruit hic Dauid ceſſationem pœnarum, ſed etiam aliquod bonum vlterius, quia in iſto actu aliquid fuit meritorium vltra id, quod eſt ſatisfactorium. Pro quo conſiderandum, quòd quamquam Dauid mereretur pati iſta mala, quæ paſſus eſt, tamen non obligabatur gratis illa tolerare, & quia gratis ſuſcepit, vltra hoc q̃ ſatisfecit, meruit aliquid: ſic enim eſt in omnibus, qui patiuntur pœnas à lege impoſitas pro delictis: nam in hoc, quòd patiuntur illas abſolutè non murmurando, ſatisfaciunt, ſed in hoc quòd gratis illas ſuſcipiunt, merentur aliquid vltra ſatisfactionem pro peccato. Differunt enim iſta duo, ſcilicet, non murmurare, & gratis ſuſcipere, quia non murmurare ſolùm negat rebe-

rebellionem,& nihil ponit, & per hoc pœna illa efficitur satisfactoria,quantum ad satisfactionem, quam Deus exigit a nobis. Si autem patiens omnino murmuret, quantum ad legem satisfacit, sed quantum ad pœnam debitam in alio sæculo,vel nihil, vel parum: susciperе autem gratis addit aliquid positiuè, scilicet, quòd gratis suscipiat pœnas inflictas inquantum sunt iustè inflictæ,licèt inquantum sunt dolorosæ tristetur de eis. In Dauid autem sic fuit, quia ipse voluit sponte susciperе has pœnas,cernens quòd Deus illas infligeret,ideo merebatur vltra satisfactionem. Item Dauid egit aliquid,ad quod non tenebatur,quia licèt teneretur sustinere has pœnas, tamen non tenebatur non occidere Semei maledicentem sibi,poterat enim licitè occidere illum, vt supra dictum est, & tamen noluit occidere,sed potius prohibuit volentes ei nocere, ideo meruit in hoc vltra satisfactionem,vt aliquod bonum sibi fieret.

Quomodo Dauid meruerit, quia non remisit iniuriam Semei.
Quæst. XV.

QVAERETVR vlterius, quomodo Dauid potuit mereri,vel credere,quòd Deus misereretur ei pro hac afflictione,quia ipse non remisit iniuriam istam,sed fecit eum occidi postea.sequen.lib.cap.11. Aliquis fortè dicet, quòd Dauid meruit,quia nunc plenè remisit iniuriam, sed postea suborta noua causa iussit eum occidi. Respondẽdum quòd non stat,quia ex istamet causa & sola iussit eum occidi, Quod patet prælleg,cap.scilicet, Habes apud te Semei,qui maledixit mihi maledictione pessima,quando ibam ad castra, tu noli pati eum esse innoxium,vir sapiens es,scies quæ facies ei: deducesque canos eius cum sanguine ad infernum. Et sic nullam aliam causam expressit ad hoc quòd occideretur. Itẽ ista intentio mansit semper in Dauid, nam quando reductus est post paucos dies in Ierusalem, occurrente ei Semei, & petente veniam Abisai iubebat quòd occideretur: Dauid autem dixit,ergo ne interficietur hodie vir in Israel? quasi dicat, non est dies hodie interficiendi,& dixit ad Semei,non morieris. Et sic patet quòd noluit occidere illum die ipsa, non tamen simpliciter remisit. Dicendum tamen quòd licèt remiserit iniuriam simpliciter,tamen meruit,quia remisit aliquid, in quo erat meritum, scilicet, quia Dauid potuerat illico occidere Semei, & noluit: in quo duplex bonum egit. Primum quia nimis coercuit cor suum, nam homines desiderãt vindictam actualiter, quando offenduntur, quia tunc eis gratissima est, & modicum de vindicta est magis sibi tunc acceptabilius, quàm multo tempore post, cessantibus illis passionibus,magna pœna inflicta hosti. Quòd ergo aliquis actualiter patiens iniurias atroces opportunitatẽ habens reddendi vindictam nolit tunc reddere,virtus magna est: & sic egit Dauid, qui vindictam distulit vsque ad magna tempora,immo non vidit eam in vita sua. Secundum bonum erat, quia Semei maledicebat Dauid, & si occideretur nõ maledíceret amplius, si autem permitteretur viuere, persequeretur Dauid magno tempore maledicens,ideo non occidendo eũ volebat Dauid gratis suscipere plures iniurias, quod erat actus virtutis,scilicet,posse expellere aduersitates & nolle,meruit ergo Dauid in hoc, quamquam non remisit iniuriam Semei. *Ambulabat itaque Dauid, & socij eius per viam cum eo*, ideſt, Dauid & socii sui cum illo ambulabant per quandam viam, quæ erat in valle. Hoc autem dicitur ad signandum quomodo audebat Semei maledicere Dauid,cùm ille haberet exercitum magnum, & dicitur quòd Dauid ibat per viam, quæ erat in valle: Semei autem erat in colle,qui eminebat super vallem, & ex colle mittebat lapides ad Dauid infra transeuntem,& sic putabat se esse tutum ex situ loci. *Semei autem per iugum montis ex latere contra illum gradiebatur*, ideſt, Semei ambulabat contra Dauid, scilicet, super montem ambulabat ipse tantum quantum Dauid per vallem: ita vt semper esset in directo illius, & posset lapides iacere, hoc autem fecit Semei vsquequo aliquantulum digressus est ab vrbe Baurim, postea non ausus est,ne forte aliquis de viris Dauid persequeretur eum, & ipse non haberet locũ effugiendi. *Mittens lapides aduersus eum,terramque spargens*, ideſt,Semei mittebat lapides, & quando non inueniebat,mittebat puluerem, & quidquid inueniret, vt nunquam vacaret sibi locus offendendi Dauid. *Venit itaque rex,& vniuersus populus cum eo lassus*, ideſt, venit Dauid in desertum quod est prope Iericho & Iordanem, & ipse cum populo suo mansit ibi lassus ex itinere,quia multum ambulauerat,& quia cum eo erant multi debiles ad ambulandum, scilicet, mulieres,& paruuli. Quòd autem manserit in deserto patet,quia præced.cap.ipse dixit ad Sadoc, & Abiathar: ego abscondar in campestribus deserti, donec ueniat sermo à vobis indicans mihi, sed nondum miserant nuntium aliquem ad Dauid, quia postea miserunt duos,seq.cap.ergo manebat in deserto. Quòd autem esset istud desertum apud Iordanem patet, quia seq. cap. dicitur,quòd cùm venerunt nuntij ad Dauid, dixerunt ei, surgite,transite cito fluuium. Et sequitur quomodo transierunt Iordanem, ergo vsque ad Iordanem non quieuerunt rex,& serui eius, sed ibi refocillati sunt, ideſt, quieuerunt, & sumpserunt cibos. *Absalom autem.* Hic ponitur tertium huius cap. in quo Chusi ab Absalom recipitur,& dicitur. *Absalom autem, & vniuersus populus Israel ingressi sunt in Ierusalem.* Istud iam dictum fuerat,sed recapitulatur hic, vt continuetur historia de Absalom contra Dauid, & dicitur. Et vniuersus populus Israel,scilicet,multi de Israelitis,nã non ibat totus populus cum Absalom, quia non erat opus. Etiam patet,quia sequ.cap.dixit Chusi, Cõgregetur ad te vniuersus Israel à Dan usq; Berſabee, quasi arena maris: ergo non erat nunc uniuersus Israel cũ Absalom. *Sed,& Achitophel cum eo*, ideſt,etiam uenit Achitophel nunc cum Absalom, fit autem specialis mentio de Achitophel, quia ille erat consiliarius magnus, & habetur infra de consilio eius. *Cum autem venisset Chusi Arachites amicus Dauid ad Absalom.* Dauid miserat Chusi ad Absalom, ut fingeret se uelle seruire ei,& sic dissiparet consilium Achitophel: Dauid autem orabat interim, ut Deus infatuaret consilium Achitophel,& tunc composuit psalmum septimum, scilicet,Domine Deus meus in te speraui, ut patet ex titulo Psalmi. *Locutus est ad eum; Salue rex, salue rex.* Duplicauit sermones ad magis applicandum. In Hebræo habetur. *Viuat,rex,viuat rex.* Quia tamen ista non sunt uerba salutationis,litera nostra dixit,salue rex. Ad quẽ Absalom. *Hæc est inquit gratia ad amicum tuum*, ideſt, nunquid talem gratiam debebas reddere amico tuo Dauid pro beneficiis susceptis ab eo, quòd nunc in calamitate eum desereres? quasi dicat, non est bonum, ideo etiam non est signum quòd bene mihi seruies, cùm deseruieris illum, qui ualde tibi benefecerit. *Quare non uenisti cum amico tuo?* ideſt, quare non fugisti cum eo comitando illum ut saluaretur?

Duplex bonũ egit Dauid non occidendo immediate Semei.

Cur Absalom petijt a Chusi quare dereliquisset Dauid.
Quæst. XVI.

QVAERETVR, cùm Absalom non desideraret bona patri suo,sed uolebat occidere illum, sicut dixit Dauid,filius meus quærit animam meam: supra in litera,& Achitophel dixit ad Absalom: vnum virum tu quæris,& omnis populus erit in pace Et iterum: cùmque fugerit omnis populus,percutiam regem desolatum: sequenti.c. quomodo increpabat ipsum Chusai,quia deseruerat Dauid. Respõderi potest dupliciter,vno modo, quòd Absalom nõ dicebat ista quasi videretur ei malũ, q̃ Chusai reliquisset Dauid, quia hoc placebat ei, & uolebat totũ populum ad se reducere percussio Dauid, sed dixit in fraudem, vt cognoscere posset intẽtionem Chusai,ex uerbis,scilicet, ad quid mansisset in Ierusalem. Aliter potest dici, q̃ quamquam Absalom iniquè persequeretur Dauid: tamen malè sibi uisum est, quòd ille, qui erat amicus Dauid ualde, nunc desereret eum, & fortè suspicabatur aliquid contra eum,quòd mansisset dolosè in Ierusalem. Sed tunc dicetur,quomodo Absalom placatus est responsione Chusai, quia patebat illam esse adulatoriam: cùm diceret,nequaquã, quia illius ero quem elegit dominus: sciebat tamen Absalom, q̃ ipse non electus fuerit à Deo,sed per iniquitatem magnam, & fraudem populo suaserat,vt eligerent eum: cuius omnes Israelitæ testes erant, & sic erat notoria adulatio. Respondendum, q̃ Deus infatuauit cor Absalonis ne attenderet ad hęc,& putaret latere aliquã fraudem,& occideret Chusai, vel expelleret eũ de urbe: sic enim infatuauit Deus consilium Achitophel coram toto Israel, licèt euidenter bonum esset, & quod amplius est, infatuauit omnes Israelitas, vt consilium Chusai, quod erat friuolum,ridiculum,& verbosum: tãquam mirabile laudarent. seq.c. *Respondit Chusai ad Absalom.* Conclusit euidenter Absalom contra Chusai: ipse autem non habens quid responderet cõuertit se ad quasdam friuolas adulationes,sed Deus imposuit illis pondus persuasionis tanquam sententijs firmissimis. *Nequaquam.* ideſt,non sic,sicut putas,scilicet, q̃ deberem ire cum Dauid. *Quia illius ero,quem elegit dominus.* ideſt, ego nolo seruare fauorem, sed iustitiam: olim enim, quando Deus elegerat Dauid, ego eram cum eo,nũc autem,quia Deus elegit te, & respuit ipsum, non manebo cum eo,sed tecum: hoc autem notoriè falsum erat,quia per fraudem, & maximum scelus Absalom regnum usurpauerat, & non per Deum. *Et omnis hic populus*, scilicet, totus populus, qui tecum est: iste est populus, qui uenerat cum Absalom de Hebron in Ierusalem, & conuenerant ad unctionem eius in Hebron. *Et vniuersus Israel.* ideſt, non solùm iste populus, qui præsens fuit coronationi tuæ elegit te in regem, sed etiam totus Israel, quia isti nomine omnium aliorum fecerunt habentes mandatum ab eis ad hoc,quasi dicat, ego nolo esse specialis, sed uolo habere in regem illum,quem habet totus Israel. *Et cum eo manebo.* scilicet, ad seruiendum ei, ideo decuit, ut manerem hic tecum. *Sed vt hoc etiam inferam.* ideſt, vt addam aliam rationem, quasi dicat, præter id, quod dictum est, est alia ratio, quam etiam inferam, ideſt, subiungam. *Cui ego seruiturus sum: nonne filios regis?* quasi dicat, si alicui seruiturus sum: nunquid debeo seruire alteri,quàm filio regis? scilicet,iustum est,quòd ei seruiam, quia ex progenie ei competit. *Sicut parui patri tuo, sic parebo, & tibi.* ideſt, sicut fideliter seruiui patri tuo,& promptè ita & tibi seruiam,cognoscebat enim Absalom, quòd Chusai fuerat seruitor notabilis Dauid: vnde ad tantam familiaritatem prouenit, quòd uocaretur amicus Dauid, sicut uocauit eum hic Absalom, istud autem erat, quia Chusai erat uir magni consilij.

Chusai licet multa falsa dixerit Absalom,non tamen peccauit.
Quæst. XVII.

QVAERETVR, an Chusi peccauit in his, quę dixit Absalom. Respondendum,quòd Chusi multa falsa, & adulatoria dixit Absalom,scilicet, quòd Deus elegerat eum in regem, & quòd ipse intendebat ei seruire, & hoc falsum erat, quia veniebat ad destruendum consilium eius. Dicẽdum autem, quòd in Chusai fuit idem penitus quod in Dauid: nam Dauid admonuit eũ,quòd diceret ista. præceden.cap. & sicut dictum est de Dauid quòd fingebat mendacium officiosum,& non perniciosum. Ita etiam dicendum est de Chusai, q̃ ipse executus fuerit mendacium officiosum,in quo venialiter tantùm peccabat. Rationes autem huius præced.cap. declaratæ sunt. *Dixit autem Absalom ad Achitophel.* Hic ponitur quartum huius c. in quo Absalom ad concubinas patris ingreditur: ad hoc autem quia Absalom inceperat rem magnam, s. quòd volebat expellere Dauid de regno, vel occidere ipsum, non expediebat ociosè, & imprudenter tractari negocium istud, ideo immediatè vt introiuit in Ierusalem Absalom petiuit consilium quid facere deberent, & eadem die volebat Achitophel persequi Dauid vsque ad Iordanem. seq.cap. *Inite consilium quid agere debeamus.* Istud dictum est ad Achitophel, & ad Chusai: nolebat enim Absalom aliquid agere sine consilio, quia res ardua erat. *Et ait Achitophel ad Absalom.* Iste respondit, quia erat præcipuus inter omnes consiliarios, & erat verbum eius quasi verbum Dei; vt patet infra in litera.

Quare Absalom accepit in consiliarium Chusai.
Quæst. XVIII.

QVAERETVR, quare Absalõ accepit nunc in consiliarium Chusai cùm dixit: inite consilium quid agere debeamus. Respondendum, quòd Chusai erat vir magni consilij,quando manebat cum Dauid,& hoc cognoscebat Absalõ in tantum quòd ex hoc contraxerat magnam familiaritatem cum rege, ita vt vocaretur amicus eius, & quia Absalom in hac magnitudine rerum, quas moliebatur egebat consiliarijs, voluit accipere illum, quem sciebat esse probatum, & expertum in consilijs. Sic enim putauit Dauid, & ob hoc misit eum in Ierusalem ad Absalom, diceus: Dissipabis consilium Achitophel. præceden.cap. si tamen non acciperetur Chusai in cõsiliarium, non posset dissipare consilium Achitophel: ergo tanta erat peritia,& eloquẽtia Chusai,& tam cognita,quòd Dauid putauit illum suscipiẽdum mox in consiliarium regis,& sic factum est: fuit autem præcipua ratio Dei voluntas,nam volebat impedire mala, quæ Absalom cogitabat contra Dauid: hoc autem fieri debebat conuenienter infatuando consilium Achitophel per consilium alterius, qui esset ex parte Dauid, ideo inclinauit Deus Absalom, vt acciperet Chusai in consiliarium. *Ingredere ad concubinas patris tui.* ideſt,cognosce carnaliter concubinas patris tui,quæ manserunt in domo.

An Achitophel rectè consuluerit Absalom. *Quæst. XIX.*

QVAERETVR, an Achitophel peccauerit in hoc,& an rectè consuluerit Absalom. Respondendum ad primum, quòd peccauit in multis. Primò quia consilium dabat contra Dauid, quem sciebat fouere in-

flam

ſtam cauſam, & fouebat partes Abſalom, quē ſciebat F
iniuſtiſſimè moueri. Item peccauit, quia induxit Abſa
lonem ad peccatum, ſcilicet, vt fornicaretur publicè.
Item quia fecit ad magnam offenſam Dauid, ſcilicet,
vt concubinæ eius cognoſcerentur à filio ſuo aſtante
populo: nec mirum, quia quidquid mali potuiſſet A-
chitophel, induxiſſet ſuper Dauid, ſic patet ſeq.c. ſcili-
cet, eligam mihi duodecim millia virorum, & perſe-
quar Dauid hac nocte, & percutiam eum.

Conſilium datum Abſaloni an fuerit bonum.
Quæſt. XX.

QVAERETVR ſecundò, an conſilium
datum bonum eſſet Abſalom. Reſponden
dum, quòd ſi accipiatur bonum abſolutè, G
ideſt iuſtum: non erat bonum, quia induce-
bat ad peccata magna, ſi autem accipia-
tur bonum, ideſt, vtile ad cauſam, de qua agitur, eſt du
bium. Aliquis dicet, quòd vtile erat: quia ſeq.c. dicitur,
quòd conſilium Achitophel erat vtile. Sed dicē dum,
quòd illud non intelligitur de iſto conſilio, ſed de alio
ſ. cp acciperet duodecim millia virorum, & perſeque-
retur Dauid nocte illa. Quod patet, quia dicitur ibidē:
Domini autem nutu diſſipatum eſt conſilium Achi-
tophel vtile, vt induceret ſuper Abſalom malum: &
tamen non fuit diſſipatum conſilium de ingrediendo
ad concubinas, ſed executioni datum eſt, ergo intelli-
gitur de alio conſilio. Sed dicendum quòd etiam con-
ſilium iſtud de introeundo ad concubinas fuit vtile.
Conſiderauit enim Achitophel nunc eſſe exordia hu- H
ius negocij, & quòd adhuc ſi vellet Abſalom poſſet
reconciliari patri. Intendebat tamen ſemper proſequi
negocium quouſq; pacificè rex eſſet: hoc autem exi-
gebat bella: quia Dauid non poterat de regno expelli,
vel occidi ſine bello, dependent autem bella ex fauo-
re ſubiectorum: & quia adhuc negocium iſtud dubiū
erat, & poſſet populus declinare ad Dauid, & Abſalō
periret, debuit primum in hoc negocio eſſe quòd fir-
maretur voluntas populi cum Abſalom, poſtea autē
poterat agere quidquid vellet contra Dauid: populus
autem nondum expedito animo adiuuabat Abſalom
contra Dauid: eo quòd putabat, quòd cùm Dauid & I
Abſalom eſſent pater & filius, reconciliarentur inter
ſe: & populus, qui adiuuerat Abſalom, maneret hoſtis
Dauid: ideo Achitophel voluit primò tollere hanc ſu
ſpitionem populo, oſtendendo quòd nunquam Abſa
lom reconciliandus eſſet patri ſuo, eo cp faceret contra
ipſum tam enorma, quæ nullam reciperent reconci-
liationem: iſtud autem erat quòd Abſalom cognoſce
ret concubinas patris ſui: ideo cùm Abſalom dixit, ini-
te conſilium quid agere debeamus: non dixit Achito-
phel, quòd perſequeretur Abſalom Dauid: vel quòd
ipſe acciperet viros, & perſequeretur eum; ſed quòd
introiret ad concubinas patris: quo facto ſciens Achi-
tophel animum populi firmatum eſſe cum Abſalom,
dixit quòd volebat accipere. 12. mill. a virorum, & per-
ſequi Dauid. Quod etiam iſtud conſilium eſſet vtile,
patet ex littera, quia dicitur: Cōſilium Achitophel, qđ K
dabat in diebus illis, erat quaſi ſi quis conſuleret Deū:
ſed conſilia Dei certa ſunt: ergo ſuo modo innuitur
conſilium iſtud Achitophel fuiſſe certum. *Quas dimi-*
ſit ad cuſtodiendam domum. Decem enim concubinas
reliquit Dauid in domo ad ſeruandam eam, præced. c.
Vt cum audiret omnis Iſrael. Non ſolùm audierunt, ſed
etiam viderunt, quia coram toto populo poſitum eſt
tentorium, in quo Abſalom cognouit concubinas pa-
tris ſui: ſed dicitur quòd cū audierit, ſcilicet, populus,
qui abſens eſt: nam non erat nunc totus Iſrael cū Ab-
ſalone, ſicut dixit Chuſai: illius ergo, quem elegit Domi

nus, & omnis hic populus & vniuerſus Iſrael, & ſic iſte
populus, qui præſens erat, videret: reliquus autē Iſrael
abſens audiret, & omnes confortarentur cum Abſa-
lom abſentes, & præſentes. *Quod fœdaueris patrem tuum.*
Ideſt, infamaueris eum cognoſcendo cōcubinas eius.
Roborentur manus eorum tecum. Ideſt, tunc firmiter te
adiuuent, quia vſque nunc non audebant, timentes cp
reconciliareris patri tuo, & omne malum incumberet
ſuper eos: nunc autem ſciunt cp non potes reconcilia-
ri patri, ideo firmiter te adiuuabunt.

Quomodo Iſraelitæ confirmati ſunt cum Abſalom.
Quæſt. XXI.

QVAERETVR, quomodo Iſraelitæ cō- Quomodo ſeine co-
firmati ſunt cum Abſalom per hoc, & an- gerūt cp
Abſalom non poſſet reconciliari patri pro- ſic co-
pter iſtud. Aliquis dicet, quòd populus de- iunt con-
buiſſet roborari cum Abſalom propter cubinas pa-
præeedentia: nam inſurrexerat Abſalom contra pa-
trem, & fecerat eum miſerum, & plorantem de vrbe
fugere, quæ erat valde magna iniuria: vnde videtur, cp
etiam ex hoc non eſſet reconciliabilis. Reſpondēdum
quòd licèt Abſalom inſurrexiſſet contra patrem, &
etiam ſi vltra bella committeret, ſemper putabant de
ſe locum reconciliationi, quia poſt bella relinquitur
offenſa & damnum: non tamen relinquitur infamia
& turpitudo, vel dedecus: ideo iſta recōciliabilia ſunt;
ſi tamen cognoſceret Abſalom vxores, vel concubi-
nas patris, relinquebatur æterna infamia, & deturpa-
tio domus Dauid. Ideo hoc facto putabant Iſraelitæ
impoſſibilem eſſe reconciliationem, & firmatæ ſunt
manus eorum cum Abſalone. Cùm autem quæritur
an propter hoc eſſet impoſſibilis reconciliatio inter
Dauid & Abſalom, dicendum quòd non erat impoſ-
ſibilis; immo faciliter facta fuiſſet ſi Abſalom petiuiſ-
ſet ueniam à Dauid: nam poſt hoc adhuc fecit alia ma
la Abſalom, ſcilicet, quòd iuit contra patrem ſuum p
bellum, & tamen Dauid iuſſit efficaciter ducibus be
li, dicens: ſeruate mihi puerum Abſalom: & poſtq
quando nunciatum eſt, quòd mortuus eſſet Abſalom
fleuit Dauid nimis, dicens: Fili mi Abſalom, Abſalom
fili mi, quis mihi tribuat, ut ego moriar pro te! Infra
18. Hoc tamen erat ex benigno affectu Dauid: nam
aliàs talis offenſa non erat remiſſibilis, Iſraelitæ autem
arguebant ex eo, quòd erat ueriſimile, & non attendē-
runt quid Dauid acturus erat. *Tetenderunt igitur Abſa-*
lom tabernaculum in ſolario. Voluit enim Achitophel cp
eſſet notorius coitus Abſalom cum concubinis patris
ſui, ideo factus eſt coram toto populo: quia tamen tu
piſſimum erat, & ultra omnem humanam uerecun-
diam, quòd nudi iacerent coram toto populo Abſa-
lom, & concubinæ Dauid: poſuerunt quoddam te
torium ſuper ſolarium domus, ſcilicet, domus Dauid
& in iſtud introiuit Abſalom cum decem concubinis
patris ſui uidente toto populo, ita quòd omnes certa
ſimè intelligerent, quòd Abſalom cognoſcebat illas
fœminas. In hoc autem Iſraelitæ aliqualiter vitauerūt
opinionem quorundam Philoſophorum, qui Cynicos
ideſt, canini appellantur, quorum princeps Diogenes
erat. Iſti dicebant nihil occultari debere, quod hone
ſtum erat, ſed coitus matrimonialis eſt honeſtus, ergo
non erat occultandus, vnde in plateis & coram toto
populo coibant, & quia reliqui iſtud tanquam mon-
ſtrum fugientes ſuper eos lapides, & lutum, & pulue-
rem iaciebant, conſueti erant clauam portare, vt om-
nes impedientes claua percuterent. De ſecta horum
Cynicorum tractat Auguſt. 14. de Ciuitate Dei. Scien
dum autem, quòd Deus voluit hic infligere Dauid te
lem pœnam, qualis fuerat culpa ſua. ipſe enim pecca-
uit

uit cognoſcendo Bethſabee, ſupra vndecimo, & pro A
hoc datum eſt in pœnam, quòd cognoſcerentur ab
alio vxores, vel concubinæ eius, ſupra duodecimo: &
quia Dauid erat in ſolario domus ſuæ, quando vidit
Bethſabee, & concupiuit eam, fecitque ad ſe duci, ſu-
pra vndecimo, fecit Deus nunc quòd in eodem ſola-
rio domus ſuæ cognoſcerentur concubinæ ſuæ ab
Abſalom: ſic enim dixerat Nathan Propheta, ſupra
duodecimo, ſcilicet: Tu feciſti abſconditè, & ego fa-
ciam verbum iſtud in conſpectu omnis Iſrael, & in
cōſpectu ſolis huius, ideſt, in iſto ſolario, & coram iſto
Sole: & ſic non ſolùm fuit ſeruata ſimilitudo pœnæ
ad culpam in modo, ſed etiam in loco delicti: quia
per quæ quis peccat, per hæc torquetur. Sapien. 11.
Ingreſſuſq; eſt ad concubinas patris ſui coram vniuerſo Iſrael,
ideſt, videntē toto populo introductæ ſunt decem
concubinæ Dauid in tentorium illud, & Abſalom
ingreſſus eſt poſt eas, & ſic ſciuerunt Iſraelitæ, quòd
cognoſcebat eas. Quidam Hebræi dicunt, vt refert
Rabbi Dauid Kimhi, quòd tentorium a parte in-
feriori eleuatum eſt, ſcilicet, quòd non pertingeret
extremitas eius ad terram, & ſic Iſraelitæ videbant
Abſalonem commiſceri concubinis Dauid. Sed iſtud
turpiter dictum eſt, eſt etiam falſum: nam ſi hoc mo-
do fieri debuiſſet, nihil proderat tentorium apponi:
ſed poſitum eſt, ergo non apparebat quidquam: vt
tanta turpitudo occulta maneret: ſufficiebat enim
ſciri quòd fieret: licèt non videretur qualiter fiebat.

An Chuſai conſenſerit malo, quod fiebat contra Dauid.
Quæſt. XXII.

QVAERETVR, quomodo Chuſai, qui erat
conſiliarius Dauid, permiſit iſtud malum fie-
ri contra Dauid. Reſponderi poteſt duplici- C
ter, vno modo quòd Chuſai non requi-
ſitus eſt ſuper hoc, nec aſſenſit, aut diſſenſit in illo:
ſed ſolus Achitophel hoc conſilium dedit. Quod pa-
tet, quia cùm conſilium Achitophel eſſet ſicut con-
ſilium Dei, vt patet in litera, interdum non petebatur
conſilium ab alijs, ſed ipſe ſolus diffiniebat: & quan-
do petendum erat conſilium à multis, ipſe prius diffi-
niebat, deinde petebatur ab alijs; ſic enim factum
eſt ſequenti capitulo, cùm dixit Achitophel, quòd vo D
lebat accipere duodecim millia virorum ad perſe-
quendum Dauid, & placuit conſilium Abſalom:
ſed dixit, vocate & Chuſai Arachitem, & audiamus
quid etiam ipſe dicat: potuit nunc autem eſſe quòd
petito conſilio ab Achitophel, non peteretur à Chu-
ſai: & ſic non poſſet aſſentire, vel diſſentire ſuper fa-
cto de ingrediendo ad concubinas. Aliter poteſt di-
ci, quòd Chuſai fuit etiam præſens in conſilio dato
ab Achitophel de concubinis, & non laudauit illud,
nec diſſenſit, ſed fuit neuter quaſi conſentiens. Fuit E
autem hoc, quia Chuſai veniebat, vt liberaret Dauid
a periculo: in cognitione autem concubinarum non
erat periculum, ſed infamia quædam: ideo non mul-
tum curauit Chuſai. Sed obijcietur quòd potius cu-
rare debuiſſet euitare infamiam Dauid quàm pericu-
lum: quia melius eſt vitam perdere quàm famam,
vt patet prima ad Corint. 9. ſcilicet: Melius eſt mihi
mori quàm vt gloriam meam quis euacuet. Reſpon-
dendum, quòd Chuſai non fecit hoc propter duo.
Primò quia licèt hic eſſet aliqua infamia Dauid, ta-
men non erat valde magna, quia iſtæ mulieres erant
concubinæ, & non vxores: fama autem vitæ præpo-
nenda eſt, quando magnam infamiam incurrimus:
ſi tamen ſit parua, eſt vita præponenda: & ſic Chuſai
præpoſuit vitam Dauid huic paruæ infamiæ liberan-
do Dauid a morte, deſtruendo conſilium Achito-
Alph. Toſt. in Secundum Regum.

phel de perſecutione Dauid, ſeq. cap. & non de concu
binis ſicut habetur hic. Aliter reſponderi poteſt &
melius, quòd ſi fuiſſet in facultate Chuſai liberare Da
uid ab vtroque malo liberaſſet: tamen non potuit:
nam ſi immediatè cœpiſſet Chuſai repugnare conſi-
lio Achitophel, putaretur quòd doloſe veniſſet ad
Abſalom, vt deſtrueret opera eius: & occideretur, vel
eijceretur de vrbe, & tunc ſequeretur deterius, ſcili-
cet, quòd fierent omnia, quæ uellet Achitophel: me-
lius ergo fuit quòd id quod erat principale fieret, ſci-
licet, cp conſeruaretur uita Dauid per taciturnitatem
Chuſai in primo conſilio: licèt concubinæ Dauid de- B
turparentur, quàm cp utrumque periret diſſentiente
Chuſai in primo conſilio, & iſta fuit veritas. Quòd. n.
ad iſtud conſilium uocatus fuerit Chuſai, patet, quia
dixit Abſalom ueniente Chuſai: inite conſilium quid
facere debeamus. *Conſilium autem Achitophel, quod dabat*
in diebus illis quaſi ſi quis conſuleret Deum. Iſtud ponitur
ad ſignificandum, quomodo acceptum fuit cōſilium
iſtud, ſcilicet, quia conſiliū Achitophel erat in diebus
illis, ſicut conſilium Dei, quod dabatur conſulendo
eū per prophetas, uel ſacerdotes in rationali, ſcilicet,
ita erat certum: ſed de conſilio Dei nemo dubitabat
exequi illud, ita nemo dubitabat exequi quod diffini-
ret Achitophel. Vel dicitur hoc ad ſignificandum, cp
conſilium illud erat utile Abſalom, quia ſicut conſi-
lium Dei ſemper eſt utile, ita conſilium Achitophel
diebus ſuis ſemper fuit utile. Dedit autem Deus huic
uiro prudentiam magnam, qualis non reperiebatur
in hominibus ſui temporis: licet fortè ad ſpeculabilia
non eſſet excellens, quia iſta ualde diſtinguuntur: ut
patet 6. Ethic. ideo conſilia huius erant ſemper certiſ-
ſima. *Sic erat omne conſilium Achitophel cùm eſſet cum Da-*
uid, & cùm eſſet cum Abſalom. Fuit enim Achitophel
primus conſiliarius Dauid, & erant tunc omnia con-
ſilia eius certiſſima: ob hoc autem Dauid audiens eū
eſſe in coniuratione cum Abſalom, timuit ualde, &
dixit: infatua quæſo domine conſilium Achitophel.
præced. c. cùm etiam fuit cum Abſalom, conſilia eius
ſemper fuerunt certiſſima: quamquam ultimum illo
rum Deus infatuauit. ſeq. c. & mortuus eſt.

CAP. XVII.



DIXIT ergo Achitophel ad
Abſalom: Eligam mihi duo-
decim millia virorum, & con-
ſurgens perſequar Dauid hac
nocte, & irruens ſuper eum,
quippe qui laſſus eſt, & ſolutis manibus, per-
cutiam eum. Cumque fugerit omnis popu-
lus, qui cum eo eſt, percutiam regem deſo-
latum, & reducam vniuerſum populum,
quomodo vnus homo reuerti ſolet.

IN præcedentibus deſcriptum eſt qualiter
Abſalom patrem ſuum fœdauit, hic ſub-
ditur quomodo de morte eius tractauit.
Et diuiditur in duo, quia primò conſilium
tractatur: ſecundò Dauid renunciatur, ibi. *Et ait Chuſai*
Sadoc. Prima in duas. Primò conſilium Achitophel
ponitur. Secundò conſilium Chuſai ſubiungitur, ibi.
Ait autem Abſalom.

An ordo sit continuus, & immediatè sequentia facta fuerint post præcedentia. Quæst. I.

QVAERITVR circa primum, an ista, quæ habentur hic sint continuata ad præcedentia: vel sit ordo mutatus: & an fuerint facta immediatè. Ad primum dicendum, q̃ est ordo continuus, quia supra dictum est, quomodo venit Absalom in Ierusalem: hic autem dicitur de consilijs initis in Ierusalem, & quomodo inde recedere voluit ad persequẽdum Dauid: ista autem necessariò facta sunt post illa. Ad secundum dicendum, q̃ ista fuerunt facta mox post præcedentia, quia in eodẽ die facta sunt oĩa, quæ habentur hic, & præc. c. Pro quo sciendum, q̃ die illa, qua Dauid fugit de Ierusalem fugit in aurora, & iuit vsq; ad campestria Iordanis ipsa die: Absalom aũt eodẽ die non post duas horas, vel paulo plus ab egressu Dauid introiuit in Ierusalem: nam solùm distabat p leucam Dauid ab vrbe cum intrauit Absalom, vt declaratum est supra 15. in fine. Illico autem comparente Chusai coram Absalom, dixit Absalom: Inite cõsiliũ, quid facere debeamus, & mox dictum est, q̃ introiret Absalom ad cõcubinas Dauid: quo facto Achitophel putans totum Israel firmatum esse cum Absalom, voluit eadem die ire ad persequendum Dauid, dicẽs: eligam mihi. 12. millia virorum, & consurgens persequar Dauid hac nocte: & irruens super eum, quippe q̃ lassus est, & solutis manibus, percutiam eum, vt patet in litera, & sic putabat Achitophel q̃ ipse ambulans illa die, posset peruenire in nocte ad locum, in quo mansisset Dauid illa die, & percuteret eum, sed hoc impeditum est per Chusai, & eodem die Ionathas, & Achimaas, qui erant apud Ierusalem iuerunt ad Iordanem nunciantes verbum Dauid vt transiret illa nocte Iordanẽ. infra in litera, & sic omnia quæ habentur hic, & præc. c. facta sunt eodem die. *Dixit ergo Achitophel ad Absalom.* Ista sententia dependet ex pcedenti, dixerat n. Absalom ad Achitophel: inite consilium quid facere debeamus: & tunc Achitophel dixit, quòd ingrederetur Absalom ad concubinas Dauid, quo expleto, quasi esset positum fundamentum procedendi cõtra Dauid, non consultus Ahitophel subiunxit aliud consilium. *Eligam mihi. 12. millia virorum.* Cum Absalom erat multus populus, qui venerat cum eo de Hebron, & fuerat ibi in coronatione eius, & de illis volebat eligere Achitophel. 12. millia virorum, vt ipse iret ad persequendum Dauid: voluit autem eligere, scilicet, vt acciperet de viris fortibus, & animosis: eo quòd viri Dauid erãt fortissimi, & amaro animo velut vrsa raptis catulis, & exponerent se cuicumque periculo: vnde si nõ essent viri fortes, qui ibant cum Achitophel, cito terga verterent, voluit etiam 12. millia, quia putauit istos sufficere, & etiam superabundare ad persequendum Dauid: quia ipse habebat paucos viros secum: voluit autem habere excellentiam Achitophel, vt faciliter superare posset viros Dauid: voluit etiam ipse ire vt dux belli, quia non confidebat alicui alteri, eo quòd istud erat magnum factum, & si non esset aliquis vir, qui de illo haberet singularem curam, & sciret illud prudenter tractare, periret. Vtrumque autem erat in Achitophel. Primum patet, quia ipse iam manifestè fuerat in coniuratione cum Absalom, & Dauid imponeret ei maximam culpam, quia ipse erat præcipuus in hoc facto, ideo incumbebat ei necessitas moriendi, vel fortiter pugnandi contra Dauid. Rursus autem Achitophel erat vir prudentissimus, quia consilium eius erat sicut consilium Dei, præced. cap. ideo ei potissimè conueniebat pugnare contra Dauid. Sciendum autem de istis duodecim millibus virorum, quòd de qualibet tribu erant mille viri: vt plurimi asserunt, ne aliqua tribus putaret se contemptam, vel quòd non confidebatur de ea, quia tunc faceret seditiones magnas, vel recederet ab Absalom, sicut tribus Ephraim contra Gedeonem mouebat contentionem duram, eo quòd ipsa non fuerat vocata ad bellum. Iud. 8. cap. Vndecim quoque tribus Israel contentionem fecerunt contra tribum Iuda: quare ipse non vocatæ sunt à principio ad reducendum regem in domũ suam, infra. 19. *Et consurgens persequar Dauid hac nocte.* Ideſt, surgam immediatè, & persequar Dauid, scilicet, nunc per diem vadam contra eum, & per noctem inueniã illum: nam Dauid recesserat de Ierusalem in aurora, & hoc sciebat Achitophel. Iter quoque eius non poterat occultari, unde putabat quòd dormiret illa nocte Dauid in aliqua parte deserti præ lassitudine, & etiam putans, quòd Absalom non persequeretur eũ, sed maneret in Ierusalem. Poterat autem Achitophel in die illa, & in aliqua parte noctis peruenire ad locũ, in quo maneret Dauid illa nocte, & percuteret eum. *Et irruens super eum.* Ideſt, irruam super illum. Irruere enim est, quãdo quis iacet, & alius superuenit ad percutiendum eum: sic enim putabat Achitophel de Dauid, quòd illa nocte iaceret præ lassitudine, & posset ibito irruere sup ipsum, & subditur causa, scilicet. *Quippe qui lassus est, & solutis manibus.* Ideſt, irruam super eũ quasi super illum, qui lassus est, & habet manus solutas, ideſt, debiles, vel dissolutas, & non promptas ad pugnandum. Est enim quippe: aduerbium multum implicans, scilicet, quippe qui lassus est, ideſt, quasi super eum, qui lassus est. *Percutiam eum.* Scilicet, facilè potero percutere ipsum, quia ipse est præ lassitudine indispositus ad resistendum.

Quomodo Achitophel putauit, quòd posset occidere Dauid. Quæst. II.

QVAERETVR, quomodo Achitophel existimabat, q̃ posset percutere Dauid, quia Deus prædixerat ei per Nathan, quòd faceret eum quiescere ab omnibus inimicis suis, & q̃ dormiret cum patribus suis: ut patet supra 7. istud tamen signat mortem quietam: ideo necesse erat, q̃ quod non moreretur Dauid in bello, sed in pace. Responderi potest, quod Achitophel certissimè credebat, quòd posset occidere Dauid, sicut patet hic. Ad dictum autem prophetæ dicendum, quòd forte istud non reuelatum fuerat Achitophel: eo quod illud erat quædam Dei gratia circa Dauid, & ipse non curabat reuelare omnibus promissiones Dei factas sibi, nec etiã illi quibus reuelabant eas, nisi quando opus erat: sic enim fuit de beato Paulo, qui raptus est usq; ad tertium cœlum, audit arcana uerba, quæ non licet homini loqui, & tamen illa occultauit per annos. 14. ut patet infra, ad Cor. 12. & postea reuelauit, quando necesse erat ad defensionem suam. Aliter dici potest, quòd ista prophetia audita erat, & tamen multi non credebant prophetis, sic enim conquæritur Isaias dicens, quis credidit auditui nostro? & brachium Domini cui reuelatum est? Isa. 53. Apostolus quoque conqueritur, q̃ quamquam Euangelium prædicatũ sit, non omnes obediũt Euangelio. ad Ro. 10. Quod autem Israelitæ non credebant uniuersaliter prophetis, patet. 2. Paral. c. 20. cũ dr̃, Credite Dño Deo uestro, & securi eritis; credite prophetis eius, & cuncta euenient prospera: sic poterat esse q̃ Achitophel esset de non credentibus, ideo putabat q̃ posset occidere Dauid. Aliter potest dici & melius, q̃ Achitophel credebat prophetiæ dictæ per Nathan, quia tamen quòd promissio Dei iam erat mutata, quia erat cõe, q̃ omnes promissiones Dei de bono, uel in lo conferendo vel infligendo, intelligerentur cum cõditione: quamquam non exprimeretur, scilicet, si illi, ad quos fiebat promissio manerent in statu priori, ideo sæpe mutabantur istę promissiones velociter, vt patet Ierem. 18. In Dauid autem sic fuerat, quia quando fuit facta promissio ei, erat iustus, postea autem cognouit Bethsabee per adulteriũ, & fecit occidi Vriã. supra 11. ideo putauit, quòd Deus mutaret promissionem factam ad Dauid. Et sic erat opinio communis, quòd Deus non misereretur Dauid: vnde erat prouerbium vulgare Israelitarum, scilicet, quomodo Deus miserebitur ei, qui occidit pastorem, & comedit ouẽ? De quo Dauid conquerens Deo fecit Psalmum tertium, scilicet: Domine quid multiplicati sunt. Et ibi subditur: Multi dicunt animæ meæ: non est salus ipsi in Deo eius, ideſt, non potest Deus misereri ei. Istud autem tenebat Achitophel, ideo credidit quòd posset occidere Dauid, sic etiam alij Israelitæ concipiebãt diuersa de eo: vnde Semei dixit: egredere vir sanguinum, vir Belial: reddidit tibi dominus vniuersum sanguinem domus Saul, quoniam inuasisti regnum pro eo, & ecce premunt te mala tua: præceden. capitulo. *Cumque fugerit omnis populus, qui cum eo est.* Putabat Achitophel quòd cùm ipse subito irrueret super Dauid lassum, & indispositum ad bellum, & videret multitudinem armatorum, fugerent omnes, qui erant cũ eo, & maneret ipse solus. Hoc autem verisimile erat, quia viri inermes non pugnarent contra armatos. *Percutiam regem desolatum*, ideſt, manebit rex solus, & potero percutere eum. In Hebræo habetur. *Percutiam regem solitarium.* Et idem est, sed solùm differunt, quia solitarius dicit eum, qui solus est: siue semper solus fuerit, siue aliquando cum alijs. Desolatus autem est, qui aliquando fuit cum multis, & ab illis solus derelictus est: sic erat de Dauid, quem putabat Achitophel derelinquendum à suis. *Et reducam vniuersum populum.* Dupliciter intelligi potest: vno modo de populo Israel, qui nondum conuenerat ad Absalonem; nam quamquam multi conuenissent, aliqui nondum audebant se ostendere pro parte Absalom, quousque scirent, an superaret Dauid, vel Absalom: mortuo autem Dauid vel capto ab Achitophel, reduceret ipse totum Israel ad Absalom, faciendo quòd omnes ei obedirent. Aliter potest intelligi de populo, qui erat cum Dauid, quia putabat Achitophel, quòd cùm ipse irrueret super Dauid, fugerent omnes viri sui, qui erãt indispositi ad bellum, & caperetur Dauid: tunc posset populus ille non habens ducem redire ad Absalom. *Quomodo solet vnus homo reuerti*, ideſt, sic reducam ad te omnem populum, sicut reducitur vnus homo, scilicet, faciliter, quasi dicat, nihil magis laborabo reducendo postea ad te totum populum, quàm reducendo vnum virum: eo quòd nullus est, qui impediat. Vel aliter potest intelligi, quòd nunc viuente Dauid erant diuisiones in populo, scilicet, quidam tenebant cum Dauid, & quidam cum Absalom: mortuo autem Dauid non esset aliqua diuisio in populo, sed sicut vnus vir non potest diuidi in plures, sed quocumque vadit totus vadit; ita totus Israel vno animo, & sine aliqua diuisione reuerteretur ad Absalonem. Iste modus loquendi est frequentatus in scriptura ad significandũ vnitatem magnam: sic accipitur prȩceden. lib. ca. 11. s. Inuasit ergo timor Domini populum, & egressi sunt quasi vnus vir, ideſt, ita congregatus est totus populus sine aliqua diuisione, sicut si veniret vnicus vir: sic etiã Iudi. 6. dicitur: Percuties Madian quasi vnum virum, ideſt, ita integraliter percuties Madian nullum dimittendo, sicut si occideres vnum virum, cuius non potest esse pars occisa, & pars non occisa. Alia litera habet. *Quomodo solet amnis reuerti*, ideſt, reuertetur ad te totus populus sicut reuertitur aqua, scilicet, quando

Alph. Tost. in Secundum Regum.

Consilium Achitophel de persequẽdo Dauid.

non inuenit obstaculum fluendi quod eminentius sit quàm locus per quem fluit. Sed prima litera melior est. *Vnum enim virum tu quæris, & omnis populus erit in pace.* Istud declarat præcedentia, scilicet, quòd percussio Dauid totus populus rediret ad Absalonem: & Achitophel non debebat facere bellũ contra aliquẽ, nisi contra Dauid, & non contra uiros eius: quia vnicum virum querebat Absalom, scilicet, ipsum Dauid: quia ille solus impediebat Absalom regnare, & illo percusso nullus de uiris, qui erant cum eo, moueret bellum contra Absalonem, quia non habebant ducẽ, sed essent omnes in pace. *Placuitque sermo eius Absalom.* Istam sententiam dedit solus Achitophel non presente alio consiliario, quia non putabat esse opus, & laudauit eam Absalom, quia uerè bona erat; ut infra dicitur. *Et cunctis maioribus natu Israel*, ideſt, omnibus senioribus: erant enim multi de senioribus congregati cum Absalom, & illi etiam tractabant negocia eius, qui audita sententia Achitophel laudauerunt eam putantes, quòd hoc modo posset capi Dauid.

Achitophel iustitit quòd immediate iretur contra Dauid, quia illum occidere volebat: Chusai aut non. Q. III.

QVAERETVR, quare Achitophel instabat super hoc, quòd mox iret ad persequendum Dauid, & Chusai principaliter institit, quòd nõ immediatè iretur, sed post aliquot dies congregato toto Israel. Respondendum quòd uolebat Achitophel occidere Dauid uel capere, & putauit quòd illa nocte non poterat esse longe à Ierusalem, & esset lassus, & paucos uiros habens, & indispositus ad bellum: ideo caperetur facillimè. Si aũt differretur bellum usq; ad aliquot dies, Dauid poterat introire in aliquam urbẽ munitã, & recreari, & disponere exercitũ suum congregando aliquos de terra Israel, qui nondum conuenerãt cum Absalom in coniuratione: uel poterat uocare auxiliũ de regnis propinquis, in qbus habebat Dauid aliquos amicos, & duceret magnũ exercitum ꝯ Absalom, & cũ foueret Dauid iustam causam, & esset uir fortis, & peritus in bello, faciliter superaret Absalonẽ. Chusai aũt ad hoc solũ uenerat, ut destrueret ꝯsiliũ Achitophel, quod militaret ꝯ Dauid. Nã ẽt Dauid putauit, q̃ Absalom uellet persequi illum eadẽ die, & tunc non poterat Dauid ullo modo effugere, quia non poterat multũ elongari inde, ut non caperetur: nec poterat disponere exercitũ ad resistendũ, quia paucos uiros habebat; iõ misit Chusai ut ille impediret, quo minꝰ illa die non iretur contra Dauid, & sic ipse institit in hoc.

Quomodo Israelitæ crediderunt Absalom posse regnare, & non Dauid, cum Deus decreuerat quis esset regnaturus. Q. IIII.

QVAERETVR ulterius, cùm isti uiri Israel facerent hæc, ut regnaret Absalom, qũo poterat esse, q̃ ipsi hoc extimarent, nã Deus determinauerat quis regnaturus esset post Dauid. Nã dr̃ sup. 7. Suscitabo semen tuũ post te, qđ egredietur de utero tuo, & firmabo regnum eius. Absalõ tñ iã natus erat, qñ ista dicta sunt, quia natus est in Hebron, supra 3. ista autem dicta sunt in Ierusalem, sup. 7. Item expresse dictum est à Deo, quòd Salomon filius Dauid regnaturus esset post eum 1. Paral. 22. Responderi potest, quòd Israelitæ putabant Absalonem posse fieri regem Israel. Nam simile accidit post mortẽ eius, quia Adonias quartus filius Dauid natus post Absalonem seq. lib. ca. 1. natus est ante uerba illa, quæ habentur sup. 7. Nam in Hebron natus est, sup. 3. & tamen exaltabatur, dicens: ego regnabo, sequenti libro,

cap. 1. Nec solum fuit illa opinio eius, sed etiam Ioab, F
& Abiathar Sacerdos: & multi alij fouebant partes
Adoniæ, vt rex fieret: ergo videtur quòd putabant
eum posse esse regem, sicut putaretur de Absalone quamquam natus esset ante illa verba. Quomodo autem stabat ista opinio contra prophetiam? Respondendum quòd poterat dupliciter dici: vno modo quòd Dauid noluit reuelare quis de filijs suis successurus esset sibi vsq; aliquantum tempus ante mortem suam, vt ipse tunc constitueret quem constituturus erat, & non essent quotidiana iurgia inter filios, si antequam aliquis eorũ fieret rex, maiores cognoscerent minorem præficiendum: & ista fuit causa, quare Dauid tenebat Amnon filium suum in statu primogeniti, quamquam non esset sibi successurus, vt declaratum est sup. 13. Huic autem consonat quod hĩ seq. lib. c. 1. cũ Nathan Propheta, & Bethsabee iuerunt ad regem, vt declararet quis post mortem eius sedere deberet in throno suo, cùm dicitur: verumtamẽ dñe mi rex in te oculi respiciunt totius Israel, vt indices eis, quis sedere debeat in solio tuo post te: si tamen fuisset publica determinatio ante hoc, non fuisset nunc inquisitum istud à Dauid, & sic esset tempore Absalõ, quia nondum cognita esset determinatio regis per diuinam promissionem: ideo putaretur q̃ Absalom poterat regnare post Dauid. Aliter dici potest, q̃ Israelitæ cognoscebant hanc determinationem Dei: putauerunt tñ q̃ cùm Dauid postea peccasset, fuisset reuocata, sicut supra dictum est. Sed obijcietur, q̃ dato q̃ H
peccaret Dauid non tolleretur regnum à Salomone, cui promissum erat: quia Dauid puniri poterat propter peccatum suum; promissio tamen illa iam erat facta Salomoni, qui non debebat priuari illa propter peccatum Dauid. Nec est simile de eo, quod supra arguebatur, an posset occidi Dauid per Achitophel: quia ibi agebatur de promissione facta Dauid, quæ tolli poterat per peccatum suum, promissio tñ facta Salomoni non erat tollenda propter pacta aliena. Dicendum q̃ bene poterat tolli pp peccata Dauid, nisi aliud obstaret, quia si promissio fuisset facta ipsi Salomoni in persona sua, non fuisset impedita pp peccata Dauid: fuit tñ promissio facta Dauid, & sic beneficiũ istud cõferebatur ei, quod similiter poterat ei auferri. I
Itẽ si promissio facta Salomoni fuisset pp merita eius, quamquam fuisset facta in persona Dauid, non deperiret pp demerita Dauid, sed fuit facta pp merita Dauid solius, ergo poterat deperire pp demerita eius. Dicendum ergo aliter, q̃ ista promissio nõ euacuabatur, quia Deus dixerat supra 7. q̃ ista promissio duraret in æternum. Sed obijcietur, q̃ ẽt si dicatur in æternum, poterat mutari faciliter: sic patet de Heli summo Sacerdote, cui Deus dixit præced. lib. cap. 2. loquens locutus sum, vt domus tua, & domus patris tui ministraret in conspectu meo in sempiternum. Nunc autem absit a me, & sequitur ibi, quomodo auferẽdum erat Sacerdotium de domo Heli. Ita ergo poterat fieri de ista promissione. Respondendum q̃ verum est, quòd quamquam dicatur in æternum, poterat tolli vel impediri promissio: sed aliud erat, propter quod non poterat tolli, scilicet, quia dictum est, quòd quamquam filij Dauid peccarent, non violaretur ista promissio: supra septimo, & istud excludebat omnem conditionem subintellectam. Nam in omnibus promissionibus, quæ fiunt simpliciter, siue dicatur quòd manebunt in æternum, siue non, possunt illæ tolli: si ipse cui facta est promissio peccauerit post promissionẽ, & sic fuit in promissione facta Heli summo Sacerdoti: si tamen exprimatur, quòd etiam si peccauerit non tolletur promissio, nullo modo poterit variari: & non habet locum in tali promissione id, quod dicitur Ierem. 18. sed solùm in promissionibus, vel comminationibus simpliciter prolatis. Necesse ergo erat quòd Salomon succederet immediatè Dauid, & nõ Absalom: Israelitæ tamen illius temporis non erant multum eruditi circa quæstiones legis, ideo putabant quòd his non obstantibus, posset Absalom regnare.

Ait autem Absalom. Hic ponitur secundum, scilicet, consilium Chusai. Et diuiditur in duo, quia primò Chusai consilium Achitophel destruit. Secundò consilium suum statuit ibi. *Sed hoc mihi rectum.* Circa primum dicitur: *Ait Absalom, vocate & Chusai Architem.* idest, etiam vocate Chusai, vt etiam audiamus eum. *Et audiamus quid etiam ipse dicat*, idest, vt non solùm audiamus consilium Achitophel, sed etiã sententiam Chusai.

Absalom quare vocauit Chusai ad consilium de persequendo Dauid, & non vocauerat ad primum. Quæst. V.

QVAERETVR, quare nunc dixit Absalom q̃ vocaretur Chusai, & ad consilium primũ de ingrediendo ad concubinas Dauid non vocauit eum. Aliquis dicet, q̃ hoc fuit, quia Achitophel iudicauit ea, quæ erant delectabilia Absalom, ideo noluit habere alium consiliarium ea vice, ne forte contrarium sentiret, & non frueretur Absalom delectabili suo. Sed dicendum q̃ non stat, quia istud non erat delectabile, nec fauorabile Absalom, immo erat quædam pœna, quia poterat ipse frui alio modo quocunque delectabili, siue cum concubinis patris, siue cum quibuslibet alijs speciosis in occulto: nunc autem in publico ingrediebatur ad concubinas patris, non vt delectaretur, sed vt pateret suus infamaretur, & perpetua discordia, atque inexorabile bellum inter eum & patrem suum ostẽderetur, manifestum est autem, q̃ aliqualis pœna esset Absalom in publico exercere quod contra humanam verecundiam est. Aliter ergo dici potest dupliciter, vno modo q̃ Chusai erat præsens, quando Achitophel dedit consilium de ingrediendo ad concubinas Dauid, & tamen non dissensit propter causam assignatam præced. ca. nunc autem non erat præsens, ideo fecit eum vocari Absalom. Secundo modo dici potest, q̃ Chusai non erat præsens in consilio de concubinis, & tamen Absalom non fecit eũ vocari, eò q̃ Deus non inuitigabat ipsum ad vocandum Chusai: & causa erat, quia Deus volebat destruere consilia, quę erant contra vitam Dauid. In consilio autem de concubinis non vertebatur periculum Dauid. In isto vero de persequendo Dauid vertebatur periculũ eius, ideo inclinauit Deus Absalom, vt faceret vocari Chusai & ille destrueret consilium Achitophel. *Cumque venisset Chusai ad Absalom, ait Absalom ad eum.* narrauit ei casum, vt sciret super quo consuleretur. *Huiusce modi sermonem locutus est Achitophel.* Tunc expressit ei omnia, quæ supra dixerat Achitophel. *Facere debemus, an non*, idest, nunquid est bonum q̃ quòd faciamus consilium eius. *Quod das consilium?* K
nunquid istud tibi videtur bonum; vel aliud? exprime illud. *Et dixit Chusai ad Absalom.* Hic incipit redarguere Chusai consilium Achitophel probans tribus rationibus non esse bonum consilium Achitophel. Secunda ibi. *Sed & pater tuus.* Tertia ibi. *Et cum ceciderit.*

Quomodo Chusai ausus est reprobare consilium Achitophel. Quæst. VI.

QVAERETVR, quomodo ausus est Chusai reprobare consilium Achitophel, cùm ille haberetur in tanta auctoritate? nam in diebus illis erat consilium eius quasi consilium Dei, præceden. cap. Respondendũ, q̃ Chusai nullo modo voluisset reprobare consilium tanti viri, nam timere poterat, q̃ Achitophel probare posset ratione euidentissima consiliũ suum optimum fore, & consilium Chusai esse ridiculum, & dolosum: nec solùm ipse, sed ẽt quilibet alius vir minoris prudentiæ hoc probaret. Chusai tamẽ conatus est redarguere illud confisus in duobus. Primò in necessitate. Secundò in Dei adiutorio. De primo patet, quia si Chusai non conatus fuisset arguere istud consilium Achitophel, erat Dauid periturus, quia ipsa nocte irrueret super eum Achitophel, ideo oportuit, vt qualitercunq; se opponeret huic consilio, siue intenderet inde habere honorem siue non. Nam hic nihil peius esse poterat quàm q̃ improbatio Chusai & consilium eius contra Achitophel iudicarentur stulta, & laudaretur semper consilium Achitophel, & nõ B
peribat ex hoc Dauid, quia semper manebat Chusai vltimum remedium, s. q̃ mitteret sermonem istũ ad Dauid velociſſimè per Ionathan, & Achimaan, vt recederet illico, & transiret Iordanem. Si autem præualeret redarguendo Achitophel, obtineret salutem Dauid, ideo debuit se opponere in dubio ad gloriam vel ingloriam, vt liberaret Dauid a periculo. Secundũ quod inducebat eum, erat confidentia de Dei adiutorio: sciebat. n. Chusai q̃ Dauid fouebat iustã causam, & Absalom iniquissimam; ideo putabat, q̃ Deus adiuuaret eum ad resistendum consilijs inductis pro parte Absalom, præcipuè quia Dauid orabat instanter, vt Deus infatuaret consilium Achitophel, supra 15. & putabat, q̃ Deus exaudiret eum. Aggressus est etiam constanter Chusai istam redargutionem cõsilij Achitophel, quia ad nihil aliud veniebat, nisi ad dissipandũ consilium eius. Sciendum tamen, q̃ adhuc cum his omnibus Chusai non ausus est simpliciter reprobare consilium Achitophel, sed dixit q̃ non erat bonũ hac vice, ad innuendum q̃ semper consueuerat esse bonũ, nunc aũt non erat bonum, quia fortè non multum attendit Achitophel, & ad hoc induxit Chusai rationes quasdam, quæ fm veritatem friuolæ sunt, tamen apparuerunt conuenientes Absaloni, & seruis eius, quia Deus infatuauit eos. *Non est bonum hoc consilium quod dedit Achitophel hac vice.* i. quamquã consueuerat dare consilia optima, tñ consilium istud non fuit bonũ, & in hoc mouebat Chusai redargutionem suam, vt nõ D
intelligeretur facta ex inuidia. Nam si simpliciter dicebat, non est bonum consilium Achitophel, cùm sciretur, q̃ consilia eius solebant esse bona, sicut consilia Dei, putaretur agere ex inuidia: dixit tñ q̃ non erat bonum hac vice. q. d. semper fuit bonum, sed nunc non. Et in hoc laudauit eum, vt magis tolerare posset increpationem. Nec erat mirandum, q̃ semel Achitophel erraret, nam dñ communiter, q̃ interdum bonus dormitat Homerus. *Et rursum intulit Chusai*, i. iterum locut? est. s. apponens probationes dicti sui. *Tu nosti patrem tuum.* Ista est prima ratio contra Achitophel. q. d. non est bonum, q̃ eamus ista nocte contra Dauid, quia ipse, & viri, qui cũ eo sunt, viri fortes sunt, & habent animum amarum, s. pp mala, quæ eis illata sunt, & exponunt se indubitanter omni periculo, quia pugnabunt quasi cum desperatione, sed pugnare contra tales durissimum est. Sic. n. dixit Abner ad Ioab: An ignoras q̃ periculosa sit desperatio? i. periculosum est pugnare contra desperantes? sup. 2. Ad pugnandum ergo contra illos oportebat, q̃ conueniret valde magna multitudo, ita vt non possent nocere, quãq̃ essent desperati. *Patrem tuum, & viros, qui cum eo sunt esse fortissimos*, s. robustos corpore, & animosos ad bellum: ideo oportet multos conuenire contra ipsos: istud aũt verum erat. Nam omnes erant viri electi, & tamẽ etiam viri, quos volebat accipere Achitophel erant electi, & cùm essent valde plures, quia viri Dauid erant pauci, faciliter

præualuissent contra eos: sicut dixit Achitophel. *Et amaro animo*, i. tu scis, q̃ habent animum amarum, s. q̃ sunt valde dolentes, & concitati in iram, & per hoc duplicatur in eis virtus bellica, & est periculum ꝓtra tales pugnare. *Velut si vrsa raptis catulis in saltu sæuiat*, i. ita sunt efferati, & habentes animum crudelem, sicut vrsa in saltu, qñ rapti sunt ei catuli, quia tunc efferatur plus q̃ efferari potest, nec est aliquid quod non aggrediatur. *Sed & pater tuus vir bellator est.* Illa est secũda ratio, s. nõ est vtile ire ista nocte contra Dauid, quia hoc fit, vt capiatur Dauid, & reliquus populus fugiat, & capto illo reducat. Sed hoc non stat, quia Dauid est vir bellator, qui cognoscit valde experientiam belli, ideo non dormiet nunc inter suos, sed erit in aliqua fouea, vel loco segregato à castris, ideo dato q̃ eatur super exercitum suũ, non reperietur ipse, & dr̃ q̃ pater tuus est vir bellator, i. peritus circa omnia mala, quæ euenire solent in bellis, ideo sciet cauere illa. *Nec morabitur cum populo*, i. non pernoctabit hac nocte cũ populo in castris suis. Hoc aũt faceret Dauid pp duo. Primũ quia fortè nõ confidebat omnino de suis. Secundò, quia non audebat manere pp hostes. Debebat. n. putare, q̃ hostes sui possent irruere nocte super castra: ideo non erat tutũ ei manere in castris. *Forsitan nunc latitat in foueis; aut in vno, quo voluerit loco*, idest, ista nocte latitabit in aliqua fouea, vel in aliquo alio loco separato, quem putauerit ad hoc esse accommodatum, & non inueniemus eum quamquam percutiamus castra. Intentio tamen nostra non est percutere populum, sed ipsum. *Et cùm ceciderit.* Hic ponitur tertia ratio, quæ accipitur ex parte timoris populi Absalom. Et est sensus, q̃ si iretur nunc contra Dauid, pugnandum erat per noctem & tunc quamquam morerentur aliqui, non videretur distinctè, de qua parte erant, & illi qui erãt de parte Absalom, putarent q̃ mortui erant de parte sua, & induerentur ad hanc opinionem, scientes, q̃ viri Dauid erant fortissimi, & exponerent se cuicunque periculo: ideo possent occidere aliquos de parte Absalom: & hoc audito omnes viri Absalonis etiam fortissimi timore concuterentur videntes, q̃ incipiebant cadere coram viris Dauid, & non auderent vlterius pugnare contra ipsos, quod esset facere Dauid victorem. Et dicitur. *Et cùm ceciderit vnus quilibet in principio*, idest, cũ in principio belli ceciderit vnus quilibet, idest, vnus de quacumque parte sit. *Audiet*, idest, audiet hoc populus Absalom. *Facta est plaga in populo*, idest, audietur ista fama, facta est plaga in populo, dato quòd sit solùm vnus occisus: & ista fama erit incerta, quia non dicetur de quo populo, sed quia videtur vnus mortuus dicetur, quòd facta est plaga in populo. *Quicunque audierit*, scilicet, quòd facta est plaga in populo. *Dicet*, idest, existimabit. *Facta est plaga in populo, qui sequebatur Absalom*, idest, quamquam fama nihil determinet de quo populo sit facta percussio, qui audierit factam percussionem, putabit factam esse in populo, qui sequebatur Absalom. Ratio autem præsumptionis erit, quæ infra subditur, scilicet, quia viri Dauid erant fortissimi, & amaro animo, & esset verisimilius, quòd ipsi aggrederentur duriora quàm populus Absalom, qui nondum efferatus erat per aliqua mala suscepta: nec tantum illis incumbebat necessitas pugnandi, sicut viris Dauid. Nam viri Dauid pro anima pugnabant, idest, singuli pro uita sua, ideo exponerent se cuicunque labori: uiri autem Absalom pugnabant pro fauore Absalom, quem nondum habebant firmiter in dominum, sed dependebat ex futuro euentu, ideo firmior esset pugna uirorum Dauid. *Et fortissimus quisque, cuius cor est quasi leonis, pauore soluetur*, idest, tunc quilibet de populo Absalom, etiam fortissimus, sicut leo incipiet timere uidens

Universidad de Deusto
Biblioteca

quòd viri pauci Dauid prævaluerint contra eos, & F
iam non audebunt pugnare, qui sunt ex parte tua: nihil tamen aliud requiritur ad hoc ꝙ Dauid efficiatur victor, nisi ꝙ viri tui incipiant timere illos: quia postꝙ quis incipit hostem formidare, pugna nihil est, sed necesse est succumbere. Aliqui dicunt, ꝙ accipitur hic fortissimus pro Dauid, quia supra dicitur, ꝙ Dauid erat vir fortis, sed istud omnino est cōtra literam, quia Chusai arguit de timore, qui incidet in seruos Absalom, quando audirent factam plagam in populo. si autem intelligeretur de Dauid, nihil esset ad propositū: immo esset omnino ꝰ rationem, ꝙ cùm viri Absalō putarēt plagam esse factam in seipsis, timeret Dauid. Item quia per hoc non dissuaderet Chusai bellum fieri cōtra Dauid, sed magis persuaderet, si Dauid ex hoc G
timere debebat. Alij dicūt, ꝙ vocatur hic fortissimus Achitophel, qui volebat esse dux virorum pugnantiū contra Dauid. Et est sensus, ꝙ quando auditum fuerit factam esse plagam in populo, non solùm alij viri cōmunes de exercitu Absalom, sed etiam ipse Achitophel cuiꝰ est cor quasi cor leonis, timore solueret: istud aliqualiter consonabat. Dicendum tamen ꝙ intelligitur de quocunque viro forti in exercitu Absalom, quia etiā ille timeret. *Scit enim omnis populus Israel, fortem esse patrem tuum, & robustos, qui cum eo sunt.* Ista est probatio præsumptionis supra positæ, scilicet, ꝙ cùm audiretur factam esse plagam in populum, intelligeretur, quòd esset in populo Absalom, quamquam non diceretur, quis populus erat. Ponitur ratio, quia H
omnis Israel scit Dauid esse virum fortissimum, & omnes qui cum eo sunt, & præter hoc sunt amaro animo, ideo magis præsumendum erat, quòd ipsi percuterent de populo Absalom, quam quòd viri Absalonis percuterent de eis. Hoc autem faceret pugna per noctem, quæ non permitteret distingui, qui erant victores, & qui victi: ideo nō erat conueniens pugnare illa nocte contra Dauid, sicut dixerat Achitophel,

Cur Achitophel non reprobauit rationes Chusai. Quæst. VII.

QVAERETVR, cùm istæ tationes Chusai contra Achitophel essent friuolæ, & cōsilium quod infra dedit esset ridiculum, cur I
Achitophel non reprobauit rationes Chusai, & non destruxit cōsilium eius, quia hoc erat sibi facile, & cuilibet alteri viro prudenti. Respondendum, ꝙ hoc potuit esse propter quatuor. Primò quia rationes Chusai contra eum, & consilium eius erant ita friuolæ, ꝙ nō indigebant redargutione: sicut cùm quis arguit valde absurdè, non meretur responsionem, & potissimè apud homines magni ingenij. Sic.n. erat Achitophel vir prudentissimus, ideo videns tam stultam rationem, & argumentationē, non respondit. Secunda ratio potuit esse ex indignatione ꝰ Absalom & seniores Israel, qui videre debuissent manifestè stultam responsionem, & argumentationem Chusai, & ipsi debebant eam illudere, & applaudere Achitophel, sed applauserunt Chusai, & recusauerunt Achitophel, ideo ipse indignatus noluit respondere, sed permisit eos in errore suo. Tertia ratio fuit, & potissima, quia Achitophel vidit applausum totius populi ad consilium Chusai, quia omnes illud laudauerunt vno ore, & abiecerunt consilium suum, ideo putauit, ꝙ cùm tam determinati essent ad Chusai, nullis rationibus persuaderi possent, potissimè cùm in agibilibus non sint rationes demonstratiuæ, & necessariò inferentes, sicut in mathematicis: & ipse semper magis confunderetur non potens ratione prævalere contra totum populum, & oēs dicerēt eum iam incipere delirare. Tanquam ergo vir prudens non habita opportunitate loquendi, subticuit, quia iussum est, Vbi non est auditus, non proferas sermonem. Quarta ratio fuit timor aliquis incussus a Deo, quia sicut Deus infatuauit omnes Israelitas, vt crederent consilium Chusai esse bonum, & nō consilium Achitophel; ita credendum est ꝙ mutauerit animum Achitophel ad quendam timorem, vt non auderet arguere contra Chusai, quia fortè si arguisset induxisset rationes ita euidentes, ꝙ constaret consilium suum fuisse bonū, & nihil dixisse Chusai, & sic rediretur in consilium suū. *Sed & hoc mihi rectum videtur.* Hic ponit qualiter Chusai statuit suum consiliū excluso cōsilio Achitophel. Et dicitur: sed & hoc mihi rectum vī, i. non vī bonū consilium Achitophel, sed istud quod dicam. *Congregetur ad te vniuersus Israel.* Multus populus erat cū Absalom, sed adhuc volebat Chusi ꝙ congregaretur rediuus populus, & istud erat, vt dum fieret hoc, trāsiret aliquantum tempus, & posset interim Dauid fugere ad aliquem locum conuenientem, & cōgregare sibi auxilia, siue de terra Israel, siue de gentibus finitimis. *A Dan vsque Bersabee.* i. totus populus, qui est inter Dā & Bersabee, congregetur. Ponuntur autem isti duo termini ad significādum totum populum Israel, quia isti erant termini claudentes totam terram Israel, s
Bersabee erat in latere meridiano in terra Philisthinorum, vt patet Genes. 21. cùm dicitur, ꝙ fuit Abraham colonus terræ Philisthinorum, & istud fuit quando habitabat in Bersabee, est autem Bersabee apud Gerraram. Genes. 26. & tamen Gerara ponitur terminus terræ Chanaan. Genes. 10. Dan vero est locus in terra septentrionali Israel, & est in sorte Dan, & nascitur Iordanis apud illum; qui postea vocatus est Panease, deinde Cæsarea Philippi, & ita appellabatur tempore Christi. De hoc dicitur Matt. 16. quòd venit Christus in partes Cæsareæ Philippi.

Quomodo Chusai dedit consilium congregandi totum Israel contra Dauid pro bono eius. Quæst. VIII.

QVAERET aliquis, quomodo Chusai dabat consilium, ꝙ congregaretur totus Israel, cum istud erat in damnum Dauid, cùm non posset resistere tantæ multitudini. Respondendum, ꝙ istud erat ad bonum Dauid, inquantum ista congregatio requirebat aliquātulum tempus, in quo Dauid euaderet pericula, in quibus nunc erat. Quod autem multitudo ista non pararet ei damnum, apparet ex duobus. Primò quia non consistit bellū in multitudine exercitus, sed in ordine, & animo strate pugnatorum: si autē congregaretur totus Israel, plurimi illorum essent inexperti ad bellum, & onus faceret ad fugam, & impedimentum pugnatorum quam in adiutorium: sic.n. patuit postea in bello, quia fuit valde magna multitudo Absalō, & paucus exercitus cū Dauid, tamen faciliter exercitus Dauid superauit exercitum Absalom. 16q.c. quia ille erat virorum non exercitatorum. Secundum erat, ꝓp quod non ferret impedimentum, quia dum Absalom congregabat totum Israel, congregaret Dauid viros sufficientes sibi ad bellum, siue de uiris Israel, siue de finitimis: & non ob esset ei quæcunq; multitudo, quam haberet Absalō. *Quasi arena maris innumerabilis*, i. erit populus iste cōgregatus à Dan usq; Bersabee innumerabilis sicut arena maris. In hoc autem significabat Chusai esse uirtutē belli, quasi uiri Dauid nullo modo possent stare cōram tanta multitudine: sed è contrario erat, quia quanto maior esset multitudo, minus posset regi, & cōsequenter facilius periret. *Et tu eris in medio eorum.* i. in medio exercitus: istud erat cōtra Achitophel, qui dixerat, ego K
gam mihi duodecim millia uirorum, & conturgens persequar Dauid: Chusai autem dicebat, ꝙ esset dux belli Absalom, & non Achitophel. A

Quare Chusai voluit Absalom ire ad bellum. Quæst. IX.

QVAERETVR, cur hoc uolebat Chusai. Respondēdum, quòd istud erat ad utilitatem Dauid: & etiam ad persuadēdum aliqualiter Absalom, ostendendo ꝙ uolebat bonū eius. Primum patet, quia Chusai intendebat, ꝙ non iretur mox contra Dauid, & si ipse permitteret, quòd Achitophel, uel quicunq; alius esset dux belli, permitteret, quòd fieret bellum illico, quia quilibet de uiris Absalom conuenienter ire poterat, etiam si non haberet maiorem exercitum quàm tunc congregatus erat in Ierusalem, & sic poterat ire immediatè. Absalō autem B
non deberet ire, nisi cum maiori exercitu, & hoc propter duo. Primò propter maiorem honorem, quia debebat Absalom honoratior apparere, quàm quilibet de uiris suis. Secundò propter maiorem securitatem, quia non se debebat exponere tot periculis ille, qui regnaturus erat, sicut quilibet de uiris suis: ideo ut securior esset, oportebat, quòd maiorem exercitū secum ferret: & dum ille congregaretur, transirent aliquot dies, in quibus pararet se Dauid ad resistendū. Quod autem dixerit ista Chusai ad persuadēdum Absalom, apparet: qa in hoc poterat signari duplex utilitas Absalō. Prima quia exercitus suus fortius pugnaret. Præsente.n. domino supremo animosius agunt serui sui, C
ut ei complaceant: & quia etiam uident ipsum se exponentem periculis, quàm si absens sit, unde facilius obtineret uictoriam. Secundum erat magna laus Absalom: nam obtenta uictoria, quæ præsupponebatur à Chusai si esset præsens Absalom, attribueretur ei: si autem aliquis alius de duobus mitteretur, attribueretur ei uictoria, quod redundaret in dedecus Absalom. Poterat etiam hoc fieri propter aliam utilitatem Dauid. Nam sciebat Chusai Achitophel esse uirum fortem, & amaro animo contra Dauid propter Bethsabee, & Vriam. Erat etiam uir prudentissimus, unde si ipse iuisset, tractaret nimis prudenter negociū belli, & potuisset illa nocte capere Dauid: ideo omnino cauit Chusai, ne nūc uel alio tempore esset Achitophel D
dux belli contra Dauid. *Et irruemus super eum in quocunque loco fuerit inuentus.* Q.d. aut ipse erit in terra Israel, aut fugiet: si fugit relinquitur terra libera, ut tu regnare possis, si autem manet in ea, in quocunque loco fuerit non poterit euadere manus nostras. *Et operiemus eum, sicut cadere solet ros super terram.* Ros quando cadit super terram operit totam superficiem terræ, ita nos præ multitudine operiemus Dauid, & uiros suos, qui pauci sunt, ita ut ad nullam partem effugere possint. *Et non relinquemus de viris, qui cum eo sunt, nec vnum quidem.* Ideſt, uallabimus eos undique, & in medio captos occidemus, & non poterit aliquis eorum effugere. *Quod si vrbem aliquam fuerit ingressus.* Q.d. istud supra dictum erat uerum, si Dauid maneret in campo cum E
uiris suis, quia tunc circundaretur: si tamen introiret in aliquam ciuitatem, fiet aliter. *Circundabit omnis Israel ciuitati illi funes, & trahemus eam in torrentem.* Ecce qualiter iste Chusai est totus uerbosus, & ad rem nihil dicit, nisi quandam insaniam, quæ comperto sermone stultis placeret. Et est sensus, quòd tanta esset multitudo Israel euntis cum Absalom, quòd non solum possent debellare Dauid manentem in urbe; sed etiam præ uiribus poterant circundare ciuitati multos funes, & trahere ciuitatem cum habitantibus in ea usque ad torrentem. Ponitur autem hoc ad significandum magnum excessum uiriū Absalom ad Dauid; ita ut nequaquam resistere posset. *Ut non reperiatur ne calculus quidem ex ea.* Ideſt, in tantum sunt magnæ uires Israel, quòd non solùm possent ducere maiorem partem ciuitatis ad torrentem, sed etiā totam, in tantum quòd non relinqueretur ex ea nec unus lapis. Calculus enim significat paruum lapidem, & numerum, & rationem, & sententiam, & carbonem, ut patet in uersu.

Calculus est ratio, numerus, sententia, carbo.

De numero patet, quia dicitur error calculi. i. numeri. De sententia patet, quia antiquitus causæ iudicabātur per lapillos. s. mittebantur lapides nigri, & parui in aliquod inuolucrum, & qui accusabatur de crimine si educeret plures de albis quàm de nigris, absoluebatur a crimine, si verò plures de nigris, condemnabatur. Nam illi æquales numero positi fuerant. De hoc ait Ouid. 15. Metamorph.

Mos erat antiquis albis, nigrisue lapillis.
His damnare eos, illis absoluere culpam.

Quòd autem accipiatur pro carbone patet Isa. 6. cap. s. Volauit ad me vnus de Seraphim, & in manu eius calculus, quem forcipe tulerat de altari, ideſt, in manu eius vnus carbo ardens. De lapillo patet hic: nam calculus vocatur minimus lapis, qui reperi potest, sicut grana minuta arenarum.

An Chusai mentitus sit in hoc consilio. Quæst. X.

QVAERETVR, an Chusai peccauit dando istud consilium, nam ipse manifestè mē titus est, dicens: sed hoc mihi rectum videtur esse consilium, & tamen non videbatur ei rectum, quia sciebat illud procedere ad damnū Absalom. Aliquis respondebit, ꝙ non mentitus est Chusai, quia illud videbatur ei rectum consilium, nam s̄m veritatē melius erat, ꝙ Dauid vinceret q̄ Absalom; & ad hunc finem procedebat istud consilium. Sed dicēdum ꝙ non stat, quia Absalom petebat consilium accommodatum ad superādum Dauid, & Chusai respondit istud esse consilium rectum ad superandum eū, sicut apparet ex verbis suis; nam dixit, ꝙ si ue esset in vrbe aliqua, siue alibi Absalom caperet cū. Dicendum ergo ꝙ mentitus est Chusai, quia intende D
bat istud non esse rectum consilium: non tñ peccauit mortaliter, quia istud mendacium erat officiosum, & ad bonum finem: nec obstat, ꝙ esset ad mortem Absalonis, vel ad diminutionē status eius, quia ad hoc iam responsum est sup. 15. *'Dixit autem Absalom, & omnes viri Israel, melius est consilium Chusai Arachites consilio Achitophel.* Hic oēs applauserunt consilio Chusai tamq̄ aliquid dixisset, & ipse nihil dixerat nisi insaniam, laudauerunt tamen insaniam illam, quia Deus infatuauit eos, vt patet in litera. *Domini autem nutu dissipatum est consilium Achitophel vtile.* Ponitur autē hoc ad signandum, qūo potuerunt Israelitæ non assentire consilio Achitophel quod erat bonum, & assenserunt cōsilio Chusai quod erat stultum. Dī ꝙ factū est nutu Dei. i. voluntate eius, s. qui voluit dissipare consilium Achitophel, & infatuauit Israelitas, vt non crederent consilio eius, scriptura tamen testatur, ꝙ erat vtile: ex quo colligitur, ꝙ per illum modum potuisset Achitophel capere Dauid, vel occidere ipsum, sicut intendebat. Sciendum autem ꝙ istud fit, quia Deus habet potestatem super cor nostrum, & potest mouere illud ad quamcunq; passionem voluerit. Sic patet Prou. 21. s. Sicut diuisiones aquarum, ita cor regis in manu Domini, & sicut est de corde regis, ita est de cordibus omnium hominum. Vnde Deus aliquando mutat corda nostra ad timorem: sic patet Leuit. 26. Qui remanserint de vobis dabo timorem in cordibus eorum, terrebit eos sonitus folij uolantis. Idem Deuterono. 28. Deus mutat cor hominis ad diuersa.

Aliquando mutat nos ad gaudium, cùm irati simus. Sic enim orante Esther Deus mutauit cor regis Assueri, qui erat iratus, vt parceret reginæ, quam occidere debebat secundum legem. Esther 14. Aliquando mouet ad iram, vt cùm Deus vult punire aliquem, mouet hostes eius ad iram, sic patet Iud. 3. Addiderũt filij Israel peccare contra dominum, qui confortauit contra eos Eglon regem Moab, & copulauit ei filios Ammon, & sic faciebat Deus irasci istos cõtra Israel, vt pugnarent. Sicut autem Deus mutat partem affectiuam, & volitiuam: ita mutat intellectiuam, & phantasticam, vt aliquando faciat nos errare in iudicio. Sic enim dicit Abdias. cap. vnico. Perdam sapientiam de monte Seir. Et Apostolus prima ad Corinth. cap. 1. Perdam sapientiam sapientum, & prudentiam prudẽtum reprobabo. Sic autem fuit hic, quia Deus fecit Israelitas non intelligere quid bonum esset eis. Et sic quamquam Dauid orauerit, vt infatuaretur cõsilium Achitophel, supra 15. non fuit illud infatuatum, quia vtile erat, vt dicitur hic. Sed infatuati sunt Israelitæ. *Vt induceret Dominus super Absalom malum*, ideſt, Deus fecit omnes Israelitas errare in iudicio, vt per errorẽ eorum induceretur malum super Absalom. Nam si non errauissent Israelitæ, accepissent consilium Achitophel, & tunc induxisset Dominus malum super Dauid, qui caperetur, & non super Absalom: voluit tamen inducere malum super Absalom, & non super Dauid; ideo fecit, vt Israelitæ caperent consilium Chusai & non Achitophel.

Et ait Chusai. Hic ponitur qualiter consilium Achitophel Dauid renunciatur, & diuiditur in tria. Primò consilij Achitophel renunciatio describitur: secundò ipsius Achitophel punitio adiungitur ibi. *Porrò Achitophel.* Tertio præparatio pugnæ contra Dauid additur ibi. *Dauid autem.* Circa primum dicitur. *Et ait Chusi sadoc, & Abiathar Sacerdotibus.* Isti duo erant Sacerdotes magni, quibus Dauid commisit curam nunciandi ei id, quod fieret per Absalom supra 15. & manebant isti in Ierusalem ex parte Dauid, cum quibus locutus est Chusi habito consilio, vt mitterent filios suos ad nunciandum istud Dauid. *Hoc, & hoc modo dedit consilium Achitophel, & senioribus Israel.* Chusai enarrauit omnia verba consilij, quod dederat Achitophel, & dicitur: Hoc & hoc modo, vt non repetatur consilium in litera. *Et ego tale, & tale dedi consilium.* Hic enarrauit eis consilium, quod dederat, & reprobationem quam fecerat contra Achitophel. *Nunc ergo mittite cite*, scilicet, duos filios vestros, qui sunt cursores velocissimi, & erant obseruantes apud fontem Rogel, quid eis iuberetur, infra in litera. *Et nunciate Dauid*, scilicet, ipsi annuncient Dauid ea, quæ facta sunt.

Cum iam consilium Achitophel reiectum fuerit, cur præcepit Chusai Dauid transire Iordanem.
Quæst. XI.

QVAERETVR, quare Chusai misit hic ad dicendum Dauid, quòd recederet de campestribus, & trãsiret Iordanem, quia iam destructum fuerat consilium Achitophel. Respondendum, quòd Chusai voluit quòd Dauid caueret sibi ad omnem euentum: nam quamquam nunc Absalom, & Israelitæ applauserant consilio Chusi cõtra Achitophel, putabat quòd cùm esset Achitophel vir valde prudens, & consilium Chusi erat fatuum, quòd postea Achitophel persuaderet Absalom probando consilium suum esse rectũ & consilium Chusi esse stultum, & faceret, quod suadebat Achitophel mittens illa die pugnatores contra Dauid, hoc autem signatur in sequenti litera, scilicet, absque dilatione transgredere, ne fortè absorbeatur rex, & omnis populus, qui cum eo est, non tñ dixit indifferenter Chusai ipsi Dauid quòd transiret Iordanem, sed misit ei ad dicendum vtrumque consilium, & cui fauerant Israelitæ, vt Dauid sciret quid expediret ei: consuluit tamẽ potius quòd transiret Iordanem, quia securius istud erat, si forte fieret aliqua mutatio. *'Dicentes, ne moreris nocte hac in campestribus deserti*, ideſt, nuncij debebant dicere istud, & dicitur de campestribus, quia quando recessit Dauid de Ierusalem dixit Sadoc, & Abiathar: ecce ego abscondar in campestribus deserti, donec veniat sermo à vobis indicans mihi. Erant autem ibi campestria deserti apud Iordanem, & in illis Dauid expectabat. Volebat autem manere ibi, quia locus ille erat dispositus ad faciendum magnam mutationem: nam erat apud Iordanem, & cũ esset Iordanis fluuius magnus, erat differentia multa inter habitantes vltra Iordanem, & citra Iordanem. Causa potissima erat, quia fluuius ille erat difficilis ad transeundum, & si nocte illa superuenirent viri Absalom, non possent fugere viri Dauid propter Iordanem, & occiderentur ibi: cùm autem transissent illum, siue superueniret Absalom, siue non, securi essent. *Sed absque dilatione transgredere*, ideſt, moneo quòd transeas immediatè: quia satis verisimile est, quòd Absalom faciat mutationem in consilio. In Hebræo habetur. *Sed transiens transibis*, vbi dicit litera nostra, absq; dilatione. *Ne forte absorbeatur rex, & omnis populus, qui cum eo est*, ideſt transi, ne contingat quòd Absalom mutans consilium, mittat subito super te bellatores ista nocte, & absorbearis, ideſt, deleari, scilicet, quòd nihil appareat de te: & istud est, quia si non transis accipient te in medio, & deleberis tu, & populus tuus. In Hebræo habetur. *Ne deleatur rex.* Et idem est: quia deleri, & absorberi significant de re nihil manere. *Ionathan autem, & Achimaas stabant iuxta fontem Rogel.* Isti duo viri nominantur hic, quia erant cursores Dauid, & non audebant ingredi in vrbem, ne caperentur, & occiderentur. Nam ibi apud fontem cùm vidisset eos quidam de seruis Absalom nunciauit illi, & misit persecutores: vt patet infra in litera. Vocatur autem fons Rogel quidam fons, qui erat extra portam Ierusalem ad partem meridianã, vbi diuiditur sors Iudæ, & Beniamin. Vnde fons Rogel ponitur terminus diuidens sortem Iudę, & Beniamin apud Ierusalem. Iosue 15. est autem Rogel nomen commune apud Hebræos, & significat purgantem pannos, quẽ nos fullonem vocamus. Vnde quamquam ponatur hic vt nomen proprium, aliquando ponitur vt nomen commune in litera nostra. Sic patet Isa. 7. cùm dicitur: Ad extremum aquæ ductus piscinæ superioris in via agri fullonis, & in Hebræo habetur Rogel, vbi nos dicimus fullonis. Erat autem aliquis locus apud fontem illum, in quo latere possent isti duo viri. *Abijt autem ancilla, & nunciauit eis*, ideſt, missa est quædam ancilla de domo Sadoc, & Abiathar ad illos duos iuuenes, vt referret eis, quæ dixerat Achitophel, & Chusai: non fuit autem missus aliquis vir, ad tollẽdum suspitionem, quia portę vrbis, & in circuitu custodiebantur valde, vt nemo posset exire ad nunciandum aliquid Dauid, & adhuc illa puella, quæ iuit ad nunciãdum his viris tollebat super caput pãnos, quasi vadens, vt lauaret in fonte Rogel, quia erat ibi ager fullonis. Sic ait Glosa ordinaria, & Hystoria scholastica, & Andreas, & Nicolaus. *Et illi profecuti sunt, vt referrent ad Dauid nuncium*, ideſt, profecuti sunt iter suum, vt uenirent uelociter ad Dauid ferentes nunciationem. *Non enim poterant videri, aut introire ciuitatem*, Portę custodiebantur nimis, & si isti ingressi fuissent, sciretur vnde uenirent, & quod peius erat, non possent redire ad Dauid: non poterant etiam videri. Quod aliqui exponunt, quia latebant iuxta fontem, & nemo eos poterat videre. Sed non stat, quia immediatè dicitur, quòd vidit eos quidam puer Absalom. Sed dicendum, quòd non poterant videri, ideſt, non potetant videri à Sadoc, & Abiathar. Et est sensus, quòd ista litera sit redditiua causę superioris literæ, scilicet, puella venit ad nunciandum istis in defectum uiri, eo quòd isti non poterant introire ciuitatem, vt venirent ad Sadoc, & Abiathar, nec etiam poterant uideri, scilicet, à Sadoc, & Abiathar, ita ut isti irent extra urbem ad loquendum iuuenibus, quia nõ permitterentur, ideo oportuit mitti ancillam. *Vidit autem eos quidam puer, & indicauit Absalom.* Erat aliquis qui fortè perscrutabatur in circuitu urbis, & uidit illos latentes apud fontem. Histo. scho. dicit quòd iste puer erat filius ancillæ, quæ iuerat ad fontem annuncians uiris noua. Iosephus autem. 7. Antiquitatum dicit, q̃ quidam equites Absalom uiderunt illos duos uiros: uerisimilius tamen est, quòd unus homo uidisset illos, alioquin persecuti fuissent eos ad capiendum, sed non persecuti sunt eos, quousque nunciatum est Absaloni. *Illi verò concito gradu ingressi sunt domum cuiusdam viri in Bahurim.* Isti iuuenes uiderunt se cognitos à custodibus Absalom, & quòd illico nunciaretur ei, & ipse mitteret ad persequendum eos, quia magna custodia erat in urbe, ne quis iret contra illam partem, in qua erat Dauid, & ob hoc tollebatur omnis aditus. Fugerunt ergo uelociter postquam puella locuta est eis, & latuerunt in Bahurim. Sciendum autem quòd Bahurim est quædam ciuitas in tribu Beniamin non longè à Ierusalem, apud quam transiuit Dauid fugiens de Ierusalem, & Semei egressus est de Bahurim ad lapidandum & maledicendum Dauid. Præced. cap.

Quare duo viri qui mittebantur ad Dauid latuerunt in Bahurim. *Quæst. XII.*

QVAERETVR vlterius, quare isti duo uiri latuerunt in Bahurim, & non fugerunt: nam cùm scirent se uisos, poterant fugere, cùm essent cursores uelocissimi, & dum nunciabatur Absalom de illis, possent transire magnam partem itineris, ne quis consequeretur eos. Respondendum, quòd isti nouerant certissimè, quòd mitterẽtur aliqui persecutores post illos, & ut breuiter consequerentur eos essent equites, ipsi uerò pedites erant: unde si non laterent, persequerentur eos equites, & ipsi deficerent præ lassitudine, decreuerunt ergo latere ut tãdiu laterent quousque desinerent persequi illos uiri Absalom, & possent securi ire. Sic enim fecerunt duo exploratores, quos tenebat Raab in domo. Nam non fugerunt ad castra Israel cùm persequerentur eos inquirendo Ierichontini, sed latuerunt tribus diebus in montibus quousq; desinerẽt eos inquirere, Iosue. c. 2.

Quare non latuerunt viri Dauid apud Ierusalem, & cur alibi. *Quæst. XIII.*

QVAERETVR vlterius, quare non latuerũt isti uiri apud Ierusalem in aliquo loco, sed iuerunt in Bahurim, & quare in puteo uestibuli, & quare non dixerunt q̃ resp̃onderet mulier occultans eos, non uidisse illos. Ad primum dicendum q̃ non latuerunt apud Ierusalem, quia fortè non erat ibi aliquis locus conueniens ad latendum, & quia multum inquirerentur apud urbem, & à multis, sic facile erat uideri illos: unde non tutè laterent. Secundò dici potest, q̃ factum est, vt scirent quãdo recedere deberent de latibulo. Si autem apud urbem laterent, illi, qui irent ad persequendum eos, procederẽt longè ab vrbe, & fortè illis redeuntibus exirent de latibulo; vel irent per viam isti duo viri: ideo iuerunt ad locum aliqualiter distãtem à Ierusalem, & iste est Bahurim: vbi conuenienter poterant latere, quia non persequerentur eos multum longè à Ierusalem viri Absalom. Ad secundum dicendum, q̃ latuerunt in puteo, quia non erat alius locus tam conueniens in tota domo, & adhuc conueniebat magis, quia erat in uestibulo domus scilicet, extra domum in loco publico, & ibi minus suspicarẽtur esse viros, quàm in alio loco occulto: & potissimè quia mulier extendit sindonem super puteum ita vt non videretur, an esset ibi puteus. Ad tertium dicendum, quòd viri non commendauerunt mulieri, vt diceret eos non uidisse: sed potius credendũ, quòd ipsi orauerunt, vt illa diceret, quòd uelociter transierant. Et ratio est, quia si mulier dixisset, quòd non uiderat eos: viri Absalom suspicarentur eos latere in aliquo loco: vel ire per viam, & persequerentur eos: vel expectarent in via quousque illi viri exirent de latibulis, & obuiarent eis. Nunc autem cùm mulier dixit, q̃ viri illi transierant uelociter per locum illum, & perrexerant itinere suo, viri Absalonis tanquam desperates iam posse consequi illos, redierunt in Ierusalem: & fuerunt certificati de hoc isti duo viri, ideo poterant tunc securè egredi de puteo, & pergere itinere suo.

Qui habebat puteum in vestibulo suo. Vestibulum dicitur esse quædam pars publica extra domum coniuncta tamen domui, & illa vt communiter est sub parte tecti pendentis extra domum, & in loco illo erat puteus. Dicitur autem, q̃ erat in uestibulo ad significandum specialiter locum esse conuenientem ad latendũ, qu a sine suspicione erat cùm esset in publico. *Et dejcenderunt in eum.* Scilicet, ambo introierũt in puteum, & est intelligendum, quòd fuit de consensu mulieris, quæ ibi erat: & quòd illa promiserit occultare eos, alioquin non essent ipsi securi in puteo, quia ipsa poterat eos prodere, & caperentur ibi facilius, quàm alibi. *Tulit autem mulier, & expandit velamen super os putei.* Operuit enim puteum, vt nõ putaretur, q̃ ibi laterent, quia forte si viderent serui Absalom puteum, inquisiuissent in illo, vt uiderent si ibi latebant. Nunc autem posito uelamine, putarent non esse ibi puteum, & nihil inquirerẽt. *Quasi siccans ptisanas* Ideſt, posuit uelamen ad siccandum ptisanas super illud: alioquin si solùm esset velamen, putaretur q̃ ad aliquid occultandum positum fuerat. Sunt autem ptisanę grana ordei decorticata, ex quibus fit quidam potus, qui datur febricitantibus: & ad hoc quòd illa grana contundantur, ponuntur in aqua, & postea desiccantur: & tunc uocantur ptisanę. Sic enim dixit Salomon: si contuderis stultum quasi ptisanas desuper feriẽte pilo. *Et sic latuit res.* Ideſt, postquam venerunt postea serui Absalonis uidentes ptisanas super sindonem in ore putei, putauerũt ibi non esse puteum, nec aliquem latere. *Cumque venissent serui Absalom* Scilicet, illi, qui missi fuerant ad persequendũ uiros. *In domum.* Scilicet, in domum illam, in qua latebant uiri in Bahurim. *Dixedunt ad mulierem.* Inuenerũt enim ibi solam mulierem siccantem ptisanas, quæ absconderat eos in puteo, & ad illam locuti sunt. *Vbi est Achimaas, & Ionathan.* Isti uiri sciebant qui erant illi, qui latebant: nam denunciatum fuerat Absalom, quòd essent Ionathan, & Achimaas: ideo serui Absalom uocauerunt eos nomine suo, quasi mulier cognosceret eos. *Respondit eis mulier, transierunt gustata paululum aqua.* Ideſt, gustauerunt modicum de aqua hic, & recesserunt. Hoc autem dicebat, ut non persequerentur eos.

Vestibulum quid sit.

Ptisana qd sit.

An

Universidad de Deusto
Biblioteca

An peccauit mulier mentiendo. Quæst. XIIII.

QVAERETVR circa hoc, an mulier ista peccauit mentiendo. Respondendum, ꝙ mendacium istud fuit officiosum, scilicet, ad proficiendum alicui, & nemini nocendum: nam non nocuit mulier ista uiris Absalom quamquam occultaret eis ueritatem, sed potius abstulit eis, ne essent ministri iniquitatis: in quo benefaciebat eis. Profuit autem illis duobus uiris latentibus, quia sciebat eos iniustè quæri ad mortem: nam si capti fuissent occiderētur, & nihil mali merue rant: ideo liberādo eos, qnia ex charitate egit, meruit, & si illos prodidisset, peccauisset mortaliter: mentiendo autem peccabat solùm uenialiter, ita ut potius laudanda esset, quàm uituperanda. Sic fuit de obstetricibus Aegyptiorum, quæ mendacio suo liberauerunt pueros Israelitarum à morte, & dicitur ꝙ Deus ædificauit eis tabernacula. Exo. 1. In Hebræo habetur. *Iranſierunt torrentem aquę*. Vbi dicit litera nostra transierunt gustata paululum aqua: & dicunt Hebræi, quòd iste torrens erat Iordanis, qui aliquando uocatur torrens licèt esset magnus fluuius. Sed hoc non stat, quia mulier istud scire non poterat, eo quòd Iordanis est multum distans à Ierusalem, Bahurim tamē est circa Ierusalem. Nam isti uiri exeuntes de puteo iuerunt versus Iordanem, & uenerunt per noctem ad Dauid, & monuerunt, vt transiret Iordanem, vt patet infra: ergo mulier nullo modo diceret, ꝙ transierant Iordanem, quia cùm ipsa hoc scire non posset, viri Absalonis uidentes eam delitare, haberent illam suspectam, & inquirerent diligentius circa illam. Oportet ergo, ꝙ intelligatur de aliquo torrente, vel fluuio, qui erat circa Bahurim, quòd iam transiuissent illum: litera tamen nostra posuit, gustata paululum aqua, quia potest applicari ad literam Hebraicam, scilicet, transierunt torrentem aquæ, ideſt, gustauerunt modicum de aqua torrentis, quod est transglutire, vel facere transire aquam per guttur. *At hi, qui quærebant, cum non reperiſſent reuerſi ſunt*, ideſt, serui Absalom, eo ꝙ non inuenerunt uiros in Bahurim, sicut putauerant, sed crediderunt illos longe esse, & desperantes posse capi, reuersi sunt in Ierusalem.

F propter reuerentiam, scilicet, vt præceptum suum sit regula agendi seruis: nec unquam liceat eis retrocedere, nisi manifestè malum iubeatur. In hoc autem differt, quando quis agit mandato domini, aut superioris, & quando agit à seipso: nam agens à seipso, sicut debet uitare ea, quę manifestè mala sunt: ita debet uitare ea, quæ sibi dubia sunt quousque certificetur, aliàs poterit agere contra conscientiam, & peccabit. Nunc autem de istis uiris dicendum est, quòd peccauerunt, quia euidenter sciebant Absalom fouere iniustissimum bellum cōtra Dauid, ideo nullo modo debebant obedire ei iubenti occidere, vel persequi uiros. Dauid. Nunc autem isti serui Absalom persequebantur Ionathan, & Achimaan ad occidendū eos, & peccabant mortaliter siue persequendo, siue uolendo occidere, & grauius si occidissent. Cùm autem objicitur, quòd erant meri executores, & non poterant iudicare. Respondendum, quòd non poterant iudicare per modum iurisdictionis pronunciando mandatum esse æquum, vel iniquum, & debere obseruari, vel non. Poterant tamen iudicare quantum ad seipsos, scilicet, an secundùm conscientiam debebāt exequi illud, vel non. De primo patet, quia iudicare sic de mandato non pertinet nisi ad habentem iurisdictionem, & huiusmodi est iudex: merus autem executor non est iudex: ideo nec poterit iurisdictionem induere ad iudicandum de mandato domini, vel superioris, siue bonum, siue malum sit pronunciando per modum sententiæ debere obseruari, vel non. De secundo patet, quia iudicium illud pertinet ad conscientiam, qua aliquis sibi ipsi soli ius dicit, & cùm sit istud iudicium de iure naturali, & ante omnem legem, vt probat Apostolus ad Rom. 2. scilicet, gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt faciunt, reddente illis testimonium conscientia illorum: non poterit tolli per aliquod ius positiuum: imo quandocūque ius positiuum repugnauerit conscientiæ, nec est tenendum, nec est ius. *Cumque abiſſent aſcenderunt illi de puteo*, ideſt, postquam recesserunt serui Absalonis de domo mulieris, quæ erat in Bahurim, ascenderunt duo uiri de puteo, scilicet, quia mulier tunc eis dixit, quòd erant securi. *Et pergentes*, scilicet, in campestria deserti apud Iordanem, vbi tunc manebat Dauid. *Nunciauerunt regi Dauid atque dixerunt*, scilicet, nunciauerunt consilium Achitophel, & Chusai, & dixerunt ea, quę sequuntur. *Surgite tranſite cito fluuium*, ideſt, transite Iordanem. Nominatur hic fluuius non expresso nomine, eo ꝙ erat magnus fluuius, & in terra illa per excellentiam uocabatur fluuius. Vel aliter, quia habebant illum ad oculum, & cùm loquerentur tāquam de re præsenti, non oportebat exprimi nomen proprium. *Quoniam huiuſcemodi dedit conſilium contra vos Aehitophel*, ideſt, transite fluuium, quia Achitophel dedit consilium huiusmodi, scilicet, quòd ista nocte uenirent super uos uiri Absalom. Non dixit autem Ionathan, vel Achimaas de consilio Chusai, quamquam ille dedisset cōsilium, quia hortabatur Dauid ad transeundum Iordanem, & ideo inducebat probationem suadentem ad hoc, & ista erat ipsum consilium Achitophel, quia ipse dixerat, quòd iretur illa nocte contra Dauid: consilium autem Chusai erat, quòd iretur post aliquot dies: ideo secundùm illud non erat necesse transire Iordanem illa nocte, sed propter consilium Achitophel, quia ad hoc timebatur ne Absalom consentiret in illud. *Surrexit ergo Dauid, & omnis populus, qui erat cum eo*, scilicet, ante hoc Dauid, & populus suus manebant in campestribus fixis cāstris, & expectantes sermonem, qui referretur de Ierusalem: audito autem illo per nuncios parauerunt se uelociter ad transeundum. *Et tranſierunt Iordanem, donec diluceſceret*, ideſt, durauerunt in transeundo usque ad auroram. Iordanis enim non habet pontem, sed uada angusta in raris locis, ideo pauci trāsire possunt simul, vnde quasi tota nocte morati sunt Dauid, & uiri sui, & familia sua transeundo, & quando diluciscebat, iam transierant omnes. Quòd autem Iordanis habeat uada patet Iudi. 3. scilicet, quòd Aod occupauit vada Iordanis, quæ transmittunt in Moab. *Et nec vnus quidem reſiduus fuit, qui non tranſiret fluuium*, ideſt, quamquam morarentur viri Dauid transeundo, tamen ipse Dauid, & omnes qui prius transierunt expectauerūt ad vada quousque transijt totus populus, ita ut nullus remaneret citra Iordanem. Ista fuit causa quare Dauid illa nocte transiuit, quia transitus Iordanis erat difficilis, & morosus, & si irrueret subito per noctem exercitus Absalom, non haberent Dauid, & uiri sui locum ad quem fugerent, quia prius quàm quis eorum transiret Iordanem, occiderentur, vel caperentur omnes. *Porro Achitophel &c.* Hic ponitur Achitophel punitio, scilicet, quomodo ipse se occidit suspendendo se.

Serui in quibus tenentur obedire dominis suis. Quæst. XV.

QVAERETVR, an isti serui Absalom, qui persequebantur Achimaan, & Ionathan, peccabant. Aliquis dicet, ꝙ non, quia erant meri executores, & non poterāt iudicare an bonum, vel malum esset, quod iubebatur, sed tenebātur obedire. Respondendum, quòd serui, vel quicunque famuli, & subditi tenentur obedire dominis suis, & in hoc consistit solùm bonitas serui, vt rectè obediat, ut patet 1. Polit. in fine. Considerandum tamen, ꝙ aut ea, quæ iubentur sunt manifestè bona, aut manifestè mala, aut dubia. Si primo modo, tenetur seruus obedire simpliciter domino, & subditus prælato. Si secundo modo non tenetur obedire, etiam si ex hoc seruus debeat subire mortem, vel quæcunque mala: quia melius est omnia mala pati, quàm malo consentire: nec solùm est hoc ex determinatione legis Dei, sed etiam ex determinatione philosophorum secūdùm rectam rationem naturaliter hoc sequitur, vnde Arist. 3. Ethi. in principio ait. ad quędam autem fortassis non est cogi, sed magis mori patientem durissima. Si autem accipiatur tertio modo, tenetur seruus domino, & subditus prælato obedire. In isto enim defertur dominis

uit super asinum secundùm generalem consuetudinem. *Et ſurrexit, & abiit in domum ſuam, & in ciuitatem ſuam*, ideſt, iuit in ciuitatem, in qua erat domus sua. Ista est ciuitas Gilo, de qua erat Achitophel. sup. 15. & inf. 23. vnde vocatur Achitophel Gilonites.

Achitophel quare iuit in ciuitatem ſuam ad ſuſpendendum ſe. Quæſt. XVII.

QVAERETVR, quare iuit in ciuitatē suam, nam cùm intenderet se suspendere, nihil magis differebat hic, quàm ibi. Respondendum, quòd hoc fecit, quia noluit mori intestatus, sed diuidere substantiam suam hæredibus, & hoc conuenientius facere posset in urbe sua, & domo, quàm extra, ideo iuit illuc. Hoc patet, quia dicitur, & dispositа domo sua suspendio interijt, quasi dicat, noluit superuiuere, nisi quousque disponeret domum suam, & tunc interijt. Aliter potest dici, ꝙ fecit hoc, vt sepeliretur inter suos, quia licèt homini post mortem in corpore sensatio nulla boni, vel mali sit: ita ut sepultura bona, vel nullam differre putet: tamen dum homo uiuit mortē, delectabilius quodammodo suscipit, si putet se inter suos, & à suis sepeliendum. Sic enim dixit Ouid. in lib. de ponto.

Mollius oſſa cubant manibus tumulata ſuorum.

Hoc autem aliqualiter innititur in litera, cùm dicitur, & sepultus est in sepulchro patris sui: quasi dicat, ꝙ ad hoc iuit in urbem suam, vt sepeliretur cum patribus suis. Si autem suspendisset se in Ierusalem, fortè non fuisset ductus, vt sepeliretur in sepulchro patrum suorum. Item forte fecit hoc propter honores funeris, qua si suspendisset se in Ierusalem, Absalom fortassis indignaretur nimis, quòd ille se suspendisset, & nullos honores funeri eius impenderet. Inter suos autem nō poterat carere honore sepulchri, ideo iuit in ciuitatē suorum. Vel potest dici, ꝙ iuit illuc ad expediendum se de filijs, & uxore, & amicis: nam cùm destinasset seipsum occidere, voluit prius filios, uxorē amicos osculari, vt non moreretur in hoc desiderio, & sic quasi se expediret de eis, licèt eis hoc nō notificaret. Sic enim Cato Vticensis cùm se occidere destinasset, amicis, & filio collocutus est, & quasi expediens se de filio iussit ei bona sperare de Cęsare, & ad ipsum redire. De hoc August. de ciuitate Dei, lib. 1. c. 18. *Et diſpoſita domo ſua*, scilicet, facto testamento, & ordinatis omnibus alijs, quæ expediebant ordinare homini nunquam rediturō: suspendio interijt, ideſt, suspendit se nullo de domesticis eius sciente. Ecce quam amara mors, & tanto uiro indigna, vt qui cęteros sui temporis sensus perspicacitate, & cōsiliorum firmitudine, sicut Deus homines excellebat, tam infanda premeretur calamitate, vt sibipsi manus injiciens per infamem mortē inglorius occumberet. *Et ſepultus eſt in ſepulchro patris ſui.* Ista erat consuetudo antiquorum, vt in sepulchrrs patrum, & proauorum filij sepelirētur, sicut habetur extra de sepulturis, c. 1.

Quare Achitophel occidit ſeipſum. Quæſt. XVI.

QVAERETVR, quare Achitophel occidit seipsum. Respondeti potest, ꝙ egit hoc præ tedio, & indignatione nimia. Nam solebat consilium Achitophel haberi sicut cōsilium Dei: nunc autem quamquam esset verè utile, abiecerunt illud suscipientes insipientiam Chusai: ideo præ indignatione iudicauit sibi melius esse mori, quàm uiuere, & occidit se. Aliter dici potest, quòd egit præ uerecundia. Nam uir iste erat excellēs in consilijs super omnes homines, cuius nullum unquam cōsilium repudiatum fuerat, & in hoc erat gloria, & totum bonum suum: nunc verò cùm cępissent consilia eius publicè repudiari, putauit nullum bonum sibi superesse, & præ uerecundia iam non ausurus comparere inter homines, tanquā omnino inglorius elegit mori. Hoc satis consonat literę, scilicet, videns Achitophel, quòd non fuisset factum cōsilium suum suspendio interijt. Simile fuit de Homero viro clarissimo inter poetas, qui cùm in quadam insula quæstionem sibi factam à piscatoribus dissoluere nō ualeret, præ tedio mortuus est, vt ait Valerius Maxim. lib 9. cap. de Mortibus non vulgaribus. Hoc autem accidit in uiris magni ingenij, qui præter ingenium nullum bonum putant, cuius gloria perdita, vel diminuta, nihil sibi boni superesse arbitrantur: talis fortè erat Achitophel, cùm temporibus suis nullus ei consilio par fuerit. Aliter dici potest, quòd occidit se Achitophel, vt euaderet aliam mortem atrociorem, quam sibi à Dauid infligendam putabat si victor existeret, quod satis arbitrabatur, eo ꝙ non fuerat susceptum consilium suum. De hoc ait Iosephus. 7. antiquitatum. Et Achitophel eo quòd non auditus fuerat, quòd eius non tardaret interitus iudicauit. Dicebat enim post victoriam Dauid in regnū continuò rediturum, & melius sibi fore, vt liberè, & magnanimè uitam abrumperet, quàm se Dauid reseruare ad pœnas, contra quem Absalom talia præbuisset consilia. Et hoc dicens, accedēs in locum domus suæ secretiorem, laqueo se suspendit. Igitur Achitophel iudicio suo huiusmodi morte damnatum deponētes sui de laqueo sepulturæ tradiderunt. Et istud uerisimi lius est, quā præcedentia. *Porro Achitophel videns, quòd non fuiſſet factum conſilium ſuum*, scilicet, quia uidit approbari consilium Chusai, & reprobari suum. *Strauit aſinum ſuum*, ideſt, parauit illum ad uiam: non enim equitabat Achitophel super equum aut mulam, quamquam esset uir honorabilis nimis, quia rara erat consuetudo illius temporis ad mulas, & equos, sed equitauit super asinum secundùm generalem consuetudinem. *Et ſurrexit, & abiit in domum ſuam, & in ciuitatem ſuam*, ideſt, iuit in ciuitatem, in qua erat domus sua. Ista est ciuitas Gilo, de qua erat Achitophel. sup. 15. & inf. 23. vnde vocatur Achitophel Gilonites.

Quare Achitophel cùm ſeipſum occiderit, ſepultus eſt in ſepulchro patrum ſuorum. Quæſt. XVIII.

QVAERETVR, quomodo Achitophel sepultus est in sepulchro patrum: nam occidit se, & qui se occidunt indigni habētur sepultura, vt patet extra de sepulturis. cap. ex parte parentum. Item nō solùm est hoc secundùm legem Dei, sed etiam secundùm leges humanas, quia homini seipsum occidenti magnum dedecus post mortem infligitur, & non communicatur ei sepultura. Sic colligitur Ethic. 5. circa finem, scilicet,

Arguitur primo.

Secundo.

licet, adhuc autem inhonoratio adest seipsum corrũpenti, vt ciuitati iniustum facienti, ideſt, illi, qui seipsos corrumpũt, ideſt, occidunt, habent inhonorationem, ideſt, infligitur eis dedecus, & hoc eſt, quòd trahantur per terram, ſicut fit in quibuſdam regionibus, & ꝙ careant ſepultura. Reſponderi poteſt quòd Achitophel, quamquam ſe occidiſſet, ſepultus eſt in ſepulchro patrum ſuorum: quia fortè ſeruatus fuit ei aliquis fauor, eo ꝙ erat vir ſolennis. Aliter autem dici poteſt, quòd quamquam ſe occidiſſet Achitophel, nõ debebat priuari ſepulchro, quia iſtud eſt ex aliqua lege pœnali inſtituta contra illos, qui ſe occidunt: ſed in veteri teſtamẽto non erat aliqua talis lex, ideo nec aliquis priuari debebat ſepulchro. Sciendum tamen, quòd cùm aliquis erat nimis facinoroſus, & ſi non careret ſepulchro omnino, tamen carebat ſepulchro honorabili, ſcilicet, quòd non impendebantur honores funeri eius ſecundùm ſtatum ſuum: ſic patet de Ioram rege Iuda, qui occidit fratres ſuos, & fecit multa alia mala, & deinde mortuus eſt infirmitate peſſima, qui duplici pœna à populo in morte punitus eſt, ſcilicet, quia non fuerunt ei impenſi honores, qui impendebantur regibus in funere: etiam quia non eſt ſepultus cum patribus ſuis, ſed in loco viliori. De hoc. 2. Paralip. 21. ſcilicet, mortuus eſt infirmitate peſſima, & non fecit ei populus ſecundùm morem combuſtionis exequias, ſicut fecerat maioribus ſuis, & ſepelierunt eum in ciuitate Dauid, verumtamen non in ſepulchro regum. Idem patet de rege Ioas, qui peſſimus fuit occidendo Zachariam filium ſummi Sacerdotis in templo: & mortuus eſt à ſeruis ſuis, & ſepelierunt eũ in ciuitate Dauid, ſed non in ſepulchris regum. 2. Paralip. 24. Achitophel autem non legitur priuatus aliquo honore funeris, & etiam cum patribus ſuis ſepultus eſt, quia fortè non iudicabatur hoc magnum malum: ſimile enim fuit de Saule, qui ſe occidit, ne occideretur à Philiſthinis, præced. lib. c. vlt. tamen ſepultus eſt honorabiliter à viris Iabes Galaad, vt patet eo. c. 1. Paralipo. 10. Ad primam rationem in contrarium. Reſpondendum, quòd illa conſtitutio eſt Eccleſiæ, & non fuit in veteri teſtamẽto, ideo poterant ſepeliri occidentes ſe. Eſt autem ratio diuerſitatis: quia Eccleſia non vetat nunc ſimpliciter ſepeliri illos, qui ſe occiderunt: ſed vetat ſepeliri illos in cemeterio fidelium: vt ſicut non communicauerunt fidelibus in modo moriendi: ita nec communicent in loco ſepulchri. Poſſunt tamen extra locum ſacrũ vbicumque ſepeliri. In veteri autem teſtamento non erat aliquis locus ſacer, in quo ſepelirentur cadauera: nam non ſepeliebantur in ſanctuario, nec iuxta illud; ſed potius illi, qui accedebant ad mortuos non poterant accedere ad ſanctuarium. Vnde ſepeliebantur cadauera in agris, & in montibus, & alijs locis, quæ non erant ſacra: ideo illo modo non erat irrationabile, ꝙ occidens ſe non priuetur ſepultura: quia etiam Eccleſia non priuat tali ſepultura quemcunque hominem quatũcunque facinoroſum: ſed priuat eum ſepulchro in loco ſacro. Cur autem in nouo teſtamento cadauera ſepeliantur intra Eccleſiam, & iuxta eam, & in veteri teſtamento non; & an ex hoc incurrat Eccleſia aliquam immunditiam, ſatis declaratum eſt Nume. 19. Sed adhuc obijcietur, quòd nũc ſtet ratio aſſignata, quia vbicunque ſepeliatur aliquis, eſt locus ſacer: nec poteſt aliquis priuari ſepulchro ſacro, niſi priuetur ſimpliciter ſepulchro, quia leges humanæ vocant quemcunque locum ſacrum, in quo cadauer ſit. Vnde per hoc quòd cadauer ducatur in aliquem fundum, ſacer efficitur fundus, & iam non debet coli ad vſus humanos. De hoc, ff. de relig. & ſumpti. fu. per totum. Reſpondendum, quòd leges humanæ acceperunt locum ſacrum largius, quàm accipit Eccleſia. Pro quo ſciendũ, quòd cum homo ſit animal deiforme, & nullũ aliud ei ſimile eſt, ſed cœtera propter ipſum, accepit homo ſolus honorem, ita ut vocaretur ſacrum, & diuinum animal, & ob hoc ſolus homo ſortitus eſt ius ſepulchri: cętera verò quantumcunque nobis cara ſint, nequaquam ſepelienda ſunt, quia nimis naturam humanam offenderet, qui alia animalia ſepeliret, vſurpans pro illis ius ſolius naturæ humanæ. Ob hoc ergo cùm homo ſit animal ſacrum, loca in quibus ſepeliuntur homines ſacra vocata ſunt. Eſt autem honor quidam locis ſacris, ꝙ illa ad vſus prophanos redire nequeant propter honorem hominum ibi ſepultorum. Vnde fundi ſepulchrales vltra colendi non ſunt: & quia eſſe animal ſacrum competit homini ex honore naturæ, & non ex priuilegio perſonæ, quantumcunque quis facinoroſus ſit, cùm ſemper maneat in eo veritas naturæ, ſemper manebit, quòd locus vbi ſepultus fuerit, ſacer ſit: & hoc leges humanæ tenent. Eccleſia autem accipit ſtrictius locum ſacrum, ſcilicet, qui nõ ſolùm conſecratur præſentia humani cadaueris, ſed etiam per quandam ſpiritualem benedictionem, quę ſit per cęremonias Eccleſiæ: & hoc modo omnes Eccleſiæ, & cęmeteria ſunt ſacra, ideſt, benedicta: & ſic poterit aliquis carere ſepulchro ſacro, & non carebit ſimpliciter ſepulchro. Ad ſecundam rationem dicendum, quòd illa eſt conſtitutio ſecundùm varietatem Gentium, ideo aliquæ gentes imponunt pœnam occidentibus ſeipſos, quòd careant ſepulchro: alię autem non: & ſic erat apud Hebræos; ideo ſepultus eſt Achitophel cum patribus ſuis.

Ad primam rationem.

Obiectio.

An Achitophel peccauerit ſe occidendo.
Quæſt. XIX.

QVAERETVR vlterius, an Achitophel peccauit ſe occidendo. Aliquis dicet, quòd non, quia cauſam habuit ad hoc faciendum, ſcilicet, quia ſi non ſe occidiſſet, Dauid intuliſſet ei amaram mortem. Item Ioſephus videtur laudare Achitophel. 7. Antiquitatum dicens: Melius ſibi fore putauit, vt liberè, & magnanimè vitam abrumperet, quàm ſe Dauid reſeruare ad pœnas: ſed magnanimitas, & liberalitas ſunt laudabiles: ergo mors, quæ per eas infertur laudabilis eſt. Item poſitio eſt apud magnos philoſophos, quòd optima mors eſt, quam aliquis ſibi infert. ſecunda poſt hanc in honore eſt, quam alius fortiter, & viriliter pati poteſt. Iſta fuit poſitio magni Catonis Vticenſis: ideo ſeipſum occidit, ne à Cęſare occideretur, ut ait Auguſtinus primo de Ciuitate Dei. cap. 18. Reſpondendum, quòd peccauit Achitophel ſeipſum occidendo. Quod patet, quia ſi quis peccat occidendo alium, fortius peccabit occidendo ſeipſum: nam maiori charitate tenetur ſibiipſi, quàm cuilibet. Hoc enim patet, nam ex hoc magis peccat quis occidendo patrem, uel matrem quàm occidendo extraneos, quia maiori illis charitate ſecundùm naturam tenetur quàm cœteris, & maiora fœdera rumpit: maiori tamen uinculo, & charitate tenetur quilibet ſipiipſi quàm patri, uel matri: ergo magis peccabit ſe occidendo quàm occidendo patrem, & matrem. Iſtam dubitationem mouet Ariſtot. 5. Ethico. in fine, ſcilicet, an aliquis poſſet ſibi facere iniuſtum: & quærit de occidentibus ſe, an iniuſtum faciant ſibi. Reſpondet quòd ſic, & probat, quia quicunque agit contra legem iuſtam, iniuſtum facit: lex tamẽ iubet neminem ſe occidere, uel non permittit: ergo &c. Item quicunque volens, & ſciens percutit illum, qui nihil ſibi nocet, nec nocuit, & hoc ſine præcepto legis, iniuſtum facit: ſed qui ſeipſum occidit ſciens, & uolens propter iram percutit eum, à quo non percutitur, lege non permittente: ergo iniuſtum facit. Deinde quærit, cui facit iniuſtum, qui ſe occidit. Reſpondet, quòd non facit ſibijpſi iniuſtum: nam quicũque patitur iniuſtum inuoluntariè patitur, ſed occidens ſeipſum nõ patitur inuoluntariè, ergo non patitur iniuſtum, ſed non poteſt aliquis agere iniuſtum alteri, niſi ille iniuſtum patiatur, ergo non facit ſibijpſi iniuſtum. Reſpondet, ꝙ iniuſtum facit ciuitati, vel cõmunitati, cuius eſt pars ille, qui ſeipſum occidit, quod patet, quia ſciens, & uolens ciuitatem lædit, quæ conſiſtit ex ſuis partibus, & ad perditionem illarum ipſa perit. Item leges humanæ inferunt dedecus homini ſe occidenti, & non propter malum, quod alicui egit, nec ſibijpſi: ergo propter malũ, quod egit ciuitati. Vnde ait, propter quod & ciuitas damnificatur, & quædam inhonoratio adeſt ſeipſum corrumpenti, vt ciuitati iniuſtum facienti. Iſta autem vera ſunt, ſed adhuc dicendum, quòd non ſolùm ciuitati iniuſtum facit, qui ſe occidit, ſed etiam Deo, quia qui alterius poſſeſſionem, vel ſeruum lędit, dominum offendit: omnis autem homo eſt poſſeſſio Dei, iuxta illud Pſal. c. 3. impleta eſt terra poſſeſſione tua: ergo qui ſeipſum occidit, Deo iniuſtũ facit, quia ſeruum ejus, vel poſſeſſionem deſtruit. Achitophel ergo, & quicunque alius ſe occidat, grauiſſimè peccat.

Ad primam rationem.

Ad ſecundam rationem.

Ad tertiam. Quinto Gallo Stoicorũ fuit, ꝙ optima mors eſt quam ali quis ſibi infert.

Ad rationem primam in cõtrarium dicendum, quòd non poterat Achitophel habere cauſam legitimã ad ſe occidendum: nam potius debet aliquis pati duriſſima, & quod à quocũque alio occidatur, quàm quod ſeipſum occidat: nam eſt puſillanimitas quædam, ꝙ aliquis timore pœnarum, quæ ab alio infligendæ ſunt ſibijpſi manus injiciat. Ad ſecundam rationem ex authoritate Ioſephi dicendum, ꝙ quantum ad hoc non debet ſibi magna fides adhiberi. In hiſtorijs enim, ga certiſſimus fuit, credendum eſt ipſi, ſed circa regulas vitæ, ſcilicet, quid iuſtum, & quid iniuſtum ſit, nõ multa nouit. Vnde contra conditionem legis ipſe ſecutus opinionem Romanorum laudat valde illos, qui ſeipſos occidunt, ne ab hoſtibus ſuperentur. Sic enim patet in libro de bello Iudaico in fine, vbi laudat illos, qui erant in caſtro Macheruntę, quia ſe occiderunt, & filios, & filias, & uxores, & omnia, quæ in caſtra erant cremauerunt: ne hoſtibus aliqua laus victoriæ, aut utilitas prædæ proueniret. In hoc autem recurrendum eſt ad id quod ſacra lex ſentit, & qđ ratio naturalis dictat. Vnde & ipſe Philoſophię ferè ſolus poſſeſſor Ariſtoteles iniuſtum eſſe hoc diffiniuit, vt dictum eſt. Ad tertiam rationem de opinione Catonis dicendum, ꝙ illa fuit poſitio ferè omnium Stoicorum, & hanc ſecutus eſt Ioſephus: ſed non oportet nos in omnibus magnipendere Stoicos: nam in quibuſdam ſatis deliranerunt, de quibus eos increpabat Ariſtoteles. Ratio etiam naturalis eos in hac parte conuincit. Motiuum autem ſuum videtur eſſe, quia qui ſe occidunt viriles ſunt, ſcilicet, quia non timent ſibi mortem incutere, qui autem molles ſunt, & fœminei, ſeipſos tangere non audent. Sed hoc nimis fallit, quia illi, qui ſeipſos occidũt, potius ex timore agunt, ſcilicet, quia animus ſuus impotens eſt ad tolerationem doloris, vel ad ſuſferentiam contumeliarum. Quòd autem nõ inſurgat hoc ex magnitudine cordis apparet, quia plerunque fœminæ nullius virtutis inſurgente paſſionum tumultu ſeipſas occiderunt: etiam quia omnes, qui ſe occidunt hoc faciunt propter effugationem alicuius magni mali, quod peius putant morte, quam ſibijpſis inferunt. Si autem aliquis nulla magna formidans propter deſiderium alicuius boni ſeipſum occidat: laudabile eſſet, ſi lex, & ratio permitteret: ſicut fuit de illo, qui lecto libro Phœdonis de Immortalitate animæ, ſeipſum de turri quadam præcipitare uoluit, vt immortalitatem cito conſequeretur. Cato quoque Vticenſis, cùm ſibi mortem intulit, librum de Immortalitate animæ legit, volens innuere, quòd ſe deſiderio obtinendæ immortalitatis occideret: ſed falſum erat, quia ex deſperatione rerum ſuarum, quas quotidie in aduerſum ruari cernebat, & inuidia victorię Cæſaris, quoniam gloriaretur nimis, ſi eum caperet, quod in breui futurum erat, ſeipſum occidit: de hoc Auguſtinus primo de Ciuitate Dei, cap. 18. Rectius ergo ſenſit Ariſtoteles noſter, mortem iſtam iniuſtam, & ignominioſam exiſtimans.

An Achitophel grauius peccauit ſeipſum occidendo, quàm Saul. *Quæſt. XX.*

QVAERETVR vlterius, cum Saul, & Achitophel peccauerint ſeipſos occidendo, quis grauius peccauit. Reſpondendum, quòd cauſa mortis utrique eadem fuit, ſed nõ æqualis: nam Saul occidit ſe, ne Philiſthini uenientes occiderent eum illudentes ei. præcedenti libro c. ultimo. Achitophel autem occidit ſe, timens duros cruciatus ſibi inferendos à Dauid, ſi ſuperuiueret. Dicendum tamen, quòd grauius peccauit Achitophel, quàm Saul, quia Achitophel potuiſſet ſuperuiuere, vt ſi fugeret in aliam terram extraneã, & inde fortè obtineret ueniam à Dauid: vel dato, quòd non obtineret maneret ibi. Saul tamen non poterat ſuperuiuere, quia etiam ſi uoluiſſet fugere de bello, moriendum ſibi erat; erat quippe ineuitabile verbum Domini per prophetam, ſcilicet, cras tu, & filij tui mecũ eritis, ideſt, eritis mortui. præcedenti lib. cap. 28. ideo quòd ſe occideret non erat tam culpabile. Item habuit ſe Saul uirilius, quàm Achitophel, quia Saul non ſe occidit, vt non toleraret grauia vulnera à Philiſthinis, ſed ne caperetur, & illuderetur. præcedenti lib. cap. ultimo. Dixit Saul ad armigerum ſuum: euagina gladium tuũ, & percute me, ne fortè ueniant incircunciſi iſti, & interficiant me illudentes mihi. Achitophel autem non ſe occidit timens illudi, ſed timens ſolùm pœnas grauiſſimas inferendas à Dauid. Item Saul erat rex, & quòd ipſe uituperaretur, non ſolùm erat dedecus ſuum, ſed totius regni: ideo ad fugiendum tãtam ignominiam habuit maius incentiuum ad ſe occidendum, quàm Achitophel, qui erat perſona priuata: ex cuius illuſione, vel ignominia non ſequeretur dedecus Iſrael. Item Saul occidendus erat ab hoſtibus, ſi ſe non occidiſſet. Achitophel autem non erat occidendus ab hoſte, ſed à iudice propter delicta ſua, ideo magis peccabat ſe occidendo. Item ex morte Saulis videbatur quodam modo dedecus Dei, ſi rex populi ſui traderetur uiuens illudendus populo hoſtium, qui dijs ſuis attribuebant victoriam iſtam, & faciebant eis magnas feſtiuitates propter hoc. præcedenti lib. cap. ultimo, & primo Paralip. 10. de morte autem Achitophel ſi caperetur à Dauid, non ſequeretur aliquod dedecus Dei, ſed potius laus, inquantum Deus traderet Dauid hoſtes ſuos manibus ſuis, ſicut promiſerat ei ſupra ſeptimo, ergo maius, & rationabilius incitatiuum habuit Saul ad ſe occidendum, quàm Achitophel, & conſequenter minus peccauit, quia cùm peccatum cauſetur ex uariatione debitarum circumſtantiarum. 3. Ethic. cùm fuerit maior plurium circumſtantiarum deuiatio, erit peccatum grauius.

Cur mors Achitophel deſcribitur. *Quæſt. XXI.*

QVAERETVR vlterius, quare deſcribitur hic mors Achitophel, cùm non pertineat ad pugnam Abſalom contra Dauid. Reſpondendum, quòd iſtud fit propter duo. Primum eſt

est ad indicandum, quomodo Deus dedit victoriam, & vindictam Dauid de omnibus hostibus suis: erat enim hostis atrocissimus Dauid ipse Achitophel, quia ipse voluit ducere exercitum contra Dauid, & occidere ipsum: supra in litera. Dederat etiam consilium, ꝙ concubinæ suæ cognoscerentur ab Absalone. præcedenti capit. Ideo cùm ipse timore Dauid se occiderit, pertinebat hoc ad uindictam datam ex parte Dei. Vt ergo non putaretur, quòd Achitophel, qui tanta mala commiserat, impunitus euasisset, descripsit eius infelicem mortem scriptura sacra. Secunda causa est, quia ut tactum est supra 14. Deus vult ostendere non esse fœlicitatem nostram in aliquo de bonis, quibus in præsenti uita fruimur: & ob hoc omnes homines, qui excelluerũt in aliquibus maximis perfectionibus, quas communis opinio fœlicitatem uocat, calamitosa morte consumpti sunt, vel uita ignominiosa deturpati fuerunt, & ignobiles redditi. Sic enim Samson in summo robore, Absalom in summa pulchritudine, Asael in summa velocitate, Alexander in altissima potentia, Salomon in gradu summo sapientiæ infelices exitus habuerunt. Restabat autem calamitosus Achitophel, qui in prudentia dandorum consiliorum omnes homines sui temporis excellebat, ita ut consilium eius reputaretur, vt consilium Dei: sed ipse miseranda morte consumptus est. Debuit ergo scriptura de hoc sicut de cæteris dicere, ne aliquid humanæ fœlicitatis residuum esset, in quo Deus perfectam fœlicitatem non esse ostenderet.

An Achitophel damnatus sit æternaliter. Quæst. XXII.

QVAERETVR vlterius de statu Achitophel, scilicet, an perierit æternaliter, vel saluatus sit. Aliquis respondet, quòd certum est ipsum perisse æternaliter: nam in peccato defunctus est, scilicet, ꝙ seipsum occidit: ergo æternaliter perijt. Sed dicendum, ꝙ hoc non stat, quia adhuc in ipso suspendio, dum iam non erat sibi facultas contrarium agendi, fortè doluit, & poterat saluus fieri: non enim requiritur magnũ tempus ad hoc, ꝙ aliquis de peccato fructuosè doleat, sed quasi in instanti dolere potest. Itẽ patet hoc, per quoddam exemplum beati Bernardi in secundo lib. Speculi virginum de quodam clerico, qui introiuit in dormitorium monialium clandestinè, vt quandam monialem cognosceret, quæ tũc in choro matutinalibus laudibus insistebat. cùmque ipse sic iaceret, à dæmone suffocatus est: qui post dies aliquot monialibus apparuit pro eo orantibus indicans se locum salutis habuisse, quia in illo paruo tempore cruciatuum, quos à dæmone sustinuit, in se conuersus doluit. Item patet hoc authoritate Hierony. super Naum dicentis, Aegyptios, qui perierunt in mari rubro, & Israelitas, & Sodomitas, & eos, qui in diluuio perierunt potuisse saluos fieri: cùm ait, quòd genus humanum diluuio, sodomitas igne, Aegyptios mari, Israelitas in eremo perdidit: scitote ideo temporaliter pro peccatis puniisse, ne in æternum punirentur, quia non iudicabit dominus bis in idipsum. Idem 4. sententiarum, distin. 15. ergo Achitophel quamquã sic perierit, non sequitur, quòd damnatus fuerit. Respondendum, quòd nemo potest secundùm certitudinem dicere de aliquo, an saluus, vel damnatus sit, nisi sacra scriptura, vel aliqua prophetica reuelatio hoc indicet. Ratio est, quia argumentum nostrum ad hoc nullum est, nisi iudicare de operibus precedentibus. Sed ista cognitio est insufficiens: cùm quasi in instanti possit aliquis mutare statum de summo, vel ualde malo in bonum per contritionem: vel de ualde bono in malum per unicam

Prima ratio.

Secunda.

Tertia.

Responsio auct.

volitionem: quantum tamen possumus iudicare ex signis, potius dicendum est Achitophel æternaliter perijsse, quàm è contrario. Ratio est, quia ipse sibi sponte intulit mortem illam, in qua peccauit, & sic idem finis fuit sibi uiuendi, & peccandi. Ad rationes in contrarium dicendum. Ad primam, quòd poterat dolere quasi in instanti: concedendum est, & cùm dicitur, ꝙ non sequitur, quòd perierit, concedendum quod non sequitur ex necessitate: signum tamen maius est ad hoc, quòd perierit, quàm è contrario. Ad secundam rationem cùm dicitur de exemplo beati Bernardi, dicendum, ꝙ quamquam potuerit esse in Achitophel sicut ibi; tamen non est uerisimile, ꝙ fuerit. Pro quo sciendum, quòd aliqui sunt, qui moriũtur in ipso actu peccati, vel quasi, & tamen ipsi mortem sibi non inferunt. Alij autem sunt, qui moriuntur in actu peccati, & inferunt sibijpsis mortem. De primis dicendum, ꝙ isti possunt aliqualiter habere dispositionem ad conuersionem, eo quòd ipsi solùm intendunt peccare, & non mori, & quando uiderint sibi infligi pœnam, per quã morituri sunt, dolere eos uerisimile est, cùm hoc ipsi non sponte agant, sed patiũtur inuoluntariè. De illis autem, qui non solùm moriuntur, quando peccant, sed etiam ipsam mortem sibi infligunt, quamquam non sit impossibile eos pœnitere, tamen non est uerisimile, quòd doleant. Ratio diuersitatis à superiori est, quia de eo, quod quis inuoluntariè patitur dolere potest, dum patitur, & uerisimile est, quòd doleat: sed de eo, quod quis uoluntariè agit, quamquam aliquando doleat, tamen ꝙ tunc quando agit doleat, non est uerisimile. Sic eit de his, qui se occidunt, quia ipsi ex proposito agunt nõ intendentes dolere, & mors illa subito transit, ideo satis difficile est, ꝙ dicatur aliquem istorum dolere, & saluari. Quod autem dicitur de clerico ingresso ad monialem, non est simile, quia ille non ibat ad se occidendum, sed ad peccandum, & sic quando à dæmone vexaretur, in illo modico tempore vexationis conuersus in se, doleret sciens, quòd peccata sua inueniebãt eum. Achitophel autem non admirabatur de malo, quod patiebatur, quia ipse sibi inferebat illud: ideo non erat dispositus ad hoc, ꝙ doleret. Ad tertiam rationem de submersis diluuio, & Sodomitis, Aegyptijs, & Israelitis, non est simile. Primò quia de istis non apparet, quòd mortui sint in ipso actu peccati, sicut Achitophel, nisi Aegyptij, qui mortui sunt in mari rubro: nã illi ibant actualiter ad persequendum Hebræos, & in ipsa persecutione mortui sunt. De pereuntibus tamen diluuio, & Sodomitis, & Israelitis non tam clarè apparet, quia illi licèt essent in consuetudine peccandi: tamẽ non patet, ꝙ erant in actu, quando perierunt. Achitophel aũt perijt in ipso actu peccati. Aliter dici potest, & melius, ꝙ dato, quòd omnes isti essent in actu peccandi tunc, quãdo ista mala superuenerunt eis, uerisimilius de eis est, quòd doluissent. Primum est, quia habuerunt magnum tempus ad dolendum. Patet de diluuio, nam non simul diluuium consumpsit omnia, sed succesit, uè eleuabatur aqua quousque eleuata est. 15. cubitis super montes altissimos, & interim homines consurgerent ad montes, & non morerentur subitò, & in illis diebus poterant dolere. Sic etiam de Sodomitis, & Israelitis fuit, quorum pœnæ non fuerunt simul, ita ꝙ subito morerentur: mors autem suspendij subitanea est. Secundò patet hoc, quia omnes isti peribant quasi in actibus peccati, tamen ipsi non infligebant sibi pœnam, qua morerentur, sed sustinebant illam; ideo poterant dolere. Achitophel autem intulit sibi pœnam, qua mortuus est, ideo non est de eo sic uerisimile, ꝙ doluerit. Sciendum autem quòd quamquam de omnibus istis, scilicet, diluuio pereuntibus, Sodomitis, Aegyptijs,

gyptijs, Israelitis, Hiero. dicat, quòd Deus puniuit eos hic ne in æternum punirentur, tamen nõ constat ex hoc, quòd non puniuntur ætetnaliter, quia illa litera solùm probat, quòd pœna illa erat, per quam satisfacere poterant de peccatis, scilicet, si conuerti uoluissent: non tamen sequitur quòd realiter satisfecerunt, quia non constat an puniti doluerunt. De Pharaone autem specialiter dicitur, quòd illa pœna non fuit ei ad remissionem, sed fuit principium pœnæ futuræ, sic tenet Augustinus super Deuter. & de hoc. 4. sententiarum dist. 15. Sed adhuc dicendum, quòd quamquam de nullis istorum quatuor, scilicet, diluuio pereuntibus, Sodomitis, Aegyptijs, & Israelitis eõstet plenè an doluerint, tamen nulli sunt, de quibus magis uerisimile sit quã de Aegyptijs submersis in mari. Quod patet Exodi. 14. quia cùm Angelus Domini per columnam ignis, & nubis percuteret Aegyptios, dixerunt Aegyptij, fugiamus Israelem, quia Dominus pugnat pro eis cõtra nos. Et ficiam isti cognoscebant, quòd male egerãt, & desistere uolebant à persecutione Israelitarum. Cognoscebant etiam, quòd ista punitio à Deo esset, ideo satis uerisimile est, quòd doluerint de malo suo, & sic poterant saluari.

Dauid autem venit. Hic ponitur præparatio pugnæ contra Dauid, & interponitur aliquid de his, quæ pertinebant ad Absalonem, & aliquid de bonis, quæ recepit Dauid transito Iordane, & dicitur. *Dauid autem venit in castra.* Iri Hebræo habetur. *Dauid venit in Mahanaim.* Est enim Mahanaim nomen inter Hæbreos, qđ potest accipi ut proprium, uel ut commune. Primo modo significat locum quendam, quem litera nostra uocat Manaim. Gene. 32. Secundo modo significat castra: nam locus ille uocatus est sic, quia Iacob obuiauit ibi multis Angelis Dei, de quibus dixit, castra Dei sunt hæc. Gen. 32. Hic autem accipiuntur castra pro nomine proprio illius loci, qui uocatur castra, uel Manaim, & non debet accipi pro castris, ideſt, multitudine exercitus, quia non erat aliquid tale, ad quod Dauid iret, & sic potest accipi supra. 2. cùm dicitur, quòd Abner circumduxit Isbosceth per castra, & ponitur in Hebræo Mahanaim? Ista ciuitas fuit in qua mansit Dauid eo tempore, quo fuit ultra Iordanem, & ibi stetit quando fuit bellum. *Et Absalom transiuit Iordanem, ipse & omnes viri Israel cum eo.* Est intelligendum, quòd Absalom non assensit cõsilio Achitophel, ideo non persecutus fuit Dauid illa nocte, sed per cõsilium Chusai congregauit omnes Israelitas, ideſt, ualde magnum populum de Israel, ita quod essent. 20. millia virorum occisorum de illo exercitu, & permitteretur reliquis populus fugere. seq. cap. & istud fuit post aliquot dies postquam Dauid transiuit Iordanem, & interim ipse parauit se ad bellum. *Amasam verò constituit Absalom pro Ioab.* Dupliciter potest intelligi. vno modo quòd constituit Amasam pro Ioab, ideſt, quia intendebat Absalom facere Ioab principem exercitus sui, & habebat eum iam quasi præcipuũ in domo sua, sed quia noluit, accepit Amasam loco eius. Pro quo sciendum, quòd Ioab & Absalom fuerũt à principio ualde amici: postea autem fugiente Absalom propter mortem Amnon: Ioab fecit eum reuocari in Ierusalem, supra 14. Iterum autem cum nollet Dauid, quòd Absalom uideret faciem eius, fecit Ioab, quòd ueniret coram rege. eo. cap. ideo Absalom habuit Ioab in amicissimum, & uoluit eum facere ducem belli, sed quia nunc noluit fauere parti eius, accepit Amasam in ducem loco eius. Aliter intelligitur, quòd accepit illum loco Ioab, ideſt, accepit eum in tali loco, vel dignitate in qua erat Ioab apud Dauid, scilicet, quòd esset dux belli.

Cur Amasa fuerit constitutus dux belli ab Absalom. Quæst. XXIII.

QVAERETVR, quomodo Absalom accepit Amasam in ducem. Respondendum, ꝙ accepit eum propter duo. Primũ fuit, quia erat vir strenuus in armis, & postea Dauid uoluit illum accipere in ducem. infra 19. scilicet, hoc faciat mihi dominus, & hęc addat si nõ magister militię fueris coram me omni tempore pro Ioab. Et postea accepit illum in ducem. infra 20. Si tamen non esset vir strenuus in armis, & peritus tractando negocia belli, nequaquam accepisset eum Dauid in ducem, quia hoc esset perdere exercitum. Secũdum fuit, quia iste erat cognatus Absalom in secundo gradu, scilicet, patruelis eius, quia mater Amasæ erat soror Dauid. Pro quo sciendum, quòd Dauid habuit duas sorores, scilicet, Abigail, & Saruiam. De Saruia nati sunt Ioab, Abisai, & Asael. De Abigail natus est Amasa, vt patet primo Paralip. 2. erant autem Amasa, & Ioab attinentes Absaloni, in eodẽ gradu, scilicet, quia erant fratrueles filij trium fratrum: ideo Absalom voluit potius hominem de genere suo constituere ducem exercitus sui, quàm aliquem alium.

An peccauerit Amasa consentiendo fieri ducem exercitus Absalom. Quæst. XXIIII.

QVAERETVR vlterius, an peccauit Amasa, cùm susceptit ab Absalone, quòd esset dux exercitus sui. Aliquis dicet, quòd non: quia si peccauisset, puniuisset illum Dauid, non tamen puniuit, sed gratis ad se reduxit. infra 19. ergo nõ peccauit. Item si peccauisset, dato quòd remisisset ei; tamen saltem nõ eleuasset eum ad maiorem statum, sed promisit ei, quòd faceret eum principem belli. infra 19. scilicet. Hæc faciat mihi dominus, & hæc addat, si non magister militiæ fueris corã me omni tempore: & postea compleuit hoc Dauid faciendo eum ducem belli. infra 20. Confirmatur hoc, quia Ioab peccauit contra Dauid occidendo Absalom. sequenti c. & ob hoc abstulit ei principatum militiæ. infra 20. In contrarium videtur, ꝙ peccauerit, quia pugnauit contra Dauid, & fuit princeps belli, & erat bellum iniustũ, quòd ei notum erat. Respondendum, quòd Amasa peccauit: nec potest totaliter excusari, quia ipse sciebat, quòd Absalom iniuste surrexerat contra Dauid, ideo, quòd faueret ei illicitum erat: nec obstat, si aliquis dicat, quòd coactus erat ad hoc: nam ad ea, quæ sunt notoriè mala nullus debet induci propter quamcunque pœnam, vt patet 3. Ethicor. scilicet, ad quædam autem fortassis non est cogi, sed magis mori patientem durissima. Erat etiam peccatum istud magnum, quia mouebatur Amasa cõtra Dauid, qui erat sibi nimis coniunctus sanguine, scilicet, frater matris eius. Item erat peccatum graue, quia non solùm peccabat, vt priuata persona, sed ut dux. Nam effectus est dux belli contra Dauid, & in bello iniusto magis peccat solus dux, quàm multi simul de subditis eius, eo ꝙ ipse est causa omnium malorum, quæ fiunt. Erat tamẽ peccatum Amasæ aliqualiter excusabile, eo quòd Amasa erat cognatus Dauid in eodem gradu, in quo Ioab, Abisai, & Asael, & tamen Dauid honorabat nimis istos tres fratres, & non legitur, quòd aliquo modo honorasset Amasam ante hoc, licet esset strenuus vir: ideo ipse adhærerat Absalom ante hoc, quia erat inter filios honorabilior, & poterat ei benefacere: nũc autem in coniuratione contra Dauid non ausus est trãsire ad Dauid, cum ante hoc semper fuisset familiaris

Arguitur primo.

Secundo.

Tertio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

liaris Absaloni, & sic non fuit rebellio sua ad Dauid ex iniquitate, ita vt desideraret malum Dauid, sed ne desereret Absalonem: istud tamen non excusabat, qa propter nullius amicitiam virtus reliquenda est. Sic patet primo Ethic. s. propter veritatem oportet familiaria destruere, ideſt, propter veritatem vitæ oportet destruere quamcunq; familiaritatem quam ad aliquē habeamus. Ad primam rationem in contrarium dicēdum, quòd Dauid libenter reduxit ad se Amasam: tamen non sequitur, ꝙ non peccasset: Dauid tamē quia erat benignus, libenter remittebat iniurias: sicut dixit mulier Thecuites. s. sicut enim Angelus Dei, sic est dominus meus rex, vt nec benedictione, nec maledictione moueatur. i. quamquam aliquis maledicat ei non moueatur ad iram: sed est sicut Angelus Dei. s. nō habens passiones, nec affectus humanos. Sic apparuit in Absalom: nam ipse offenderat Dauid tantum, quanto fortè offendi plus non poterat, & tamen euntibus ad bellum dixit, seruate mihi puerum Absalom, & postea sciens illum occisum, valde doluit sequen. cap. ita ergo cùm Amasa valde leuius offendisset, poterat remittere ei. Item fecit hoc Dauid propter cognationē, quia erat Amasa filius sororis Dauid, ideo dixit infra. 19. & Amasæ dicite, nonne os meum es, & caro mea? ideſt, cur non redis ad me, quasi dicat, nunquid non es os meum, & caro mea, vt tibi debeam remittere peccata? scilicet, sic es. Ad secundum quando dicebatur, quòd quamquam Dauid non noceret Amasæ si peccasset, tamen saltem non eleuasset eum ad maiorem statum, eleuauit tamen eum, vt faceret principē belli. Dicendum ꝙ hoc fecit Dauid, vt posset ad se reducere Amasam, & per illum reduceret Israelem, nā Amasa erat princeps belli sub Absalom: quo mortuo in bello mansit simpliciter principatus Amasæ super Israel, & si ipse voluisset ꝙ duraret illa rebellio, potuisset facere, ideo cùm Dauid misit ad vocandum Israelitas, vt ad se venirent, misit ad placandum Amasam, & tūc promisit ei: Hæc faciat mihi dominus, & hæc addat, si nō magister militiæ coram me fueris omni tempore pro Ioab. Cùm autem obijcitur, quòd Ioab propter peccatum priuatus est ducatu militiæ, ergo si peccauit Amasa, nullum fuit motiuū exaltandi eum. Dicendum, quòd vterque peccauit, Dauid tamen nullius ponderis extimauit peccatum Amasæ cum peccato Ioab, qa Ioab occidit Absalonem contra mandatum Dauid, etiam iam occiderat Abner in pace. supra. 3. Vnde ex multo tempore conquerebatur Dauid de Ioab, & Abisai dicens, viri isti filij Saruiæ duri mihi sunt. supra 3. & iterum, quid mihi, & vobis filij Saruiæ. præc. c. ideo nunc priuauit eum ducatu belli, & priuasset vita, si auderet, sed non ausus fuit, vt patet infra. 20. postea autem iussit illum occidi à Salomone. sequen. lib. cap. 2.

Ad primam rationem.

Ad secūdā.

Amasa autem erat filius viri, qui vocabatur Ietra de Jesraeli. Hic ponitur cognatio Amasæ: nam putaret aliquis Amasam esse de aliqua stirpe nimis remota à Dauid. Et ostenditur, quòd sit propinquus Dauid, scilicet, filius sororis eius, & ponitur nomen patris, scilicet, quòd erat filius viri nomine Ietram, qui erat de Iesraeli.

An Amasa esset filius Iether, vel Iethra. Quæst. XXV.

QVAERETVR quomodo dicitur, quòd erat filius Ietra: cùm primo Paralip. 2. dicatur, quòd erat filius Ieter. Respondendum, quòd idem vir est Ieter, & Ietram: nec differunt, nisi in mutatione terminationis, quod aliquando fit ex conditione Idiomatum. Et forte poterunt esse ista tanquam duo nomina, quia multi viri sunt binomij, vel trinomij in sacra scriptura. Vtrū-

Cap. XVII.

que patet, primum in Ietrho, qui uocatur Iethro. Exo. 3. & 18. & vocatur Iether. Exo. 4. sed hic solùm differt terminatio. De secūdo, scilicet, pluralitate nominum patet, quia idem Iethro uocatur Obab, vt patet Num. 10. Vocatur etiam Raguel, vt patet Exo. 2. vbi dicitur, quòd illæ septem puellæ, quas defendit Moyses à pastoribus, & quarum alteram accepit in uxorem, erant filiæ Raguelis, & sic idem vir vocatur Iacob, & Israel. Genes. 32. & idem vocatur Petrus Simon, Bariona, Cephas.

Quomodo Iether dicatur de Jesraeli, cum dicatur Jsmaelites. Quæst. XXVI.

QVAERETVR vlterius, quomodo uocatur vir iste de Iesraeli: nam primo Paralip. 2. dicitur, quòd Iether pater Amasæ erat Isimaelites. Respondendum, ꝙ in Hebræo, vbi nos dicimus Iesraeli, habetur Israel, & intelligunt Hebræi, ꝙ erat iste Iethran Israelita, litera autem nostra potuit Iesraeli. Ratio diuersitatis est, quia in Hebræo modi cum differūt ista nomina, scilicet, quando ponitur pro loco, & pro Iacob, posuit autem potius litera nostra Iesraeli, quàm Israel, quia non uidebatur esse aliqua causa cur poneretur Israel, quia hoc nihil speciale significabat. Dicendo autem de Iesraeli signabatur, ꝙ erat Ietras de tribu Iudæ, quia Iesrael erat in sorte Iudæ. Iosue 15. De hoc tamen non multum curandum. Sed cùm dicitur, quòd erat Isimahelites: dubium est, quomodo posset esse de Iesrael. Hebræi, qui ponunt, quòd dicatur hic de Israel, dicunt, quòd uocabatur Ismaelites, quia aliquando habitauerat in terra Isimael, & ideo quando erat in terra Israel uocabatur Isimahelites, & quando erat in terra Isimael vocabatur Isimaelita. Nos autem possumus dicere dupliciter, eo quòd litera nostra dicit, quòd erat de Iesrael. Primo modo, ꝙ Ietra erat origine de terra Israel de tribu Iuda, & ad inuendum hoc, dictum est, ꝙ erat de Iesrael, quia est Iesrael locus in terra Iudæ. Iosue 15. & tunc dicetur, ꝙ uocatur Isimahelites, quia moratus fuerat aliquātō tempore in terra Isimael. Vel fecerat ibi aliquod opus famosum. sic enim omnes uiri, qui iuerūt cum Dauid in terra Philisthinorū uocati sunt postea Gethæi, qua steterūt in Geth, sic patet sup. 15. vnde & Obededom qui Leuita erat. 1. Paralip. 15. vocatur Gethæus. sup. 6. Aliter potest dici, ꝙ Ietra erat de terra Iesrael quātum ad cognationē patris, & mater sua fuit de Isimahel, vel è conuerso: ideo vocatur de Iesrael, ideſt, de tribu Iudę quantum ad alterum parentē, & uocatur Isimahelites quantū ad alium: sic enim fuit de filijs Noemi, qui acceperunt vxores de terra Moab, vt patet Ruth primo, & Booz postea accepit Ruth in uxorē, Ruth. 4. vnde Obed filius eius poterat uocari Israelita, & Moabites. vnum ex parte matris, & alterū ex parte patris. Aliter adhuc potest dici, secundùm ꝙ dicunt Hebræi, ꝙ erat de terra Israel, & tamē quia sæpe erat in terra Isimael, quando ibi erat vocabatur Israelites, & quādo erat in terra Israel uocabatur Isimaelites. *Et castrametatus est Israel cum Absalom in terra Galaad.* Hic se disposuerunt ad bellum Absalom & uiri sui contra Dauid. Nam congregatus est totus Israel, & trāsiuit Iordanem: iuitque ad ciuitatem, in qua erat Dauid, & circa illam locauit castra: nam Galaad est in sorte Gad, & Manasse, & ibi est ciuitas illa, in qua nunc erat Dauid, scilicet, Manaim, vel secundùm Hebræos Mahanaim, vt patet Gen. 32. Et locauit Absalom castra sua, vt post modicum iniret bellum contra Dauid, & fortè uolebat ire ad delendum ciuitatem, sicut dixerat Chusai, quòd circundarent funes ciuitati, & ducerent eam in torrentem, sed Dauid præoccupauit mittere uiros suos ad

bellum.

bellum. seq. c. *Qui ingressus est ad Abigail filiam Naas sororem Saruiæ.* Ideſt, iste Ietra accepit in vxorem Abigail filiam Naas, & inde natus est Amasa.

Naas quis fuerit. Quæst. XXVII.

QVAERETVR, quis fuit iste Naas, cuius filia fuit Abigail. Aliqui putāt ꝙ fuerit Naas rex filiorum Ammon. De quo dr. s. 10. Sed non stat hoc, quia tunc Abigail esset filia viri Gentilis, & non pertineret aliqualiter ad cognationē Dauid, & tamen erat de cognatione sua, quia dixit Dauid Amasæ: caro mea, & os meum es. infra 19. Item patet quia primo Paralip. 2. dicitur, ꝙ erat Abigail soror Dauid, & Saruia: & de Abigail natus est Amasa, ideo Naas pater erat Dauid, & non erat rex filiorum Ammon. Itē hic dicitur, ꝙ Abigail erat soror Saruiæ, quæ erat mater Ioab, sed manifestum est, ꝙ Ioab erat cognatus Dauid, ideo Amasa erat sibi cognatus in eodem gradu. Dicendum ꝙ Naas erat pater Dauid, sed quomodo ipse vocetur Naas, dicunt quidam Hebræi, ꝙ Naas idem est, ꝙ coluber: & vocatus est iste Naas, quia non habuit aliud peccatum, nisi peccatum colubri. i. peccatum quod Adam fecit suasione colubri. Et volūt, ꝙ propter hoc solum mortuus est. Istud autem est peccatum quod in nobis fit originale. Vel directius est pœna peccati Adæ. Vnde dato, quòd aliquis ex priuilegio non cōtrahat originale, obligatus erit ad mortem. s. propter peccatum Adæ. Sic. n. fuit de domina nostra, quæ non contraxit illud, tamen necessitatē habebat moriendi: quia tamen multi de hoc calūniabuntur, dicentes ꝙ contraxerit peccatū originale, quamꝫ illico purgata fuerit, non curo contendere. Sed dicēdū de Christo, qui nullo modo ꝛxit peccatum originale, & tamen habuit necessitatem moriendi, sic. n. dicit Apostolus ad Hebræo. 9. ꝙ Christus mortuus est semel quemadmodum statutum est hoībus semel mori: oībus tñ est obligatio ad semel moriendū. Ergo sic erat in Christo. Et tunc arguendo strictius dicetur, ꝙ si nullum fuit peccatum in patre Dauid, nisi peccatū colubri, per qđ mortuus est, non esset in eo originale, qa sine eo est necessitas moriendi, & tamen nullus potest negare fuisse peccatum originale in patre Dauid, quia non fuit aliquid speciale in eo. Item motiuū Hebræorum est facile. s. ideo non ponunt aliqđ peccatū fuisse in patre Dauid, quia non legit aliqñ peccasse, sed istud nihil est, quia isto modo dicetur de oībus hoībus, de quibus non fit mentio in scriptura, ꝙ non peccauerūt, sed ridiculum est. Item nō stat, quia tunc rex filiorum Ammon, qui vocabatur Naas diceretur, ꝙ nunquam peccauisset, nisi in peccato colubri. Sed falsum est, qa ille in multis peccauit. Item nō est verisimile, ꝙ pater Dauid nunquam peccauit mortaliter, nec venialiter, quia hoīes illius temporis nō erant viri perfecti, nunq tñ peccasse mortaliter, nec venialiter perfectissimi viri est. Item non reperitur hoc in patriarchis viris perfectissimis veteris testamenti: nam de ipso Dauid dixit Deus. Inueni virum sm cor meū. pc. li. c. 13. & Psal. 88. Et tñ ipse peccauit mortaliter, & satis grauiter. Abraham quoq; principiū fuit populi Dei, & vir nimis Deo placens, ita vt filium suum immolare vellet ad Dei cultum. Gen. 22. & tamen peccauit bis mentiendo. Gen. 12. & 20. Et fortè aliàs peccauit, licèt non legatur. Moyses quoq; ꝙ fuit excellentissimus inter oēs prophetas. Nu. 12. & Deutero. vlti. & virtuosus valde: ita vt Deus vocaret eum mitissimum super omnes homines, qui morantur in terra. Nu. 12. ipse tamen peccauit, & ob hoc non transiuit Iordanem. Nume. 27. & Deuter. 3. Isaiæ autem non legitur fuisse vir in aliquo perfectus, nec scriptura facit de eo specialem mentionem, ideo

credendum est, quòd fuerit sicut alij uiri communes, qui in cōmunibus peccatis errant. Alij Hebrei dicunt, ꝙ vocatur Naas, ideſt, coluber, quia de eo nati sunt colubri, & scorpiones ad persequendū Gentiles. Sed ista nihil sunt. Dicendum ergo, quòd vocatur Naas, quia fuit trinomius, scilicet, Naas, Iesse, & Isai, vt patet hic, & infra 20. vbi vocatur Isai, & Isaiæ 11. & Matth. 1. vbi vocatur Iesse. *Sororem Saruiæ.* Istæ duæ erant sorores Dauid filiæ Iesse. 1. Paralip. 2. *Quæ fuit mater Ioab,* ideſt, Saruia fuit mater Ioab, & non Abigail, nam Saruia genuit Ioab, Abisai, Asael, & Abigail genuit Amasa. 1. Paralip. 2. *Cumque venisset Dauid in castra.* Hic agitur de bonis, quæ recepit Dauid postquam transiuit Iordanem, quia sicut molestè eum Absalom eiecit de Ierusalem, ita gratè susceptus est trans Iordanem, & dicitur, quòd uenit in castra, ideſt, in urbem Manaim, siue Mahanaim, in qua mansit, & vocatur in litera nostra castra, quia Mahanaim in Hebræo significat castra. *Sobi filius Naas de Rabbath filiorum Ammon.* Hic ponuntur illi qui benefecerunt Dauid postquam fuit in Mahanaim, & præcipuus fuit Sobi filius Naas.

Benefactores Dauid.

Sobi filius Naas regis Ammonitarum frater Ammon. Quæst. XXVIII.

QVAERETVR quis erat iste Sobi. Respondendum, quòd iste erat filius regis Ammonitarum, fuerat enim pater suus Naas, de quo dicitur supra 10. illius autem filius Hanon, quia erat primogenitus, factus est rex, ad quem Dauid misit nuntios, vt consolarentur eum super morte patris, & ille consilio virorum suorum deturpauit nimis nuntios Dauid, supra 10. postea Dauid pugnans magno tempore contra vrbem Rabath cœpit eam, & alias vrbes Ammonitarum: cruciauitq; eos, supra 12. & tunc erat alius filius Naas nomine Sobi minor, qui non consenserat malo, quod fecit Hanon frater suus nuntijs Dauid. Ideo Dauid constituit eum in regem Ammonitarum, vt seruaret misericordiā filijs Naas, quia Naas fecerat misericordiam cum illo. supra 20. Ob hoc autem iste Naas dicitur de Rabath filiorum Ammon, vt non intelligatur, quòd erat ille Naas, de quo supra dicitur, quia ille erat pater Dauid. iste autē Sobi recepto tāto beneficio à Dauid voluit ei esse gratus, ne incideret in exemplum fratris sui Hanon, & quia erat Dauid tunc prope terram Ammonitarum, scilicet, in urbe Mahanaim, misit ei munera. Est enim Mahanaim in sorte dimidiæ tribus Manasse, & ista tribus habet possessionem in terra illa, quę olim fuit Ammonitarum. De hoc Iosue 13. Et fortè iste Sobi offerebat Dauid aliquos uiros ad resistendum Absalom, & pugnandum contra eum. Sed credendum est, ꝙ Dauid non accepit eos, alioquin sicut ponuntur hic munera, quæ dedit Sobi ipsi Dauid, ponerentur adiutoria, quæ susceptit ab ipso. *Et Machir filius Ammihel de Lodobar.* Iste erat secundus de benefactoribus Dauid, & erat vir potens, vnde ipse nutriebat apud se Miphiboseth filiū Ionathæ, & Micham filium Miphiboseth antequam Dauid iuberet inquiri, an aliquis māsisset de cognatione Saulis, supra 9. *Et Berzellai Galaadites de Rogelim.* Iste erat tertius benefactor, & vocatur Galaadites, quia erat de terra Galaad, & erat de urbe Rogelin, & uidebatur esse de tribu Gad, vel fortè de dimidia Manasse, & iste fuit maximus benefactor regis: vnde ei plus gratiarū actiones egit Dauid, & uoluit reducere eum secum in Ierusalem, vt gauderet ibi cū illo. inf. 19. sed noluit Berzellai, quia iam erat senex, susceptit autem filium eius Chamaan, & cùm moriturus esset comendauit eum nimis Salomoni, vt esset comedens semper in mensa eius, vt patet seq. lib. c. 2. *Obtulerunt ei stratoria, & tapetia.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Stratoria dicuntur apparamenta lectorum à sternendo, quia sternitur, idest, paratur, vel disponitur vbicunque dormire velit homo. Tapetia autem dicuntur apparamenta, quæ nō sunt ad lectos, sed magis ad sternendum sub pedibus, vel vt pendeant in parietibus. Sic dixit Virgi. Tapetibus altis. Ista autem obtulerunt viri isti Dauid, quia cùm venerat fugitiuus de Ierusalem, nihil secum duxerat de apparamentis lectorum, vel domus, vt decebat regiæ celsitudini, ideo isti tres obtulerunt ei abundanter stratoria, & tapetia, vt maneret in regio statu. *Et vasa fictilia.* Ista erant ad necessitatem domus pro dispositione ciborum & potuum, de quibus nihil habebat Dauid cùm esset aduena, & fugitiuus: credendum est etiam, quòd dederint ei aliqua vasa aurea, & argentea, & ænea ad cibos regis. Fit tamen magis mentio de fictilibus, quia plura erant. Et dicuntur fictilia, idest, facta de luto. *Frumentum, & hordeum, & farinam.* Ista dederunt ei ad cibos suos, & pecorum, siue iumentorum, si aliqua habebat, quia Dauid nihil omnino secum duxit de his, quæ ad necessitatem, & vsum humanum pertinebant. *Polentam.* Erat in terra Israel polenta cibus satis vsitatus, eo quòd poterat esse dispositus ad quamcunque necessitatem, & vtebantur illo Israelitæ antequam meterent segetes. Dicitur autem polenta, cibus factus de granis, scilicet, quòd spicæ frumenti, & hordei cùm nondum fuerunt totaliter maturæ leuiter torreantur ad ignem, ita q̄ grana excuti possint, & deinde congregantur grana excussa, & reseruantur ad cibos. Cùm autem frugibus nondum plenè maturis Israelitæ egebant pane, faciebant polentam, Leuit. 23. scilicet, non comedetis panē polentam pultes ex segete vsque ad diem, quo offeretis ex ea Deo vestro, scilicet, vsque ad diem azymorū. In Hebræo habetur. *Qalá*, Vbi nos dicimus Tapetia, quia ponitur ibi. *Quelim* Quod significat vasa, sed istud nomen est valde generale apud Hebræos, quia arma bellica vocantur vasa, & instrumenta musica vocātur vasa. Sic dicitur Psalmo 70. Confitebor tibi in vasis psalmi, i. in psalterio, vel in alijs instrumentis musicis, ideo litera nostra posuit specialem nomen, sicut conueniebat huic loco, scilicet, Tapetia. *Et fabam, & lentem.* Ista legumina dabantur, quia proficiebāt ad cibos familiæ. *Et frixum cicer.* In terra Israel cicera interdum frigebantur oleo, & seruabantur magno tempore ad cibos, sicut interdum torrentur, & sunt sapida gustui, atque seruantur. *Et mel, & butyrum.* Ista etiam proficiebant ad condimenta. *Et oues, & pingues vitulos.* Ista ad cibos directè pertinebant, & sic ferè nihil est, quod ad communes ciborum necessitates pertineat, aut proficere possit, quòd isti non dederint Dauid. De vino aūt non legitur, q̄ dederint, sed similiter intelligendum est, quia Dauid nihil secum habebat, quod ad vitæ necessitatem pertineret, ideo credendum, q̄ isti voluerūt ei prouidere in omnibus. Hebræi exponūt hic pinguedinem lactis vaccarum, ubi nos habemus pingues uitulos, sed illud non conuenit, quia illa pinguedo, quæ sic de lacte educitur, & non est butyrum, non conseruatur, nisi ad vnum diem cùm modicum differat à lacte. Isti autem obtulerunt regi munera esculenta, & poculenta, quæ possent seruari multis diebus, ideo nō erat ueri simile, q̄ offerrent sibi pinguedinem lactis, ideo litera nostra posuit conuenienter pingues uitulos. *Dederuntque Dauid, & populo, qui cum eo erat.* Scilicet, omnia ista oblata sunt Dauid, & populo suo, scilicet, q cum illo iuerant. Intelligendum autem, q̄ soli Dauid ista oblata sunt, quantum ad honorē, tñ offerebantur, ut ipse & serui sui comederēt de illis, quia pro eo solo non erant omnia hæc. Sic dixit Abigail Dauid, quādo obtulit ei munera. *Suscipe benedictionem hanc, quā attulit ancilla tua, & da pueris tuis, qui sequuntur te.*

præc. lib. c. 15. *Ad vescendum* Idest, ista omnia erant ad uescendum. Omnia, quæ supra immediatè dicta sunt. Nam quæ ponuntur in principio, s. stratoria Tapetia, & uasa fictilia ad usus pertinent, & ministrationes, & nō ad cibum. De potu autem nihil dī hic, quia in istis nihil est qđ ad potum pertineat. *Suspicati enim sunt populum fame, & siti peruchuari in deserto* Idest, intellexerunt isti tres benefactores Dauid, q̄ Dauid & populus suus habuerunt in deserto periculum moriendi fame, & siti: ideo illico occurrerunt eis cum istis muneribus. Ex hoc patet, q̄ non solùm obtulerunt isti uiri Dauid aliquid ad uescēdum, sed etiam ad potum, cùm dicatur, q̄ fecerunt hoc propter famem, & sitim, in qua putauerunt populum Dauid habuisse periculū: ergo protraq; dederunt ipsi remedium, alioquin solùm diceretur de fame. Aliter potest intelligi, & melius, q̄ terra illa, ad quam nunc iuit Dauid erat deserta, & non poterant in ea habere cibum, uel potum, ideo dederunt isti Dauid necessaria, vt non morerentur fame in terra illa: si autem intelligeretur primo modo de fame, & siti, quas passi sunt antequam uenirent ad urbem Mahanaim, non poterant isti ita cito occurrere Dauid, q̄ proficerent ad tollendum famem priorem: potissimè cum Sobi unus de his tribus erat de terra Ammonitarum, & oportebat, q̄ Dauid maneret aliquot diebus prius in urbe Mahanaim quàm ille sciret eum esse ibi, & mitteret illi munera. Sed tunc dicetur contra, quia cùm esset Dauid in Mahanaim, non erat in deserto. Dicendum q̄ uocatur desertum, i. terra paucæ habitationis, ita q̄ non potuisset Dauid habere in ea necessaria ad cibos, etiam si emere uellet, ideo isti tres uiri miserunt ei necessaria, potissimè Berzellai de Rogelim.

CAP. XVIII.

AGITVR considerato Dauid populo suo, constituit super eos tribunos, & centuriones, & dedit populi tertiam partē sub manu Ioab, & tertiam partem sub manu Abisai filij Saruiæ fratris Ioab, & tertiam partē sub manu Ethai, qui erat de Geth, dixitque rex ad populū. Egrediar & ego vobiscum.

ACTO in superioribus qualiter Absalom de morte Dauid tractauit, hic subditur qualiter Dei iudicio interijt. Et diuiditur in quatuor. Primò describitur ordinatio populi. Secundò congressio belli ibi. *Egressusque egressus est.* Tertiò denunciatio facti, ibi. *Ecce nuntius autem* Quartò lamentatio filij, ibi. *Contristatus itaque.*

An ordo rectus est, & immediatus. Quæst. I.

QVAERETVR circa primum, an ea, quæ habentur hic, fuerint facta post præcedentia, uel ordine turbato, & non fuerint facta immediatè. Ad primum dicendum, q̄ est rectus ordo, nam præc. c. ponitur tractatus belli, & immediatè ut Absalom uenit in Ierusalem, uel post aliquot dies pugnādum erat cō Dauid. Hic ponitur ipsum bellum. Ad ſm dicendum q̄ pauco tpe fuit factum hoc post p̄cedentia, nam fuit disceptatio in consilio, q̄ Achitophel diffiniuit q̄ illa die, qua uenit Absalō in Ierusalē deberet pugnari cō Dauid. Chusai verò dixit q̄ deberet congregari prius totus Israel, placuit autem consilium Chusai Absalō, & uiris Israel, ideo oportet q̄ aliquot diebus expectauerint in Ierusalē dū cōgregaret Israel &

& postea Absalom iuit ad pugnandum contrā Dauid. *Igitur considerato Dauid populo suo.* Volebat enim mittere uiros ad bellum, & ad hoc, vt ordinatè irent, & sciret in quot acies deberet eos diuidere, vel quot duces deberet eis præponere, considerauit populum suum, scilicet, quanta erat multitudo. *Et constituit super eum tribunos, & centuriones,* idest, diuisit populum per millenarios virorum, & centenarios, & cuilibet millenario præposuit unum uirum, qui uocabatur tribunus, & cuilibet centenario alterum uirum, qui uocaretur centurio.

Quare Dauid misit viros suos ad bellum, cum non pugnaret Absalom contra illum. Quæst. II.

QVAERETVR circa hoc, quare Dauid misit viros suos ad bellum, cū Absalom nondum pugnaret cōtra illum. Respondendum, q̄ Dauid sciebat bellū esse ineuitabile, quia Absalom congregauerat totum Israel, transieratq; Iordanem, vt pugnaret contra Dauid, nūc autem castrametatus erat in terra Galaad. præced. c. non longe ab vrbe Mahanaim, in qua erat Dauid, quia illa etiam erat in terra Galaad. Parabat autem Absalom uiros suos, vt irrueret super urbem, in qua erat Dauid, ipse autem putauit melius sibi esse pugnare in campo, quā manere in vrbe. Primò quia manēdo in vrbe viri Absalom obsiderent eam, & non permitterent quemquā introire, vel exire, & sic fame conficerēt Dauid, & seruos eius, etiam si nunquam pugnarent. Item si Dauid maneret in urbe, istud non erat pugnare, sed defendere se, & sic non posset nocere viris Absalom. Vnde sic fieret bellum, multorum dierum, quousque Dauid, & uiri sui fame, vel alijs incommodis deficerent. Cum autē egrederentur ad pugnandum, quia uiri Dauid erāt fortes, & instructi ad bellum poterant effugare Israelitas, qui quamquam multi essent, erant inordinati, vel saltē opponerent se euentui bellico. In urbe autem manendo nihil boni facere poterāt, ideo melius erat simpliciter, q̄ egrederentur ad pugnam. Item si Dauid, & uiri sui mansissent in urbe innuissent se timere, & ex hoc uiri Absalom confortarentur uidentes se timeri, & acrius pugnarent: Nunc autem cùm uiderent, q̄ pauci serui Dauid non formidabant exire obuiam toti Israel, paterent Israelitæ: sic enim fuit de Iuda Machabæo pugnante contra Timotheum. 1. Machab. 5. Nam dixit Timo. principibus exercitus sui: cū appropinquauerit Iudas, & exercitus eius ad torrētem aquæ, si transierit ad nos prior, nō poterimus sustinere eum, quia potēs poterit aduersum nos, si vero timuerit transire, & posuerit castra citra flumen, transfretemus ad eos, & poterimus aduersus illum. Melius ergo erat Dauid mittere viros in bellum cōtra Absalonem, quàm expectare in ciuitate quousque ueniret Absalom.

Quem ordinem posuerit Dauid in exercitu suo. Quæst. III.

QVAERETVR vlterius, quomodo stant simul ista, quæ dicuntur hic, scilicet, q̄ Dauid diuiserit totum populum per tribunos, & centuriones, & quod diuiserit in tres partes dando unam Ioab, alteram Abisai, alteram Ethai Gethæo, quia tunc contingeret eundem tribunum, vel centurionem diuisum esse sub duobus ducibus. Respondendum, q̄ inter centuriones, & tribunos erat iste ordo, q̄ diuidebatur populus per centenarios, & cuilibet centenario præponebatur unus uir: deinde decem centenarijs præponebatur unus uir, qui erat tribunus, & habebat sub se decem centuriones, & sic diuisus est totus populus. Sed ante istam diuisionē fuit facta alia, scilicet, quòd totus populus diuisus est in tres partes, & in qualibet illarum partium fuit postea facta diuisio per centenarios, & millenarios, alioquin si prius fuisset facta diuisio centenariorum, & millenariorum, cōtingeret, quòd ad hoc, q̄ daretur tertia pars exercitus cuilibet de tribus ducibus, diuideretur aliquis tribunus, vel centurio per duas partes, ita quòd esset sub duobus ducibus. Et istud erat destruere omnem ordinem, ideo oportuit prius diuidi per tres partes.

Quare constituti sunt tribuni, & centuriones à Dauid. Quæst. IIII.

QVAERETVR vlterius, cùm facta esset diuisio exercitus in tres partes sub tribus ducibus, ad quid constituebantur tribuni, & centuriones, vel si isti constitui debebant, ad quid diuidebatur populus in tres partes, quia istud erat præter centuriones, & millenarios. Respondendum, q̄ tota bonitas belli est in ordine, vt ait Vegetius lib. 3. de re militari: nam multitudo inordinata potius est hostilis victima, quā pugna. Nam cùm plures fuerint, & sine ordine citius discordabunt. Bonus autē ordo belli consistit in bona habitudine subditorum bellantiū ad ducem, ad hoc q̄ illi nihil agant præter ducis iussionem, & quandocunque dux aliquid iusserit possint omnes immediatè obedire. Ad hoc autē oportuit esse in bello duo, scilicet, multitudinem principum, & subordinationem eorundem: si enim esset magna multitudo bellantium, vt 10. millium, vel 12. millium, & esset unicus princeps immediatus, non posset ille omnes cognoscere, nec omnibus iubere, nec in bello illos uideret, nec ipsi possent illum audire, aut eum de singulis consultare, ideo oportuit super paucos ducem statui, vt super decem, quia unum potest conuenienter iubere decem, & habebit eos semper coram se, & poterit diuersa iubere, atque mutare consilium, quandocunque uiderit expedire, & semper habebit præsto subditos suos, qui ei obediant. Rursus tamen non oportet istos solùm esse principes, quia in magno exercitu, vtpote 20. millium essent duo millia istorū principum, & in maioribus exercitibus valde plures, & cum isti sint multi, & unus non imperaret alteri, poterunt discordare intantum, q̄ non relinquantur nisi decem simul, qui conueniant in uno consilio. Vnde isti faciliter poterant deleri propter discordiam, quia tanta multitudo principum est quasi nullus principes. Sed oportèt subordinari istos alijs principibus, & non multis, sed ad ultimum debet esse unus princeps, vel ualde pauci. Hoc enim experientia Romani didicerunt: nam ipsi solebant mittere ad bellum duos consules simul, vt duces, sed interdum eueniebat discordia, & peribat populus, sicut quando pugnantibus Romanis contra Africanos duce Hannibale erant duo consules Romani duces belli, scilicet, Paulus Emilius, & Terentius Varro, qui discordauerunt de die belli in tantum, vt ex hac occasione maxima pars Romanorum ibi periret. Oportet ergo supremū ducem esse unum, aut valde paucos. Rursus autem hoc dato non sufficit, vt tota multitudo belli diuidatur per decanos, & rursum decani subijciantur uni principi summo, quia tunc stat inconueniens, quod supra, scilicet, quòd in exercitu magno quadraginta, vel quinquaginta millium uirorum, necesse est, quòd sint quatuor, vel quinque millia decanorum, qui immediatè subijciantur summo principi illius exercitus, & ille non poterit tot uiris immediatè imperare, nec illi commodè possunt consilium eius habere in omnibus, ideo oportet

Duo necessaria in bello.

Universidad de Deusto
Biblioteca

aliter fieri subordinationes, scilicet, per multa media, vt quòd decem viri subijciantur vni decano, & decem decani subijciantur vni tribuno, ipsi autem tribuni possunt subijci immediatè maiori principi, & sic quilibet dux solùm habebit decem, vel paucos, quibus immediatè debeat imperare. Et hoc modo omnia ordinabuntur conuenienter. Sic autem fuit nunc in isto bello Dauid contra Absalonem, quia diuisit Dauid populum per centenarios, & intelligendum, quòd prius diuiserit per denarios, & deinde per millenarios, siue tribunos, & postea diuisit in tres partes totũ populum sub tribus ducibus, & cuilibet istorum subiecit tribunos aliquos.

Cur Dauid ducibus sui exercitus non præposuit superiorem principem. Quæst. V.

QVAERETVR vlterius, cùm Dauid totum populum sic diuiserit, cur ad extremum non præposuit his tribus ducibus aliquem superiorem, quia poterant discordare, & periret status belli, sicut patet in exemplo Pauli Emilij, & Terentij Varronis cõsulum Romanorum, quia propter discordiam de die belli perijt exercitus, & ob hoc Romani habuerunt inter se consilium, quòd quandocũque deberet esse bellum, crearent dictatorem, qui vnicus erat, & erat potestas eius in bello, & durabat sex mensibus, eo tamen tempore, quo durabat erat superior consulibus. Et hoc modo non erat discordia propter vnitatem principis. Respondendum, quòd Dauid posuit nunc vnum principem supremum omnium bellatorum. s. Ioab, ipse enim erat princeps specialiter vnius tertiæ partis belli, sed generaliter erat princeps super omnes viros belli, & super alios duos duces, scilicet, Abisai, & Hethai: quorum quilibet erat princeps tertiæ partis belli. Simile patet in ordinatione Sacerdotum, & Leuitarum: nam quædam pars Leuitarũ erat sub Ithamar filio Aaron, scilicet, Gersonitæ, & Meraritæ. Num. 4. alia autem pars, scilicet, Chaatithæ erat sub Eleazaro filio Aaron. Num. 3. & quantum ad hoc isti duo fratres erant principes partium diuersarũ non subordinatarum, sed præter hoc Eleazar erat princeps omnium principum Leuitarum, & quantum ad hoc erat princeps ipsius Ithamar, & omnium aliorũ principum Gersonitarum, Meraritarum, & Chaatitarum. Sic fuit in Ioab, quia ipse fuit princeps vnius tertiæ partis belli, & quantum ad hoc fuit distinctus principatus suus, & Abisai, & Hethai. Rursus autem ipse fuit princeps super Abisai, & Hethai. Quod patet, quia ipse iubebat hic super omnes, infra in litera. Nam mortuo Absalom, ipse buccina clangens dedit signũ ne persequeretur populus fratres suos, & cessauerunt omnes. Item quando mitti debuit nuncius ad Dauid referens euentum belli, ipse misit eum infra in litera, sed non faceret hoc Ioab potius quàm alij duo duces, nisi ipse fuisset princeps illorum. Erat autem hoc, quia Ioab erat solus princeps exercitus supra. 5. nunc tamẽ propter necessitatem belli facti sunt tres principes, ideo oportet, quòd semp maneret aliquis principatus Ioab super omnes alios, & sic patet q̃ hic fuit totus ducatus belli vltimatè reductus ad vnum, scilicet, ad Ioab. Vnde non poterat esse contentio inter principes, quia ad eum solum pertinebat iubere super omnes. *Et dedit populi tertiam partem sub manu Ioab.* Quantum ad istam tertiam partem erat Ioab princeps specialiter, & consistebat tota in acie sua, sed quantum ad reliquas partes exercitus, & duces earũ erat ipse dux generaliter. *Et tertiam sub manu Abisai.* Iste erat vir strenuus in armis, & erat frater Ioab, ideo constitutus est in principem belli, nam etiam in alijs bellis, in quibus Dauid non ordinasset sic populum, Ioab, & Abisai ordinabant, quòd vna pars esset sub Ioab, & alia sub Abisai, sic fuit in bello contra Ammonitas. supra. 10. Iterum etiam fuit princeps Abisai contra Idumæos, & occidit. 18. millia, supra. 8. & primo Paralipom. 18. erat autem Abisai robustus nimis. Vnde ponitur in numero fortium Dauid infra. 23. & primo Paralip. 12. fuit etiã animosus valde. Vnde ipse solus descendit cũ Dauid in castra Saul. s, & tollens lanceam Saulis voluit eum configere cum terra. præceden. lib. cap. 26. iste etiam liberauit semel Dauid in bello de manu cuiusdã Philisthæi, qui eum iam deficientem occidere volebat. infra. 21. *Filij Saruię fratris Ioab.* Saruia mater est Ioab Abisai, & Asael, & erat soror Dauid, primo Paralip. 2. *Et tertiam sub manu Hethai, qui erat de Geth.* Iste erat miles excellens oriundus de vrbe Geth, de stirpe Philisthinorum, de quo supra. 15. q. 27. declaratum est quis esset, *Dixitque rex ad populum.* Postquam enim ordinauit Dauid totum populum sub principibus, voluit & ipse ire ad bellum cum illis. *Egrediar, & ego vobiscum.* Idest, non solùm eatis vos ad bellum, sed etiam ego volo ire vobiscum. Hoc dicebat Dauid ne putarent viri sui, quòd alij sumerent labores pro eo, & ipse fugeret illos manendo in vrbe, sed populus noluit, quod iret. In Hebræo habetur. *Dauid numerauit populum.* Vbi dicit litera nostra considerato populo. Item in Hebræo dicitur. *Et misit tertiam partem.* Vbi litera nostra dicit, & dedit tertiam partem. *Et respondit populus, non exibis nobiscum.* Idest, nolumus, quòd nobiscum vadas ad bellum.

Quare populus non permisit Dauid ire ad bellum. Quæst. VI.

QVAERETVR, quare non permittebat populus ire Dauid ad bellum. Aliquis dicet, quòd fortè fuit, quia Dauid erat iam debilis, & non posset sustinere labores belli, vnde faciliter ab aliquo de hostibus occideretur, sic enim fuit infra. vigesimo primo, vbi in quodam bello deficiente iam Dauid præ lassitudine, quidam de Philisthæis conatus est percutere eum, & occidisset illum, nisi Abisai venisset in adiutorium, qui occidens Philisthæum liberauit Dauid. Et tunc iurauerunt viri Dauid, quòd non descenderet cum eis amplius ad bellum. Sed hoc non stat, quia illud fuit factum aliquanto tempore post; & tunc primùm iurauerunt serui Dauid, quòd non exiret cum eis ad bellum, ne fortè extingueret lucernam Israel, & sic ante hoc nunquam prohibebant eum exire ad bellum. Item isto tempore Dauid adhuc erat fortis. Quod patet, quia præceden. cap. dixit Chusai, scit enim omnis populus fortem esse patrem tuum. Et iterum, tu nosti patrem tuum, & viros, qui cum eo sunt fortissimos, ergo tunc potens erat ad bellum. Dicendum igitur, quòd non permisit populus exire Dauid ad bellum, quia erat magnum periculum. Nam Absalom, & viri sui nolebant pugnare contra viros Dauid, sed contra ipsum solum: sic dixit Achitophel præceden. cap. vnum virum tu quæris, & omnis populus erit in pace, idest, solum quæris illum: poterat ergo esse quòd Absalom præ desiderio capiendi Dauid iuberet omnibus viris suis, quòd non curarẽt pugnare contra aliquem de viris Dauid: sed etiam si tolerarent uulnera irrumperent acies usque ad ipsum, in quo esset Dauid, & occiderent eum uel caperent, & sic poterat faciliter capi: sic enim Benadad Rex Syriæ dixit omnibus principibus curruum, non pugnabitis contra maiorem, & minorem quempiam nisi contra regem Israel solum. sequen. libro, capitulo. 22. Hoc autem erat iam usitatum in bellis, ideo

ideo rex Israel mutauerat habitum, ne cognosceretur à seruis Benedad arbitrans hoc posse accidere, vnde cùm mutasset vestem, & solus rex Iuda mansisset in veste regia, serui Beniadad arbitrati illum esse regem Israel circundederunt omnes ipsum, & ipse clamauit innuens, q̃ non esset rex Israel, & tunc cessauerunt ab eo: si tamen non fuisset iste modus pugnandi usitatus, non clamasset Iosaphat, quia non putasset se liberandum per hoc. Poterat ergo fieri sic de Dauid, quòd seruientes timentes deuitauerunt, facientes ne iret ad bellum: vel aliter, cùm Absalom solum Dauid vellet occidere, cùm sciret eum esse in bello, confortaretur nimis ad pugnandum, vt illum caperet: sciens autem, q̃ non erat ibi: non putaret se aliquid agere, quia dato q̃ occideret medietatem exercitus Dauid, vel maiorem partem, dum tamen ipse uiueret, poterat alium exercitum congregare, & sic nihil ageret Absalom. Ad hoc ergo, quòd pugna Absalonis non proficeret, & ipse non desideraret illam, oportebat q̃ Dauid non iret ad bellum, & ista ratio tangitur in litera. *Siue enim fugerimus, non magnopere ad eos de nobis pertinebit*, idest, si nos fugimus ad bellum non poterit accidere aliquod malum, quia aut superabimus, aut superati fugemus ante vulnera, aut multi de nobis corruent vulnerati. Si primo modo, bene factum est, si autem fugerimus, non multum curabunt de nobis, scilicet, quia non est dedecus tibi, quia tu non fugis. Si autem tu ires nobiscum, & fugeremus, esset magnum dedecus tibi. Si vero percutiantur multi de nobis: dum tamen tu nõ eas nobiscum, nihil curabunt. si autem te percutiunt, habent quod uolunt, ideo non expedit, vt eas. Et dicitur hic magnopere, idest, multum, scilicet, non multum curabunt, quòd fugiamus nos. *Siue media pars ceciderit è nobis non satis curabunt*, idest, etiam si occidant medietatem de nobis, non curabunt satis, scilicet, quia putabunt modicum se egisse: scientes quia licèt pereat medietas nostrum, adhuc tu poteris habere maiorem exercitum. *Quia tu vnus pro decem millibus computaris*, idest, magis curabunt de te solo, quàm ut occidant decem millia, & cùm te non occiderint, non curabunt, quòd occiderint multos de nobis. Rab. Dauid Kimhi exponit, quòd quamquam nos essemus ultra decem millia, & occiderent nos, non curarent de nobis quousque te occiderent. Alij exponunt, quòd Dauid compatiebatur pro decem millibus, scilicet, quia ipse manens in urbe tantum ageret orando, sicut decem millia de euntibus ad bellum pugnando. Sed prima expositio est uera. *Melius est igitur, vt sis nobis in vrbe præsidio*, idest, melius est, vt maneas in urbe ad præsidium nostrum. Et est sensus, quòd si Dauid maneret in urbe, siue uiri sui fugerent, siue percuterentur, haberent ad quem confugerent. Et dato, quòd occiderentur multi, Dauid poterat iterum instruere exercitum eorum: si autem ipse iret cum eis ad bellum, & fugerẽt, non haberent, ad quem postea confugerent, & sic magis adiutorium esset eis Dauid manens in urbe, quàm iens ad bellum. Rab. Sa. dicit, & litera Caldaica, q̃ Dauid esset præsidio manendo in urbe, scilicet, quia oraret pro euntibus ad bellum, & superarent, sic fuit in Moyse, qui orauit dum pugnaret Iosue contra Amalecitas. Et quamdiu manus Moysi erant eleuatæ vincebat Iosue, & quando deprimebantur vincebatur ab Amalecitis. Exod. 17. Sed primum est verius. *Ad quos rex ait, quod vobis rectum videtur hoc faciam.* Vidit Dauid, quòd serui sui loquebantur rectè, ideo uoluit assentire illis. Etiam vt placaret eos, & redderet erga se beniuolos, locutus est sic humiliter. *Stetit ergo rex iuxta portam*, scilicet, quando debuit egredi exercitus de urbe, stetit Dauid apud portã urbis, vt uideret quomodo ibant ordinati. Nam intra urbem non poterat bene videri ordo eorum, quia non poterant congregari in aliquo loco. Erat autem ista ciuitas Mahanaim de qua egrediebantur pugnatores. *Egrediebaturque populus per turmas suas centeni, & milleni.* Idest, populus egrediebatur de vrbe sic ordinatus, sicut debebat pugnare in turmis suis, & istæ turmæ erant centenorum, & millenorum: erat enim populus ille distinctus in tres partes, & quælibet habebat sub se aliquos centenarios, & millenarios, & omnes centeni, & milleni eiusdem partis egrediebantur simul, ita quòd non miscerentur eis centeni, & milleni alterius partis. De isto exercitu Dauid dicit Historia scholastica, quòd erat quasi septem millium virorum. *Et præcepit rex Ioab, & Abisai, & Hethai.* Istis tribus præcepit de Absalone, ne occideretur, quia isti erant principes totius exercitus, & quidquid ipsi iuberent, fieret. *Dicens, seruate mihi puerum Absalom.* Idest, non occidatis eum. In Hebræo habetur. *Mansuescite, vel lenter ite super Absalonem.* Et ad idem redit, quod litera nostra. Et exponunt Hebræi, quòd non irent serui Dauid contra Absalonem cum magno impetu, ne facerent eum contremiscere, sed mansueti acciperent illum, & seruarent.

Dauid an esset certus de victoria, cum dixerit, seruate mihi puerum. Quæst. VII.

QVAERETVR, quomodo Dauid iubebat seruis suis, quòd seruarent ei puerum Absalom, nam in hoc præsupponit, q̃ viri sui deberent vincere, sed hoc non erat certũ. Aliquis dicet, quòd Dauid dixit istud cum conditione, scilicet, si acceperitis Absalom seruate eũ mihi, & nõ occidatur. Hoc enim dicebat Dauid, quia putabat q̃ Ioab, vel alij de bellatoribus occiderent ipsum. Sed dicendum, quòd ista verba nõ fuerunt cum conditione dicta. Quod patet, quia Dauid exhistẽs ad portam vrbis solùm dixit, seruate mihi puerum Absalonem, & non potest referri ad aliqua præcedentia, vt intelligatur cum conditione. Dicendum ergo, q̃ Dauid erat certus de victoria suorum, quia Deus promiserat ei, q̃ seruaret eum in omnibus, nunc autẽ intulerat ei mala ad tempus, quia peccauerat. Iam autem non esset eum afflicturus cùm doluisset de peccato. Sed aliquis dicet: vnde Dauid erat certus, q̃ quamquam non deberet puniri semper, q̃ saltem nunc non puniretur, quia nesciret, an esset sufficiens pœna pro peccato suo illa, quæ inflicta fuerat? Respondendum, q̃ Dauid habuit hoc ex quodam signo, nã postq̃ doluit, & egressus est nudis pedibus de Ierusalem, orauit Dñm, vt infatuaret consilium Achitophel. 2. Reg. 15. & sic factum est, quia dr̃ præc. c. q̃ nutu Dei dissipatum fuerat cõsilium Achitophel, qd̃ erat vtile. Hoc aũt sciebat Dauid, quia Ionathã, & Achimaas nunciauerãt ei. p̃c. c. iõ sic p̃fide bat, q̃ iã in oĩb⁹, q̃ erãt ꝫ Absalonẽ Deus exaudiret eũ.

Quare Dauid præcepit Absalom seruari. Quæst. VIII.

QVAERETVR vlterius, quomodo Dauid iubebat, q̃ seruaretur Absalom, cùm tanta mala contra eum egisset. Respondet Nicolaus, q̃ hoc faciebat Dauid compatiens animæ Absalom, quia sciebat eum esse in peccato mortali, & si moreretur in bello, moreretur in peccato mortali, & periret æternaliter. Ad hoc dicendum, quòd ista ratio satis conueniens est, sed non est nimis literalis, magis enim videtur, quòd faciebat hoc Dauid desiderio carnis, scilicet, quia erat filius eius, & naturaliter afficiebatur ad illum: ideo quamquam irasceretur ei, quia peccauerat, tñ compatiebatur ei, quia filius erat.

Vnde nolebat eum perire, cùm iam crederet exercitum illius subijciendum sibi. Hoc videtur sonare litera, quæ dicit infra. Absalom fili mi, fili mi Absalom, qs mihi tribuat, vt ego moriar pro te? & tamen Dauid nollet mori æternaliter, ne Absalō mortuus esset, nec hoc vllo modo eligeret, sed solùm mortem temporalem, vt non moreretur filius sibi dilectus: ideo nō moueb atur principaliter propter dolorem animæ Absalom, vel saltem significatur hoc in verbis suis.

An Dauid poterat licitè non occidere Absalom.
Quæst. IX.

QVAERETVR vlterius, an posset facere Dauid conuenienter, quòd non moreretur Absalom. Aliquis dicet, quòd non, quia Absalom erat reus mortis propter horrenda crimina, quæ commiserat, ideo peccaret Dauid si eum seruaret viuentem. Respondendum, quòd Dauid poterat licitè non occidere Absalonem. Cùm autem arguitur, quòd peccauerat, dicendum, quòd peccatum poterat tolli per remissionem, ita quòd non fieret executio pœnæ debitæ: nam cùm talia sunt crimina, quæ non possunt remitti per partem, Iudex tenetur facere executionem. Et ista sunt crimina, in quibus non est offensa hominum, sed Dei, sicut in blasphemijs, & incendiarijs Ecclesiarum, & hæreticis, & similibus, quæ contra Deum solùm sunt, non poterit iudex remittere pœnam: vel si sit crimen, in quo non solùm offenditur homo, sed etiam offenditur ius directè: velut si aliquis cognouit violenter aliquam monialem, etiam si ipsi remittat iniuriam suam, non sufficit, quia violator læsit ius consecrationis, cùm ista monialis Deo cōsecrata esset: & sic in similibus non poterit iudex remittere pœnam quamquam pars remittat, si autem offensa delicti tota sit contra partem, est delictum remissibile per partes, & sic est in furto, & homicidio, & similibus. Hoc autem delictum Absalonis erat directè contra Dauid cuius regnum inuaserat, erat etiam aliqualiter contra subditos Dauid, quos offendebat volendo inducere super eos nouum dominum & iniustum, auferendo iustum dominum. Dauid autem ex parte sua remittebat iniuriam inquantum erat pars principaliter læsa, ideo inquantum erat iudex, non tenebatur procedere contra Absalonem ad pœnam. Sed tunc manet de iniuria facta toti regno, quia non poterat illam remittere Dauid. Dicendum, quòd quasi nulla iniuria erat facta regno, sed potius illi de regno offenderant Dauid, quia ipsi insurrexerant cum Absalom contra Dauid, supra. 15. Ideo nihil habebant illi quod remitterent Absalom, sed potius Dauid habebat quid remitteret vtrique. Sed adhuc dato, quòd viri de regno, qui manserant cum Dauid haberent aliquam actionem contra Absalom, illam poterant remittere, & remisissent petente Dauid: ideo conuenienter ipse dicebat, scilicet, quòd seruaretur Absalō, ne moreretur in bello, & si aliquid mali postea tolerare deberet, posset ad illud condemnari. *Et omnis populus audiebat præcipientem regem pro Absalom.* Idest, audiebat, quòd rex mandabat principibus, quòd custodirent Absalonem. Istud ponitur ad signandum, quòd non poterat Ioab prætendere ignorantiam in præcepto regis occidendo Absalom. *Itaque egressus est.* Hic ponitur secundum huius cap. scilicet, congressio belli, & dicitur. *Itaque egressus est populus.* Scilicet, populus Dauid. *In campum.* Sed dicetur contra, quia infra dicitur, quòd fuit factum bellum in saltu. Respondeti potest dupliciter, vno modo dicitur, quòd campus vocatur omnis locus, qui non est vallatus, siue sit planus, siue montuosus, & quia nunc egrediebantur viri Dauid de vrbe, quamquam irent in saltum, dicebantur ire in campos. Aliter potest dici, quòd bellum inceptum est in plano quodam, quod vocabatur campus, sed postea viri de parte Absalom fugerunt in saltum. Primus modus est verus, nam infra dicitur, & factum est prælium in saltu Ephraim. *Contra Israel.* Idest, contra omnes tribus Israel. Habebat enim Absalom nunc secum de omnibus tribubus Israel, quia etiam tribus Iuda non manserat cum Dauid. Quod patet, quia finito bello ipse misit ad tribum Iuda orando, vt venirēt pro ipso ad ducendum eum in domum suam. seq. cap. sed isti viri, quos nunc Dauid habuit fuerunt familiares sui, quos habuit in Ierusalem, & si quæ alij fortè sibi conjuncti fuerunt post transitum Iordanis. *Et factum est prælium in saltu Ephraim.* Erat enim alicubi mons magnus in aliquibus partibus suis planus, & ibi acies instructæ fuerunt.

Bellum an fuerit factum in saltu Ephraim.
Quæst. X.

QVAERETVR quomodo, potuit bellum fieri in saltu Ephraim, quia saltus Ephraim est in terra Ephraim, & terra Ephraim est ad Occidentalem partem Iordanis, vt patet Num. 34. iuncto. 16. ca. Iosue, scilicet, quia omnes decem sortes tribuum fuerunt ad occidentem Iordanis, solæ autem duæ tribus & dimidia acceperunt sortem ad Orientem Iordanis. Idem colligitur Num. 32. Absalom autem erat nunc trans Iordanem ad Orientalem partem, cùm dicatur præceden. c. quòd transiuit Iordanem, ergo non fuit bellum in saltu Ephraim. Respondet Nicolaus, quòd dicitur fuisse in saltu Ephraim, quia fuit in quodam saltu, qui erat in directo sortis Ephraim, & tamen erat vltra Iordanem ad Orientem. Sed iste modus loquendi non est multum cōueniens. Aliquis fortè dicet, quòd fuit bellū in sorte Ephraim, quia quamquam Absalom transisset Iordanem ad locum vbi erat Dauid, postea redijt citra Iordanem, & viri Dauid iuerunt illuc ad pugnandum in sorte Ephraim. Sed hoc non stat, primò, quia Absalom transiuerat Iordanem, vt persequeretur Dauid, quomodo ergo erat verisimile, quòd nunc nullo bello facto redirent citra Iordanem, quia in hoc videretur omnino deserere Dauid. Item non stat, quia viri Dauid magis pugnabant, quasi se defendentes, vel repellentes iniuriam, quàm eundo ad persequendum Absalonem. Hoc tamen modo Dauid persequeretur Absalonem, ideo non est verisimile. Dicendum igitur, quòd erat iste saltus Ephraim ad Orientem Iordanis, & erat extra sortem Ephraim. Vocatur tamen saltus Ephraim, quia aliquis mons fortè erat qui extendebatur citra Iordanem, & vltra Iordanem habens locum aptum, per quem transiret Iordanis, & ille etiam Iordanem transibat per sortem Ephraim, ideo tam citra Iordanem, quàm vltra vocabatur saltus Ephraim. Aliter & melius dici debet, quòd iste saltus erat in sorte Galaad, & quia ibi Ephraitę fecerunt aliquid, nominatus est ille mons saltus Ephraim, sic enim patet Iosue decimooctauo, vbi in termino tribus Beniamin ponitur Abemboem, idest, lapis Boem filij Rubem. Et est etiam in terminis sortis Iudæ, vt patet Iosue. 15. Et sic est trans Iordanem ad occidentem, cùm istæ duæ sortes sint ad occidentem Iordanis, & tamen filij Rubem non habebant possessionem citra Iordanem, sed vltra, vt patet Num. 32. & Iosue. 13. nominatur in sic pp aliquid quod ibi fecerunt Rubenitæ: sic enim quidā locus apud Iordanē circa Betagla vocat plāctus Aegyptiorū, vt patet Gen. vlti. & tñ ibi non erat aliqua pars Aegypti. *Et egressus est ibi populus Israel ab exercitu Iuda.*

Peccatū aliquando potest remitti sine pœna, aliquando non.

Congressio belli.

uid. quamquam. n. uiri, qui erant cum Absalom essent multi, sicut arena maris, tamen uiri Dauid, qui pauci erant præualuerunt. Hoc autem Deo agente, qui uolebat inducere malum super Absalonem: sic dicitur præcedē. cap. scilicet, Domini autem nutu dissipatum est consilium Achitophel utile, vt induceret Dominus super Absalom malum: vel fortè fuit, quia exercitus Dauid erat valde ordinatus, & exercitus Absalom sine ordine, ideo faciliter dispersus est. Sed primum verius est, quia Deus intendebat destruere Absalonem. *Factaque est plaga magna in die illa. 20. millium*, idest, fuit in bello illo magna occisio, nam occisi sunt. 20. millia virorum. Sed de istis dubium est, an omnes ceciderunt gladio, vel quosdam de eis saltus consumpserit: nam constat, quòd plures consumpti sunt saltu, quàm gladio, vt infra dicitur. Satis tamen potest dici, quòd ista 20. millia perierunt gladio, multo plures autē consumpti sunt à saltu, sed illorum non ponitur numerus. Vel aliter, quòd omnes occisi tam gladio, quàm propter saltum fuerint. 20. millia, sed gladio pauciores ceciderunt, scilicet, quinque, vel sex millia, & omnes alios saltus consumpsit. *Fuit autem ibi prælium dispersum supra faciem omnis terræ*, idest, illi, qui erāt de parte Absalom fugiebant, & dispergebantur per omnem terram, viri autem Dauid sequebantur illos, & etiam ipsi dispergebantur. *Et multo plures erant, quos saltus consumpserat de populo, quàm quos vorauerat gladius in die illo*, idest, locus ille fuit nimis incommodus pugnæ, quia plus nocuit uiris Absalom, quàm gladius Dauid, nam dicitur quòd saltus consumpsit multos.

Saltus, quomodo consumebat viros Absalonis.
Quæst. XI.

QVAERETVR, quomodo Saltus consumebat viros Absalom. Respondēdum, quòd hoc poterat fieri propter bestias, quia erant multæ bestiæ feroces, scilicet, leones, & ursi in saltu illo, & istæ occiderunt multos de uiris Absalonis: vel fortè erant ibi animalia venenata, vt serpentes, & reguli, & scorpiones, & ista uelocius occidunt, quàm bestiæ feroces, & multo plures incautos occidere possunt. Modus autem erat, quia bellum fuit factum in aliquo loco plano illius saltus, & nō habente arbores, quia aliàs non potuissent instrui acies, & quamdiu pugnatum est, neminem consumebat saltus, sed postquam cęperunt fugere viri Absalom, introibant ad loca secretissima montium, vbi erant arbores condensa, & ibi latebant animalia venenata, vel bestiæ magnę sequestratæ ab humano consortio, & occidebant fugientes. Aliter etiam poterat fieri, scilicet, quòd cùm saltus esset occultus: illi, qui pugnabant ibi nesciebant loca illius, & aliquando fugientes præcipitabantur de rupibus, & moriebantur, & istud erat periculum ualde magnum. Vel fortè in montibus istis erant multæ fossæ, & fugientes Israelitę incidebant in fossas, & morientur ibi, quia dato, quòd immediatè non morerentur, postea cùm nullus educeret eos, moriebantur. Hoc autem patet, quia cùm Absalom mortuus esset, dicitur, q̄ proiectus est in quandam fossam magnam. Illa autem non fuit facta, sed inuenta est in deserto. Et sic credendum est, quòd essent multæ aliæ, in quibus morerentur Israelitæ. *Accidit autem, vt occurreret Absalom seruis Dauid sedens mulo.* Iam enim cœperant fugere, qui erant de parte Absalom, & ipse Absalom fugiens super mulum quendam occurrit seruis Dauid, sed ipsi noluerunt ei nocere, nec nocuissent, nisi pependisset in ligno. Si autem aliquis dicat, quomodo in terra Israel erāt muli, cùm prohibita esset ista commixtio Leuit. 19. Respondendum sicut fuit dictum supra 13. de mulabus filiorum regis. quæst. 18. *Cumque ingressus fuisset mulus subter condensam quercum, & magnam.* Mulus enim impetu suo rapiebatur, & nolente Absalom, scilicet, non potente eum regere præ timore ingressus est subter quærcum condensam, idest, ramosam, scilicet, quia rami eius erant multum spissi. & erat magna, scilicet, habens ramos grossos, ideo potuit pendere Absalom de illa. *Adhæsit caput eius quercui*, scilicet, capilli Absalonis erant valde magni, quia quolibet anno tondebat eos solùm semel, quādo grauabat eum cæsaries. supra 14. & crescebant in eo capilli plus, quàm in alijs hominibus, & nunc erant valde magni, & ventilabantur per aerem propter velocitatem cursus, vnde adhæserunt quercui, quia erat ramosa. *Et ille suspensus inter cœlum & terram*, idest, manfit Absalom suspensus inter cœlum & terram, scilicet, quia tenebatur de arbore, & mulus fugit. *Mulus cui insidebat pertransiuit.* Non est sensus, quòd ipse maneret suspensus priusquam transiret mulus, quia dum sedebat in mulo nondum erat suspensus, licèt esset arbori alligatus: tunc autem transiuit mulus, & ipse pendēs māsit.

Quomodo Absalom potuit pendere, fugiente mulo.
Quæst. XII.

QVAERETVR, quomodo Absalom potuit pendere, fugiente mulo, quia ipse poterat tenere eum, & interim solueret capillos, vel amputaret. Respondet Ra. sa. quòd Absalom pendens uoluit sibi amputare capillos, vt cadens fugeret, sed uidit sub se apertam gehennam, & ne caderet in Abyssos, uoluit potius pendere in arbore. Sed istud potius videtur confictum: maximè quia non soluit dubium, scilicet, cur non tenuit mulum, donec solueret capillos. Respondendum ergo, quòd Absaloni multa acciderunt hic, à quibus uidebatur posse liberari, nisi Deus uoluisset eum perdere: nam potuisset tenere equū, ne introiuisset subter quercum ramosam, etiam postquam introiuit, & alligati sunt capilli eius, poterat ipse tenens mulum soluere illos, & fugere. Etiam dato, quòd mansisset pendens poterat capillos amputare, vel si non habebat gladium poterat manibus tenens arborem illos soluere, vel rumpere, sed nihil horum fuit, eo quòd Deus habebat exosum Absalonem, & uolebat eum tradere in manus hostium, vt de tanto eum timore concussit, quòd mulum tenere nequiuit, & cùm fuit sub arbore habenas reliquit, & mulus ex impetu fugit, ipse autem Absalom iam moriturus non attendebat quid ad liberationem suam facere posset, sed sententiam domini pauefactus expectabat, quia uoluntatis Dei fuit, vt inducerentur super eum mala, præceden. cap. & moreretur manibus seruorum Dauid. Vnde percussit eum Deus, ne attenderet ad ea, quæ sibi utilia erant. *Idit autem hoc quispiam, & nunciauit Ioab.* Iste erat de seruis Dauid, quibus Absalom mulo insidens occurrerat, & non audens tangere eum iuit ad Ioab.

Seruus Dauid quare nunciauit Ioab Absalonem pendere.
Quæst. XIII.

QVAERETVR, quare iste seruus Dauid, cùm uidisset pendentem Absalonem, & noluisset eum occidere, & potuisset liberare, nō liberauit. Respondendum, q̄ iste desiderauit, vt non moreretur Absalom, sicut iusserat Dauid, & patet ex uerbis suis ad Ioab, & si fortè cognouisset, q̄ Ioab occisurus erat Absalonē, non locutus fuisset ei de illo, sed ipse soluisset eū: putauit tñ, q̄ Ioab non occideret Absalonē, sed seruaret, eo q̄ Dauid istud iusse-

Universidad de Deusto
Biblioteca

rat,& quia Ioab poterat honorificentius compræhen F
dere Absalom,qui erat filius regis,& non decebat, ꝙ
caperetur ab alijs viris minoris ſtatus,ne videretur eſſe
vilipenſus, vocauit ille Ioab. Item putauit fortè,quòd
ſi ipſe conaretur ſoluere Abſalom de arbore, & hoc
non diceret Ioab,quòd iraſceretur Ioab, & occideret
ipſum. Item dato, quòd iſte vir putaſſet, quòd Ioab
occiſurus eſſet Abſalom,non poterat ipſe liberare eũ,
quia ſi ſolueret illum, & dimitteret, ab alio inuentus
occideretur. Si autem eum ſecum teneret liberari
non poſſet, & fortè eſſet in periculum ſui, & Abſa-
lom, ideo nihil ſibi ſecurius fuit quàm nuntiare illud
Ioab, *Vidi Abſalom pendere de quercu*. Deus enim pu-
nierat eum in quo peccauerat, nam ipſe glorabatur
nimis in capillis ſuis,& ponderabat eos quolibet anno G
ducentis ſiclis pondere publico, ſupra. 14. ideo voluit
Deus punire eum in hoc, faciendo quòd penderet
per capillos. In hoc apparet, quòd Abſalom erat in-
ermis, nam alioquin non potuiſſent capilli ſui arbori
alligari, ſi aliquo armamento caput eius protectum
eſſet. Sed fortè non ad pugnandum, ſed ad viden-
dum venerat, quomodo viri ſui pugnarent,ideo nunc
inermis erat. *Et ait Ioab ad virum, qui nunciauerat ei, ſi*
vidiſti, quare non confodiſti eum cum terra. Ideſt, ſi vidi-
ſti eum pendere, quare non infixiſti ei lanceam, ita vt
maneret affixus terræ? ſcilicet, debuiſſes hoc facere.
Et ego dediſſem tibi decem argenti ſiclos,& vnum baltheum.
Decem enim ſicli non erant magni valoris, quia in
terra Chanaan vnus aries de communibus valebat H
duos ſiclos,vt patet Leuitic.quinto,& ſic daretur viro
precium. 5. arietum. Baltheus autem erat cingulum
militare, & erat inſignium militantium. Illum au-
tem dediſſet Ioab illi viro, ſi occidiſſet Abſalom, ſci-
licet,faceret eum militem. *Qui dixit ad Ioab, ſi appen-*
deres in manibus meis mille argenteos. Argentei vocan-
tur hic ſicli,qui de argento erant,& dixit ille vir,quòd
etiam pro mille ſiclis non feciſſet hoc. *Nequaquam*
mitterem manum meam in filium regis. Ideſt, non occi-
derem eum: cauſæ autem huius infra expreſſæ ſunt ab
iſto viro. In Hebræo habetur. *Ecce vidiſti, quare non*
confodiſti eum? Vbi dicit litera noſtra, ſi vidiſti. Sed
idem eſt. Et habetur in Hebræo. *Et ſuper me ad dan-*
dum mille argenteos. Vbi litera noſtra dicit, ſi appende- I
res in manibus meis mille argenteos, & idem eſt,ſci-
licet, non ſolùm ſi dediſſes mihi quinque argenteos,
ſed etiam ſi veniſſes ad appendendum mille ſuper me
non feciſſem hoc. *Audientibus enim nobis præcepit rex*
tibi, & Abiſai, & Hethai. Iſta eſt vna cauſa propter
quam iuuenis noluit occidere Abſalonem, ſcilicet,
quia rex expreſsè,& intensè orauerat, ne occideretur
Abſalom, & illud ſingulariter præcepit Ioab,Abiſai,
& Ethai. *Dicens,cuſtodite mihi puerum Abſalom*. Ideſt,
non occidatis eum. Ideo ad obediendum mandato
regis iſte iuuenis noluit occidere Abſalonem. *Sed &*
ſi feciſſem contra animam meam audacter,nequaquam hoc re-
gem latere potuiſſet. Iſta eſt ſecunda ratio,ſcilicet,ſi ego
feciſſem hoc, egiſſem contra animam meam, ideſt,
contra vitam meam, ſcilicet, quia rex me occidiſſet,
eo quòd non poſſet iſtud latere regem. *Et tu ſtares ex*
aduerſo. Ideſt, tu eſſes præſens, & non liberares me à
morte. Vel aliter ſtares ex aduerſo, ideſt, dato quòd
ſtares ex aduerſo ad tenendum iram regis contra me,
nihil faceres. *Et ait Ioab, non ſicut tu vis*. Ideſt, non
erit ſicut tu putas, ſcilicet, quòd propter mandatum,
vel timorem regis non occidam Abſalonem. *Sed ag-*
grediar eum coram te. Ideſt, ego occidam eum, te vi-
dente, vt ſcias, quòd non propter timorem regis hoc
facere deſino, vel ne putes, quòd te fallere volo, di-
cens, quòd tu occideres illum, vt tu perires, nam te
preſente ego occidam eum, & videbis,quòd toto ani-
mo tibi dixerim, quòd occideres eum. In Hebræo
habetur. *Non ſit expectabo coram te*. Istud poteſt intelli-
gi dupliciter. Vno modo de Dauid,ſcilicet,quòd Ioab
diceret inueni. Non ſic, ideſt, non erit ſicut tu existi-
mas,ſcilicet, quòd ego nõ intercederem apud regem
pro te,quia ego coram te expectabo,ideſt,expectarem
regem,ſcilicet, eſſem præſens tibi,& nõ permitterem
quòd aliquid mali inſligeret. Vel aliter: refertur ad
Abſalonem,ſcilicet,non ſic,ideſt,non ſic erit,vt tu exi-
ſtimas,quia ego coram te expectabo,ideſt,videbo Ab-
ſalonem,& occidam eum. *Tulit ergo Ioab tres lanceas in*
manu ſua. Scilicet,ad occidendũ Abſalom,fuerat enim
prius Abſalom valde amicus Ioab, nam Ioab reduxit
eum de Geſſur, quando erat exul,& fecit eum redire,
& ſtare coram Dauid. Supra.14. Quia tamẽ Abſalom
proditoriè inſurrexit in Dauid,& conturbauit totum
regnum,factus eſt ei Ioab valde inimicus, licèt amibo
eſſent patrueles,ſcilicet,filij duorum fratrum. In He-
bræo habetur. *Tulit Ioab tres virgas*. Sed intelligendum
eſt de lanceis, vel telis, & ſic exponunt Hebræi, quòd
erant virgæ ferratæ. *Et infixit eas in corde Abſalom*. Pen-
debat enim Abſalom in arbore, & tamen non mo-
riebatur eo quòd pendebat per capillos. Ioab autem
ad vindictam infixit ei tres lanceas in corde,quãquam
una ſuffeciſſet. *Cumque adhuc palpitaret hærens in quer-*
Ideſt, poſtquam percuſſit eum Ioab adhuc viuebat,&
hærebat in quercu,ideſt,ligatus erat, & palpitabat,id-
eſt, mouebatur præ dolore mortis. In Hebræo habe-
tur. *Cum adhuc palpitaret in corde quercus*. Idem eſt hæ-
rens quercui, & in corde quercus, quamquam eſſe pa
corde quercus ſignificat eſſe intra quercum in me-
dulla ſua, Hebræi autem referunt hoc ad lanceas,ſcili-
cet, quòd erant lanceæ infixe in corde quercus, quia
transfixerant Abſalom, & uſq; ad cor quercus, & ad-
huc palpitabat. *Cucurrerunt decem iuuenes armigeri com-*
Non habebat Ioab lanceas ad amplius percutiendum
Abſalonem, & relinquebat eum, ſerui autem Ioab
noluerunt, quòd maneret uiuens, ideo decem armi-
geri ſui percuſserunt eum. Iſti decem iuuenes porta-
bant arma Ioab, ſcilicet,lanceas,tela, & alia genera ar-
morum miſſilium,& ut ſemper pugnaret hẽbat mul-
tos armigeros, qui copiam horum armorum ferrent.
Et percutientes interfecerunt eum. Scilicet, fortè iſti iuue-
nes infixerunt ei alias lanceas, & mortuus eſt. Scien-
dum,quòd Hebræi dicunt,ut refert Ra. Dauid Kimhi
ꝙ Ioab percuſſit Abſalonem in corde tribus lanceis,
quia furatus fuerat, uel ſolicitauerat Abſalom tria cor
da. ſ. cor fratris ſui Amnon, quando inuitauit eum ad
conuiuium, & occidit illum. Secundum fuit cor de-
mus iudicum. Volunt enim quòd Abſalom induxerit
omnes ſeptuaginta uiros, qui erant in domo iudicij,
vt eligerent eum in regem,& tollerent patrem ſuum.
Tertium cor fuit omnium Iſraelitarum, nam omnes
ſolicitauit ut eum in regem ſumerent. ſ. 15. Dicunt &
quòd ſerui Ioab percuſserunt Abſalonẽ decẽ lanceis,
quia Abſalom cognouerat decem cõcubinas Dauid K

An Ioab peccauit occidendo Abſalom.
Queſt. XIIII.

QVAERETVR, an Ioab peccauit occiden-
do Abſalom. Aliquis dicet, quòd non, quia
Abſalom erat hoſtis publicus, & in bello iuſto
poterat occidi licitè. In contrarium tamẽ
tur quòd peccauerit,quia egit contra præceptũ regis.
Iuſserat enim Dauid quòd ſeruaretur Abſalom, ideo
quamquam mereretur mortẽ,non poterat eam infle-
gere licitè Ioab ꝯ interdictum regis. Item pater g. Da
uid uoluit auferre,& abſtulit ſemel principatũ exerci-
tꝰ Ioab pp mortẽ Abſalõ,& tradidit illud Amaſe: ſecꝫ

cap.& infra vigeſimo. Si tamen Ioab non peccauiſſet A
occidendo Abſalom: Dauid peccaſſet tollendo ei
principatum ſuum, quem acquiſierat probitate belli-
ca: ſupra quinto: Dauid tamen non peccauit faciendo
illud,nec quiſquam eum increpat de hoc,ideo pecca-
uit Ioab. Sed adhuc dicetur, quòd non peccauerit,
quia Dauid iuſſit Salomoni, quòd poſt mortem ſuã
occideret Ioab,& expreſſit ei cauſam,ſcilicet,quia oc-
cidit duos viros meliores ſe, ſcilicet, Abner, & Ama-
ſam ſequen.lib.capit. 11. & non dicitur ibi aliquid de
Abſalom: ſi tamen peccaſſet in occiſione illa, pone- B
retur ibi,ergo non peccauit. Dicendum quòd pecca-
uit Ioab ex cauſa aſſignata. Et ad rationem primam
in contrarium dicendum, quòd quamquam bellum
iuſtum eſſet,non habebat Ioab auctoritatem occiden
di Abſalonem,quia interdictum fuerat ſibi à Dauid,
qui erat rex,& iudex: vnde ex hoc merebat mori ipſe
Ioab. Ad ſecundum dicendum quòd ſolùm Dauid
nominauit Amaſam, & Abner, quia volebat ſignifi-
care Ioab fuiſſe occiſorem inſidioſum: & hoc ſolùm
accidit in Abner, & Amaſa. Nam Ioab ſegregauit
Abner à reliqua turba,vt loqueretur ei,& cùm loque
retur pacificè, percuſſit eum in inguine, ſup.3.cap.
Sic etiam occidit Amaſam, nam dixit ei: ſalue frater
mi,& tenuit dexteram eius,quaſi vellet oſculari eum,
& infixit gladium in inguine ſequen.ca. mors autem
Abſalom fuit in bello,nec fuit ex alio iniuſta,niſi quia
contra præceptum Dauid, ideo nominauit ſolùm il-
los duos viros. Quòd autem iſta ſit cauſa,patet ſequ. C
lib. cap.2. cùm dixit Dauid Salomoni: tu noſti quid
fecerit mihi Ioab, & quæ fecerit duobus principibus
exercitus Iſrael Abner filio Ner,& Amaſæ filio Ieter,
quos occidit,& effudit ſanguinem belli in pace, ideſt,
occidit eos in pace,velut ſi occidiſſet in bello. Alia etiã
cauſa eſt, quia Abner, & Amaſa nullo modo mere-
bantur mortem, nec aliquid mali, ideo mors eorum
fuit iniuſtiſſima. Abſalom autẽ merebatur mortem,
ſed ſolùm peccauit Ioab, quia contra regis interdictũ
illam inflixit. Poteſt etiam dici quòd Dauid poſuit
mortem Abſalom pro cauſa mortis Ioab. prælleg.c.
cùm dicitur: tu noſti quid fecerit mihi Ioab, ſcilicet,
occidendo filium meum. Patet ergo,quòd peccauit
Ioab occidendo Abſalom. *Cecinit autem Ioab buccina,* D
ſcilicet, poſtquam percuſſit Abſalom noluit quòd
bellum duraret, ideo clanxit buccina, dans ſignum
ceſſandi à bello. *Et retinuit populum*, ſcilicet, populum
ſuum: nam audita buccina, ſciuerunt, quòd ceſſandũ
eſſet: quia buccina eſt ad dandum ſignum in bello de
ſingulis rebus, ſcilicet, de inchoando, vel ceſſando:
perſequendo, vel fugiendo. In Hebræo habetur.
Vetuit Ioab populum, & idem eſt quòd retinuit. *Volens*
parcere multitudini, ideſt, mortuo Abſalom noluit Ioab
quòd cæderetur Iſrael plagis vlterius: eo quòd non
pugnabat Ioab contra Iſraelitas tanquam contra ho-
ſtes, cum eſſent ſerui Dauid: ſed ſolùm contra Abſa-
lom, qui inſurrexerat, quo mortuo non haberent ali-
quem ducem,& neceſſariò redirent ad Dauid. Dum E
autem vixit Abſalom pugnandum fuit contra Iſrae-
litas, vt non ſequerentur Abſalom. Nunc autem ſi
Ioab vellet vltra pugnare, hoc eſſet in damnum Da-
uid, quia non pugnaret contra hoſtes eius, ſed contra
ſeruos ſuos. In Hebræo non habetur: volens parcere
multitudini. *Et tulerunt Abſalom*, ideſt, depoſuerunt eũ
de quercu, in qua pendebat. *Et proiecerunt eum in ſaltu*
in foueam grandem, ſcilicet, ibi vbi mortuus eſt, ſepultus
fuit. Nam erant multæ foueæ in ſaltu, & in vna proie-
ctus eſt Abſalom, vt non morarentur faciendo ſibi
ſepulchrum ibi.

Abſalom propter duo non eſt ductus in Ieruſalem, vt ſepeli-
retur in loco regum. *Queſt. XV.*

QVAERETVR, quare Abſalom non du
ctus eſt ad ſepeliendum in loco regum in
Ieruſalem,ſcilicet,cum filijs regis, ſicut ſæ-
peliebantur patres ſui. Reſpondendum ꝙ
fuit propter duo. Primùm quia Ioab vo
luit etiam eum mortuum punire,ſcilicet,dando ei vi-
le ſepulchrum: ſic enim fiebat de quibuſdam regibus
Iudæ: nam ſi erant valde mali, non ſepeliebantur in
ſepulchris regum cum alijs regibus. Sic fuit de Ioram
rege Iudæ,qui occidit fratres ſuos,& fuit vir nequam:
ideo populus non fecit ei exequias ſecundùm con-
ſuetudinem regum,& non ſepelierunt eum in ſepul-
chro regum: vt patet 2.Paralipo.21. idem fuit in Ioas
rege Iudæ,qui valde nequam,& ingratus fuit occiden
do Zachariam filium ſummi Sacerdotis in templo,
qui eum regem fecerat. Vnde merito huius prænari-
cationis ſerui Ioas occiderunt eum in lectulo ſuo: &
non fuit ſepultus in ſepulchris regum, vt patet 2.Pa-
ralipom. 24. Abſalom autem ſic fuerat ſceleſtiſſimus,
quia in patrem inſurrexerat, vt ei regnum auferret,
ideo nec debuit ei honor ſepulchri tribui, nec exe-
quiæ venerabiles fieri. Alia cauſa fuit, vt Ioab non con
triſtaret magis Dauid: nam ſciebat, quòd nimis dole-
ret ex hoc,& ſi videret filium ſuum mortuum grauiſ
ſimè triſtaretur, ideo voluit, quòd maneret in ſaltu: &
ſic facilius obliuiſceretur Dauid illius. *Et comportaue-*
runt ſuper eum aceruum magnum lapidum, ideſt, poſuerunt
ſuper Abſalonem lapides multos, vt maneret clau-
ſum ſepulchrum.

Quare poſitus fuit aceruus lapidum ſuper Abſalom.
Quæſt. XVI.

QVAERETVR de iſtis lapidibus, quare po-
ſitus eſt aceruus magnus ſuper Abſalonem.
Reſpondet Nicolaus quòd fuit ad implendũ
legem, ſcilicet, vt Abſalom lapidaretur.
Nam Deuteron.21. dicitur, quòd filius contumax de-
bebat lapidari. Abſalom autem proteruus erat, quia
ſurrexit contra patrem,ideo lapidandus erat. Sed iſtud
non ſtat. Primò quia lapidatio eſt pœna hominis viuẽ
tis, vt moriatur. Sic patet Deuter.21, ſcilicet, lapidibus
obruet eum populus ciuitatis,& morietur. Abſalom
tamen mortuus erat. Item dato, quòd homini mor-
tuo pœna iſta infligenda fuiſſet, nõ debebat Abſalom
lapidari poſtquam fuiſſet in ſepulchro, quia illud non
erat lapidare, ſed potius operire cadauer lapidibus, ſi-
cut terra operiendum erat. Sed pendens de arbore ad
huc viuens, vel ſaltem iam mortuus lapidari poterat
conuenienter. Item illa lex non habebat locũ in Abſa
lone. Nam ad hoc quòd per eam puniretur quis opor
tebat, ut ſepius à patre, vel matre admonitus eſſet deſi-
ſtere à crimine,& non deſiſteret. Patet cùm dicitur
ibidem, ſi genuerit homo filium contumacem, qui
non audiat patris, ac matris imperium, & cohercitus
obedire contemperit. Et iterum ibi: Filius iſte noſter
proteruus,& contumax eſt, monita noſtra audire con
temnit. De Abſalone tamen non erat ſic, quia nun-
quam fuerat proteruus, quando erat cum patre, ſed
ualde humilis fictè: nam interiora eius plena erant
dolo: ideo non poterat tanquam contumax, & pro-
teruus accuſari, quia iſtud quod egit, non fuit per con-
tumaciam, ſed per fraudem excogitatam. Item non
ſtat, quia qui tenebatur illa lege, debebat duci ad iudi-
ces,& mandato illorum lapidandus erat, cùm dicitur
ibidem: apprehendent eum,& ducent ad ſeniores ci-

uitatis

Universidad de Deusto
Biblioteca

uitatis illius ad portam iudicij. Hic tamen nullus erat F
iudex, qui de hoc cognosceret. Nam Ioab non erat
iudex, sed princeps belli, & non habebat iurisdictionē
nisi in his, quæ pertinebant ad bellum. non erat tamē
executor legis Dei quātum ad alias causas, quia istud
pertinebat ad ordinarios iudices. Item ad hoc, quòd
haberet locum illa lex, iudex non poterat ex officio
suo, quamquam esset contumacia filij notoria, sentē-
tiare eum: sed ad petitionem patris, & matris: vt pa-
tet cùm ibi dicitur, quòd pater & mater dicerent ad
iudices: filius iste noster proteruus, & contumax est
&c. Hic tamen pater Absalom, vel mater non accusa
uit eum ad infligendum istam pœnam, quin potius
Dauid iusserat, quòd non occideretur, ideo non tene
bat locum lex ista. Dicendum igitur quòd non fue- G
runt lapides positi super Absalom, vt lapidaretur se-
cundùm legem, sed propter duo alia. Primum fuit, vt
contegeretur cadauer Absalonis. Nam vbi positus est
Absalom erat fouea magna, & si relictum fuisset ibi
cadauer, non erat sepultum, & forte venientes bestiæ
comederent illud, & lacerarent spargentes ossa per
saltum, sicut ergo terra contegendum erat, lapidibus
operuerunt, quia fortè facilius occurrit eis lapides su-
perponere, eo quòd non haberent fossoria ad fodien-
dum terram. Secunda causa fuit, vt cumulus lapidum
maneret in signum. Nam si solùm fuisset opertum
terra, non relictum fuisset signum sepulchri, cùm
non esset terra illa dissimilis ab alia terra: sic enim con
suetū erat apud antiquos, quòd in signum sepulchro- H
rum congereretur magnus cumulus lapidum: sic.n.
factum est super regem vrbis Hai: nam suspensus est,
& postea posito cadauere eius apud portam vrbis ag-
gregatus est magnus cumulus lapidum super eum.
Iosue 8. Istud autem videtur maximè esse in illis, qui
suspensi moriebantur, nam rex Hai suspensus est: vt
patet prælleg. cap. Sic etiam factum est de quinque
regibus Amorrhęorum, quos suspendit Iosue: deinde
posuit in spelunca, in qua latuerant, & aduoluit super
eos saxa magna. Iosue decimo: sic etiam fuit de Absa-
lone Nam ipse suspensus perijt, ideo positi sunt lapi-
des multi super ipsum, vt sciretur: hic est filius regis,
qui suspensus perijt. *Omnis autem Israel fugit in taberna-*
cula sua, scilicet, postquam dimissi sunt à viris Dauid, I
fugerunt in pace in domos suas, & iam non latuerunt
in deserto, vbi possent vorari à brutis, sicut prius factū
fuerat. *Porro Absalom erexerat sibi cùm adhuc viueret ti-*
tulum, idest, quando Absalom viuebat in Ierusalem in
magna prosperitate, scilicet, postquam reductus est
de Gessur, & vidit faciem regis, ædificauit sibi quen-
dam titulum.

Titulus, quem erexerat Absalom sibi quid erat.
Quæst. XVII.

QVAERETVR de isto titulo quid erat. Aliquis respondebit quòd erat quædam
manus facta ad similitudinem manus Ab- K
salom. Quod patet, quia infra dicitur,
vocauitque titulum nomine suo, & ap
pellatur manus Absalom. Sed dicendum, quòd hoc
non stat, quia Absalom faciebat hoc in memoriam
suam, vnde relinquebat aliquid quod esset in memo-
riam sui, & repræsentaret illum, vt patet in litera, scili-
cet, dixerat enim non habeo filium, & hoc erit moni-
mentum nominis mei, ideſt, ista erit memoria. Per fi-
guram tamen manus non poterat ostendi aliqua per-
fectio Absalom, quę memoratu digna esset. Ideo non
solùm constituit manum, sed aliquid aliud. Item qui
vult aliquid relinquere in memoriam sui, relinquit id,
per quod ipse differt ab alijs: sed per figuram manus
non differt vnus homo ab alijs, nisi aliquis sit mon-
struosus: ideo non reliquit manum. Alij dicunt, quòd
reliquit quoddam magnum ædificium pulchrè factū
de lapidibus politis, & ibi erat sepulchrum pro Abſa-
lom. Simile autem patet Gen. 35. cùm dicitur: Erexit
Iacob titulum super sepulchrum Rachelis, & sequi-
tur, hic est titulus monumēti Rachel. Ergo etiam hic
erat monumentum pro Absalone. Alij autem dicūt,
quòd iste titulus erat quædam imago facta de mar-
more pulcherrimo, quę omnino erat ad similitudinē
Absalonis. Et ista positio est vera. Quod patet, quia
quilibet vult relinquere memoriam posteris de eo,
quod in se excellentius est, sed in Absalone nihil erat
excellens, nisi corporis pulchritudo, ideo relinquere-
memoriam pulchritudinis. Hoc autem non poterat
esse, nisi in imagine sua: ergo iste titulus erat imago.
Item quilibet, qui vult relinquere memoriam, relin-
quit id, in quo differt ab alijs, & per quod cognosci
potest: sed non potest aliquis homo cognosci per nu-
num solam nec distingui ab alijs, ergo non reliquit
Absalom imaginem manus, nec alicuius partis cor-
poris, vel alterius rei, sed solius corporis sui. Item po-
tet hoc per Iosephum septimo Antiquitatum dicen-
tem: Igitur Absalom constituerat sibi statuam mar-
moream in valle regia, quæ duobus stadijs à Ierosoly-
mis aberat, quam appellauit manum suam, dicēs
quòd filijs suis etiam morientibus nomen eius in sta-
tua permanebit. Ad rationem in contrarium dicitur,
quòd vocatus est titulus ille manus Absalonis, Dicen-
dum quòd non vocatur manus pro membro, sed pro
similitudine, scilicet, quòd ita erat Absalom effigia-
tus, & expressus in marmore illo, tanquam si natura
parens illum manu sua figurasset. Item alia positio,
quòd hoc esset aliquod sepulchrum, non stat: nam
titulus non solùm accipitur pro sepulchris, sed magis
pro imaginibus lapideis eleuatis in aliquo loco: sic ac-
cipitur Leui. 26. scilicet, Non facietis idolum, & scul-
ptile, nec titulos eligetis, nec insignem lapidem pone-
tis in terra vestra, vt adoretis eum: ibi manifestum est
non posse intelligi de sepulchris: quia illa omnia po-
nebantur à gentilibus ad adorandum, sepulchra tamē
non fiunt ad adorandum, sed imagines. Item non po-
batur, quòd esset sepulchrum ex eo quod habeba-
Gen. 35. sed magis quod esset imago, quia ibi dicitur:
erexit Iacob titulum super sepulchrum Rachel: super
sepulchrum tamen non fit aliud sepulchrum, sed ima
go construitur in memoriam sepulti, & sic videtur q
fuerit de Rachel. Titulus ergo, de quo hic dicitur ima
go Absalonis erat. quòd autem esset ibi sepulchrum
apud imaginem, vel non, nihil differt. Credendum est
autem quòd ibi esset aliquod magnum ædificium:
nam imago non esset sola, ne imbribus, & vento pate-
ret, quia sic breuiter decorem perderet, & maculas at-
que ęruginem induceret.

Cur fiat hic mentio de Absalonis titulo.
Quæst. XVIII.

QVAERETVR vlterius, ad quid dicitur hic de isto titulo, quòd fecerat sibi Absalom tita-
lum. Respondet Rab. Dauid Kimhi quòd po
nitur ad significandum, quòd ossa Absa-
lom educta sunt de fossa magna, in qua nunc tumula-
tus est, & posita fuerunt apud titulum suum in alio
quo sepulchro, & istud est ualde rationabile, quia sic
ra uidetur hoc manifestè uelle ex continuatione que
facit: nam dictum est supra immediatè, quòd cadauer
Absalom positum est in fossa magna, & opertum est
lapidibus, nunc autem dicitur· porro Absalom erexe-
rat sibi titulum, sed (porro) continuatiuum est, Mo-

dus autem fuit, quòd mortuo Absalom, & facto plan A
ctu Dauid super illum, ne maneret filius suus ignobi-
liter sepultus in saltu sub congerie lapidum, duxit ossa
eius ad locum, vbi erat imago sua, ut maneret imago
illa in memoriam Absalom, & etiā signaret eum ibi
iacere: fortè autem apud illam statuam Absalom fe-
cerat sibi aliquod sepulchrum, in quo instituerat se tu
mulandum, & ibi sepultus est: vel si non construxit ali
quod sepulchrum, Dauid illud construxit, vt ossa eius
ibi honorifice manerent.

An peccauerit Absalom erigendo sibi statuam in titulum.
Quæst. XIX.

QVAERETVR vlterius, an Absalom pecca B
uit faciendo sibi istam imaginem. Aliquis di-
cet, quòd sic, quia Leuit. 26. dicitur: Non facie-
tis idolum, nec sculptile, nec erigetis titu-
los: sed iste erat titulus, ergo peccatum erat illum in-
stitui. Respondendum, quòd non fuit peccatum idola-
triæ instituēdo istum titulum, quia lex solùm uetuit
titulos, & ista similia ad adorandum. Leuit. 26. cùm di
citur: non facietis idolum, & sculptile, nec titulos eri-
getis, nec insignem lapidem ponetis in terra uestra, vt
adoretis eum: ergo videtur, quòd ad alium finem si
ponerentur, liceret fieri imagines, & titulos. Item pa-
tet, quia si fuisset idolatria construere istum titulum,
Dauid non permisisset Absalom illum construere,
quia tunc uiuebat Dauid, & erat Absalom in Ieruſa- C
lem cum illo: permisit tamen, & erat uir deicola, er-
go non erat idolatria erigere titulum. Item si malum
fuisset, quòd erigeretur, dato quòd uiuente Absalom
fortè eius fauore permitteretur statua illa, postea fuis-
set destructa, sed non fuit, quia tempore, quo scriptus
est iste liber adhuc manebat, cùm dicatur hic, & appel
latur manus Absalom usque in diem hanc: ergo non
erat peccatum. Sed dicetur adhuc, q̄ erat peccatum,
quia rex Herodes ante Christi natiuitatē posuit quan-
dam aquilam in porticu templi, & multi de Iudæis, vt
tollerent illam inde occisi sunt ab Herode, vt ait Iose-
phus lib. de Bello iudaico. Item Herodes conatus est
introducere quasdam imagines in Ierusalem ad fa- D
ciendum ludos, & non ad adorandum, & hoc etiam
non consenserunt Iudæi, sed pro eo multa scandala
passi sunt, vt ait Iosephus vbi supra: si tamen hoc non
fuisset peccatum, Iudæi non se exposuissent morti, &
alijs aduersi tatibus pro eo, ideo peccatū erat. Item per
tales titulos multi de Israelitis scandalizabantur, & in-
ducebantur ad idololatriam. ergo peccatum erat ta-
lia fieri, quia qui scandalizat unum de pusillis expedit
magis ei, vt suspendatur mola asinaria in collo eius, &
proijciatur in profundum maris. Matt. 18. Respon den
dum, q̄ constructio istius statuæ non fuit peccatum.
Et ad primam, & secundam rationem Iosephi dicen-
dum, q̄ non prohibebant Iudæi simpliciter esse sta-
tuas, quæ non colerentur, sed solùm prohibebant eas
esse Ierosolymis, & istud erat specialiter propter ho- E
norem templi domini, quod erat in Ierusalem, vt nō
appareret aliquod simulachrum ad adorandum, vel
ad alium usum ibi, vbi erat sanctuarium Domini. In
alijs autem locis terræ Israel permittebant Iudæi He-
rodi, quòd poneret statuas quot vellet, & faceret lu-
dos simulachrorum, dum tamen non introduceret in
urbem, vt ait Iosephus prælle. loco, immo cùm He-
rodes ad persuadendum magis Hebræis nudasset ima
gines illas, quas ducebat in ludis, apparuit solùm trun-
cus ligneus informis, quod plurimi Iudæorum uiden
tes riserunt pariter, & irriserunt, & consenserūt, quòd
manerent simulachra illa in urbe, tanquam nullo mo
do præiudicantia cultui diuino. Alij tamen, qui rusti-
ciori modo zelantissimi erant legis hoc etiam uisoto. Ad tertiam.
tallter obstiterunt. De hoc Iosephus vbi sup. Ad aliam
rationem cùm dicitur, quòd erat scandalum in istis ti-
tulis, ideo peccatum mortale. Respondendum, quòd Non omne, ex quo seq. potest scandalum, est peccatum.
non omne illud, ex quo potest sequi scandalum, est
peccatum mortale, si fiat, sed solùm quando actualiter
incipit esse scandalum: immo Deus interdum auit
aliquid, ex quo scandalum sequi potest: sic fuit de ser-
pente æneo, quem iussit fieri in deserto. Num. 21.
quem postea multi Hebræi adorauerunt, & tamen
semper mansit usque ad tempus regis Iosiæ, qui con-
triuit illum, eo q̄ incipiebat esse iam manifestè scandā
losus. infra quarto lib. cap. 18. Ita ergo de titulo, quem
erexit Absalom nō fuit scandalosus, quia sciebatur ad
quid erexisset illum: si tamen aliquo tempore incipe-
ret esse scandalosus, sicut serpens Moysi, tūc debebat
destrui. Considerandum tamen, q̄ quamquam isti ti- Quibus licebat erigere titulos.
tuli solùm erant prohibiti ad adorandū, tamen si quis
erigeret titulum, & esset persona suspecta, quia nesciebatur ad quid erexisset, destruebatur statua, & con-
struens erat suspectus de idolatria, nisi se purgaret: si-
cut quando duæ tribus, & dimidia erexerūt altare ma-
gnum apud Iordanem, præsumptum est, quòd fecis-
sent ad idolatrandum, & aliæ tribus uolebant pugna-
re contra eas, quousque se purgauerunt ratione evi-
denti. Iosue 22. ideo nulli licebat facere statuas nisi re-
gibus, & filijs eorū, vel aliquibus magnis uiris, & hoc
pro causa notoria, vt ad memoriam alicuius rei ma-
gnæ: sic autem fecit hic Absalom ad memoriam suæ
pulchritudinis.

Absalom an peccauerit alio peccato ab idolatria erigendo
statuam sibi. Quæst. XX.

QVAERETVR vlterius, dato quòd non es-
set hic peccatum idolatriæ, an aliàs peccaret
mortaliter Absalom faciendo istam statuam.
Secundùm Nicolaum responderi deberet, q̄
peccauit Absalom, quia ipse vult, quòd Saul peccaue-
rit, quia fecit fornicem triumphalem. præceden. lib. c.
14. Item quando supra 8. cap. dicitur de Dauid, quòd
fecit sibi nomen in valle Salinarum, dicit quòd non
fuit istud aliquod ædificium, quia alioquin peccasset
Dauid. Sed quia in eisdem locis declarauimus, q̄ nec
Saul, nec Dauid peccauerūt faciendo fornicem trium
phalem, Dicendum erit aliter de Absalone, quòd li-
cèt non esset generaliter illicitum facere aliquod ædi-
ficium in memoriam ædificantis, tamen in Absalone
fuit peccatum. Ratio est, quia egit totaliter ad inanem
gloriam, scilicet, q̄ laudaretur pulchritudo eius apud
posteros, & istud erat, quia ipse gloriabatur nimis in
pulchritudine sua, & fruebatur illa tanquam supremo
bono constitutis in ea: & ob hoc dixit, quòd cùm non
haberet filios, scilicet, in quibus maneret memoria
decoris sui, fecit statuam, in qua maneret nomen eius.
De Dauid autem, & Saule non fuit sic propter duo.
Primò quia illi non fecerunt imagines, sed quosdam
fornices triumphales. Absalom autem fecit statuam,
fornices verò non poterant esse occasio idolatriæ, sed
poterat imago Absalom. Secundò differt, quia forni-
ces, quos fecerunt Dauid, & Saul erant ad significan-
dum triumphum habitum, & poterāt esse ad laudem
Dei, scilicet, quòd maneret memoria, quòd Deus ad-
iuuerat illos reges ad faciendum magnifica: imago ta
men quam constituit Absalom, solùm erat ad memo
riam nominis sui, ideo peccatum erat: sed hoc nō erat
valde magnum, quia inanis gloria nisi sit interdum in
præiudicium alterius, non est valde magnū peccatum.

Cum adhuc viueret, ideſt, cùm maneret in Ierusalem.
Qui est in Valle regis, ideſt, iste titulus est in quadam
valle,

Universidad de Deusto
Biblioteca

valle, quæ vocatur vallis regia, & distat à Ierusalem duobus stadijs: vt ait Iosephus septimo Antiquitatū. Vocatur autem vallis regia, quia fortè rex solebat descendere ad vallem illam, vt ibi solaciaretur. *Dixerat enim, non habeo filium, & hoc erit monimētum nominis mei*, ideſt, quia non habeo filium, manebit ista statua in memoriam nominis mei.

An Absalom haberet filios. Quæst. XXI.

QVAERETVR, quomodo Absalom dixit, nō habeo filium, nam ipse habebat tres filios, & vnam filiam nomine Thamar. sup. 14. Ad hoc respondent Hebræi, quòd filij Absalonis iam erant mortui: sic ait Ra. Dauid Kimhi. Sed obijciet, quia adhuc manebat filia sua Thamar, quæ erat speciosissima: & vocatur alio nomine Maacha, & accepit eam in vxorem Roboam filius Salomonis, vt patet 2. Paralip. 11. scilicet, post hanc quoq; accepit Maacham filiam Absalom, quæ peperit ei Abiam: & sic post mortem Absalom erat illa. Respondent Hebræi, quòd illa Maacha non erat filia Absalom, sed Abisalonis. Nam in litera sua differentia est inter Absalom qui hic ponitur, & Abisalom, qui ponitur ibi: litera tamen nostra non facit differentiam aliquam, de quo quid sit verum, declarabitur sequē. lib. cap. 11. Litera Chaldaica dicit quòd Absalom filios habebat, sed non erant tales, in quibus posset patris memoria permanere, vt fortè quia nō erant pulchri sicut pater. Aliquis autem dicet, quòd Absalom dixit se non habere filios, quia quamquam haberet, non proficiebāt ad memoriam pulchritudinis eius, eo quòd filij sui non erant permanentes: ideo voluit imprimere vultus suos lapidi, vt ibi maneret memoria æterna: quia imago illa erat immutabilis. Sed istud non dicitur cōuenienter, quia tunc non dixisset Absalom: non habeo filium, & hoc erit monimentum nominis mei, qa istud signat ob defectum filiorū fuisse factam imaginem: si tamen habebat illos, & non proficiebant ad conseruandam memoriam, non dixisset sic, sed solū, hoc erit monimētum nominis mei, vel quia filij mei non possunt esse memoria nominis mei, iste titulus erit memoria. Item non stat, quòd propter hoc quòd filij Absalom essent mortui, ipse diceret, non habeo filium, & constitueret imaginem, quia istud pertinet ad illum, qui desperat se posse habere filios. Absalom tamen iuuenis erat valde quando mortuus est, quia non poterat esse ad plus, nisi triginta vel triginta duo annorum. Quod patet, quia Dauid regnauit annis quadraginta, & Absalom fuit tertius filius, quem habuit postquam fuit rex, sup. 3. cap. mortuus est autem Absalom antequam moreretur Dauid per decem annos, vel quasi: vt declaratum est sup. 15. ideo vix esset annorum triginta Absalom quando mortuus est, & ob hoc Dauid vocabat eum puerum, dicens: seruate mihi puerum Absalom, supra in litera. Erat ergo valde iuuenis Absalō, & nō poterat desperare se habiturum filios propter hoc, quòd mortui essent tres filij eius. Dicendum igitur quòd Absalom à principio qñ susceptit vxorem magno tempore vacauit gignendæ proli, & non potuit. Vnde putabat causam sterilitatis esse à seipso, & ob hoc credebat quòd sicut nunc nō habebat filios, ita nunquam haberet illos: & cepit statuam facere in qua conseruaretur nomen eius. Iosephus tamen septimo Antiquitatum, aliter exponit literam dicens: non habeo filium, & hoc erit monimētum nominis mei, ideſt, licèt moriantur filij mei, ista statua non morietur, & manebit ad memoriam nominis mei. Ista expositio valde conueniens est, sed magis applicatur literæ quod dictum est immediatè. Et tunc erit sensus quòd statua illa haberet memoriam Absalonis, & nomen. De nomine patet: quia cùm quis gignebat filios, manebat, & continuabatur nomen suum in posteritate sua propter filios. Absalom autem non habebat filium, ideo ista maneret ei tanq̄ succedens in progenie ad conseruandum nomen, & quantum ad hoc applicatur nimis quod dixit Absalom, scilicet, non habeo filium &c. Manebat etiam ista imago ad exprimendam pulchritudinem Absalonis, & quantum ad hoc non proficiebant filij, cū non essent omnes posteri Absalonis futuri sic pulchri vt Absalom. *Vocauit què titulum nomine suo.* Non quòd vocaretur ille titulus Absalom, quia immediatè dicitur, quòd appellatur manus Absalom: sed vocatur nomine Absalom, ideſt, quia in nomine tituli includitur nomen Absalonis, erat quippe facta illa imago & supra erat aliqua inscriptio, in qua erat scriptum manus Absalonis: sic ait historia scholastica. *Et appellatur manus Absalom*, ideſt, figura Absalom, ita quòd omnes videntes contemplarentur talem fuisse effigiem Absalom. Vel dicitur: manus Absalom, ideſt, memoria vel titulus Absalom, quia omnes figuræ relictæ ad memoriam alicuius vocantur manus eius. Sic patet de Saule, de quo dicitur præceden. lib. cap. 15. in litera nostra, quòd Saul fecit sibi fornicem triumphalem: & in Hebræo dicitur ibi, parat sibi manum, & sic fornix illa, quæ erat ad memoriam Saulis, vocabatur manus Saulis. *Vsque ad hanc diem*, scilicet, ad diem, in qua scriptus fuit iste liber. Nam tunc adhuc durabat effigies Absalom & nomen in loco suo. Istud autem fuit tempore Isaiæ, vel Ieremiæ: nam ab aliquo istorum fuit scriptus iste liber, vt declaratum est in prologo præcedentis libri. *Achimaas autem.* Hic ponitur tertium huius capituli, scilicet, denunciatio facti. Nam fuit relatum Dauid per nuncios de morte Absalom. Et dicitur. *Achimaas autem filius Sadoc ait*, scilicet, ad Ioab, nam ab eo petiuit an deberet nunc ire ad Dauid ad nunciandum ei, vel non. Est autem iste Achimaas cursor velocissimus, qui fuerat annunciator cōsilij Achitophel, & Chusai referens ea ad Dauid, præcede. cap. & ob hoc voluit etiam hic currere ad nunciandum aliquid regi. *Curram & nunciabo regi*, ideſt, nunquid utis ut curram ante reliquum exercitum ad nunciandum regi ista? *Quia iudicium fecerit ei Dominus de manu inimicorum eius*, ideſt, nunciabo ei quòd dederit ei Deus vindictam de inimicis suis. Dicitur autem Deus dare iudicium, quando facit aliqua, quæ manifestè apparent venire ex ipso pro peccatis hominum. Sic enim Absalom ualde peccauerat, & Deus puniuit eos, qui erat de parte sua, tradendo in manibus seruorum Dauid, & quia non poterant regulariter pauci de seruis Dauid resistere tanto exercitui Israelitarum, apparuit hoc specialiter esse à Deo: ideo uocatur iudicium eius. *Ad quem Ioab dixit, non eris nuncius in hac die.* Ioab diligebat Achimaam: ideo nolebat ei euenire aduersa, licet tamen ipse nunciaret Dauid mortem Absalom: erat aliquid aduersum sibi, qa tristaretur Dauid nimis, & nō rependeret ei gratiam pro labore nunciandi. Vnde dixit: non eris nuncius in hac die, ideſt, in hoc bello: quia hic iam non potest nunciari aliquid prosperum. *Sed nunciabis in alia*, ideſt, nunciabis in alio bello, quando occurrerit nobis habere prosperū exitum. Et non dicitur in alia, ideſt, in die sequenti, quia in eadem die sciuit rex mortem Absalom, & uenit exercitus in urbem, in qua erat Dauid: unde nihil poterat nunciari sequenti die, *Hodie nolo denunciare*, ideſt, nolo quòd sis nuncius in isto bello, quod hodie factum est. *Filius enim regis mortuus est*, ideſt, qa mortuus est filius regis, non poteris nunciare aliquid, Dauid regi placeat. In Hebræo habetur. *Quia super filium regis mortuum*, ideſt, hodie

hodie nuncies, oportet quòd nunciares super mortē filij regis, sed istud non est prosperum tibi: sciebat enim Ioab, quòd tristaretur rex audito hoc. *Et ait Ioab Chusi vade & nuncia regi, quę vidisti.* Vt non iret Achimaas ad nunciandum misit Ioab alium, scilicet, Chusi, quem non diligebat sicut Achimaam, ideo non curauit, an nunciaret prospera, vel aduersa.

An Chusi, qui nunciauit prædicta Dauid, esset ille, qui consuluit contra Achitophel. Quæst. XXII.

QVAERETVR de isto Chusi quis erat. Aliquis respondebit, quòd erat ille Chusi, qui dedit consilium Absalom: de quo præceden. cap. Nicolaus autem dicit, quòd non sit illemet. Quod probat, quia ille erat vir magnæ auctoritatis, ideo non mitteretur in cursorem: maxime, quia ille vocabatur amicus regis. Item dicit, quòd iste Chusi adhuc manebat cum Absalom ad consilia perturbanda, sicut patet præced. ca. vnde non esset nunc in exercitu Ioab. Respondendū, quòd non est difficile tenere quod voluerimus, satis autem potest dici, quòd fuerit iste idem Chusi, eo qp non legitur differentia inter istum, & illum. Cum autē dicitur quòd iste erat vir magnæ auctoritatis, ideo non mitteretur in cursorem. Dicendum quod non stat, immo potius ex hoc, quòd erat vir magnę auctoritatis concedebatur ei, quòd posset ista nunciare, tanquam a rege esset habiturus munera, & magnam cōgratulationem. Sic enim erat de Achimaas, nam ipse erat filius summi Sacerdotis succesſurus ei in Sacerdotio: ergo esset magni status, cùm summus Sacerdos esset maximus in populo in redditibus, & honore infra regem: vt declaratum est Num. 29. & 25. Vnde summi Sacerdotes accipiebant in vxores filias regū: sicut patet de Ioiada Sacerdote, qui habuit in vxorem Iosabam filiam regis Ioram: infra 4. lib. cap. 11. Achimaas tamen desiderauit ire ad nunciandum, ergo etiā fiebat gratia ipsi Chusi, quòd mitteretur illuc, vt ipse obtineret à rege munera, & gratias. Quod patet, quia cùm dixit Ioab Chusi, quòd iret ad nunciandum, humiliauit se coram Ioab tanquam reddens gratias pro beneficio hoc. Ad secundum cùm dicitur, qp Chusi manebat nunc cum Absalom. Dicendum quòd non est verisimile. Motiuum autem Nicolai est, quia recedente Dauid, non iuit cum eo Chusi, sed mansit cum Absalom, supr. 16. Sed hoc non sufficit, quia illud fuit ad destruendum consilium Achitophel, iam autem destructum erat, ideo credēdum est, quòd postquam Absalom transiuit Iordanem, cùm iam nihil restaret, nisi pugnare contra Dauid: fugit Chusi ad exercitum Dauid, & fuit in bello cum Ioab: nam si mansisset, cū Absalom: oportebat quòd iuisset ad bellum, quia Absalom in bello erat: hoc autem periculum erat Chusi, quia poterat aliquis de viris Dauid turbato exercitu occidere ipsum, ideo dicendum quòd ante bellum fugit Chusi de exercitu Absalom. *Adorauit Chusi Ioab*, scilicet, humiliauit se corā eo quasi gratias agens pro hoc beneficio. Nam quòd mitteretur ad nuncian dum hoc, putabat quòd erat sibi prosperum, & quòd reciperet munera magna à Dauid pro tam bona annunciatione. In quo præsupponendum est, quòd nullus audebat ire ad nunciandum aliquid, nisi mitteretur à Ioab, qui erat princeps belli, ideo Achimaas iuit, vt peteret à Ioab quòd nunciaret. *Et cucurrit*, ideſt, velociter iuit ad nunciandum præcedens exercitum. *Rursus Achimaas filius Sadoc dixit ad Ioab.* Desiderabat enim valde Achimaas nunciare Dauid euentum belli hodierni, ideo insistebat apud Ioab, quòd permitteret eum ire ad nunciandum.

Achimaas volebat nunciare prędicta regi. Quæst. XXIII.

QVAERETVR ad quid volebat Achimaas nunciare ista regi, cùm non posset hodie esse grati rumoris annunciator, sicut dixerat sibi Ioab. Respondendum quòd Achimaas erat cursor velocissimus, & contigerat semper regi nunciare bona, propter quod acceptus erat apud regem, vt patet ex verbis Dauid: nam dixit speculator ad Dauid: contemplor cursum prioris quasi cursum Achimaas filij Sadoc, & ait Dauid: vir bonus est & nuncium bonum portans venit. In annunciatione autem belli huius erat aliquid prosperum Dauid, scilicet, quòd totus Israel cæsus à seruis Dauid fugisset in tabernacula sua. Erat etiā aliquid aduersum, scilicet, mors Absalom: ideo Achimaas, qui erat vir prudens intendebat referre saltem ea, quę erant prospera regi: per quæ mereretur gratiam apud regem: aduersa autem subticere destinauerat: vnde quando quæsiuit Dauid quid esset de Absalom coloratè conuertit sermonem: vt non exponeret veritatem regi ne contristaret eum.

Achimaas non poterat recedere ad nunciandum hęc regi in consulto Ioab. Quæst. XXIIII.

QVAERETVR vlterius, cur Achimaas tantum instabat apud Ioab, quòd vellet currere ad Dauid: cur enim si desiderabat non currebat inconsulto Ioab. Respondendum qp non licebat alicui de exercitu ire ad nunciandum aliquid Dauid propria auctoritate: sed solùm de mandato Ioab. Quod patet, quia alioquin finito bello licuisset cuicunque ire, quò vellet: sed hoc erat contra disciplinam militarem, scilicet, quòd aliquis recedat de exercitu prius quàm iussu ducis soluatur exercitus: alioquin erit reus desertę aciei, & quia nondum solutus fuerat exercitus: nullus poterat ire ad nunciandū Dauid, nisi iuberet Ioab, ideo Achimaas desiderans istud referre, valde institit apud Ioab, quòd permitteretur ire. Item patet, quia ipse iussit Chusi quòd iret, & egit sibi grates Chusi de concessione nunciationis, si tamen licuisset sibi ire eo non iubente, prius iuisset. Item patet, quia soli duo iuerunt ad nunciandum, scilicet, Achimaas, & Chusi sicut infra dicitur, & isti sunt, qui acceperunt hic licentiam eundi: si tamen licuisset sine licentia Ioab ire ad nunciandum, plures alij iuissent. *Quid impedit si etiam ego curram post Chusi*, ideſt, quid mali est, si ego curram ad nunciādum post Chusi, scilicet, nullum malum est, ideo curram. Sed dicetur, quomodo dicebat Achimaas: quid impedit, si & ego curram, nam iam dixerat ei Ioab impedimētum, scilicet, quòd non poterat esse nuncius boni rumoris illo die. Dicendum quòd Achimaas concesserat non referre mortem Absalom, sed solam victoriā seruorum Dauid, & sic nihil impediret, quin ipse iret & bonus nuncius esset, sic enim fecit. Sed dicetur ad quid volebat currere Achimaas, cùm iam cucurrisset Chusi, & ille pronunciaret. Dicendum quòd Achimaas erat cursor velocissimus, & putauit quòd posset præcedere Chusi, quamquam ille prius iuisset. Vel aliter, scilicet, quia intendebat Achimaas ire p aliud iter, sper iter compedij, ita ut non uideret eum Chusi: etiā quia uia compedij brevior erat, quā ignorabat Chusi, & Achimaas secutus illam cito peruenit ad regem. *Dixitque ei Ioab, quid vis currere fili mi.* i. cur iñ solicitaris ad currendū, q.d. non est utile. In Hebræo hr̄: *Si alias quid & ego curram.* vbi dicit litera nostra, quid impedit

si etiam

Universidad de Deusto
Biblioteca

si etiam ego curram, & idem est sensus, scilicet, si aliquid, ideſt, si aliquid mali erit, & ego curram, ideſt, me currente, quasi dicat, non erit malum. *Non eris boni nuncij baiulus*, ideſt, si curris ad nunciandum aliquid regi, non nunciabis ei bona, ideo melius est, quòd nihil nuncies, & istud est quod impediebat, sed Achimaas non accepit istud tãquam impedimentum, *Qui respondit, quid enim si cucurrero?* ideſt, dato, quòd hoc sit, quod malum sequetur, quòd ego curram? Non dicebat ista verba Achimaas tanquam uolens scire, quid mali sequeretur de cursu suo, sed solùm, vt nimis importunus esset, & per importunitatẽ moueret Ioab ad concedendum ei, quòd curreret, & sic factum est: nam dixit ei, quòd curreret si uolebat. *Et ait ei, curre.* Istud non fuit uerbum iussionis, sed permissionis, scilicet, quia tantum me inquietas, si uis currere, curre. *Currens ergo Achimaas per viam compendij transiuit Chusi.* Nesciebat Chusi methodum ad ciuitatẽ, vt breuiter peruenire, sed uia publica gressus est, Achimaas autem sciebat viam compendij, & iuit per eam, vnde in breui præcessit ipsum Chusi. In Hebræo habetur, *Per viam vallis*, scilicet, quia compendium illud erat per aliquam vallem, & loca abrupta, via autem publica erat per planum. *Dauid autem sedebat inter duas portas.* Erat enim Dauid solicitus, vt sciret quid euenisset in bello: nam sciebat, quòd breuiter terminandum esset siue prospere siue aduersè eueniret. Erant autem istæ duæ portæ vrbis, scilicet, quia erant duo muri coniuncti, & quilibet habebat unam portam, Dauid autem fortè sedebat in aliqua turri, quæ erat in medio duarum portarum. *Speculator verò, qui erat in fastigio portæ super murum.* Posuerat Dauid speculatorem, vt cerneret, si quis ueniret, & nunciaret ei, iste autem erat in fastigio portæ, ideſt, in altitudine, vel summitate, scilicet, in aliqua turri, quæ erat super portam, quia sic consueuerunt esse turres apud portas urbium. *Eleuans oculos vidit hominem currentem solum.* Iste erat Achimaas, qui præcesserat Chusi per compendium, & iam introierat in uiam publicam. *Et exclamans indicauit regi*, scilicet, quòd ueniret homo solus. *Dixitque rex, si solus est, bonus nuncius est in ore eius*, ideſt, bona annunciatio. Dauid arguebat prosperum, vel aduersum rumorem per hoc, quòd ueniret homo solus, vel multi simul: nam solus erat signum boni rumoris, & è contrario. Causa est, quia uictores occupantur circa spolia fugientium, & non ueniunt immediatè facto bello, ideo solent præmittere aliquem ad nunciandum euentum, cùm autem uicti fuerint omnes fugiunt, ideo tunc multi veniũt simul, quamquam veniant diuisi per multas turmas. *Properante autem illo, & accedente propius vidit speculator hominem alterum currentem*, ideſt, iam Achimaas ueniebat prope urbem, quando speculator uidit alium apparere hominem currentem, scilicet, Chusi. *Et vociferans in culmine*, ideſt, clamauit in fastigio portæ. In Hebræo habetur. *Vocauit portarium*, ideſt, vocauit eum qui custodiebat portas, vt nunciaret regi, litera tamen nostra dixit, quòd clamauit de culmine, eo quod conuenientior litera est. Nam iste non uocauit portarium, sed ad regem loquebatur. Quod patet, quia rex immediatè respondebat, sed dicitur, quòd uocauit portarium, ideſt, vocauit de porta, nam speculator erat in fastigio portæ, vt patet in litera. Vel potest intelligi secundum literam Hebraicam, vocauit portarium, ideſt, regem, qui nũc dicitur portarius, quia sedebat inter duas portas, vt patet in litera. *Apparet mihi alter homo currens solus.* Dixit hoc quia erat a longe, & non potuit bene distinguere, an fortè alij venirent apud ipsum. *Dixitque rex, & iste bonus est nuncius*, ideſt, etiam iste bonus nuncius est sicut prior, nam cùm solus veniret non significabatur fuga de bello, sed aduentus ad nũciandum.

Nec obstat quòd iam essent duo nuncij, quia sæpe solent multi nuncij mitti, vt si vnus non nouit de alio, vt vel aliquis eorum velocissimè perueniat. *Speculator autem contemplor ait cursum prioris quasi cursum Achimaas filij Sadoc.* Iam accedebat Achimaas prope vrbem, ita vt posset speculator eum cognoscere, & dixit quòd contemplabatur quasi cursum Achimaas, quia non cognouit eum in habitudine corporis, vel in alio signo, sed in solo modo currendi, scilicet, quia erat velox nimis. *Et ait rex, vir bonus est & nuncium portans bonum venit*, ideſt, Achimaas est vir bonus, & probatus in bello, & est prudens nimis: nec veniret ipse ad nunciandum aliquid aduersum, ideo cùm ipse veniat, signum est quòd bonum nuncium, ideſt, bonam nunciationem apportat. *Clamans autem Achimaas*, scilicet, quando accessit ad vrbem, & stetit coram rege inter duas portas. *Dixit ad regem, salue rex.* Modus salutandi est, In Hebræo habetur, *Pax regi*, sed idem est. *Et adorans regem coram eo pronus in terra*, scilicet, Achimaas, quando locutus est adorauit regem impendendo ei debitam reuerentiam, & ista fuit quòd iacuit pronus in terra. *Ait benedictus Dominus Deus tuus.* Laudat Deũ pro bonis impensis, & dixit, dominus Deus tuus, quia quamquam esset Deus omnium, videbatur esse specialiter Deus Dauid, quia specialiter miserebatur ei, & benefaciebat ei, sic enim dixit Saul ad Samuelem præceden. lib. cap. 15, scilicet, pepercit populus melioribus ouibus & armentis, vt immolarentur domino Deo tuo. *Qui conclusit homines, qui leuauerunt manus suas contra dominum meum regem.* Ecce quam cautè respondit Achimaas, nam solùm tetigit de Israelitis, & nihil de Absalom, cùm nominet homines pluraliter, & dicit: qui leuauerunt manus suas contra regem, scilicet, rebellauerunt ei volentes alium regem constituere, istos concluſit Deus, scilicet, in manu seruorum tuorum: nam occidimus, & fugauimus eos. *Et ait rex, ergo ne pax puero Absalom.* Certificatus rex de vno prospero euentu, volebat certificari de statu Absalom: quia pro illo nimis erat solicitus, putans quòd posset ei euenire aliquod malum, vt quòd per errorem, vel casu posset occidi, & maxime à sagittarijs, quorum iacula perueniunt in lõginquum, & interdum in incertum. *Dixitque Achimaas, vidi tumultum magnum cum mitteret Ioab seruus tuus ò rex me seruum tuum.* Noluit Achimaas esse nuncius aduersitatis, ideo quæsitus de Absalom non respondit de morte, sed dixit, vidi tumultum magnum, ideſt, magnam turbam, quando mittebat me Ioab ad te, & nescio aliquid aliud. Ecce voluit dissimulare inquantum dixit, vidi tumultum, magnum, quasi dicat, quando ego recessi erat magnus tumultus in castris: & ob hoc ego non potui scire quid factus esset: nec etiam ad hoc attendi nimis, vt citò venirem ad te. *Nescio aliquid aliud*, scilicet, nisi istud quod narraui.

An Achimaas peccauit simulando se nescire mortem Absalonis. Quæst. XXV.

QVAERETVR, an Achimaas peccauit sic respondendo. Dicendum, q̃ Achimaas mentitus est: nam dixit se nescire aliud nisi id, quod retulerat, & tamen ipse sciebat de morte Absalom, sed noluit nunciare: hoc autem peccatum fuit, quia Achimaas fallum loquebatur, & ab intentione, nec oportet excusari Achimaas à peccato, quia isti non erant uiri alicuius perfectionis, ita vt debeamus propter illos conari ad inuenciendas excusationes. Aliquis autem dicet, quòd peccauit solùm venialiter, eo quòd erat mendacium officiosum. Sed dicendum, q̃ non stat, quia mendacium officiosum est illud, quod prodest alicui non principaliter ipsi loquenti, sed alteri, & nulli nocet, hic autem mendacium Achimaas nõ erat ad utilitatem alicuius nisi ipsiusmet. Nam non erat ad utilitatẽ Dauid, quia illico ventur us erat Chusi, qui nunciaret Dauid mortem Absalom, sed ut ipse haberet honorem apud regem, illo non tristato, mentitus est. Item dato, q̃ mendacium sit ad utilitatem loquentis: nimis differt, an sit ad lucrum captandum, vel ad euitandum malum. Primo modo non vocatur mendacium officiosum, secũdo autem modo officiosum est: Achimaas verò mentitus est non ad euitandum aliquod malum, quod ei posset euenire, sed ad captandum honorem, scilicet, vt rex honoraret eum, & gratularetur ei, quia prospe-
ros rumores attulerat. Quod patet, quia ipse valde desiderauit venire. Item nimis differt ad excusationem mendacij, quòd aliquis præuentus capiatur in anguſtijs, ita ut necesse sit, vel mentiri, vel carere honore, aut quòd aliquis sciens se necessariò mentiturum libenter se obtulerit ad faciendum id, in quo deberet mentiri. Primò modo est aliqualis excusatio, cùm peccans sit aliqualiter inuoluntarius, & quodcunque inuoluntarium diminuit de ratione peccati. Secundo modo mentiri, nullo modo est excusabile. Sic fuit de Achimaas, qui sciebat oportere ipsum mentiri, vel renunciare mortem Absalom: ideo nullo modo excusatur, nec a toto nec à parte. Sciendum, quòd ista litera in multis libris est corrupta: nam in quibusdam libris habetur: vidi tumulum. In alijs vidi cumulum. In alijs vidi tumultum, & litera ultima est uera. Ratio est, quia si dixisset uidi tumulum: ex hoc aliqualiter innuebat mortem Absalonis, scilicet, q̃ populus astaret tumulo eius. Idem si diceretur, vidi cumulum, quia cumulus significat terræ cõgregationem qualis solet esse super sepulchra: sed dixit, vidi tumultum, ideſt, turbationem populi, ideo non potui attendere. Item patet hoc in Hebræo. Nam dicitur ibi: vidi turbam, quæ idem est quod tumultus. *Ad quem rex, transi, ait, & sta*, ideſt, transi & mane hic. Hoc dicebat, quia Achimaas non attulerat complementum rumoris, cùm nihil diceret de Absalone, & quia sciebat quòd alius nuncius veniebat retro, voluit quòd expectaret Achimaas, vt concordarentur ambo in rumore enũciando, & colligeret ex verbis illorum veritatem. *Cumque ille transisset, & staret*, ideſt, transiuit vltra regẽ, & stetit citra ipsum expectando alium nuncium. *Apparuit Chusi.* Tardius iste venit: quia via longiori gressus est, & quia non erat ita velox ut Achimaas. *Et veniens ait, bonum apporto nuncium domine mi rex*, ideſt, cùm accessit ad regem dixit: bonum nuncium, ideſt, nunciationem apporto. *Indicauit enim pro te Dominus hodie*, ideſt, Deus fecit hodie iudicium uel miraculum pro te, scilicet, tradendo inimicos tuos, qui multi erãt in manus nostras, qui pauci eramus, *De manu omnium, qui surrexerunt contra te*, ideſt, Deus dedit tibi uindictã de omnibus, qui surrexerunt contra te. Dicitur autẽ de manu alicuius, ideſt, de ipsomet, quia iste modus loquendi est Hebraicus. Sic patet Genes. 9. scilicet, sanguinem animarum vestrarum requiram de manu omnium bestiarum. Sic etiam dicitur Ezechiel 3. sanguinem eius de manu tua requiram, ideſt, de te. *Dixit autem rex ad Chusi: est ne pax puero Absalom?* ideſt, nunquid Absalom uiuit in pace? *Cui respondens Chusi, fiant inquit sicut puer, inimici Domini mei regis*, ideſt, oro quòd omnes inimici tui fiant sicut Absalom, scilicet, mortui sicut ipse. Et iste modus est apud Hebræos nunciandi malum de aliquo. Sic enim dixit Abigail ad Dauid præced. lib. cap. 25, fiant sicut Nabal omnes inimici Domini mei regis, scilicet, ita stulti, & miseri. *Et vniuersi, qui consurgunt aduersus eum in malum*, ideſt, omnes qui moliuntur malum contra te, & rebellant tibi, fiant sicut Absalom.

Contristatus itaque. Hic ponitur quartum, scilicet, lamentatio filij: nam plorauit Dauid ualde pro Absalom: & dicitur. *Contristatus itaque rex*, ideſt, audito sermone Chusi intellexit Absalom esse mortuũ, & per hoc tristatus est ualde: quamquam non fuisset sibi nũciatus modus mortis, uel quis occidisset eum. *Ascendit cœnaculum portæ, & flebat*, ideſt, nunc erat Dauid in loco publico inter duas portas, & audita morte Absalom ascendit cænaculum portæ, ideſt, in quoddam palatium, quod erat super portam urbis. In Hebræo habetur. *Ascendit cameram.* & idem est, fecit autem hoc rex, quia uolebat plorare pro filio suo, & noluit plorare in publico, eo quòd erat quædam regis indignitas publicè plorare, eriam quia plorantes immutant multus suos, & efficiuntur modicæ reuerentiæ, imo deturpati: regem autem semper oportet apparere cum magna grauitate, cùm sit uir maximæ auctoritatis: ideo noluit plorare in publico, sed ascendit ad cameram, ut solus ploraret: & tamen motus dolore magno non seruauit modestiam, nam uoces magnas emittebat, ita ut audiretur foris. Sic patet sequen. cap. 5. rex operuit caput suum, & clamabat uoce magna: fili mi Absalom. *Et sic loquebatur vadens.* Ponuntur hic uerba planctus Dauid, quę sequuntur. *Fili mi Absalom, Absalom fili mi.* Ista uerba repetebat Dauid sæpe examaritudine, sicut solent facere plangentes.

Quare facta est repetitio verborum à Dauid. Quæst. XXVI.

QVAERETVR circa repetitionem istorum uerborum cur facta sit. Respondet Rab. Sa. q̃ octo uicibus repetuntur ista uerba hic, quia Dauid in 7. uicibus eduxit animam Absalom de septem mansionibus inferni, & in octaua vice posuit eam ad portam orti paradisi. Idem recitat Ra. Dauid Kimhi. Sed ista ridicula sunt, quia præsupponunt isti esse in inferno septem mansiones, & q̃ anima Absalom erat in ultima. Sed istud falsum est, quia solùm distinguuntur quatuor loca inferni secundùm quatuor conditiones, vel status existentium ibi. Quædam pars est infernus damnatorũ pro illis, qui in peccato mortali decedunt, vbi pœna æterna est. Secundus locus est purgatorius ignis, vbi sunt animæ illorũ, qui in charitate decedentes inexpleta tamen satisfactione aliquid habent de quo puniantur, & ista pœna temporalis est: nam nullus ultra diem iudicij ibi manebit. Tertius locus est eorũ, qui sine aliquo peccato actuali decesserunt habentes tamen originalem maculam, qui locus nullam pœnam habet sensibilem, sed solam priuationem boni, quæ in æternum manebit. Quartus locus erat limbus sanctorum, in quo uiri iusti, & omnes morientes in innocentia usque ad Christi passionem manebant nondum aperta ianua vitæ æternæ, Absalom autem nõ manebat in sinu sanctorum, quia ipsi Hebræi volunt, quòd Absalom mortuus fuerit in peccato, etiam non erat in lymbo puerorum, quia ibi solùm sunt, qui ante circumcisionẽ moriebantur. Absalom autem iam circumcisus erat, vnde non poterat mori in peccato originali: etiam non erat in purgatorio, quia non mortuus est in charitate, vt ipsi Hebræi volunt, ideo erat in inferno damnatorum, sed ibi non assignãtur septem loca cùm sit idem status omnium manentium ibi, quamquã non sit æqualitas pœnarum. Item errant, quia dicunt, q̃ de inferno damnatorũ anima Absalom ducta est ad paradisum, nam ibi non est redemptio vlla. Item errant, quia dicunt, quòd in octaua uice anima Absalom ducta est ad portam horti para-

Cõtristatio Dauid pro morte Absaloms.

Respon. rasal. ridicula.

Quatuor loca inferni.

Universidad de Deusto
Biblioteca

paradiſi,in quo volunt quòd animæ virorum bonorũ ſint in paradiſo terreſtri,quia ibi eſt hortus & non in cœlo,ſed falſùm eſt. Item errant, quia volunt quòd anima Abſalom manſerit ad portam paradiſi,quia oportet vel animam eſſe in paradiſo, vel in alio de quatuor receptaculis,& non poteſt manere ad portam alicuius iſtorum, quia illud eſt manere extra omnia, Item errant, quia putant quòd per planctum Dauid anima Abſalom potuit liberari à pœna, quia planctꝰ ille non erat meritorius,cùm Dauid non ploraret niſi ex compaſſione filij ſui, quia filius erat, & iſta cùm fiant ex affectione naturali,ad merendum vel ad ſatiſfaciendum nihil proficiunt.Conſiderandum vlterius quòd Nicolaus dicit,quòd Dauid ſex vicibus dixit: fili mi Abſalom ad compatiendum pro ſex pœnis, quæ ſunt in inferno. Habentur autem quatuor vices hic, & duæ ſequen.cap. Et eſt ſenſus quòd Dauid credebat Abſalonem eſſe in inferno, quia mortuus fuerat in peccato mortali. Sunt autem ſex pœnæ inferni,ſcilicet,pœna priuationis bonorum vitæ æternæ,quæ vocatur pœna damni,eſt pœna ſenſus in toleratione malorum,eſt ſtridor, eſt fletus, ſunt exteriores tenebræ, eſt duratio ſine fine,& pro iis ſex condoluit ſibi dicẽdo ſex vicibus,fili mi Abſalom, Sed iſta applicatio nõ ſtat. Primò quia non ſolùm ſex,ſed etiam octo vicibus hoc dixit,vt patet in litera Hebraica: litera tamen noſtra non curauit repetere toties idem verbum,quia inutile erat,ideo non poteſt ſumi ex hoc ratio ſignificationis,Item etiam ex litera Hebraica non poteſt ſumi iſta ſignificatio, quia quam quam ſolùm ponatur ibi octo vicibus,fortè dixit plus quam trigeſies. Nam non dicitur in litera quòd dixit ſolùm iſta, ſed quòd ſic loquebatur vadens,ſcilicet,fili mi Abſalom. Item non ſtat applicatio, quia pœnæ inferni non ſolùm ſunt ſex,ſed etiam à quibuſdam ponuntur nouem, & ab alijs plures. Item non ponitur hic pœna grauiſſima inferni, ſcilicet, vermis conſcientiæ, de qua Iſaiæ vlti. Vermis eorum non morietur,& ignis eorum non extinguetur.Vermis tamen non poteſt propriè poni inter pœnas damni,quia eſt aliquid poſitiuum.Non eſt etiam inter pœnas ſenſus, quia non pertinet ad exteriora,ſed de hoc dicetur Mat.25.cap.Item non eſt propria connumeratio pœnarum, cùm diſtinguitur pœna ſenſus contra pœnam ſtridoris & fletus, quia iſte pœnæ ſenſus ſunt, & non poteſt connumerari genus contra ſpeciem. Dicendum ergo quòd non ponitur hic ſex vicibus fili mi Abſalom ad ſignãdum aliquid, ſed per accidens,quia ita poterat poni decem vicibus, vel pluribus, aut ſolùm bis.Quod patet,quia non totiens ponitur hic ſicut in Hebræo, ſed ibi octo vicibus.Hic autem ſex: & veriſimile eſt, quòd Dauid pluribus uicibus iſta dixerit repetẽdo dolorem ſuum.

Opinio Nicolai.

Reſponſio auctoris.

An liceat dolere pro damnatis. Quæſt. XXVII.

QVAERETVR vlterius, quia dixit hic Nicolaus,quòd Dauid dixerat ſex vicibus,fili mi,ad compatiendum pro ſex pœnis,quę ſunt apud inferos, an liceat homini dolere pro his, qui apud inferos ſunt.Reſpondendum quòd aut conſtat aliquem eſſe apud inferos, aut non: ſi non conſtet, quantumcunque moriarur factis magnis peccatis,licet homini dolere pro illo,& orare & benefacere: eo quòd potuit homo in extrema parte vitæ dolere pro peccato,& remiſſionem habebit.Si autem cõſtet aliquem eſſe apud inferos eo modo, quo conſtare poteſt,Dicendum quòd pro hoc nefas eſt orare,vel bene agere, vt ad locum ſalutis redeat, quia hoc impoſſibile eſt:& cùm voluntas Dei ſit in hac parte immobilis, ſi quis conetur orando Dei mutare ſententiam,vel putat illam eſſe mutabilem, offenſio magna Dei eſt,licet tamen dolere pro ilis, qui ibi ſunt, compatiendo,& non orando,ſcilicet,quòd patiuntur tam acres pœnas. Sic enim eſt in luctu mortuorum,nam licet flere pro mortuis, ille tamen fletus non eſt, vt mortui illi reſurgant,uel ut peccata eis condonentur, ſed ad oſtendendum ſigna compaſſionis.Si quis ergo ſciens amicum, aut filium, uel cognatum in inferno eſſe, compatiatur ei, quia ſic periit, non orando pro illo,non peccat, quia compaſſio noſtra non repugnat immobilitati ſententiæ Dei.Sic autem Dauid dato qꝺ ſciret Abſalom eſſe in inferno,poterat lugere pro illo compatiendo ſibi, fortè plus quam pro morte temporali. *Quis mihi tribuat, vt ego moriar pro te.* Hoc dicebat Dauid ex nimio dolore, & quia valde diligebat Abſalom,licèt offendiſſet eum nimis.

An Dauid peccaret, dicendo, quòd volebat mori pro Abſalom,& an liceat alicui homini mori pro alio. Quæſt. XXVIII.

QVAERETVR an Dauid peecaret dicendo,quòd uellet mori pro Abſalone. Reſpõdendum quòd dubium conſiſtit in hoc: ſi licet alicui pro alio ſponte mori, ita ut ipſe uelit mori, ne alius moriatur. Reſpondendum quòd abſolutè non licet alicui pro alio mori, uel ſe exponere ſolùm, ne alius moriatur, licet tamen,quòd ſe exponat aliquis in dubio ad mortem pro alio,ſcilicet,ut defendat eum: Vel interdum, ut adiuuet contra hoſtem. Si tamen aliquis occidendus eſt pro crimine, uel alia cauſa: non licet alicui quantumcunq; amico exponere ſe,ut ipſe occidatur, ut alius uiuat:quia tunc iſte deſideraret mortem innocentis,& conferret ad illam directè, ſicut aliquis faſa.Item peccaret contra ordinem charitatis,quia non debet quis diligere alium plus quàm ſe: ſed qui uult mori, ne alius moriatur,diligit alium plus quàm ſe,ergo peccat.In morte autem, quam quis ſubit in dubio pro alio,non eſt ſic, quia cùm mors incerta eſt, non uult quis mori, ſed ſolùm adiuuare amicum, licèt ex illo poſſit ſequi mors: nam indifferens eſt mori, uel euadere,ideo non eſt deſiderium mortis innocentis. Etiam non diligit hoc modo quis alium plus quàm ſeipſum,quia non moritur,ut alius non pereat,ſed exponit ſe periculo,ut alius non moriatur. Sed obijcetur, quòd directè aliquis poſſit mori, & uelle mori, ne alius moriatur: quia quod cadit ſub charitate non eſt peccatum, ſed charitatis perfectiſſimæ eſt mori pro alio,ſicut Chriſtus dixit: maiorem hac charitatem nemo habet, quàm ut animam ſuam ponat pro amicis ſuis:ergo licet nobis mori pro amicis. Reſpondendum quòd hoc non intelligitur de poſitione animæ, quando quis uolens mortem directè moritur,ut alius non moriatur,ſed de poſitione animæ ad pericula, in quibus non eſt mors certa,licèt magis præſumatur de morte quàm de uita, & quando mors illa non meritò ſponte,ſed ex neceſſitate, ſcilicet, ſi quis in illam incidat defendendo amicum, & iſta eſt maxima charitas, quia non habet homo maiora bona quàm vitam ſuam, quam exponit periculis pro amico. Aliter fortè poſſet aliquis exponere auctoritatem illam de morte certa,quam aliquis uoluntariè ſubit:& ſic Chriſtus mortuus eſt ſponte pro nobis mori uolens, & ſciens moriturum,ſed hoc in Chriſto ſpeciale fuit. Aliquis fortè dicet, quòd quamquam nullus obligetur ad perfectum actum charitatis, ſicut fuit in Chriſto: tamen ſi quis vult illum habere, non peccabit, ſed potius laudabitur,quia eſt opus ſupererogationis. Dicendum quòd adhuc mors Chriſti non fuit ſuper regulam

regulam datam, nam Chriſtus non mortuus eſt, ne nos moreremus,ſed vt liberaremur à peccatis,nos autem ſi moriamur pro alio,non poſſumus mori,vt tollantur peccata ſua, ſed ſolùm ut non moriatur alius: quia mors vnius hominis non proficit alteri ad remiſſionem peccatorum, ſed hoc in ſolo Chriſto eſt, qui Deus eſt & homo,ideo per mortem ſuam poteſt mereri remiſſionem peccatorum, quia mors ſua eſt meriti infiniti: ſi tamen mors Chriſti non profeciſſet nobis niſi ut unus de nobis liberaretur à morte temporali, & non proficeret ad remiſſionem peccatorum, non licuiſſet Chriſto pro nobis mori: ideo non ſtat in Chriſto inconueniens,quod in nobis, ſcilicet, qꝺ moriendo pro nobis diligat nos plus quàm ſe, quia Chriſtus mortuus eſt in carne, ut animas noſtras liberaret à morte,quilibet autem homo tenetur plus diligere animam alterius,quàm corpus ſui ipſius,& tamen nõ debet diligere plus corpus alterius quàm ſuijpſius: homo tamen quando pro alio homine moritur, ſolùm moritur,vt ille nõ moriatur, & ſic plus diligit corpus illius quàm corpus ſuum,& vitam illius quàm vitam ſuam.Item non ſtat aliud inconueniens,ſcilicet,quòd homo moriens pro alio vult mortem innocentis. Nam iſtud culpabile eſt inquantum homo vult mortem ſuam,& non eſt penitus dominus ſuijpſius, ſed offendit Deum,cuius poſſeſſio eſt. Se autem non offendit,vt declarat Ariſt.5.Ethic. & habitum eſt præc. cap.q.19.in morte Achitophel. Chriſtus tamen erat dominus ſuijpſius,eoꝫ qꝺ erat Deus, ideo quamquam vellet ſe innocentem mori, non peccabat.Item mors Chriſti erat quaſi non mors,eo quòd in poteſtate ſua erat illico vt moreretur reuiuiſcere: ſic.n.dixit Ioã. 10. Poteſtatem habeo ponendi animam meam, & poteſtatem habeo iterum ſumendi eam. In nobis autem eſt poteſtas moriendi, ſed non reſumendi animam, ideo in nobis eſt propria mors.Patet igitur quòd non licet alicui offerre ſe occidendum,ne alius occidatur: & conſequenter non licet illud velle,nec dicere. De Dauid autem dicendum, quòd non licebat ei velle mori ne moreretur Abſalom, immo etiam dicendũ qꝺ dato qꝺ licuiſſet, Dauid noluiſſet hoc: ſed dicebat iſta verba ad expreſſionem doloris magni,& non peccabat illa dicendo, quia multa licent hominibus in dolore,quæ aliàs non licent. *Abſalom fili mi, fili mi Abſalom.* Repetitio eſt ſæpius facta eorundem verborum ad exaggerandum dolorem.

CAP. XIX.

NVNCIATVM eſt autem Ioab, quòd rex fleret, & lugeret filium ſuum. Et verſa eſt victoria in luctum in die illa omni populo. Audiuit enim omnis populus in die illa dici, dolet rex ſuper filio ſuo.

DICTVM eſt in precedentibus qualiter Abſalom Dei iudicio moritur. Hic agitur qualiter Dauid Dei beneficio in regnum reducitur.Et diuiditur in quatuor partes. Primò,ponitur Dauid cõſolatio, ſecundò conſolati ab omnibus tribubus receptio, ibi. *Omnis quoque populus.* Tertiò recepti in domum ſuam reductio, ibi. *Et reuerſus eſt rex.* Quartò reducentium concertatio,ibi. *Omnis autem populus Iuda.*

An ordo continuatus ſit ad præcedentia. Quæſt. 1.

QVAERETVR de his,quæ habentur hic,an habeant ordinem continuatum ad precedentia. Et an fuerint facta immediatè poſt illa. Reſpondendum qꝺ hic eſt ordo continuus:nã ſupra dictum eſt,quo Dauid plorabat pro morte Abſalom,hic autem dr̃,quo ceſſauit à fletu,ſed iſtud poſt illa eſt.Etiã ſupra dicebatur,quo Dauid erat fugitiuus trans Iordanem,hic aũt dr̃,quo reductus eſt in Ieruſalem.Ad ꝺm dicẽdum qꝺ iſta fuerunt facta immediatè poſt precedentia,ſ.eodem die.Nam eo die quo Dauid plorabat Abſalom,vt ſupra dr̃,reuerſi ſunt viri eius de bello,& Ioab ſuaſit Dauid,vt ceſſaret a plãctu,de quo hic dr̃. *Nunciatum eſt autem Ioab.* Iſtud fuit ei nunciatũ in via dum veniret de bello.Fortè.n.Achimaas,vel ali quis alius de ſeruis Dauid iuit ad nunciandum illud Ioab anteq̃ veniret in vrbẽ, vt uideret,quid ſuper hoc expediret fieri. *Quòd rex fleret, & lugeret filium ſuum.* Flere & lugere ponuntur hic tanq̃ diſtincta, quia vnũ ſignificat ſolam lachrymarũ emiſſionẽ, aliud verò ſignat clamationẽ, vtrũq;.n.faciebat Dauid,nã operuit vultum ſuum,& clamabat voce magna,infra in litera.

An peccauerit Dauid flendo pro Abſalom. Quæſt. II.

QVAERETVR, an peccauit Dauid flendo nũc pro Abſalõ. Aliquis dicet qꝺ ſic,quia Ioab increpuit valde Dauid ꝓ hoc fletu, ſed ille nõ fuiſſet auſus increpare regẽ, niſi ex valde iuſta cauſa,ergo Dauid male egerat flendo.Itẽ Dauid ceſſauit à fletu admonitus à Ioab,ſi tñ non fuiſſet fletus iniuſtus,non ceſſaſſet,ergo peccabat flendo.Rñdẽ dum qꝺ Dauid nõ peccauit flendo,quia cuilibet licitũ eſt cõpati patientibus, & a fortiori ipſis morientibus, potiſſimè aũt cognatis, ſic ergo cũ eſſet Abſalõ filius Dauid,licebat ei pro illo lugere.Nec obſtat ſi dicas,qꝺ erat Abſalõ vir peſſimus,iõ nõ erat dolendum de eo: nam cũ moriente crimina extinguuntur,ita vt ẽt iam de iure accuſari nequeant,ut patet in Decretis 23.di.c. quorundã. Ergo à fortiori põt eis iam pietatis officiũ impendi:ſic.n.ipſe Dauid pugnauit ꝯ Idumæos,& occidit illos,quia mali erant,poſtea tñ cõpatiens illis oſſi cium ſepulturæ exhibuit.ſequ.lib.c.11.à fortiori ergo poterant hæc fieri in filio ꝗꝗ viuens malus fuiſſet. Ad primam rõnem in ꝓrium dicendũ qꝺ Ioab increpuit Dauid,non quia peccabat faciendo,ſed quia illud vertebatur in magnũ damnũ ſuũ, ſ. quia ſi perſeueraſſet in fletu oẽs viri ſui receſſiſſent ab illo iſta nocte,& cõſtituiſſent fortè alium regem, vt patet infra in litera: Dauid aũt poterat increpari à Ioab,nõ ſolùm pro peccatis,ſed ẽt pro illis,quæ eſſent ꝯ honorem ſuum, & vtilitatem. Ad ꝺm dicendum qꝺ Dauid admonitus à Ioab ceſſauit a fletu,non tanq̃ malè egiſſet à principio,ſed quia inutiliter agebat,& ſequeretur magnum damnũ ex hoc, & ſic interdũ oportet ceſſare à bonis ꝓp aliq̃ cauſam,ſic dr̃ Pſal.38. Poſui ori meo cuſtodiã, cũ cõſiſteret peccator aduerſum me,obmutui,& humiliatus ſum,& ſilui à bonis,i.ceſſaui à bona operatione propter aduerſantes. Sic etiam interdum ceſſatur à bono propter ſcandalum,& ita erat hic, quia ſi fleret Dauid ſcandalizaretur populus, & recederet ab eo. Vnde non fuit ei liberum agere, quod uolebat. *Et uerſa eſt victoria in die illa in luctu omni populo,* ſcilicet, populus ueniebat ualde gaudens de bello obtenta uictoria, credens quòd Dauid faceret magnum gaudium,& lætarentur ſimul. Nunc autem cognito, qꝺ Dauid doleret de morte filij,de qua illi gaudebant,inceperunt triſtari tanq̃ nihil fuiſſet, qꝺ egerant: immo tãquam eſſet mala uictoria. *Audiuit enim populus in die illa.*

Arguitur 1.

Secundo.

Ad primam rationem.

Ad ſecundã

Universidad de Deusto
Biblioteca

illa. Scilicet, die, qua veniebat de bello, & antequã intraret in ciuitatẽ, vt patet infra, cùm dicitur, & declinauit populus in die illa ingredi ciuitatem. *Dolet rex super filio suo.* Istud audierunt in itinere, quia vt dictũ est aliquis nuncius venerat ad Ioab, qui retulerat regem dolere, & tunc populus cognouit, quòd rex lugebat. *Et declinauit populus in die illa ingredi ciuitatem.* Ideſt, noluit ingredi, quia nolebat introire ad planctum, cùm potius expectaret gaudium, & hilaritatem regis pro victoria: & non introierunt illa die, quia putabant, ꝙ fortè rex mutaret propoſitum, & ceſſans à fletu reciperet eos ſequenti die cum gaudio. In Hebræo habetur. *Populus furabatur ſe, ne veniret in ciuitatem.* Et idem eſt, ſed eſt modus loquendi groſſus, nã dicitur aliquis furari ſe ab alio, quando declinat ab illo, & ita populus declinabat nunc, vt non veniret in ciuitatem. *Quomodo declinare ſolet populus verſus, & fugiens de bello.* Ideſt, ſicut cùm populus ſuperatur in bello, & fugit, erubeſcit venire in urbes ſuas, ita ſerui Dauid quamquã obtinuiſſent victoriam, quia videbant ꝙ Dauid triſtabatur de illa, erubuerunt intrare in vrbem, cùm venirent ſub ſpe magnæ gloriationis, & nũc valde confuſi ſunt. *Porro rex operuit caput ſuum, & clamabat voce magna.* Iſte modus erat lugentium antiquitus, ꝙ capita velarent præ triſtitia. Nam erat hominibus conſuetum tempore gaudij caput habere diſcoopertũ, ideo è cõtrario tempore luctus operiebant caput. Clamabat autem rex voce magna, & iſtud iam erat ſibi inhoneſtũ, quia non ſolùm regibus, qui cæteros virtute præcellere debent, ſed etiam quibuſcunque inferioribus viris non conuenit voce magna plangere, quia iſtud muliebre eſt, Dauid tamen præ magnitudine doloris faciebat hæc. *Fili mi Abſalom, Abſalom fili mi.* Iſte eſt planctus ſæpe repetitus. Credendum eſt enim quòd alia verba interponeret Dauid, quia ipſe nouerat optimè plangere, ſicut patet in planctu, quem fecit ſuper Saulem, & Ionatham ſupra primo: & etiam ſuper Abner ſupra. 3. & patet hoc, quia dicebat, quis tribuat mihi, vt ego moriar pro te, præce. c. maxime tamen reperebat iſta verba. Fili mi Abſalom. *Ingreſſus ergo Ioab ad regem in domum.* Iſte erat confidentior erga regem omnibus ſeruis eius, eo quòd maior erat in tota domo. ſ. princeps belli. Etiam quia cognatus erat Dauid, ſcilicet, filius ſororis eius, & non timebat aliquod malum ſibi infligi, quamquam loqueretur regi aliqua dura. Iſte enim ingreſſus eſt in ciuitatem, & in domum regis dimiſſo toto exercitu extra vrbem, vt ipſe immutaret regem, & facto hoc reuerſus eſt ad exercitum, & omnes introierunt in vrbem. *Dixit, confudiſti hodie vultus omnium ſeruorum tuorum.* Ideſt, poſuiſti eos in verecundia magna, quia ipſi putabant, quòd tu lætareris valde in reditu eorum de bello, & agens diem feſtum dares illis munera: nunc autem quia doles de victoria eorũ, innuis quòd non placet tibi id, quod egerunt, & quòd non diligas eos, & iſta eſt confuſio ſua, propter quam ita declinant à te velut ſi fugiſſent de bello. *Qui ſaluam fecerunt animam tuam.* Scilicet, perſequendo, & ſuperando inimicos tuos: quia ſi nunc viri Dauid non præualuiſſent contra Abſalonem, ſed è contrario, ipſe occidiſſet Dauid, & omnes, qui cum eo erant, ut infra dicitur: & liberatus fuit Dauid ab hoc, labore ſeruorum ſuorum, ideo iniuſtè agebat confundendo facies eorum, ſcilicet, innuendo, quod non placeret ei de hac victoria. Eſt enim iſtud genus maximę ingratitudinis, cùm non ſolùm pro beneficio ſuſcepto nihil rependimus, ſed etiam illud non fuiſſe nobis vtile, vel non placuiſſe demonſtramus. *Et animam filiorum tuorum.* Etiam liberauerunt ſerui tui animas filiorum tuorum à morte.

Quomodo dicitur, quòd per mortem Abſalom ſaluata ſit anima filiorum Dauid. Quæſt. III.

QVAERETVR, quomodo dicitur hic, quòd liberauerunt animas filiorum Dauid, quia ille dicitur liberari à morte, qui aliàs moriturus eſſet, niſi prouideretur ei: ſed filij Dauid non erant morituri. Nam ſupra decimo ſeptimo dicitur: vnum virum tu quęris, & omnis populus erit in pace, ideſt, ſolùm tu quęris mortem vnius viri, ſcilicet, Dauid. Et item ibidem: percutiam regem deſolatum, & reducam vniuerſum populum: ergo ſolum volebat occidere regem, & reliquos ſubijcere ſeruituti Abſalom. Reſpondendum quòd ſi Abſalom prævaluiſſet contra Dauid, occidiſſet omnes filios Dauid. Primò quia fortè aliquis erat maior eo, cui potius competebat regnum, ſcilicet, Celaab, qui fuit genitus ante Abſalom, ſupra 3. cap. Item regnum promiſſum erat à Deo Salomoni, & ſi hoc ſciret Abſalom, ne impediret eum Salomon, interficeret ipſum. Item cùm obtinuiſſet Abſalom regnum per iniquitatem, non poterat illud tenere licitè, ideo fortè ſerui ſui inſurgerent in eum, & deponerent de regno inſtituentes alium de filijs Dauid, qui licitè obtineret illud: ut ergo nullus præueneret, ad quem regnum deuolui poſſet, vellet occidere omnes. Item fortè filij Dauid videntes quòd Abſalom iniuſtiſſime ſe habuiſſet ad patrem, inſurrexiſſent in eum, & occidiſſent: vt ergo non inſurgerent ipſe præoccuparet occidere omnes. Simile autem horum habetur 2. Paralipom. 21. de Ioram rege Iuda: nam ipſe poſtquam inſtitutus eſt in regem, occidit omnes fratres ſuos, & fortè vt ſecurius regnaret. Item quòd occidiſſet Salomonem, ſi cognouiſſet promiſſionem factam ei à Deo, Patet, quia timeret quòd ille auferret ei regnum, & faceret ſicut ipſemet Salomon fecit poſtea Ieroboam, cui propheta Ahias dixerat, quòd regnaturus eſſet, & Salomon voluit tenere eum, ut occideret. Ieroboam uerò fugit in Aegyptum, & fuit ibi vſque ad mortem Salomonis: ſequenti libro capi. 11. Item quòd occideret fratres ſuos, ſi fortè ad illos magis pertinebat ius regnandi quàm ad eum, apparet. Nam Abimelech filius Gedeonis ex concubina, habuit ſeptuaginta fratres legittimos, quibus competebat ſucceſſio patris, & ei nullo modo, quia erat illegittimus, ideo occidit omnes ſeptuaginta, vt non maneret aliquis, ad quem pertineret ius: vt patet Iudi. 9. Item quòd occidiſſet fratres, ne eum in regno perturbarent patet, quia Salomon cùm videret quòd Adonias frater eius moliretur ad regnum per qualdam fraudes, ſcilicet, petendo in vxorem eam, quæ fuerat uxor regis, Salomon occidit eum. ſequen. lib. ca. 2. non eſt ergo dubitandum, quin omnes fratres ſuos occideret Abſalom. Ad rationem in contrarium dicendum, quòd Abſalom quærebat vnum virum, ſcilicet, Dauid ſingulariter, quia ille erat, qui directè prohibebat eum regnare, & tamen minus principaliter quærebat animas omnium, qui poſſent eum impedire in regnando, & iſti erant fratres ſui. Aliter poteſt dici ꝙ Abſalom quærebat animam Dauid, & etiam filiorum ſuorum: & cùm dicitur, vnum uirum tu quæris: infertur igitur cum domo ſua, ſcilicet, quòd uolebat illum, & totam domum ſuam delere. Et patet, quia dicitur ibi, & omnis populus erit in pace, ſcilicet, omnes homines populares nõ habentes aliquem, quem in regem accipiant, niſi te. Et patet, quia non intelliguntur nomine populi filij regis, ſed nomine regis cum ſint in familia ſua, *Et animam filiorum tuorum.* ideſt, etiam liberauerunt filias tuas à morte.

An Dauid filias habuerit. Quæſt. IIII.

QVAERETVR, quomodo dicatur de filiabus Dauid, nam non legitur habuiſſe filias, immo nec aliquam. Quod patet, quia ſupra tertio ponuntur filij, quos habuit Dauid in Hebron, & inter eos nulla eſt fœmina, & ſupra. 5. ponuntur omnes filij, quos habuit poſtea in Ieruſalem, & etiam ibi non eſt aliqua fœmina. Reſpondendum, ꝙ Dauid filias habuit ſicut hic dicitur, nec valet argumentum ꝙ illę non deſcribuntur, quia multa ſubticet ſcriptura, quæ tamẽ facta ſunt, & ratio huius videtur, quia ſcriptura præcipuè vult agere mentionem de viris, eo quòd per eos tenditur linea generationis, & non per fœminas. Sed adhuc dicendum, quòd Dauid ex vxoribus ſuis ſolùm habuit vnam filiam, ſcilicet, Thamar, vt patet 1. Paralip. 3. vbi computatis omnibus filijs Dauid, ſubditur, hi omnes habuerunt ſororem Thamar: & tunc poteſt dici, ꝙ ſolùm habuit Dauid vnam filiam, licèt dicatur habere filias, quia habens vnum filium dicitur habere filios. Sic patet Gen. 46. vbi ponitur genealogia filiorum Iacob. Et dicitur filij Dan: Huſim, & ſic ſolùm erat Huſim filius Dan, vt ibi patet, & tamen dicitur habere filios: ſic etiam ex modo loquendi iuris humani dicitur habere filios, qui vnicum habet, ſic patet. ff. de verb. ſignifi. l. liberorum. Poteſt tamen adhuc dici, quòd habuit Dauid multas filias, quia licèt ex vxoribus non habuit niſi Thamar, potuit habere ex cõcubinis. Quod patet, quia in computatione filiorum Dauid nunquam exprimuntur filij concubinarum. Quod patet primo Paralip. 3. cùm enumeratis omnibus filijs Dauid, qui ponuntur ſupra. 3. & 5. ſubditur, omnes hi filij Dauid abſque filijs concubinarum, habuerunt ſororem Thamar: & ſic ſicut non exprimuntur filij concubinarum, ita etiam nec filiæ, & ſic potuit habere multas. Ioab autem loquebatur hic de omnibus filijs, & filiabus Dauid. *Et animam vxorum tuarum.* Habuit. n. Dauid plures vxores, & omnes hæ liberatæ ſunt. Patet quia ſex vxores accepit, dum eſſet in Hebron. ſup. 3. & poſtea accepit alias dum eſſet in Ieruſalem. ſupra. 5. & primo Paralip. 3. *Et concubinarum tuarum.* Habuit etiam Dauid concubinas multas. Quod patet, quia reliquit decẽ ad cuſtodiam domus, quando fugit de Ieruſalem, ſupra 15. & 16. & ex hoc apparet, ꝙ iſtę non eſſent vxores, ſed veræ concubinæ, quia diſtinguitur hic inter vxores & concubinas. Nec valet, ſi dicas, ꝙ cõcubinæ ſunt vxores minus principales, quia ad hoc reſponſum eſt ſupra 5. & 12.

Cùm fœminæ non eſſent perituræ cur liberatæ dicantur. Quæſt. V.

QVAERETVR, quomodo dicitur, quòd liberatæ ſunt filiæ, vxores, & concubinæ. Nam iſtæ, quia fœminæ erant, non erãt perituræ: ſic enim intelligebat Dauid, ideo quando fugit de Ieruſalem nõ reliquit aliquos viros ad cuſtodiã domus, ſed ſolùm decẽ concubinas. ſupra. 15. Reſpondendum ꝙ fœminæ non erant occidendæ, ideo non liberabantur à morte, ſed liberabantur à miſeria, & ſeruitute, quia ſi Abſalom occidiſſet Dauid, tota familia Dauid fuiſſet abiecta, & eſſent vxores, & concubinæ eius ſine honore: ſic enim dixit Bethſabee ad Dauid, ꝙ quando ipſe moreretur, maneret ipſa in miſeria, inquiens: eritq; cùm dormierit dominus meus rex cum patribus ſuis, erimus ego, & Salomon filius meus peccatores, ideſt, miſerabiles, & abiectam vitam habentes. Ita etiam futurum eſſet de omnibus alijs vxoribus, & concubinis Dauid, & filiabus, quia quælibet dicere quebatur hic de omnibus filijs, & filiabus Dauid. *Et animam vxorum tuarum.* Habuit. n. Dauid plures vxores, & omnes hæ liberatæ ſunt. Patet quia ſex vxores accepit, dum eſſet in Hebron. ſup. 3. & poſtea accepit alias dum eſſet in Ieruſalem. ſupra. 5. & primo Paralip. 3. *Et concubinarum tuarum.* Habuit etiam Dauid concubinas multas. Quod patet, quia reliquit decẽ ad cuſtodiam domus, quando fugit de Ieruſalem, ſupra 15. & 16. & ex hoc apparet, ꝙ iſtę non eſſent vxores, ſed veræ concubinæ, quia diſtinguitur hic inter vxores & concubinas. Nec valet, ſi dicas, ꝙ cõcubinæ ſunt vxores minus principales, quia ad hoc reſponſum eſt ſupra 5. & 12.

potuerat, qđ dixit Bethſabee ſeq. lib. c. 1. & ab hac miſeria liberauerunt ſerui Dauid filias, & uxores, & concubinas eius. *Diligis odientes te* Iſta erat increpatio, & vera erat, quia Dauid diligebat Abſalom, qui tamen eum habebat exoſum. *Et odio habes diligentes te.* Istud erat falſum, quia licèt Dauid ex affectatione naturali diligeret Abſalonem filium ſuum, qui eum habebat exoſum, tamen neminem de his, qui diligebant eum Dauid oderat. Dixit tamen hoc Ioab ſub hac intentione. ſ. ꝙ Dauid habebat exoſos ſeruos ſuos, qui diligebant eum, ſed hoc falſum eſt. Modus ẽt probandi hoc nõ erat cõueniens, quia ex eo ꝙ Dauid plorabat mortuo Abſalone, arguebat Ioab, ꝙ non diligeret Dauid milites ſuos, ſed ſolum Abſalonem. *Et oſtendiſti hodie, quòd non curas de ducibus tuis.* Scilicet, de me, & Abiſai, & Hethai, & de tribunis, & centurionibus, iſti. n. omnes erant principes belli, præced. c. *Et de ſeruis tuis* Iſti erant alij bellatores, qui nullum ducatum, uel præpoſituram habebant in bello, ſed erant ordinati ſub ducibus: & dicit Ioab, ꝙ Dauid nõ curabat de his, quia uenientibus eis de bello obtenta uictoria non allocutus eſt gratè, ſed flebat pro Abſalone tanquam illi nihil egiſſent. In Hebræo habetur. *Oſtendiſti hodie, quòd non tibi duces nec ſerui.* Ideſt, oſtendiſti ꝙ non habes duces, nec ſeruos. Cita habes eos abiectos, & nõ curas de eis, quaſi non haberes illos. *Et verè cognoui modo, ſi Abſalom viueret, & nos omnes occubuiſſemus, tunc placeret tibi.* Ideſt, in hoc cognoui, ꝙ ſi oẽs nos mortui fuiſſemus, & uiueret Abſalom, ꝙ placeret tibi, quia nunc nobis uiuẽtibus, & obtinẽtibus uictoriam luges, & tamen neceſſe erat, ꝙ uel ſuccumberet ille, uel nos: ergo cũ lugeas illo ſuccumbente, uidetur ꝙ nõ luxiſſes, ſi nos mortui fuiſſemus. In hoc tamen falſum dicebat Ioab, qa non placuiſſet Dauid ꝙ mortui fuiſſent omnes ſerui ſui, & uiueret Abſalom, quia tunc non ſolùm eſſet pena ſeruorum ſuorum mortuorum, ſed etiam ipſius Dauid, quia Abſalom obtenta uictoria irruiſſet ſuper Dauid ad occidẽdum eum. *Nunc igitur ſurge & procede.* Ideſt, nunc ſurge de luctu, & procede. ſ. in publicum ad recipiendum ſeruos tuos uenientes de bello. *Et alloquens latisfac ſeruis tuis.* i. loquere eis gratè tanquam gaudens nimis de uictoria, & da eis gratias, ꝙ ſe expoſuerũt ad mortem pro te, & præualuerunt contra hoſtes tuos. Et dicitur ſatisfac. i. ſatisfac eis in uerbis. ſ. loquendo eis grate, & ſignificando ꝙ gaudes nimis de opere eorũ, & iſta erit eis ſatisfactio, quia ſolùm uolunt uidere, ꝙ tibi in hoc ſeruierint. Alij exponunt ſatisfac. ſ. promittendo eis munera, quia ſe expoſuerunt pro te ad mortem. *Iuro enim tibi per dominum.* Istud ponitur ad confirmationẽ, quia adhuc Dauid uidebatur habere animum pertinacem in planctu, ideo aſſeruit ei ſub iuramento ꝙ damnum eueniret ei ex planctu. *Quòd ſi non exieris.* Scilicet, ad loquendum ſeruis tuis gratè, & ceſſaueris à planctu. *Nec vnus quidem remanſurus ſit tecum nocte hac.* Ideſt, omnes recedent à te, quia uidentes, ꝙ tu doles de bono opere eorum, ſcient quòd nõ diligis ipſos, & inquirent alium dominum. ſ. fortè facient aliquem de filijs tuis regem. *Et peius erit hoc tibi.* Scilicet, ſi omnes recedunt à te. *Quam omnia mala, quę venerunt ſuper te ab adoleſcentia tua vſque in præſens* Scilicet, omnia alia mala, quæ fuerunt tibi ab adoleſcentia tua fuerũt remediabilia, quia habuiſti ſemper aliquos adiutores. Nunc autem nullos habebis, nam totus Iſrael erat contra eum, & manſerant ſoli ſerui ſui, qui pugnauerant pro eo. Nunc autem omnes uolebant recedere, quia Dauid lugebat, ideo non remaneret ei ullus adiutor, & conſtitueretur alius rex, unde iam non eſſet hoc malum remediabile: & in hoc uerum dicebat Ioab, vnde Dauid videns hoc coactus eſt facere, quod ſuadebat Ioab.

An Ioab peccauerit increpando Dauid, quòd ploraret.
Quæst. VI.

QVAERETVR, an Ioab peccauerit increpando sic regem. Aliquis dicet, quòd non, quia ei vtilia suadebat. In contrarium videtur, quia nimis grauiter ista dicebat. Respondendum, quòd Ioab in hoc fecit bonum Dauid: nam fortè vidit totum exercitum incitatum ad eligẽdum alium in regem recedendo à Dauid. Quod patet, quia dicitur, quòd populus declinauit introire in vrbem. Ioab verò, vt non fieret istud scandalum, admonuit Dauid, & locutus est ei ista, vt exiret, & loqueretur seruis suis. Posset tamen dici, quòd Ioab aliquo modo peccauit in hoc, quia durè se habuit erga regem, nam cum maiori reuerentia debuisset ei loqui, & admonere, sed loquebatur ei tanquam minori, vel æquali, & per modum comminationis. Item quia Ioab increpando regem in multis mentitus est, scilicet, dicendo, quòd Dauid odio habebat diligentes se, scilicet, seruos suos. Etiam dixit, quòd placeret Dauid si omnes serui sui mortui fuissent, dum tamen viueret Absalom: & ista falsa sunt, sed obijciebat ea Ioab ipsi Dauid ex quadam mordacitate, sicut illi, qui desiderant acriter alios redarguere, vt latiorem habeant locum dicendi, non solum obijciunt ea, quæ vera sunt, sed etiam ea, quæ falsa. Qui verò bono desiderio increpat, quantumcunque grauiter agat, solùm obijcit ea, quæ vera sunt. Aliquis fortè dicet, quòd Ioab locutus est ita grauiter contra regem, non ex irreuerentia, sed ex necessitate, quia videbat expedire ipsi Dauid, quòd alloqueretur seruis suis: & quia circa hoc Dauid erat contumax in planctu persistendo, oportuit esse grauem persuasionem, qua moueretur ad assentiendum, vnde interdum per comminationes loquebatur. Sed adhuc dicendum, quòd istud non stat, quia si Dauid pertinax erat circa id, quod sibi nociuũ erat, poterat Ioab ex bono desiderio acriter inuehi in Dauid, vt recederet à pertinacia: & quamquam ista redargutio non esset grata Dauid, erat tamen meritoria, quia multa beneficia parantur inuitis, quando eorum consulitur vtilitati, & non voluntati, vt ait Augustinus in quadam Homil. super Lucam, & habetur quarta senten. distinctio. 15. quòd tamen Ioab increpando Dauid falsa contra eum locutus fuerit, nullo modo est excusabile, quia falsa non possunt dici ex bono corde, cùm sint contra conscientiam, sed dicuntur ex affectibus passionalibus ad adiuuandum desideria nostra: ideo videtur, quòd cùm Ioab peccauisset occidendo Absalom, & pro hoc nunc lugeret Dauid, vt ostenderet Ioab, quòd ipse non peccauisset, voluit inducere indirectè, quòd Dauid non lugeret pro morte Absalom, sed magis, quòd laudaret illam: & quia istud erat desiderium passionale, motus est Ioab ad increpandum fortiter Dauid, & allegandũ aliqua falsa, vt facilius moueretur Dauid ad assentiendum: & ob hoc Dauid quamquam assensit verbis Ioab ex necessitate, tamen doluit de ista persuasione, quia sic acriter fieret, & postea dixit filio suo Salomoni: tu nosti, quæ fecerit mihi Ioab, idest, quomodo afflixerit me, seq. lib. cap. 2. patet ergo, quòd Ioab aliquo modo peccauit in ista redargutione. *Surrexit ergo rex*, scilicet, à planctu desinens iam plangere. *Et sedit in porta*, scilicet, in porta vrbis, per quam ingressuri erant viri bellatores, vel in porta palatij sui, ad quod omnes venturi erant, vt facerent reuerẽtiam regi. Ecce enim quanta calamitas Dauid: nam filium suum ex magna amaritudine lugebat, & à seruis suis coactus est contra naturalem inclinationem in ipsa amaritudine ridere, &

Secunda.

alloqui illos, vultum hilarem ostendendo, cùm nequaquam lætum cor posset habere. *Et omni populo nuntiatum est, quòd rex sederet in porta*, scilicet, populus bellatorum erat extra ciuitatem: nam denũtiatum eis fuerat, quòd lugeret Dauid, ideo declinauerant introire in vrbem, nunc autem nuntiatum est eis, quòd rex sederet in porta, & tunc omnes introierunt in vrbem. Forte autem Ioab postquam persuasit Dauid exire de vrbe rediens ad bellatores, & ibi locutus est eis, qꝫ intrarent in vrbem, quia iam rex cessauerat à planctu. *Venit que vniuersa multitudo coram rege*, idest, omnes serui Dauid, qui iuerant ad bellum, nunc venerunt coram rege, scilicet, introeundo in vrbem, nam prius declinauerant ab ea, & nunc steterunt coram rege, qui sedebat in porta vrbis ad recipiendum eos. & tũc sunt intelligendum est, quòd allocutus fuit eis gratè, & de victoria gratias summas egit tanquam nunquam dubitasset de morte Absalom. *Israel autem fugit in tabernacula sua*, idest, totus populus Israel fugit de bello, & iuit in tabernacula sua. Et nomine Israel intelliguntur hic 12. tribus, quod est contra communem consuetudinem scripturæ. Nam cõmuniter Israel accipitur pro 11. tribubus, quia tribus Iuda non computatur de Israel. Sic accipitur infra in litera cùm dicitur, quòd viri Israel contendebant cum viris Iuda. Dicitur autẽ hic de fuga Israel in tabernacula sua, nõ quòd sit pars horum, quæ dicuntur, sed ad continuandum ea, quæ sequuntur, quia infra dicitur quomodo tractauerũt inter se viri Israel de reductione Dauid in regnum, & ad hoc præmittitur illud, vnde habuit originem ille tractatus, scilicet, quia fugerunt de bello à facie seruorum Dauid, & ob hoc erãt iam separati de domo Dauid, & tractauerunt quomodo redirent in priorem vnitatem regni sub Dauid.

Omnis quoque populus. Hic ponitur secundum huius c. scilicet, Dauid consolati ab omnibus tribubus recipiebãt eum in regem. Sic enim ipse dicit infra in litera, an ignoras hodie me factum regem super Israel, & dicitur. *Omnis quoque populus certabat in cunctis tribubus Israel*, idest, Israelitæ per omnes tribus suas certabant, idest, contendebant inter se super malo, quod fecerant excludentes Dauid, & accipientes Absalonem in regem, & imponebant sibi in alterutrum culpam, scilicet, quæ tribus magis incitauerat alias, vel fuerat principiũ, vt ungeretur Absalom, cũ esset Dauid rex.

Cur Israelitæ iterum voluerunt Dauid in regem recipere.
Quæst. VII.

QVAERETVR, quomodo Israelitę inducti sunt ad hoc, qꝫ dolerent de malo præterito, & vellent accipere Dauid in regem, & quis eos mouebat ad hoc. Respondendum, qꝫ primum mouit eos mors Absalom: nam ipsi rebellauerant Dauid propter Absalom, nunc autem mortuus erat Absalom, ideo non habebant iam causam rebellandi. Sic patet infra, scilicet, Absalom autem, quem vnximus super nos, mortuus est in bello, vsquequo siletis, & non reducitis regem? Secundum fuit cõmemoratio præteritorum bonorum collatorũ à Dauid, & ingratitudo Israelitarũ, scilicet, qꝫ Dauid beneficerat Israelitis liberando eos ab hostibus, & ipsi mala retribuerant ei, eijciendo eum de terra: ideo nunc cognoscendo ingratitudinẽ suam doluerunt, & voluerunt eum reducere. Hoc tangitur cũ dr. Rex liberauit nos de manu inimicorũ nostrorũ, & ipse saluauit nos de manu Philisthinorũ, & nũc fugit de terra pp Absalom. Tertium

tium fuit, quia Israelitæ nunc non habebant regem mortuo Absalom, & non poterant manere sine rege, nec erat aliquis, quem legitimè possent sumere in regem, cùm Dauid esset verus rex, ideo voluerunt eũ reducere. Quartum & potissimum fuit, quia Israelitæ timuerunt aliquod malum sibi futurum, si non reducerent regem, ideo voluerunt cito reducere eum. Nã sicut nunc pauci de seruis Dauid prævaluerant contra totum Israel, ita credebant, quòd deinceps futurũ esset, & quòd Dauid eos bellis conficeret, & destrueret omnia bona eorum: ideo voluerunt ipsi quasi gratis Dauid susципere super se, priusquam Dauid de hoc aliquid loqueretur, vt sic susciperet illos Dauid in gratiam, & reconciliaretur eis. *Dicens, rex liberauit nos de manu inimicorum nostrorum.* In hoc significant ingratitudinem suam, scilicet, quia Dauid benefecerat eis, & ipsi mala fecerant ei. Vocantur hic inimici omnes, contra quos pugnauit Dauid præter Philisthæos. Nã pugnauit contra aliquos Chananæos, sicut fuit capiẽdo castrum Ierusalem, sup. 5. cap. Pugnauit etiam contra Syros, Idumæos, Ammonitas, Moabitas, & omnes alias gentes, quæ erant in circuitu Israel: vt patet supra 8. & isti erant hostes Iudęorum. *Ipse saluauit nos de manu Philisthinorum.* Erant etiam Philisthini hostes Iudæorum, sed quia ipsi erant præcipui, nominati sunt per se, nam tantum infestabant soli Philisthini Israelitas, sicut omnes hostes, qui erant in circuitu simul. Vnde tempore Saulis ferè omnia bella Israel fuerunt contra Philisthinos, vt patet ex processu præcedentis libri. Dauid autem pugnauit contra Philisthinos agẽs multa bella contra eos tempore Saulis. præceden. lib. cap. 18. & 19. postea etiam cùm factus est rex pugnauit contra illos, supra 5. cap. iterum etiam egit contra eos multa bella, quousque abstulit de manu eorum frenum tributi: supra 8. cap. & pro hoc tenebantur Israelitæ ipsi Dauid. *Et nunc fugit de terra propter Absalom*, idest, fecit nobis omnia prædicta bona, & tamen nos adiuuando Absalom fugauimus eum de terra, quod est opus magnę ingratitudinis, ideo supple debemus redire ad cor, vt faciamus eum regem nostrum sicut à principio. *Absalom autem, quem vnximus super nos mortuus est in bello.* Ista est alia ratio ad reducendum Dauid in regnum, scilicet, nos recessimus à Dauid propter Absalonem, vt eum faceremus regem super nos. Nunc autem Absalom mortuus est, ideo frustra est, quòd nos amplius repugnemus Dauid. Dicitur autem quòd fugit Dauid de terra, non de tota terra Israel, quia mansit in ciuitate Mahanaim quæ est in forte dimidiæ tribus Manasse, vt patet supra 17. & ibi mansit toto tempore, quo durauerunt isti tumultus. Sed dicitur fugisse de terra, quia locus, in quo solebat habitare Dauid erat Ierusalem, & inde fugit propter Absalonem, supra decimo quinto capitulo. *Vsquequo siletis, & non reducitis regem.* Ista erant verba Israelitarum mutuo se accusantium, scilicet, vsquequo siletis, idest, cùm cognoscamus nos peccauisse, vsquequo siletis, idest, manetis nihil agentes, nam deberetis reducere regem, idest, reducere eum ad hoc, quòd sit rex totius Israel, sicut prius erat: vel reducere, scilicet, ad domum suam cum honore in Ierusalem, vbi esse solebat quando pacificè erat rex totius Israel. In Hebræo habetur: *Cur siletis*. Vbi litera nostra dicit: vsquequo siletis, sed idem est. *Et consilium totius Israel venit ad regem*, idest, Israelitæ inter se disceptabant, propter Dauid se inuicem accusantes, & ad vltimum deliberauerunt, quòd reducerent Dauid, vt esset rex sicut prius: & ista deliberatio, vel consilium peruenit ad regem.

Quomodo consilium Israelitarum peruenit ad Dauid.
Quæst. VIII.

QVAERETVR, quomodo peruenit istud consilium Israelitarum ad regem. Aliquis dicet, qꝫ peruenit per famam, quia aliqui retulerunt Dauid quomodo vertebantur ista inter Israelitas. Sed dicendum, quòd istud consilium Israelitarum peruenit ad Dauid per nuncios, quia ipsi miserunt solennes ambasciatores ad Dauid denunciantes ei intentionem suam super reductione, vt Dauid inclinaretur ad eos tanquam bono animo agentes. Patet hoc ex eis, quæ sequuntur, scilicet, sermo autem omnis Israel peruenerat ad regem in domum eius, i. Israelitæ miserant iam ad Dauid in domum suam ambasciatores referentes istud. Et ob hoc Dauid dixit ad viros Iuda, cur venitis nouissimi ad reducendum regem in domum suam, quasi dicat, iam vndecim tribus Israel præuenerunt vos: mittendo nuntios. *Rex verò Dauid misit ad Sadoc, & ad Abiathar Sacerdotes.* Dauid voluit reducere ad se Iudam, & ad hoc voluit quòd Abiathar, & Sadoc, qui erant Sacerdotes magni tractarent istud negocium cum tribu Iuda, & hoc quia erant viri nimis excellentes, scilicet, summi Sacerdotes, qui principes populi nominãtur. Act. 22. & ob hoc non misit alios de seruis suis ad tribum Iuda, & quia isti duo non erant nunc cum Dauid, sed manserãt in Ierusalem, sup. 11 decimo quinto, misit alios nuncios ad ipsos in Ierusalem, vt ipsi irent ad totam tribum Iuda, & tractarent de reductione regis. Alia etiam causa erat, quare isti ibant, scilicet, quia isti non fuerant partiales, uel saltem non se ostenderant, sed manserunt in Ierusalem custodiendo arcam, omnes autem alij serui Dauid fuerant partiales, quia nunc fuerant cum Dauid contra Absalonem: vnde magis erubescerent viri Iudæ, si venirent illi ad tractandum: quàm veniente Abiathar, & Sadoc. *Loquimini ad maiores natu Iuda*, idest, ad seniores, & potentiores in tribu illa, quia non poterant isti Sacerdotes loqui omnibus de tribu Iuda: sufficiebat, vt loqueretur præcipuis illorum. *Dicentes: cur venitis nouissimi ad reducendum regem in domum suam?* idest, cùm vos sitis magis coniuncti regi, debebatis uenire priores: culpa est ergo in vobis, quòd non ueniatis. Vel dicitur hoc ad innuendum, quòd dato quòd uiri Iuda nollent iam redire ad Dauid, quòd non habebant locum, quia omnes aliæ tribus conuenerant ad Dauid, ideo ipsi non poterant resistere.

Cur Dauid magis misit ad tribum Iuda quam ad alias, vt veniret. *Quæst. IX.*

QVAERETVR, quare misit Dauid potius ad tribum Iuda, ut ueniret quàm ad alias tribus. Respondendum, quòd Dauid facto bello, & mortuo Absalom expectauit quid facerent Israelitæ: ut sciret quid expediret ei agere, & si fortè nulla tribus sponte rediret ad ipsum, ipse misisset nuncios ad illas, ut redirent ad eum: nunc uero undecim tribus Israel inito consilio miserunt ambasciatores ad Dauid, ut reddcerent eum: tribus autem Iuda non misit ambasciatores, ideo non fuit opus quòd Dauid mitteret ad aliquam tribum, quòd rediret ad ipsum, sed solùm ad tribum Iuda, quæ non miserat nuntios, si tamen contigisset, quòd tribus Iuda misisset nuntios de reductione Dauid, & aliqua de alijs tribubus non misisset: Dauid quoque misisset ad exhortandam eam, sicut misit nunc ad tribum Iudæ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Cur misit Dauid nuntios ad tribum Iudæ. Quæst. X.

QVAERETVR, ad quid opus fuit, quòd mitteret Dauid nuntios ad tribum Iuda, quia ipsa per se veniret. Respondendum, quòd hoc fecit ad tollendum verecundiam viris de hac tribu, quia ipsi erant cognati Dauid, & exaltauerat eos Dauid, propter quod debuissent ei fideliores esse, nũc autem coniurauerant contra eum cum Absalom sicut cæteræ tribus, ideo verecundabantur nimis redire ad regem, ad tollendum autem hanc verecundiam, Dauid misit eis nuntios. Item fuit ad hoc, quòd non intelligerent viri Iudæ, quòd erant nimis exosi Dauid: nam cum ipsi essent magis peccantes in hoc, quàm cæteræ tribus, putarent quòd Dauid habebat eos magis exosos, quàm reliquos, & fortè non auderent redire ad ipsum nisi ipse vocaret eos, & ob hoc misit eis verba blanda ad reuocandum eos, dicens: fratres mei vos, os meum, & caro mea vos, quare nouissimi reducitis regem? Item fecit hoc, quia fortè putauit, quòd cùm viri de tribu Iuda essent fortes, & animosi, cùm semel recessissent à Dauid, vt non confiterentur se egisse iniustum, nunquam vellent redire ad eum, ideo ipse incitauit eos, vt redirent. *Sermo autem omnis Israel peruenerat ad regem in domo eius.* Istud ponitur ad probãdum præcedens, scilicet, cur venitis nouissimi ad reducendum regem. Et patet quòd sint nouissimi, quia sermo omnis Israel peruenerat ad regem in domum suam; ideſt, totus Israel miserat nũtios ad Dauid in domum suam, quòd vellent reducere eum, & nondum miserant filij Iuda nuntios. *Fratres mei vos.* Ista sunt verba persuasoria, scilicet, cùm vos sitis fratres mei, ideſt, magis mihi coniuncti sanguine quàm cæteri, debueratis prius venire, quàm alij. Vel aliter ponuntur ista verba blanda, vt intelligant viri Iuda, quòd Dauid non erat sibi exosus. *Os meum, & caro mea vos*, ideſt, vos estis os meum, & caro mea, scilicet, sumus de eisdem ossibus, & carnibus cùm descendamus ex eadem progeniæ. *Quare nouissimi reducitis regem?* quasi dicat, culpa est, quòd vos veniatis nouissimi, & aliæ tribus irridebunt vos. *Et Amasæ dicite.* Ista est reuocatio Amasæ, quem singulariter iussit vocari, vt veniret ad regem. *Nonne os meum es, & caro mea*, quasi dicat, cur non venis? nunquid nescis, quòd es os meum, & caro mea. In hoc enim verius erat, quàm in cæteris: nam Amasa erat filius Abigail sororis Dauid, vt patet supra 17. & primo Paralip. 2. c.

Amasa quare specialiter vocatus est à Dauid. Quæst. XI.

QVAERETVR, quare Dauid fecit specialiter vocari Amasam, quia sufficiebat illum vocari cum cæteris viris de tribu Iuda. Respondendum, q̃ Amasa fuerat princeps exercitus Absalom contra Dauid. supra 17. Etiam ipse erat filius sororis Dauid, propter quod ei tenebatur magis seruare fidem, quàm cæteri, & ex hoc magis ipse peccauit, & peccatum suũ erat minus remissibile, quàm peccata aliorum, ideo si non vocaretur specialiter, putaret, quòd Dauid erat sibi exosus, & non veniret ad eum. Sic enim fecit Christus Marc. vlt. cùm dixerunt Angeli mulieribus: ite & dicite discipulis eius, & Petro. Ipse enim specialiter nominatus est, quia ipse plus peccauerat, quàm alij negando Christum, & si non diceretur ei specialiter, quòd veniret, putaret se non comprehendi nomine aliorum. sic etiam Amasa fortè non comprehenderetur nomine aliorum, quia nullus tantum peccauerat sicut ipse. Erat autem Amasa cum viris Iuda, quia cùm ipse esset de hac tribu, facto bello mansit cum viris tribus Iuuus. *Hęc faciat mihi dominus, & hęc addat*: modus iurandi est. Et est sensus, talia mala, & talia inferat mihi Deus, si non fecerõ quod dico, & tunc demon. trabat aliqua mala magna; vt si diceret: Deus faciat mihi talia mala, & maiora, quàm nunc fecit. *Si non magister militię fueris coram me omni tempore pro Ioab*, ideſt, veni ad me, quia ego promitto facere te magistrum militiæ omni tempore, sicut erat Ioab. Aliqui enim intelligunt, quòd prædicat ibi locum substitutionis, vel suppletionis, scilicet, quòd quandocunque non esset præsens Ioab, Amasa esset princeps belli. Sed hoc non stat, quia tunc Dauid nihil promittebat Amasæ, cum ille esset valde parui honor, nam semper Ioab hoc modo esset princeps militiæ, licet esse abiens, & suppleret locum eius Amasa: Dauid tamen intendebat promitterc Amasæ aliquid magnum, ergo promittebat ei, quòd esset princeps militiæ sicut fuerat Ioab, & iam non esset Ioab princeps. Item patet hoc, quia simile habetur supra decimoseptimo, scilicet, Amasam verò constituit Absalom super exercitum pro Ioab, & tamen ibi non accipitur, vt substitutus Ioab, sed quòd sicut Ioab erat princeps militiæ Dauid, ita esset Amasa princeps militiæ Absalom. Item patet, quia Ioab occidit Amasam præ inuidia. sequen. capitulo, & tamen si solũ in Dauid substitutum fecisset Amasam ipsi Ioab, non imediisset ei Ioab, quia non usurpabat officium eius, si non occidisset eum. Item patet, quòd promittebat ei Dauid principatum militiæ, quia mox, vt redijt Amasa ad Dauid, iussit ei, quòd congregaret om nes viros de tribu Iuda, quod pertinebat ad principem militiæ, & nihil præceptum est Ioab, ideo videns Ioab, quod Amasa sumpserat ducatum militiæ, occidit eum, sequen. capit. ideo principatum nul itiæ Dauid promisit Amasæ.

An Dauid iustè volebat auferre principatum à Ioab. Quæst. XII.

QVAERETVR, cùm non posset princeps patus ille dari Amasę, quin tolleretur Ioab, cur auferebatur illi, & an poterat Dauid iustè auferre. Respondendum, quòd Dauid volebat Ioab auferre principatum militiæ, & omnem honorem, quem habebat in domo sua: causa fuit, quia offendit eum grauiter occidendo Absalonem, & agendo contra præceptum eius, præcedenti capitulo. Cum autem quæritur, an posset Dauid iustè auferre principatum militiæ Ioab. Respondendum, quòd quando aliqui instituuntur in honoribus, vel dignitatibus, aut illæ dicunt aliquem titulum, qui acquiritur in ipsa institutione, aut solum sunt officia, vel dignitates, quæ non dicunt titulum aliquem, sed solum tenentur ab illis, qui tenent eas propter voluntatem ipsorum, qui conferunt. & sic esse iudicem delegatum, vel arbitrum, quia ista non dicunt titulum, ideo ille, qui iudicem constituit, non tribuit ei titulum, sed officium. Alia sunt, quæ dicunt titulos, sicut esse episcopum, vel canonicum, & similia. De istis secundis dicendum, quòd siue dentur alicui ex meritis, siue sola principis benignitate, non quàm possunt tolli voluntate principis, sed solum propter delictum.

Si autem sint officia, vel dignitates, quę non dicunt titulũ, aut princeps contulit illa mera liberalitate, licet persona esset digna, vel cum aliqua conditione ex qua ipsa persona quasi iure suo acquireret illa officia, vel dignitates, vt si aliquis princeps diceret, quicũq; primo inuaserit, vel introierit in talem locum hostilem, fit iudex in toto regno, vel officialis in domo mea. Si primo modo dicendum quòd princeps, qui dedit dignitatem vel officium alicui, potest tollere ei quandocunque voluerit, etiam si nihil peccet. Et sic reges ponunt iudices in vrbibus, & non peccant tollendo eos, quandocunque voluerint, etiam si sint boni iudices. Idem est de principibus belli, quia istud officium, vel dignitas non dicit titulum, ideo quandocunque uult princeps, potest reuocare ducem, & instituere alium: sicut dominus potest reuocare procuratorem, quandocunque velit: nisi sit factus dominus litis. Si autem ista officia, uel dignitates acquirantur quasi iure ipsarum personarum, non potest princeps tollere illa, nisi peccantibus illis, qui sunt in officio, uel dignitate. Sic enim fuit de Iephte Galaadite, de quo dixit gens terræ Galaad, qui primus ex uobis contra filios Ammon cœperit dimicare, erit dux populi Galaad. Iud. 10. Et postea hoc sub iuramento firmarunt Galaaditæ ipsi Iephtæ, vt patet Iud. 11. ideo cùm factus est princeps per hunc modum, populus, qui dederat ei principatum, non poterat priuare eum, nisi valde delinqueret in ipso principatu. Sic autem fuit de Ioab acquirendo principatum belli: nam dixit Dauid, omnis, qui percusserit Iebusæum in primis erit princeps, & dux, ascendit autem Ioab primus, & factus est princeps. supra 5. & 1. Paralipo. 11. non poterat ergo priuari Ioab isto principatu, nisi pro delicto, cùm acquisiuisset illum iure suo.

Merebatur Ioab propter mortem Absalonis non solùm priuari principatu sed etiam occidi. Quæst. XIII.

QVAERETVR ulterius, cùm Ioab non posset priuari, nisi pro crimine, an esset nunc aliquod crimen, pro quo iustè priuaretur. Aliquis dicet, q̃ non, quia solùm occiderat Absalom, qui erat hostis publicus, & illum in bello occidit, ergo non peccauit ut priuaretur. Respondendum, q̃ sicut declaratum est præced. ca. Ioab peccauit grauiter occidendo Absalom. Nam quamquam ille mereretur mortem, tamen Dauid expresse prohibuerat eum occidi, ideo quicunq; illum occideret, mortis reus erat. Nam de maximis criminibus est inobedientia ad principem, potissimè autem cùm nulla causa subsit, quia tunc est manifesta rebellio, & efficitur hostis ille, qui sic repugnat. Pro omnibus autem talibus inobedientijs mors infligebatur in veteri testamento: siue ista inobedientia esset ad principem spiritualem, scilicet, ad summum Sacerdotem, siue ad principem secularem, scilicet, ad regem, vel ad alios duces. De spirituali principe patet Deuteron. 17. cùm dicitur: qui superbierit nolens obedire Sacerdotis imperio, & decreto iudicis, morte morietur homo ille. De principe seculari patet Iosue primo, cùm dixerunt Israelitæ ad Iosue, qui contradixerit ori tuo, & non obedierit cunctis sermonibus tuis moriatur: ergo Ioab occidendus erat, qui fuit inobediens Dauid. A fortiori igitur poterat sibi tolli principatus, & si relinqueretur ei uita, misericorditer agebatur cum eo. Itẽ merebatur Ioab mortem & priuationem ducatus, quia occiderat Abner iniustissimè per insidias. sup. 3. tales autem non solùm sunt mortis rei, sed etiam non gaudent aliqua immunitate sacrorum locorum. Sic patet Exod. 21. & extra de immuni. Eccle. ca. inter alia. & de homici. cap. 1. ideo debebat Ioab carere principatu, & mori: & hoc voluerat facere Dauid quando Ioab occidit Abner: tamen timuit magnum scandalũ populi, & uidit se impotentem ad hoc, ideo distulit ad tempus. Sic patet supra 3. ego autem adhuc delicatus,

& vnctus rex: porro viri isti filij Saruiæ duri mihi sunt, ideſt, quia ego sum rex nouiter vnctus, non possum adhuc facere res magnas, cùm isti filij Saruiæ sint mihi duri, ideſt, valde resistentes. Et subditur ibi: retribuat Dominus facienti malum iuxta malitiam eius: in quo Dauid innuebat, quòd non remittebat pœnã debitam, sed committebat Dei iudicio dum ipse non poterat punire. Nunc autem quia Dauid credebat se potentem ad puniendum eum, & potissimè crescentibus delictis illius, priuauit eum principatu, & tradidit illum Amasæ. sequen. capit. postea tamen mortuo Amasa redijt Ioab in pristinum statum, sed cur hoc fuerit seq. cap. declarabitur.

Quare promisit Dauid Amasæ principatum. Q. XIIII.

QVAERETVR vlterius, quare Dauid promisit Amasę, q̃ faceret eum principem exercitus. Respondendum q̃ fecit hoc, primò vt ille vellet redire ad Dauid: nam Amasa fuerat factus princeps totius exercitus Absalom. sup. 17. nũc autem rubor sibi esset descendere de illo statu, ideo forte nollet venire ad Dauid, si non maneret in illo statu, vt igitur veniret promisit ei ducatum militiæ: aliàs enim suspicaretur Dauid, quòd forte Amasa nolens descendere de statu suo concitaret tribum Iuda, de qua erat, & omnes alias tribus, quibus sub Absalone præfuerat, vt rebellarent semper Dauid, & eligerẽt alium regem, vt ipse sic maneret in principatu suo: ne igitur insurgeret ipsi Dauid alius hostis, voluit eum muneribus placare. Nihil namq; est quod magis hominem ad omnia nephanda commoueat, quàm desiderium non descendendi de honore, quem semel iustè, vel iniustè obtinuit. Secunda causa erat, vt ipse Amasa esset bonus procurator Dauid inducendo ad eum tribum Iuda, & alias tribus: nam cùm Amasa ante hoc esset princeps militię super totum Israel, viri de omnibus tribubus obediebant ei, & quia nondum redierant ad Dauid, adhuc obedirent illi. Vnde si ipse vellet suadere eis, q̃ redirent ad Dauid, faciliter obtineret: & si contrarium vellet, esset grauissimum ipsi Dauid reducere ad se Israelitas: pro hoc ergo voluit eum placare tradendo principatum exercitus. Tertia causa fuit, quia Dauid ablaturus erat principatũ belli ipsi Ioab ex causis assignatis præc. q. ideo voluit potius dare Amasę, qui erat cognatus suus filius sororis suæ, & erat vir strenuus in armis quàm alicui alteri.

Cum Dauid auferre vellet principatum Ioab, quare non dabat eum Abisai fratri suo. Quæst. XV.

QVAERETVR vlterius, cũ Dauid ablaturus esset principatum Ioab, quare non dabat illum Abisai fratri eius, qui erat vir strenuus in bello: nam ipse computatur inter fortes Dauid, & erat fortior quàm Ioab, ut patet inf. 23. & 1. Paral. 12. iste ẽt aliqñ erat princeps belli cum fratre suo Ioab, sicut in bello q̃ Ammon, sup. 10. Ipse quoq; contra Idumæos fuit princeps, & occidit 18. millia, ut patet 1. Paralip. 18. ipse quoque erat familiaris Dauid: cui nimis confidebat Dauid. Vnde ambo soli descenderunt in castra Saulis quando accepit lanceam Saulis. præced. lib. cap. 26. ipse etiam defendit semel Dauid à morte: ut patet infra 21. capit. erat etiam filius sororis Dauid, scilicet Saruiæ: sicut Amasa erat filius Abigail sororis Dauid, ut patet 1. Paralip. 2. Respondendum, quòd fecit hoc Dauid. Primò propter crimen ipsius Abisai: nam ipse fuit in morte Abner quamquam solus Ioab percusserit illum, vnde ambo dicuntur occidisse eũ. Sic patet sup. 3. scilicet, igitur Ioab, & Abisai frater

eius interfecerunt Abner, eo quòd occidisset Asaël fratrem eorũ, & sic Abisai reus erat in morte Abner ex quo merebatur mori, & consequenter non debebat ascendere ad aliquam dignitatem. Secunda causa erat propter seditionem, quia Abisai erat seditiosus valde, & cõcordabat ipsi Ioab in omnibus malis, quæ agere vellet Ioab: nec ab his compesci poterat iussu regis. Ideo quandocunque Dauid conquerebatur de Ioab: etiam de Abisai conquerebatur, Sic patet supra, 3. scilicet, porro viri isti filii Saruiæ duri mihi sunt, id est, non possunt flecti ad bonum iussu meo, sic etiam supra 16. dixit Dauid ad Abisai. Quid mihi, & vobis filij Saruię. Et iterum infra in litera: quid mihi, & vobis filij Saruiæ? Erat ergo Dauid durus ipsi Abisai: ideo noluit ei dare principatum militiæ, nam per hoc efficeretur superior, & non posset compescere eum. De Amasa autem non erat sic, quia non erat vir durus: vnde posset melius se habere Dauid cum illo, ideo illum voluit. Tertia causa fuit propter Ioab, nam si Abisai princeps esset belli, maneret Ioab quasi in principatu illo, quia ambo erant fratres, & cùm Ioab esset princeps, etiam faciebat Abisai principem, nam in bello diuidebant exercitum, & pugnabant tanquam duo duces. Sic fuit in bello contra Ammonitas. supra 10. c. Dauid autem voluit quòd nequaquam maneret principatus iste in Ioab directè, vel indirectè, ideo etiam noluit dare Abisai. Magis tamen diligebat Dauid ipsum Abisai quàm Ioab, quia minus offenderat eum, ideo quando misit Amasam ad colligendum exercitum, non iussit ipsi Ioab, quòd tolleret aliam partem exercitus, & iret contra Sibam, sed iussit hoc Abisai. sequ. cap. & tamen erat ibi præsens Ioab, vnde & ipse iuit cum Abisai. eo. cap. Sed adhuc obijcietur, quòd si propter peccatum non dabatur principatus militiæ Abisai, etiam non deberet dari Amasæ, quia ipse peccauerat contra Dauid cùm fuisset dux belli sub Absalone. sup. 17. Dicendum quòd Dauid non tantum cõsiderabat peccatum quantum rebellionẽ. De Amasa autem certum est quòd peccauerat; sed non credebatur postea repugnaturus Dauid. Malum autem ipsius Abisai consistebat in hoc, quòd Dauid putabat eum nunquam sibi subijciendum, eo quòd erat sibi vir durus. Peccata autem, quæ quotidiana sunt, & incorrigibilia, etiam si parua sint, maiora sunt quàm ea, quæ semel facta non repetuntur, ideo noluit Dauid accipere Abisai. *Et inclinauit cor omnium virorum Iuda quasi viri vnius.* Hoc potest intelligi de Dauid, scilicet, quòd ipse per ea, quæ misit dici viris Iudæ per Sadoc, & Abiathar Sacerdotes inclinauit illos totaliter ad se. Et dicitur quasi viri vnius, id est, quòd sicut quando vir vnus inclinatur ad vnam partem totaliter inclinatur, & nihil de eo inclinatur ad aliam partem; ita fuit in viris Iuda, quia omnes inclinati fuerunt ad Dauid, & nullus mansit qui non inclinaretur. Vel aliter, quasi viri vnius, id est, sicut modicum laborasset Dauid inclinando ad se cor viri vnius, ita modicum laborauit inclinando ad se corda omnium virorum Iuda. Aliter potest intelligi de Amasa, scilicet, quòd Amasa inclinauit corda omnium virorum Iuda ad Dauid, quia ipse erat inter viros Iudæ, & cùm misisset Dauid ad vocandum eum promittens ei principatum belli, ipse conatus est conuertere omnia corda virorum Iuda ad Dauid. *Miseruntque ad regem dicentes*, scilicet, viri Iuda miserunt nunc nuntios ad Dauid denunciantes, quòd recipiebant eum in regem, sicut prius. *Reuertere tu, & omnes serui tui*, id est, iam non timeas, sed reuertere securus in Ierusalem, sicut prius eras. *Et reuersus est rex.* Hic ponitur tertium huius cap. scilicet, regis recepti in domum suam reductio. Et diuiditur in tria. Primò ponitur Dauid benignitas in Semei obuiatione, & receptione. Secundò ponitur Dauid inæqualitas in Miphiboseth, & Sibæ concordatione, ibi. *Miphiboseth quoq;*. Tertiò ponitur curialitas Dauid in Berzellai expeditione, ibi. *Berzellai quoque.* Circa primum dicitur. *Et reuersus est rex*, scilicet, de vrbe Manaim, in qua fuit toto tempore seditionis, & veniebat in Ierusalem, vbi erat sedes regni sui, & ibi morabatur ipse semper, nã ibi ædificauerat sibi domos, vt patet supra 5. & 1. Paralipom. 14. *Et venit vsque ad Iordanem.* vsque ad istum locum venit Dauid cùm solis seruis suis, quia nondũ se parauerant tribus Israel ad veniendum cum eo.

Regis recepti ĩ domũ suam reductio.

Cur Israelitæ non honorauerunt Dauid valde reducendo eum in domum suam. Quæst. XVI.

QVAERET aliquis, cùm tribus Israel valdè offendissent Dauid, & nunc reducerent eum in priorem statum, cur non honorabant eum nimis reducendo in domum suam, quia propter hoc quòd offenderant eum debebant honorare. Respondendum, quòd viri Israel concordauerant de reductione regis, & iam receperant eum in regem, sicut prius, sed nondum determinauerunt sibi tempus, in quo reducerent eum in Ierusalem: viri autem Iuda cùm receperunt Dauid in regem, illico dixerunt ei quòd rediret in domum suã, & ipsi illico parauerunt se ad ueniendum cum rege. Sed prius quàm ipsi uenirẽt, rex erat apud Iordanem. Viris autem Israel nihil dictum fuerat de tempore reductionis, ideo non erant parati ad reducendum regem, sed cùm ipsi audierunt, quòd viri Iuda uolebant ducere regem, ipsi quoq; cito iuerunt, & media pars undecim tribuum iuerat ad Iordanem, quando rex transiuit: omnes autem alij postea uenerunt, & fuit orta seditiò magna inter viros Iuda, & Israel: conquerentibus viris Israel, quòd viri Iuda furati fuissent regem, ut patet infra, & sic totus Israel uolebat honorabiliter reducere Dauid in domum suam, nisi ipse festinasset recedere illis inconsultis. *Et Iuda venit in Galgala, vt occurreret regi.* Est enim Galgala locus quidam inter Iordanem & Iericho in principio terræ Chanaan à parte orientali, in quo Israelitæ transito Iordane primò castrametati sunt, & posuerunt ibi duodecim lapides, quos tulerant de Iordane, & ibi circumcisi sunt omnes, & celebrauerunt Pascha, ut patet Iosue quarto, & quinto: ad illum enim locum uenerunt viri Iuda, quia quando ipsi ueniebant, iam rex erat apud Iordanem. *Et transduceret eum Iordanem*, id est, ut transiret cum eo per Iordanem, & sicisti transierunt ultra Iordanem antequam Dauid transiret, & totam domum eius transduxerunt per fluuium, & ipsi irruperunt aquas ante Dauid: ut patet infra, scilicet, & irrupentes Iordanem ante regem transierunt uadum, ut transducerent domum regis. *Festinauit autem Semei.* Hic ponitur de obuiatione Semei, quomodo uenit ad petendum ueniam à Dauid.

Quomodo Semei, qui grauissimè peccauerat, venit obuiam Dauid, vt peteret ab eo veniam. Quæst. XVII.

QVAERET aliquis, quomodo Semei, qui tam grauiter offenderat regem, ueniebat iudicare coram eo, sed magis debuisset fugere de terra. Rñdendum, q̃ Semei grauissimè peccauerat, ut patet §. 16. & ideo doluit q̃n reductus est Dauid, & uoluerat q̃ alius fuisset electus in regẽ: sed quia totus Israel uoluit recipere eum, ipse non potuit prohibere: nunc autem putauit, quòd fortè Dauid flecteretur obsequijs, & ob hoc cum magno comitatu, scilicet,

cet, cum mille viris iuit ad Iordanem ad recipiendum Dauid, credens quòd cum nunc Dauid reciperetur nouiter in regnum, omnibus esset clemens, & voluit præuenire omnes alios, vt Dauid cognosceret illius animum obsequendi, sicut à principio valde peccauerat. Motiuum autem erat suum, quia omnes de Israel peccauerant contra Dauid, & si fortè vellet in eo petere vltionem, ita in omnibus alijs vellet, & oẽs turbati fugerent à Dauid. Ipse verò, vt non recederent omnes ab eo, nulli noceret. Honorauit autem Semei valde Dauid in duobus. Primò quia iuit cum magno comitatu, scilicet, cum mille viris de tribu sua. Secundo, quia fuit ante omnes Israelitas, in quo ostendit magnum desiderium seruiendi regi. Sic patet infra, scilicet, agnosco enim seruus tuus peccatum meum, & idcirco hodie primus veni de omni domo Ioseph. Dauid autem attendit, quòd omnes recederent ab eo si aliquem tunc occideret, ideo pepercit Semei. Sic dicitur infra: ergo ne hodie interficietur vir in Israel? an ignoras hodie me factũ regem super Israel? & ait rex Semei, non morieris. Si autem Dauid noluisset parcere Semei, tunc ipse habebat locum fugiendi de terra, priusquam Dauid confortaretur in regno. *Filius Iera filij Iemini.* Scilicet, quòd Semei erat de tribu Iemini. id est, Beniamin, & non de tribu Ioseph, sicut aliqui putant, de quo declaratum est supra. 16. q. 8. *De Baurim.* Ex hoc etiam patet, quòd erat Semei de tribu Beniamin, quia erat de Baurim, & tamen Baurim est ciuitas quædam in sorte Beniamin, & est propè Ierusalem versus septentrionem, de quo dictum est supra. 16. *Et descendit cum viris Iuda in occursum regis.* Scilicet, tunc quando illi descendebant.

Semei quare descendit cum viris Iuda cùm esset de tribu Beniamin. Quæst. XVIII.

QVAERETVR, quomodo Semei descẽdit cũ viris Iuda, quia ipse non erat de hac tribu, sed de Beniamin. Respondendum, q̃ fortè descendit cum illis ad hoc, quòd intercederent pro illo apud regem. Nam illi, qui erant de hac tribu erant cognati regis, & condescenderet rex precibus eorum, vnde si non flecteretur Dauid precibus Semei, tribus Iuda tota oraret pro illo. Vel aliter, forte Semei, qui erat vir potens in tribu Beniamin, cùm duceret nunc secum mille viros, locutus fuerat principibus de tribu Iuda indicãs offensam suam ad regem, & innuens, quòd si nollet parcere ei, erat signum quòd etiam non parcebat alijs, & cùm omnes offendissent eum, maximè principes populorum, quòd omnes vellet occidere, ideo quòd deberẽt accipere signum in eo, scilicet, quòd si gratis parceret ei, quòd omnes putarent nihil se passuros. Si verò ei non parceret, quòd nulli etiam remitteret iniuriam, ideo quòd resistendum esset ei, ne reciperetur, ne postea receptus, & confortatus in regno occideret, quos vellet. Aliter potest dici quòd iuit cum viris Iuda, scilicet, quia illi iuerunt prius quàm Israelitæ, & Semei etiam præcessit omnes Israelitas, ideo euenit, quòd Semei, & tribus Iuda simul irent. *Cum mille viris de Beniamin.* Id est, Semei ferebat secum mille viros, & hoc ad honorandum regem, scilicet, quia veniebat in magno apparatu. Vel fortè si rex vellet occidere eum, q̃ haberet locum aliqualiter se defendẽdi. Ex hoc etiam patet, quòd erat Semei de tribu Beniamin, quia alioquin non duxisset secum viros de tribu Beniamin, sed de Manasse, vel Ephraim, in quibus esset cognatio sua. *Et Siba puer de domo Saul.* Id est, etiam Siba, qui erat de domo Saul, non quantum ad cognationem, sed ad administrationem, nam ipse erat procurator domus Miphiboseth, sic dicitur supra. 9. erat autem de domo Saul seruus nomine Siba. *Et quindecim filij eius, & 20. serui.* Ista erat tota familia Sibæ, sic patet supra. 9. vbi ponuntur totidem filij, & serui. *Erant cum eo.* Potest hoc referri ad Sibam, scilicet, quòd iuit Siba ad regẽ & cum eo. 15. filij sui & 20. serui, vel potest referri ad' Semei, quòd ibant cum eo mille viri de tribu Beniamin, & insuper Siba & 15. filij sui, & 20. serui ibant cum eo.

Quare exiuit Siba in occursum regis. Quæst. XIX.

QVAERETVR, quare nunc exiuit Siba in occursum regis. Respondendum, quòd ipse voluit regem obsequijs flectere. Nam cùm fugeret Dauid à facie Absalom occurrit ei Siba cum muneribus, & meruit apud eum magnum fauorem, supra 16. nunc autem uolebat continuare illum fauorem, & ob hoc in primis descendit ad Dauid, vt cognosceret Dauid illũ sibi esse obsequiosum, & inclinaretur ad bene agendum ei. Alia causa, & potissima erat, quia timebat Siba, quòd nunc accusaretur super proditione, quam egerat, scilicet, accusando dominum suum Miphiboseth innocentem apud regẽ, & recipiendo possessiones illius. supra. 16. voluit ergo nunc præsens esse, ne absens accusaretur, & rex flecteretur contra eum, ipso autem presente, & obsequente in primis recordaretur Dauid munerum, quæ recepe rat ab eo, & quomodo iste videbatur ei obsequiosus, & parceret illi, sic enim factum est: quia licèt postea accusatus est à Miphiboseth, non consensit rex accusationi, licèt iusta foret, sed solùm restituit Miphiboseth medietatem possessionis ablatæ.

Ad quid Siba iuit cum Semei. Quæst. XX.

QVAERETVR vlterius, ad quid ibat Siba cum Semei. Respondendum, quòd ambo erãt de eadem tribu, scilicet, de Beniamin, ideo simul iuerunt. Vel aliter, Semei, qui erat valde reus apud Dauid, voluit habere secum Sibam, quia ille erat acceptus Dauid propter munera, quæ obtulerat ei dum fugeret à facie Absalom, supra. 16. & posset Siba orare pro Semei, si expediret. Vel aliter, quilibet istorum desiderauit videri nimis deuotus Dauid propter causas suas, & ob hoc uoluerunt in primis ire ad eum recipiendum: contigit ergo, quòd simul irent, & quia erat Siba minor quàm Semei, dicitur iuisse cum illo. *Et irrumpentes Iordanem.* Istud refertur ad omnes præcedentes, scilicet, ad tribum Iuda, & ad Semei, & Sibam. *Ante regem.* Potest dupliciter intelligi, vno modo quòd assumatur ante, id est, prius, scilicet, quòd quamquam Dauid, & tribus Iuda simul accesserint ad Iordanem. Dauid quidem ex parte orientis, & tribus Iuda ex parte occidentis, tamen tribus Iuda prius transiuit Iordanem quàm Dauid, scilicet, trãseundo ad partem illam, in qua erat Dauid. Aliter potest intelligi ante, id est, coram, scilicet, quòd cùm fuerunt viri Iuda ex parte alia Iordanis, in qua erat Dauid, & vellet transire Dauid, ipsi irruperunt vadum, id est, præcesserunt eum in flumine rumpendo aquas, & inquirendo loca planiora vadi, per quæ transiret Dauid, & domestici sui, & iste sensus est melior. Nam istud est irrumpere aquas. Est enim intelligendum, quòd viri Iuda, cùm essent multi, & fortes, posuerunt se in flumine coniunctim in ordine, ita vt impetus aquæ frangeretur in eis, & infra eos esset transitus facilis, & sic transirent omnes de domo regis, qui debiles erãt. *Transierunt vadum.* Scilicet, ante regem. *Vt transduceret domum regis.* Id est, vt si aliquid erat de domo regis,

quod

Universidad de Deusto
Biblioteca

quod humeris eorum transducí posset, ipsi illud transducerent. Rab. Sa. dicit, quòd erat ibi aliqua barca, in qua viri Iuda transducebant ea, quæ pertinebant ad regem. Hoc tamen non legitur, sed potius quòd omnes trãsirent per vadum. *Et facerent iuxta iussionem eius.* Ideſt, transierunt uiri Iuda ante regem, ut si aliquid iuberet eis facere in transducendo per fluuium, ipsi trãsducerent illud. q. d. uiri Iuda potuissent manere apud Iordanem citra aquas quando Dauid transiturus erat, quia tamen fortè Dauid indigebat ministerio eorum ad aliquid in transeundo, ipsi transierunt ultra aquas, ut iterum cum rege transirent. *Semei autem filius Iera prostratus coram rege.* Hic petiuit humiliter ueniam Semei à Dauid, & ad hoc prostrauit se in terram, ut sic ex humiliatione misereretur eius. *Cùm iam transisset Iordanem.* Scilicet, Semei iuit cum filijs Iuda, & transiuit Iordanem bis, obsequendo regi sicut illi, & tamen quando fuit ultra Iordanem coram rege noluit petere ueniam, quia rex erat dispositus ad transeundum, sed obseruauit quando iam transierat, quia tunc uidit eum dispositum ad hoc. *Dixit ad eum, ne reputes mihi domine mi iniquitatem.* Ideſt, non imputes mihi ad pœnam. Tunc enim delictum imputatur quando pœna plectenda censetur, & è contrario, quamquam maneat in memoria si non iudicatur, ut pœna plectenda non imputatur. *Neque memineris iniuriarum serui tui.* Ideſt, iniuriarũ, quas ego seruus tuus tibi intuli, scilicet, maledicendo tibi supra. 16. Et dicitur, ne memineris, scilicet, ad infligendum pœnas pro illis, quia alioquin non poterat intelligi, cùm etiam si Dauid illarum oblitus esset, Semei faciebat eum nunc memorem. Sic enim dicimus Deo, ne recorderis peccata mea, scilicet, ad puniendum illa: nam aliter nefas esset, quòd aliquis oraret quòd Deus non recordaretur peccatorum, ga scimus, quòd impossibile est Deum alicuius rei oblitisci. *In die qua egressus es domine mi rex de Ierusalem.* Eadem enim die cùm transisset Dauid ultra montem oliuarum, egressus est Semei de Baurim, & maledicebat regi spargendo puluerem, & iaciendo lapides, supra. 16, *Neque ponas rex in corde tuo.* Ideſt, non ponas faciendo aliquam mentionem de illo quasi nihil esset, quia ad magnitudinem clementiæ tuæ pertinet iniurias istas contemnere. Nam sicut magni cordis est tolerare, & contẽnere dolores, ita magni cordis est omnes iniurias uilipendere, ita ut animus non moueatur ad hęc, quod prouenit ex quadam magna cordis tranquillitate, quæ non est nisi in ualde bonis. *Agnosco enim seruus tuus peccatum meum.* Ideſt, agnosco me peccasse, & nõ me excuso, quia uerè peccaui, ex hoc enim Dauid debebat parcere ipsi Semei, quia cognoscebat planè peccatum suum. Deus enim nihil aliud exposcit à nobis, nisi ut confiteamur nos peccasse, & illico remittit offensam. *Et idcirco hodie primus veni de omni domo Ioseph.* Ideſt, quia cognoscebam peccatum meũ, nec me excusare uolebam, descendi hodie in occursum regis ante omnes de tribubus Israel, scilicet, ut ante omnes ueniam peterem, cùm plus omnibus peccassem.

Semei quare dixit, quòd venerit primus de tribu Ioseph. Quæst. XXI.

QVAERETVR, quare Semei dixit, primus ueni de omni domo Ioseph, cùm ipse esset de tribu Beniamin. Respondent Hebræi, scilicet, Rab. Sa. & Kimhi, quòd dixit hoc ad significandum, quòd deberet parcere ei. Induxit autem potius de Ioseph quàm de alijs, quia quamquam fratres Ioseph offendissent eum nimis uendendo illum in seruum, tamen postea eos gratè tractauit alendo eos, & domos eorum & misericorditer illis respondit cùm veniam peterent. Genes. vlti. Ita ergo Dauid exemplo Ioseph debebat misereri Semei. Aliter dicit Ra. Sa. si mihi misereris totus Israel putabit, quòd misereberis ei quamquam peccauerit, & ad te uenient: alioquin omnes fugient. Aliter autem dicit Rab. Dauid Kimhi, scilicet, quòd Semei erat de domo Ioseph, scilicet, de tribu Manasse, uel Ephraim, ideo dicit quòd ipse est, qui prior descendit de tota tribu illa. Sed istud falsum est, quia Semei erat de tribu Beniamin, & non de Manasse, uel Ephraim, ut probatum est supra. 16. Sed dicẽdum, q̃ uocatur hic domus Ioseph vndecim tribus Israel: nam diuidebatur tota posteritas Iacob in duos principes, scilicet, in Iudam, & Ioseph, cuius causa est, quia princeps omnium tribuum Israel debuerat esse Rubem, quia erat primogenitus, sed propter peccatum priuatus est iure primogenituræ, & no manit aliquis unus princeps in filijs Israel, sed diuisa sunt iura primogenituræ: nam Iudas suscepit principatum, & Ioseph suscepit alia iura primogenituræ, sic patet 1. Paralip. 5. ob hoc ergo tota domus vndecim tribuum uocabatur domus Ioseph, & tribus Iuda per se nominabatur tanquam alia domus: & quia Semei erat de tribu Beniamin, & illa erat pars domus Ioseph accipiendo isto modo, dixit quòd uenerat primus de domo Ioseph, ideſt, de oĩbus vndecim tribubus. Ité patet quòd non accipiatur hic domus Ioseph pro Manasse, uel Ephraim, sed pro 11. tribubus, quia Semei uolebat se ostendere ualde deuotum, & obsequiosum regi, ideo uerisimile est, quòd ipse demonstraret diligentiam suam quantum posset: sed ipse nõ solum uenerat nunc ante tribum Manasse, & Ephraim, sed etiam ante omnes tribus Israel, quia uenit cum tribu Iuda: ideo dato quòd esset de tribu Manasse, uel Ephraim, non diceret, quòd solùm uenit ante omnes de tribu illa, sed quòd uenit ante omnes de tribubus Israel: ideo dicendum q̃ nullo modo intellexerit per domũ Ioseph Ephraim, uel Manasse, sed oẽs vndecim tribus Israel. *Descendique in occursum regis.* Ideſt, descendi ad occurrendum regi in uia. *Respondens verò Abisai filius Saruię.* Scilicet, antequam aliquid rex loqueretur, respondit Abisai contra Semei, quia erat ualde impatiens, & iste erat filius Saruiæ. i. frater Ioab, & Asael, ut patet supra 2. & primo Paralip. 2. *Nunquid pro his verbis non occidetur Semei, qui maledixit Christum Domini?* Vidit enim Abisai flecti Dauid aliqualiter ad pietatem, & q̃ non haberet animum durè respondendi, dum loqueretur Semei: ideo ipse respondit contra Semei dicẽs, nunquid bonum est, q̃ pro his solis uerbis non occidatur Semei, cùm ipse grauiter peccauerit maledicendo Christum domini. i. regem unctum à Deo. q. d. non est ista conueniens satisfactio pro tanto crimine, sed debet occidi. Dicebat autem q̃ maledixit Christum Domini, quia ex hoc q̃ Dauid erat unctus in regem iussu Dei, erat graue peccatũ offendere ipsum. Sic patet ex uerbis Dauid ad seruos suos, quando suadebant ei, q̃ occideret Saulẽ in spelunca, & dixit, q̃ non mitteret manum suam in Christum Dñi. præce. lib. c. 24. & iterum dixit ad Abisai, ne interficias eum. Quis enim extendet manum suam in Christum Domini, & innocens erit? q. d. nullus poterit extendere manum suam in eum, & quòd sit innocens, præced. lib. c. 26.

Abisai quare respondit tam durè Semei. Quæst. XXII.

QVAERETVR, quare Abisai respondebat tam durè ipsi Semei potius quàm aliquis alius de uiris Dauid. Respondendũ, q̃ hoc faciebat, quia ipse iterum accusauerat Semei super hoc, s. q̃ maledicebat regi. supra. 16. & nunc uolebat continuare accusationem suam contra eum, scilicet, vt occideretur. Item Abisai erat uir ualde impatiens, & non potuit sustinere quousque responderet rex, sed cùm uideretur sibi irrationabile, quòd iste Semei immunis dimitteretur à pœna, obiecit ei, quòd pro his verbis non deberet ei parci. Propter istam autem duritiẽ, & impatientiã contra Semei dixit ei Dauid, quid mihi, & vobis filij Saruiæ: cur efficimini mihi hodie in satan. Item Abisai zelabat nimis pro Dauid, quod patiuit quando Semei maledixit regi, supra 16: nam ante hoc non concepérat aliquod odium de eo; & tamen ipse solus ante omnes alios seruos regis dixit, quare maledicit canis hic morituus domino meo regi? vadam, & amputabo caput eius: ita nunc cùm vidisset, q̃ Semei peteret veniã, magis zelatus est pro rege, quàm alij, petens quòd non parceretur ei pro hoc.

An Dauid tenebatur parcere Semei propter hoc, quòd humiliter veniam petebat. Quæst. XXIII.

QVAERETVR vlterius, an Dauid tenebatur parcere Semei propter hoc, quòd humiliter veniam petebat. Aliquis putabit, quòd sic, quia Deus nihil aliud expetit à nobis, nisi vt humiliter confiteamur peccatum nostrum. Nos tamen tenemur in alterutrum remittere offensas, sicut petimus à Deo dimitti. sic patet Matth. 6. in oratione dominica, scilicet, Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Ergo Dauid tenebatur remittere Semei iniuriã. Respondendum, q̃ Dauid tenebatur remittere Semei iniuriam quantum ad odium, vel rancorem cùm peteret veniam, scilicet, q̃ non haberet eum iam exosum sicut prius, & non solum eo petente veniam, sed etiam non petente remittere tenebatur, & sic quilibet homo aduersario suo tenetur remittere rancorem, quamquam non petat veniam, immo etiam quamquam non uelit veniam, sed dicat quòd non vult sibi remitti, sed potius, quòd semper vult offendere. Et in hoc nos differimus à Deo, quia ipse nunquam remittit culpam, nisi petatur, veniã, s. q̃ nos doleamus de malis præteritis, homo autem tenetur remittere homini, quamquam non petat. Ratio huius diuersitatis est, quia Deus est iudex, & si remitteret culpam non petita uenia, omnia essent inordinata, nec aliquis homo sic periret æternaliter, nec multum proficeret conari ad bona opera, vel ad mala, quia utroque modo necesse esset culpas remitti, & consequenter habere aliquando vitam æternam. In nobis autem secus est, quia non sumus iudices, sed conserui, & Deus vult, q̃ sicut ipse cuilibet nostrum liberaliter remittit ita & nos remittamus omnem rancorem, etiam quia dato, quòd nos remittemus rancoriens, non petita uenia, non sequitur aliquod inconueniens, sicut si Deus remitteret, quia per remissionem nostram non soluitur offensor à culpa, soluitur tamen per remissionem Dei: ideo non decet, quòd Deus remittat, nisi petita uenia. Nos autem remittere debemus: nam nos remittendo rancorem nullum bonum facimus ipsi offensori, sed nobis solis, cùm per hoc meream. Item factum est hoc, vt nos non usurpemus priuilegium Dei: nam proprium Dei est petere vindictam. Sic dicitur Deut. 32. & ad Rom. 12. Mihi vindictam, & ego retribuam, si autem nos non teneremur remittere offensam parte non petente, possemus petere propriè vltionem, ideo non licet. Sed obijcietur, quòd possumus petere vindictam, eo quòd possumus accusare offensorem ad pœnã, siue corporis, siue pecuniarum secundùm conditionem delicti. Respondendum, quòd nunquã possumus petere uindictam, quia vindicta ad animum pertinet, & est quoddam desiderium retribuendi malum pro malo nobis inflicto, & istud desiderium vocatur propriè rancor, vel odium, & istud tenemur remittere, siue petente offensore, siue non petente. Quod autẽ nos petamus offensorem condemnari ad pœnam secundùm conditionem delicti, non est q̃ velimus ei retribuere malum pro malo, sed desiderio iustitiæ, scilicet, vt non detur illi occasio semper peiora faciendi, si non castigatur. Quicunque autem aliter accusat aduersarium suũ, mortaliter peccat, siue pro homicidio, siue pro alijs iniurijs, vel damnis datis, & illo modo non petitur vindicta. Quantum ad hoc ergo tenebatur Dauid remittere ipsi Semei, non solùm nunc quando petebat, sed etiam tũc quando actualiter iniuriam inferebat. Consideratur etiã in iniurijs, vel damnis satisfactio, quæ est præter rancorem, & ista debitè potest peti à quocunque: nisi fortè aliquis sit in tanta perfectione status, quòd non possit petere satisfactionem iniuriarum suarum, sicut monachi, & omnes fratres, quia ipsi non sunt sui iuris, sed monasterium potest agere, dum tamen pœna non sit capitalis, vel detruncationis membrorum, vel magnæ effusionis sanguinis, ad quam nec directè, nec indirectè huiusmodi personæ agere possunt. Dauid ergo poterat petere satisfactionẽ delicti huius, & quia merebatur mortem Semei propter maledictionẽ regis, poterat licitè Dauid ei mortem infligere, dum tamen non ageret desiderio vindictæ. Poterat namque agere ad bonum finẽ, scilicet, vt tanta iniuria illata regi non videretur cõtempta, quia erat quodammodo diminutio regalis status, q̃ talis vir intulisset ei iniuriam grauissimam, & maneret impunitus. Ad rationem in contrarium dicendum, quòd si intelligatur de remissione rancoris, simile est in Deo, & nobis, quia Deus in omni casu remittit, cùm petitur uenia, nos autem remittere tenemur petita uenia, vel non petita. Si autem dicatur de remissione pœnæ, sicut Deus non remittit nisi præmissa satisfactione, ita nec nos tenemur remittere, sed est supererrogatio si remittamus. *Et ait Dauid, quid mihi, & vobis filij Saruiæ,* ideſt, quid habetis mecum filij Saruiæ, quia non permittitis me agere, quæ volo, sed in omnibus estis mihi obuij? Est sensus, quòd Dauid volebat dimittere iniuriam impunitam quantum ad præsens ne faceret scandalum, quia si istum puniuisset pro offensa, putauissent omnes alij se puniendos, cùm omnes peccauissent, & omnes fugerẽt, quod erat graue periculum ipsi Dauid, quia nõ posset eos postea ad se reducere. *Cur efficimini hodie mihi in Satan?* ideſt, cur efficimini mihi aduersarij? est enim Satan nomen Hebræum signans aduersarium quemcunque, & nos putamus esse nomen dæmonis. Et uerum est, quòd omnis dæmon vocatur satan, ideſt, aduersarius noster, quia aduersantur nobis in omni bono: & sic dixit Christus diabolo: vade retro satan. Matth. 4. ideſt, recede à me aduersari hominum, & hoc modo omnes homines aduersantes intentioni nostræ vocãtur satan, sic enim Christus dixit Petro, Matth. 17. nam cùm Christus dixisset, quod occidendus erat, assumens eum Petrus cepit increpare eum, dicens: absit à te domine, non erit tibi hoc, qui conuersus dixit Petro: vade retro me satana, scandalum es mihi. Idem Marci. 8. eodem modo nos dicimus Belial esse nomen dæmonis, & tamen est nomen Hebræum signans quemcunque hominẽ indomitum. sic patet Iud. 19. Est autem sensus, quòd Abisai efficiebatur satan, vel aduersarius ipsi Dauid, quia Dauid volebat remittere iniuriam, Abisai autem incitabat eum ad non remittendum, & dicitur, cur efficimini, quia loquitur Dauid quasi ad Abisai, & Ioab. Nam licèt solus Abisai offenderet nunc Dauid, quia etiam Ioab aliquando offendere solitus erat, semper loquebatur ad quemlibet eorum quasi ad ambos, scilicet,

Satan idem est quòd aduersarius.

Universidad de Deusto
Biblioteca

licet,quid mihi & vobis filij Saruiæ?vt patet hic,& supra. 16. & supra tertio, dixit autem cur efficimini hodie,quia specialiter loquebatur de isto die. Nam aduersari Dauid in ista die erat grauius, quàm aduersari ei alio tempore,Causa est,quia si alio tempore Dauid vellet occidere Semei: non esset scandalum sibi,neque eueniret aliquod malum. Si verò hodie occideretur sicut suadebat Abisai, sequeretur fortè diuisio regni, vel recessio omnium Israelitarũ à Dauid, quod erat grauissimum scandalum.

An peccauerit Abisai suadendo Dauid,quòd occideret Semei. Quæst. XXIIII.

Abisai solli citãdo mortem Semei visum est peccare.

QVAERETVR, an peccauerit Abisai suadendo Dauid,quòd occideret Semei. Aliquis dicet, quòd non,quia incitabat eũ ad bonum, scilicet, ad executionem iustitiæ. Respondendum est, quòd videbatur peccare Abisai. Primò, quia non faciebat istud desiderio iustitiæ, sed magis propter vindictam,vt patet ex verbis suis,quæ sunt verba hominis passionati. Item quia Abisai prohibebat Dauid bonum facere. Volebat enim Dauid remittere iniuriam sibi factam. Abisai verò non permittebat, qui tamen agunt ex charitate non prohibẽt aliquem benefacere:sic enim dicitur prima ad Cor. 13. sed qui agit contra charitatem peccat, ergo peccabat Abisai. Item non faciebat Abisai,nisi ex quodam zelo carnali,quem habebat ad Dauid, scilicet, quòd nolebat iniurias suas esse in ultas, & iste zelus non est laudabilis, maxime in isto casu,quando Dauid desiderabat agere opus bonum,& Abisai per zelum impediebat eum. Sic fuit de Iosue erga Moysen, qui zelabat pro eo volens, quòd ipse solus haberet omnem honorem: & quia duo viri in castris prophetabant,quod videbatur esse in diminutionem honoris Moysi, Iosue zelauit pro hoc, & dixit Moysi: domine mi Moyses prohibe illos. Nu. 11.& quia Moyses vidit,quod iste zelus erat carnalis, increpuit ipsum, dicens, quid æmularis pro me:quis mihi tribuat,vt omnis populus prophetet,& det illis Deus spiritum suum? non ergo erat laudãdus zelus iste Abisai. Sic igitur dicendum, quòd quandocunque vult aliquis remittere iniuriam sibi factam, siue quantum ad rancorem, siue ad satisfactionem quicunque impedierit, peccat mortaliter, quia impedit à bono opere. Sed aliquis dicet, contra:quia interdum ipsa punitio prodest peccanti, potius quàm si relinquatur impunitus. Respondetur,quòd quamquam hoc sit; tamen peccat ille, qui impedit alium remittere offensam,quia quomodocunque se habeat ille,qui intulit iniuriam, semper ille qui remittit, facit opus perfectionis,qui autem aliquem impedit,ne remittat, directè impedit opus perfectionis, ideo peccat. Quòd autem alius bene,vel malè se habeat remissa pœna,vel non remissa,per accidens est. Non debet autem impediri illud bonum quod est per se propter illud bonũ, quod est per accidens. Sed adhuc dicendum, quòd dato quòd constaret aliquem futurum esse bonum, si non remitteretur iniuria ei sed puniretur,& aliàs futurus esset malus, peccaret ille, qui impediret, quòd remitteretur ei iniuria, quia inquantum iste impediebat, quòd remitteretur iniuria,ipsemet faciebat malũ inquãtum distrahebat ab opere perfectionis aliquem. Quòd autem alius efficiatur bonus,si non remittatur ei iniuria, non est bonum opus istius, qui impedit remissionem, sed illius, qui per pœnam illatam corrigitur, & sic facit iste malum directè vt alius bonum faciat: sed hoc non permittitur, sicut ait Augustinus in lib.quæstionum super Gen.& habetur in decretis. dist. 14.cap.quòd ait Sodomitis. Ad rationem in contrarium dicendum, quòd quamquam Abisai moueret Dauid regem ad id, quod bonum erat, tamen distrahebat eum ab eo,quod melius erat,& respectu huius dicebatur male agere. *Ergo ne hodie interficietur vir in Israel?* Ideſt, nunquid est bonum quòd interficiatur hodie aliquis de Israel. q.d.non,& subditur causa. *An ignoras hodie me factum regem super Israel.* Q.d.non debes ignorare, quòd hodie ego nouiter constitutus sim in regem super Israel, ideo non est dies ad occidendum aliquem. Dicebat Dauid se hodie cõstitutum regem, quia omnes Israelitæ recesserant ab eo, & vnxerant Absalonem in regem,& tunc quamquam ipse de iure esset rex, tamen de facto non recipiebant eum in regem Israelitæ,nunc autem omnes susceperũt eum, ideo hodie erat factus rex.

Peccat qui impedit iniuriam remitti.

An peccatum esset, quòd Dauid occidisset aliquem in illo die. Quæst. XXV.

QVAERETVR, an peccatum esset, quòd Dauid occidisset aliquem in die illa quamquã aliàs reus esset. Aliquis dicet, quòd sic, quia Dauid dixit: ergo ne occidetur hodie vir in Israel? quasi dicat malum est: ergo peccatum erat. Item simile patet præceden.lib.cap. 11.nam in die illa qua Saul renouatus est in regem dixit populus ad Saul, quis est iste, qui dixit Saul non regnabit super nos? date nobis viros & interficiemus eos. Et ait Saul:non interficietur quis in die hac,quia hodie fecit dominus salutem in Israel. Respondendum est,quòd si aliquis erat reus mortis, quòd Dauid occideret illi in die ipsa, vel alia peccatum nullum erat, nisi forte esset lex aliqua, vel consuetudo, quòd in certo die rei mortis non possent occidi,sed potius aliqui vitæ donarentur: sic erat consuetudo apud Hebræos, quòd in festo azymorum dimitteretur eis vnus de reis mortis. sic patet Ioan. 18.poterat ergo sic esse,quòd in die coronationis regum, vel innouationis aliquis reus mortis vitæ donaretur,& tunc non erat licitum de illo, q occideretur. Vel fortè poterat esse, quòd in istis magnis solennitatibus erat consuetudo,q non occideretur aliquis, nec torqueretur, quamquã reus esset, sed differentur ista ad alios dies. Sic etiam nunc est in omnibus diebus dominicis nostris, quòd nulla sententia criminalis traditur executioni publicè, sic patet extra de ferijs. cap. omnes dies dominicos. Ita autem poterat esse in festis consecrationum regum, vel in aliis solennitatibus apud Hebræos, quòd non occideretur aliquis. Dauid autem ob hoc potuit dicere,quod hodie nõ occideretur aliquis,quia erat factus rex hodie, & non erat iustum quòd in die tanti gaudij luctus ociosorum audiretur:si tamen Dauid voluisset occidere illa die aliquem,qui aliàs reus esset,non peccaret,cùm non esset præceptum contrarium. Ad primam rationem in contrarium dicendum,q Dauid non dixit,ergo ne occidetur hodie vir,quasi peccatum esset,q illa die aliquis occideretur,sed dixit propter duo. Primum erat ex quadam consideratione vtilitatis,nam sibi erat valde utile,q illa die nullum occideret,alioquin putarent Israelitæ q vellet punire omnes peccantes in ipsum, & fugerent omnes ab eo, quod erat magnum scandalum. Secundum erat ex quadam condecentia, quia videbatur quoddam quasi absurdum, quod illa die qua ipse susciebat magnum beneficium à toto populo,occideret aliquem de populo, lætitiam suam aliorum amaritudinibus polluendo. Ad secundam rationem quando dicebatur de Saule. Dicendum, quòd ipse noluit, quòd occideretur aliquis in illa die ex sola benignitate, quia ipse remisit liberaliter iniuriam omnibus, qui cum contempserant, & nec vindicauit

dicauit illam die illo nec aliqua alia.

Et ait rex Semei, non morieris. Postquam increpuit Dauid ipsum Abisai de accusatione Semei, dedit securitatem Semei,dicens: non morieris, ideſt, non timeas quòd occidam te. *Iurauitque ei*, ideſt, ad hoc, quòd magis securaretur Semei de promissione Dauid, firmauit eam iuramento.

An Dauid fuerit periurus iubendo occidi Semei. Quæst. XXVI.

QVAERETVR, an Dauid fuerit periur⁹, & an peccauit iubendo occidi Semei: nam cùm ipse esset propinquus morti,iussit hoc Salomoni seq.lib.c.2. Respondendum cùm queritur, an peccauit occidendo illum post. Dicendum quòd, cùm Semei esset reus mortis, poterat eum Dauid occidere quandocunque vellet, quòd autem differret mortem suam per aliquod tempus non præiudicabat ipsi Semei,sed potius faciebat ei gratiam: ideo sicut poterat quocunque tempore vitæ suæ occidere illum, ita poterat iubere filio suo, quod occideret eum,& sic quantum ad hoc nõ peccabat. Sed cùm quæritur, an fuit periurus,quia iurauit,quòd nõ occideret eum, & postea iussit eum occidi,stat dubiũ. Ad quod respõdet Nicolaus, quòd Dauid non fuit periurus, quia non iussit occidi Semei propter causam istam, sed quia erat seditiosus,& iuramentum factum super vna re, non extendit se ad aliam,de qua non eximitur nisi sit necessariò dependens ex illa,vel cõnexa ei,ista autem erat multum differens. Sed istud non stat. Primò quia quando Dauid locutus est Salomoni de occisione Semei, posuit ei pro causa istam maledictionem, dicens: habes apud te Semei filium Gera,qui maledixit mihi maledictione pessima, & sequitur, tu noli pati eum esse innoxium:si tamen iussisset eum occidi pro seditione,non posuisset maledictionem pro causa, sed seditionem. Item dicitur allegato capitulo, sed quia descendit mihi in occursum cùm transirem Iordanem, iuraui ei per dominum, dicens, non te interficiam gladio, tu noli pati eum esse innoxium, ideſt quamquam ego non occidi eum,quia iuraui ei,& quia fuit mihi in occursum,tamen tu non patiaris mori eum sine sanguine. Item patet, quia si pro hac causa seditionis iussisset Dauid Salomoni quòd occideret Semei, ipsemet occidisset eum, quia hoc nihil repugnabat iuramento præstito, nec etiam erat verecundia Dauid, quia non videbatur agere contra id quod semel proposuerat, cùm ex noua causa eum occideret. Dicendum ergo,quòd Dauid iussit occidi illum ex hac causa sola, nec stat confirmatio Nicolai cùm dixit Dauid Salomoni prealleg. cap. vir autem sapiens es & scies, quæ facies ei, deducesque canos eius cum sanguine ad infernum: nam illud non dicitur ad hoc, quòd Salomon inquireret modum, per quem occideret Semei pro seditione, quia pro hoc non oportebat inquiri modum,sed publicè poterat occidi, quia seditiosi rei mortis erant. Sic patet Lucę. 22. de Baraba, scilicet quòd erat Barabas missus in carcerem propter seditionem quandam factam in ciuitate, & ille reus mortis erat: nam illum petiuerunt iudęi à Pilato sibi dari,ne occideretur.e.cap. & Matth. 27. Sed dixit hoc Dauid Salomoni ad hoc, quòd inquireret modum coloratum, per quem occideret Semei: nam si occideret eum publicè pro offensa quam intulerat Dauid,videbatur esse inhonestum, cùm iam Dauid dixisset, non morieris, & iurauisset hoc. Respondendum ergo q Dauid iussit occidi Semei pro causa maledictionis, & non fuit periurus. Modus autem est secundùm ali-

A quos,quia intellexit Dauid, quòd non occideret eum illa die, sed de alijs diebus non securauit. Quod colligitur ex litera, scilicet, ergo ne interficietur hodie vir in Israel. Et tunc dicitur, non morieris, ideſt non morieris hodie: & poterat Dauid secundùm hoc occidere eum alio tempore quocunque vellet, sed noluit,& iussit filio suo Salomoni quòd occideret eum. Sed hoc non videtur stare, quia Dauid dixit Salomoni,quòd non occideret eum quia venerat ei in occursum,& quia iurauerat,ex quo innuitur, quòd usq; ad illud tempus Dauid habuit uoluntatem obligandi se, & sic dicendum quòd Dauid iurauit ei,quòd non occideret illum,scilicet,tota uita sua. Poterat tamen iurare,quòd occideretur post mortem suam. Sed obji-
B cietur,quia si aliquis iurat alicui quòd non occidat ipsum,non solùm tenetur non occidere ipsum,sed etiã nulli iubere hoc,nec prestare consilium aut fauorem ad ista: ita qui iurat alicui,quòd nunquam occidet ipsum, non solùm intelligitur q in uita sua non occidat,uel iubeat,aut præstet consilium, uel fauorem ad hoc,sed etiam, quòd non iubeat fieri hæc post mortẽ suam, quia quidquid post mortẽ suam fiat iussu eius, ipse uiuens facit cùm fiat propter iussum suum,quod ipse uiuens dedit,& sic incidit in periurium. Respondendum,quòd Dauid habuit uoluntatem obligandi se ad non occidendum Semei gladio dum uiueret, ideo non poterat ipse, uel alius præcepto eius occidere Semei, dum ipse uiuebat: sed poterat ipse uiuens
C dare consilium uel præceptũ de morte Semei. Quòd autem ad hoc solum se uoluerit obligare,patet sequ. lib.cap. 2. sed quia descendit mihi in occursum cum transirem Iordanem iuraui ei per dominum, dicens: non interficiam te gladio,tu noli eum esse innoxium, quasi dicat,tu occide eum, & sic ego non incurram periurium. Sed adhuc obijcietur, quòd non euadebat Dauid per hoc periurium, quia istud iuramentũ erat factum per artem,quia ista uerba,scilicet, iuro q non occidam te: signant simpliciter, quòd nullo modo occideret illum, & sic intelliguntur communiter, & sic intelligebat Semei, ideo necesse erat interpretari istud iuramentum secundùm intelligentiam communem uerborum, & si contra illam ageret Dauid
D censeretur periurus. Respondendum quòd Dauid egit hic contra communem uerborum intelligentiã in iuramento,sed non fuit periurus cùm ageret secundùm intentionem suam: cuius causa est,quia illud est dictum de communi intelligẽtia uerborum, quando duo conueniunt super aliqua re: & unus iurat alteri obseruari aliquid sub uerbis, quæ possunt habere diuersas interpretationes,tunc necesse est referri uerba ad communem intelligentiam,quia aliàs ille,qui conuenit cum aliquo super aliqua re,non conueniisset, nisi iuramentum præstitum acciperetur secundùm cõmunem intelligentiam,quia alioquin posset iste fallere quoscunque:quando tamen aliquis iurat super aliqua re,& totaliter est in potestate sua illa res,ita quòd
E siue iuraret, siue non iuraret, posset facere quod uellet,& in potestate sua erat, quòd iuraret qualitercũq; uellet,si iurauerit,potest interpretari ipse iuramẽtum suum qualiter uoluerit, dum tamen quando iurauerit habuisset intentionem sic se obligandi: utpote in potestate Dauid erat occidere Semei, quando uellet, & non poterat hoc prohibere Semei, poterat etiam iurare quòd non occideret Semei illa die,sed sequenti, uel quòd non occideret in uita sua, sed iuberet occidi post mortem suam, & qualitercumque iuraret stare iuramentum. Quòd ergo Dauid iuraret ambigue,& interpretaretur iuramentum suum in quocũque casu uellet,non prejudicabat ipsi Semei,quia etiã non iurando potuisset eum occidere quandocunque

vellet. In alio autem casu secus est, scilicet, quãdo duo F
conueniunt super aliqua re, & unus iurat alteri, quòd
dabit mille denarios, si postea iste exponat, quòd intel
lexit iuramentum suum, quòd non daret illos dena-
rios ad hoc, quòd essent totaliter alterius, sed ad hoc,
ꝙ conuerterentur in vsus communes utriusque, non
debet recipi ista interpretatio iuramenti, sed redeun-
dum est ad interpretationem iuris, vel ad cõmunem
verborum intelligentiam, quia aliàs nimis præiudica-
retur isti, qui conuenit cum alio: quia si in iuramen-
to fuisset expressus iste sensus alius non conueniisset
cum iurante, & sic maneret deceptus. Dicendum er-
go, quòd Dauid non fuit periurus, quia seruauit iura-
mentum secundùm intentionem suam, & non tene-
batur illud seruare in isto casu secũdùm communem
intelligentiam verborum. De hoc tamẽ fortè aliquid
Miphibo- sẽth cũ Si- ba concor- datio. dicetur seq. lib. cap. 2. *Miphiboseth quoque.* Hic ponitur
inæqualitas Dauid, & Miphiboseth & Sibæ iniusta
concordatio. Et dicitur, *Miphiboseth quoque filius Saul*, G
idest, nepos Saul. Nam non erat filius eius, sed Iona-
thæ. Aliqui libri habent Miphiboseth quoque filius
Ionathæ filij Saul, sed ista superadditio est, nam litera
Hebraica solùm habet: Miphiboseth filius Saul. *De-
scendit in occursum regis*, scilicet, descẽdit de Ierusalem,
quia ibi morabatur Miphiboseth: nam rex iusserat, vt
maneret ibi ad hoc, quòd semper vesceretur de men-
sa sua, vt patet supra 9. & quando Dauid fugit de Ieru
salem non potuit ire cum eo, quia seruus suus Siba
noluit parare ei asinum, nunc autem fecit, quòd alius
duceret eum in occursum regis. *Illotis pedibus, & in-
tonsa barba*, idest, descendebat habẽs pedes non lotos,
& barbam non tonsam, sed magnam velut si lugeret
mortuum longo tempore. Istud autem erat propter H
tristitiam absentiæ Dauid, & expulsionis. Nunquam
enim hoc tẽpore lauerat pedes, nèc tonderat barbã.
Vestesque suas non lauerat. Intelligitur hic de uestibus,
quæ lauari solent, idest, de uestibus lineis, & tamẽ istas
non lauit Miphiboseth, quasi plangens Dauid. *A die,
qua egressus fuerat rex*, scilicet, à die, qua fugit de Ieruſa
lem, nam ex tunc uidebatur priuatus regno, & flebat
eum Miphiboseth tanquam priuatum. *Vsque ad diem
reuersionis eius in pace.* Destinauerat enim manere sem
per in hoc luctu dum maneret Dauid extra Ieruſalẽ
profugus, ideo ex die, qua rediit cœpit lauare uestes,
& ornari, omnia enim hæc obseruant Hebræi tempo
re, quo sunt in planctu mortuorum. Nam nec uestes
abluunt, nec pedes lauant, nec barbam tondunt. In I
Hebræo habetur. *Non fecit pedes suos, nec fecit labia sua.*
R. Salomonis obscenitas. vbi nos dicimus illotis pedibus, & intonsa barba. Ra.
Sa. & alij Hebræi exponunt, quòd non fecit labia, id-
est, non totondit barbam labiorùm siue faciei, & ꝙ
fecit pedes, idest, etiam non totondit barbam inferio-
rem: sed isti uilissimi sunt, quia scriptura non loquere-
tur faciens mentionem de his turpitudinibus: conan-
tur tamẽ aliqui probare hoc per simile, quia Isaiæ 36.
dicitur, quòd comedant stercora sua, & bibant aquas
pedum suorum, & tamẽ istæ uocantur aquæ pedum,
idest, fluentes de uerendis, & sic dicentur hic, non fa-
cti pedes, idest, non tonsa, uel rasa uerenda. Magis ta-
men exponendum est, vt supra, quia cùm dicit Isaias
aquas pedum, nõ intelligit, idest, uerendorum, quam- K
quam fluant à uerendis, sed aquas pedum, idest, caden
tes ad pedes, & sic uocabuntur hic pedes propriè. Gl.
ordin. interlinearis, & Andreas exponunt literam il-
lam Hebraicam, scilicet, quòd Miphiboseth nõ fecit
pedes suos, scilicet, qa habebat pedes ligneos, quibus
utebatur pro pedibus naturalibus, & illos nõ fecerat,
idest, non parauerat ex die quo egressus est Dauid de
Ieruſalem, sed melius posuit litera nostra, quia aliquis
dicitur facere pedes, idest, ornare illos lauando. Sic
etiam dicitur Deuter. 21. in Hebræo de muliere capti-
ua, quòd faciet ungues suas, ubi litera nostra dicit cir-
cuncidet ungues. *Cumque Miphiboseth occurrisset regi, di-
xit ei rex, quare non uenisti mecum Miphiboseth?* dicebat
hoc ad increpandum eum, quia non discesserat Mi-
phiboseth cum Dauid, quando fugit de Ieruſalem.

*Cur Dauid reprehendit Miphiboseth, quod cum eo non di-
scesserit. Quæst. XXVII.*

QVAERETVR ad quid uolebat Dauid, ꝙ
discessisset cũ eo Miphiboseth, quia esset one-
rosus sibi, cùm esset claudus utroque pede, &
semper egeret aliquo portante se, & cur-
sus non poterat proficere ipsi Dauid ad aliquid, Da-
uid tamen nimis excusauit se in illa fuga ducere secũ
aliquem onerosum sibi. Sic patet supra 15. cùm dixit
ad Chusai Arachitem, si ueneris mecum, eris mihi one
ri, si autem in ciuitatem reuertaris dissipabis cõsilium
Achitophel. Respondendum, quòd Dauid non desi-
derauerat secum ducere Miphiboseth in fuga de Ie-
ruſalem, sed dixit hoc, vt responderet aliquid Miphi-
boseth, & posset eum increpare Dauid. Nam Siba ser
uus Miphiboseth dixerat Dauid recedenti de Ieruſa-
lem, quòd Miphiboseth manebat ibi, dicens: hodie
restituet mihi domus Israel regnum patris mei, supra
16. & Dauid credidit tunc istud. Vnde dedit posses-
siones Miphiboseth Sibæ seruo eius, credebat etiam
nunc Dauid istud, quia nullus adhuc reuocauerat
eum de hac credulitate: uoluit ergo, vt responderet
Miphiboseth, vt uideretur qualiter se excusabat de
hac iniquitate, & ad hoc fuit sibi principium loquen
di, cur non descenderat Miphiboseth cum eo: ipse
autem postea se excusauit, & sic interdum homines
petunt aliqua, quæ non desiderant, solùm vt habeant
introitum loquendi. *Et respondens ait, domine mi rex ser-
uus meus contempsit me.* Imponit Miphiboseth totam
culpam Sibæ seruo suo, quia iusserat ei sternere asi-
num, & noluit. Et dicitur, contempsit me, idest, non
obediuit mihi sternendo asinum ad descendendum
tecum. In Hebræo habetur. *Seruus meus fefellit me.* Id-
est, ipse fecit me incidere in hunc errorem, quia iusse-
ram ei sternere asinum, & non strauit. *Dixitque ei ego
seruus tuus, vt sterneret mihi asinum, & ascendens abirem
cum rege.* Scilicet, ego uolebam ire cum rege, & nisi
Sibæ seruo meo sternere asinum, & noluit. Incipiebat
enim Miphiboseth accusare fortiter Sibam, quia ipse
accusauerat eum apud regem. *Claudus enim [sum] seruus
tuus.* Idest, ego seruus tuus sum claudus, scilicet, utro-
que pede, vt patet supra. 9. & non allegabat hoc Mi-
phiboseth tanquam nesciret Dauid, quia omnibus
erat notorium, sed ad defensionem causæ suę, scilicet,
quòd non potuit ire cum Dauid, nisi seruus sterneret
ei asinum, quia ipse claudus erat, & non poterat ire se-
ne asino, nec etiam poterat surgere ad sternendum si-
bimet asinum. *Insuper & accusauit me seruum tuum apud
te dominum meum regem.* Idest, non solùm non obediuit
mihi sternendo asinum, sed etiam deterius egit, quia
me dominum suum accusauit apud te, scilicet, quòd
manserim in Ieruſalem ad recuperandum regnum,
sic enim dixerat Siba, supra, 16. *Tu autem domine mi rex
sicut Angelus Dei es.* Idest, tu es bonus sicut Angelus
Dei, & non moueris propter bona dicta, uel mala, sed
solùm propter ueritatem, ideo tu scies ueritatem, &
iudicabis. In hoc enim uolebat Miphiboseth accusa-
re seruum suum Sibam ad pœnam propter hæc, quæ
egerat, sed non audebat directè, quia nesciebat an de-
spliceret regi ista accusatio: & causa erat, quia Siba
dederat munera Dauid, quando ibat in uia, supra 16.
& putauit quòd ex hoc fortè esset Dauid affectus ad
Sibam,

Sibam, & non libenter audiret accusationem eius: A
Innuit ergo ei uoluntatem suam per quædam uerba.
ita quòd posset intelligere Dauid, quòd Miphiboseth
conquerebatur grauiter de Siba, ideo maneret in ar-
bitrio Dauid, an uellet suscipere eam, uel quid dispo-
neret: & ad hoc dixit ipsi Dauid quòd erat sicut An-
gelus Dei, persuadens ei ad faciẽdum iustitiam de Si-
ba: quasi diceret, seruus meus accusauit me apud te,
sed tu es sicut Angelus Dei, qui non moueris propter
bona dicta, nec mala, sicut dixit mulier Thecuites, su-
pra. 14. ideo non obstante, quòd me accusauit, tu attẽ-
des ueritatem, & facies mihi iustitiam. *Fac quod placi-
tum est tibi.* Idest, tu scis ueritatem huius negocij, & es
sicut Angelus Dei, qui nõ moueris ad vnam partem,
nec ad aliam, ideo quodcumque placuerit tibi facere B
bonum erit. *Neque enim fuit domus patris mei, nisi morti
obnoxia domino meo regi.* Sciendum, quòd in hoc iam
Miphiboseth mutat propositum, quia ante hoc cau-
sam suam fulciebat. Nunc verò excusat ipsum Dauid.
Pro quo sciendum, quòd Dauid credebat à principio,
quòd Miphiboseth mansisset in Ieruſalem ad recupe
randum regnum, & quantum ad hoc iustè condem-
nauerat eum: sed nunc quando stetit coram Dauid
accusans seruum suum Sibam: Dauid cognouit ma-
nifestè, quòd mentitus fuisset Siba, & consequenter,
quòd ipse dedisset ei iniustè possessiones Miphibo-
seth. Hoc autem cognoscebat per duo. Primò quia
ueniebat Miphiboseth intonsa barba, & illotis pedi-
bus, uestesque non lauerat ex die, quo egressus fuerat C
Dauid de Ieruſalem, quod erat signum, quòd ipse fle-
uisset pro Dauid, potius quàm quòd desiderasset re-
gnum eius. Secundum erat, quia dum ista loqueretur
Miphiboseth, & Siba præsens esset, nihil ei Siba re-
spondit tanquam sibi conscius mali: ideo Dauid eru-
buit de malo, quod fecerat, scilicet, quia indiscretè ab-
stulerat possessiones Miphiboseth, non audita causa
eius: cumque uideret Miphiboseth erubescentem re-
gem, & iam cognoscentem ueritatem, putauit sibi
iam non esse opus fulcire causam suam nec accusare
Sibam, quia de his rex erubescebat, sed incepit excusa
re factum regis, tanquam Dauid iustè potuisset auser
re Miphiboseth omnia, quæ habebat, etiam si non
subesset aliqua causa noua, quia propter peccatum pa D
trum suorum poterant hæc iustè fieri: vnde dicit, do-
mus patris mei non fuit nisi morti obnoxia domino
meo regi, idest, non meruit aliquod bonum apud do
minum meum regem, sed magis fuit tota ei obligata
ad mortem. Vocat autem domus patris sui domum
Saulis, de cuius progenie omnes uidebantur obligati
ad mortem ipsi Dauid propter duo. Primò propter
mala, quæ Saul iniustè intulit Dauid. Secundò, quia
mortuo Saule, & uncto Dauid in regem super Iudã:
cum ei deberetur de iure regnum, cognatio domus
Saulis surrexit contra eum, & constituit in regem Is-
boseth, & sic omnes de cognatione illa tenebãtur Da
uid ad mortem: quòd ergo ipse aliquibus eorum bo-
na auferret, relicta uita, gratiam faciebat: erat autem E
Miphiboseth de hac cognatione, ergo non erat sibi
iniustum auferri possessionem, licèt ipse nihil peccas-
set contra Dauid: nam peccauerant patres sui.

*Excusatio Miphiboseth pro Dauid an esset conueniens.
Quæst. XXVIII.*

QVAERETVR, an ista excusatio, quam
faciebat Miphiboseth pro Dauid, esset con
ueniens. Aliquis dicet, quòd sic, quia sicut
est de committentibus crimen læsæ maie-
statis, ꝙ ipsi occiduntur, & publicantur
bona eorum, nec relinquitur aliquid de hæreditate fi-
lijs, sed sola uita conceditur eis ex misericordia, & sic
etiam in filijs hæreticorum, ut patet extra de hæreti. c.
uergentis. Ita in Miphiboseth cùm tota domus patris
sui offendisset Dauid, & potuisset occidere illos, pote
rat auferre ipsi Miphiboseth omnia bona. Sed dicen
dum, quòd ista positio non stat propter duo. Primò.
quia Miphiboseth erat filius Ionathæ: Dauid autem
inierat fœdus cũ Ionatha, vt misereretur semini eius.
præceden. lib. c. 20. ideo licèt tota domus Saulis pec-
casset, uel tota occidenda esset propter Saulem: Mi-
phiboseth non erat occidendus, nisi ipse aliàs specia-
liter peccasset: sed hic nihil peccauerat Miphiboseth,
sed solùm allegabat peccatum domus suæ, ergo non
merebatur auferri sibi aliquid propter illud crimen.
Secundò patet, quia dato quòd Miphiboseth obliga- B
tus fuisset ad moriendum ipsi Dauid, & non interci-
disset aliquod fœdus inter Ionatham & Dauid: iam
non poterat Dauid auferre Ionathæ aliquid de bonis
suis, quia Dauid donauerat omnia hæc Miphiboseth.
supra 9. & per hoc remittebat ei quidquid contra ip-
sum habebat iuris ad occidendum, si aliquod esset,
uel ad auferendum bona, sed donatarius non perdit
donationem, nisi propter aliquem casum ingratitudi
nis: Miphiboseth autem non incurrerat in aliquam
ingratitudinem, sed potius erat ualde gratus benefi-
cijs Dauid, quia pro eo fuit in planctu sicut si lugeret
mortuum toto tempore, quo fuit Dauid extra Ieru-
salem: ergo non poterat iustè ex hac parte auferri ali-
quid de possessione Miphiboseth: non ergo erat ista
legitima excusatio, sed proposuit eam Miphiboseth,
quia nullam aliam habebat, & quia uidebatur colora
ta non aduertentibus nimis ad eam. *Tu autem posuisti
me seruum tuum inter conuiuas mensæ tuę*, quasi dicat,
quodcunque egeris de possessione mea bonum est,
quia tot bona egisti mihi immerito, quòd etiam si au
feras possessionem meam, non uidebitur malum.
Quod patet, quia cum tota domus patris mei esset ti-
bi obnoxia morti: tu dedisti mihi uitã, & insuper po-
suisti me inter conuiuas mensæ tuæ, scilicet, faciens ꝙ
ego semper comederem in mensa tua sicut faciunt
filij tui: ideo nihil quod mihi feceris imputabitur ma
lum. *Quid igitur habeo iustę querelę?* idest, cùm tot bona
mihi feceris: etiam si abstuleris possessionem quam
dedisti: non habeo iustam querelam contra te, quia
non uideris facere mihi iniuriam. *Aut quid possum ultra
uociferare ad regem*, idest, quid ego possim uociferare
per quod possim ostendere me habere iustam quere
lam contra regem, quasi dicat, nihil possim clamare
per quod hoc ostendam. In Hebræo habetur, *Quid
mihi plus eleemosyna ad clamandum plus contra regem.* Po-
test dupliciter intelligi. Vno modo, quid mihi plus
eleemosyna, idest, quæ maior eleemosyna poterat fie
ri mihi, quàm facta est, vt non clamarem contra re-
gem, idest, vt etiam dato, quòd rex fecisset mihi iniu-
riam non deberem clamare contra eum, quasi dicat,
non poterat fieri maior eleemosyna. Secundo modo
intelligitur, quòd accipiatur eleemosyna pro iustitia:
nam apud Hebræos est istud usitatum, ꝙ interdum ac
cipiant eleemosynam pro iustitia, & iustitiã pro elee-
mosyna: vnde aliquando ubi litera nostra dicit, & erit
uobis iustitia apud Deum. Hebræi ponunt erit uobis
eleemosyna apud Deum: & interdum ubi dicit litera
Hebraica iustitiã, ponit litera nostra misericordiam,
uel eleemosynam. Sic patet Deuter. 6. ubi dicit litera
nostra: eritque nostri misericors. In Hebræo dici-
tur, erit nobis iustitia, & sic accipitur hic, quia ponitur
misericordia pro iustitia, & dicitur, quid mihi plus ele-
emosyna, idest, quę mihi potest esse iustitia ad claman
dum contra regem: & istum sensum secutus est litera
nostra, dicens: quid habeo iustæ querelæ. *Aut ergo ei
rex*

Universidad de Deusto
Biblioteca

rex quid vltra loqueris. Ideſt, ad quid dicis de iuſtitia, vel iniuſtitia tibi facta, quia non mutabitur aliquid propter verba tua. *Fixum eſt quod locutus ſum.* Ideſt, id, quod ſemel locutus ſum firmum eſt, Iſtud poteſt dupliciter intelligi. Vno modo referendo ad conceſſionē, quam Dauid fecit Sibæ de hæreditate Miphiboſeth, dicens tua ſint omnia, quæ fuerunt Miphiboſeth, ſupra. 16. & illud fixum eſt, ideſt, non mutabitur propter verba tua. Aliter eſt ſenſus, quòd Dauid ante hoc dixiſſet Miphiboſeth poſtquam incepit aecuſare Sibam, tu & Siba diuidite poſſeſſiones, & quòd poſt hoc Miphibo ſeth replicauerit, quòd nō habebat iuſtam querelam, & tunc Dauid dixit: fixū eſt quod locutus ſum, ideſt, ſemel dixi tibi: tu & Siba diuidite, & hoc fixū eſt, nec mutabitur propter verba tua. Contra primum dicet aliquis, quòd non ſtat, quia tunc cùm Dauid à principio dediſſet Sibæ omnia, quæ erant Miphiboſeth: maneret nunc illa ſententia firma, ſed hic dicitur, diuidite poſſeſſiones, ergo debet ſtare ſecunda expoſitio.

Sed contra ſecundam obijcietur, quòd non ſtet, quia litera ſolùm dicit ſemel, tu & Siba diuidite poſſeſſiones. Reſpondendum q̄ ſecunda expoſitio eſt probabilior: nam ſi Dauid bis dixiſſet, tu & Siba diuidite, veriſimile eſt, q̄ hic fuiſſet dictum. Item patet efficatius, quia ſi ſemel rex dixiſſet, tu & Siba diuidite, non auſus fuiſſet vltra Miphiboſeth proponere quærimoniā ſuper hoc, ne contriſtaret regem, nam ſupra dixerat: tu autē domine mi rex ſicut Angelus Dei es, fac q̄d placitum eſt tibi. Etiam poſtquam dixit rex, tu & Siba diuidite poſſeſſiones, reſpōdit Miphiboſeth, etiam cuncta accipiat poſtquam reuerſus eſt dominus meus rex. Si igitur iterum dixiſſet hoc Dauid, reſpondiſſet iſtud Miphiboſeth. Ad rationem in contrarium dicendum, q̄ debebat manere fixum id, quod Dauid dixerat, quia licēt reſtitueretur medietas poſſeſſionū Miphiboſeth, manebat fixum verbum regis, eo q̄ ſecundùm petitionem Miphiboſeth omnia erant reſtituenda ſibi, & tamen vt ſententia regis non caſſaretur omnino, reſtituta eſt medietas Miphiboſeth de poſſeſſione, & quia adhuc ſaluabatur ſententia regis in altera parte, dicebatur fixa manere. *Tu, & Siba diuidite poſſeſſiones.* Ideſt, diuidite per medium cuncta, quæ tibi dedi, & ipſe habeat medietatem.

An peccauerit Dauid auferendo medietatem poſſeſſionum à Miphiboſeth. Quæſt. XXIX.

QVAERETVR, an Dauid peccauit in hoc. Reſpondendum q̄ ſic: nam Miphiboſeth non meruerat aliquid mali, vt perderet hæreditatē, & tamen Dauid abſtulit ei medietatem, & non ſolùm à principio q̄n putauit Sibam verū dicere. §. 16. ſed etiam nunc cognitate falſitate Sibæ nō reſtituit Miphiboſeth ea, quæ ſua erāt: in quo graue peccatum erat, quia tenebatur ei ad reſtitutionem. Item Dauid cum eſſet iudex noluit audire Miphiboſeth de iuſtitia, quia ipſe accuſabat Sibam tanquam proditorem, cùm falſe accuſaſſet dñm ſuum: ēt petebat reſtitutionem cùm fuiſſet grauatus per iniquam ſnīam, & Dauid cognoſcens veritatem noluit prouidere puniendo Sibam pro falſa accuſatione, & reſtituēdo ſibi hæreditatem, ſed potius ipſum delinquentē, qui morte dignus erat, nō ſolū donauit vitæ, ſed ēt eum honorauit dādo illi medietatem poſſeſſionis Miphiboſeth. Item locutus eſt Dauid ꝫ conditionem iudicis recti, quia iudex non debet ſequi iudicando voluntatē ſuā, ſed ſtatuta patrum, & leges & rectam rōnem, vt patet extra de conſt. c. ne initaris prudentiæ. Iudicauit tñ Dauid ex ſola voluntate ſua, ēt conſtito de veritate, nā dixit ad Miphiboſeth, quid vltra loqueris? fixum eſt, q̄d locutus ſum. i. inutile eſt tibi loqui, q̄d volueris p̄bando iuſtitiam cauſæ tuæ, quia ēt ſi multa probes, non mutabo ſnīam meam: ſed hoc eſt contra iudices, quibus dr̄: non pudeat vos errores veſtros corrigere, qui poſiti eſtis, vt aliorum corrigatis errores. extra de accuſ. c. qualiter & quando. Dauid tamen motus eſt ad faciendum hoc propter duo. Primò ex verecūdia, nam cùm prius incaute ſnīaſſet dādo totam poſſeſſionem Miphiboſeth ipſi Sibæ, viſum eſt ſibi verecundum vnde, q̄ ſententiam iſtam totaliter mutaret, quia in hoc oſtenderet ſe valde erraſſe. Secūdum fuit ex quodam fauore Sibæ, nam Siba tanquam cautus adulator iuit ad Dauid tempore neceſſitatis, & obtulit ei munera, ſupra. 16. vnde Dauid affectus fuit ad illum: nūc quoq; quando reuertebatur Dauid in Ieruſalem, occurrit ei Siba de primis, quia iuit cum Semei, vt pater. §. in litera, ideo Dauid erubuit, q̄ illum puniret, & priuaret tota poſſeſſione, ſed ſnīam iniquam aliqualiter tēperauit, vt non tā iniqua eſſet, diuidēdo poſſeſſionē inter eos.

An Dauid cum teneretur ad ſatisfactionem poſſeſſionum Miphiboſeth quid fecerit. Quæſt. XXX.

QVAERETVR vlterius, cùm non ſolū Dauid peccauerit hic, ſed etiam teneretur ad reſtitutionem Miphiboſeth, cùm iudex iniquus faciat litem ſuam, & teneatur ad reſtitutionem ipſi læſo, vt patet de ſen. & re iudi. in 6. c. cū ererni, quid factum eſt de hac reſtitutione. Nam q̄ Dauid peccauerit ſolùm, ſi peccatum non concernebat reſtitutionē, per dolorem ſuum poterat tolli, ſi tñ concernebat reſtitutionem, non ſolueretur Dauid à peccato quouſq; reſtitueret, vt hr̄ de reg. iu. in 6. c. non remittitur. Ad hoc ergo oportebat, vt q̄q̄ nunc Dauid pre verecundia non auferret poſſeſſionem Sibæ, quæ fuerat Miphiboſeth, q̄ poſtea auferret, & reſtitueret Miphiboſeth. Nam regulare eſt, q̄ quandocunq; res ablata eadem numero haberi poteſt, potiſſimè ſi non eſt deteriorata, debet ipſam et reſtitui, ſi autē non p̄t illam reſtituere haberi, debet dari alia equiualens in ſpecie illa, vel alia, vt patet extra, vt lit. pen. c. eccleſia ſanctę Mariæ. Dauid autem poterat habere poſſeſſionem eandem, q̄ abſtulerat, cùm illam teneret Siba, ideo tenebatur eandem dare. Rñdendum q̄ quid poſt hoc in hac re factum ſit, ignoratur, quia ſcriptum non eſt, ſatis tñ vr̄ q̄ Dauid nunquam reſtituerit Miphiboſeth poſſeſſiones illas, quas dedit Sibæ, quia ſemper verecundaretur quicūq; hoc facere vellet. Sed vr̄ dicendum, q̄ Dauid ſatisfecerit Miphiboſeth in aliquo alio, vtpote dando illi ſemper cibos in menſa ſua. Sed aliquis dicet, quòd p hoc non ſatisfaciebat, quia etiam hoc non ſtante Dauid daturus erat cibos Miphiboſeth, ſed cùm dixiſſet ſupra. 9. comedes tu panem in menſa mea ſemper. Reſpondendum, q̄ cum iſtud eſſet beneficium, q̄d conſiſtebat in gratuita erogatione quotidiana, poterat Dauid ceſſare ab illo quandocunque vellet, nec erat ſic de cibis, qui dabātur quotidie, ſicut de poſſeſſionibus, quas Dauid reſtituerat ipſi Miphiboſeth, quia circa illas habuit Miphiboſeth titulum, ideo quicūq; ſpoliaret eum illis, ēt ſi eſſet ipſe Dauid, peccaret: cibi autē quidabanē quotidie de menſa regis, non poterant cadere ſub titulo Miphiboſeth, cū conſiſterent in quotidiana paratione, niſi Dauid obligaret ſe ad dandum ei cibos de menſa ſua ſemper: ideo q̄cunq; uellet, poterat ceſſare ab hac paratione, & ſic prius dabat liberaliter ut beneficium, poſſet dare poſtea in cōpenſationē alimēti debiti, & ſic eſſet in compēſationē poſſeſſionis ablatæ ei, & traditæ Sibæ: uel pōt dici, q̄ Dauid dedit poſtea aliàs poſſeſſiones maiores ipſi Miphiboſeth. Sed quid dicēt quo ſatisfaceret pro hoc: quia tenebāt reſtituere eandem

eandem rem cùm poterat, quia habebat eā Siba. Dicendum, quòd verum eſt, quòd tenebatur reſtituere eandem poſſeſſionem, ex conſenſu tamen Miphiboſeth quamcunque dando ſatisfaceret, veriſimile eſt autem, quòd Miphiboſeth conſentiret in quēmcunque modum ſatisfactionis Dauid, cùm dixiſſet ſupra: fac quod tibi placitum eſt, immo etiam ſine aliqua ſatisfactione remiſiſſet ei, quia dixit, etiam habeat ſibi cuncta poſtquam dominus meus rex pacificè reuerſus eſt.

An Dauid fuerit periurus diuidendo poſſeſſionem Miphiboſeth. Quæſt. XXXI.

QVAERETVR vlterius, an fuit Dauid periurus diuidendo poſſeſſionem Miphiboſeth. Aliquis dicet, quòd ſic, quia Dauid iurauit facere Miſericordiam ſemini Ionathę, vt patet præced. lib. c. 20. nunc tamen non ſeruauit miſericordiam, cū abſtulerit ei ea, quæ ſua erant: ergo periurus fuit. Item patet quia Dauid peccauit auferēdo Miphiboſeth poſſeſſionem iſtam, vt declaratum fuit ſupra, ſed ipſe iurauerat ſemper non faciendo malum ſemini Ionathæ, ergo periurus fuit. Reſpondendum, q̄ non fuit Dauid periurus in hoc: nā Dauid iurauit ſeruare miſericordiam ſuam Ionathæ, & illam ſeruauit inquantum filios eius eleuauit ad magnum ſtatum, quia fecit, quòd Miphiboſeth, qui erat cōtemptibilis valde, cū eſſet claudus vtroque pede, comederet ſemper in menſa ſua, & ſemper iſtam miſericordiam ſeruauit ad Miphiboſeth, quia etiam poſt hoc quando Gabaonitæ petebant viros de ſtirpe Saulis ad occidendos eos, Dauid ſeruauit Miphiboſeth à morte propter iuramentum, quod interpoſuerat Ionatha, vt patet infra 21. Sed obijciunt quidam, q̄ fuerit periurus, nam dicunt Hebræi, & refert illud Glo. ord. q̄ quādo Dauid dixit Tu, & Siba diuidite inter vos: audita eſt quędam vox de cęlo: Roboam, & Ieroboam regnum diuident, & ſic datum fuit iſtud in pœnam Dauid pro violatione iſtius pacti, ergo fuit periurus. Reſpondendum, q̄ non eſt certum, immo magis creditur eſſe fictitium, q̄ talis vox venerit de cœlo: nam Hebræi valde paruæ auctoritatis ſunt in hoc cùm plura fingāt, & incredibiliora, quā poetæ. Glo. etiam ordi. non aſſerit hoc, ſed dicit illud eſſe Hębraicum dictum, ideo nihil infertur. Sed adhuc conceſſō, q̄ iſta vox audita fuerit, non ſequitur, q̄ propter iſtam iniuſtam diuiſionē Dauid fuerit diuiſum regnum tempore nepotis ſui Roboam: ſed fuit diuiſum propter peccata Salomonis. ſeq. lib. c. 11. Immo niſi fuiſſet propter merita Dauid, totum regnum fuiſſet ablatū de poſteris Salomonis, vt patet eo. c. & eo. lib. c. 15. de quo magis declaratum eſt prędce. lib. c. 20. Ad primam rationem in contrariū, ſcilicet, q̄ iurauit Dauid facere miſericordiam ſemini Ionathæ. Dicendum, q̄ non uiolauit iſtud pactū, quia fecit miſericordiam magnā cum Miphiboſeth, nec ſequitur q̄ propter hoc, q̄ abſtulit ei medietatem poſſeſſionis datæ, non fecerit ei miſericordiā, quia per iuramentū, quod præſtitit Dauid Ionathę, non importabatur aliquod ſpeciale opus miſericordiæ, ſed ſolū, q̄ non occideret Dauid poſteros Ionathę, & q̄ non permitteret eos viuere in ſtatu miſerabili, nec pmitteret pati calumnias ab alijs. Dauid autē iſta fecit, quia non ſolùm ipſe non occidit ſemen Ionathę: immo cū peterentur ad mortem omnes de poſteritate Saulis: ipſe nimis laborauit, vt non occideretur Miphiboſeth. inf. 21. Item cùm Dauid ſciuit Miphiboſeth habere pauperem vitam in domo Machir de Iodabar, miſit pro eo, & fecit q̄ comederet in menſa ſua, & reſtituit ei poſſeſſiones Saulis, & fecit q̄ Siba, & tota familia ſua ſeruiret Micha filio Miphiboſeth. ſupra. 9. Quòd autem daret Dauid vitam abundantem Miphiboſeth, ſiue daret poſſeſſiones, quæ fuerant patris ſui, ſiue daret alias, vel nullas dando, dum tamen aliàs prouideret ei ſufficienter, nihil referebat: quòd ergo Dauid dediſſet Miphiboſeth omnes poſſeſſiones patris ſui, & tunc abſtuliſſet ei medietatē propter verecūdiā, vel ex cauſis §. allegatis: dum tamen maneret ſemp in Dauid voluntas benefaciēdi Miphiboſeth, non auferebat ab eo miſericordiam, quia qui iſta auferebat, poterat maiora dare: ſi autem Dauid auferens medietatē poſſeſſionis Miphiboſeth, deſineret eū iam diligere, nec proponeret ei vltra benefacere, diceretur auferre miſericordiam ſuam ab eo, & infringere fœdus. Sciendum autem quòd multi falluntur, quia putant idem eſſe, quòd Dauid malefecerit hic, & quòd abſtulerit miſericordiam: ſed falſum eſt, quia malefacere erat quomodocunque iniuſtè ageret, & ſic fecit auferēdo Miphiboſeth id, quod ſuum erat ſine cauſa, & dato q̄ poſtea egiſſet valde maiora bona ipſi Miphiboſeth, q̄ prius, non tollebatur quin iniuſtè egiſſet: ſed auferre miſericordiam non conſiſtebat in faciendo aliquod malum, ſed in totaliter deſerendo: & hoc non fecit Dauid, ſed ipſe ſolùm iurauit non auferre miſericordiam à ſemine Ionathæ, ergo non violabat fœdus: ſi tamen iuraſſet, quòd non faceret malum aliquod filijs Ionathæ, fuiſſet nunc periurus. Ad ſecundam rōnem dicendum, q̄ verum eſt peccaſſe Dauid auferēdo medietatem poſſeſſionis, cū tamen dicitur, q̄ iurauit Dauid non malefacere ſemini Ionathæ. Dicendum q̄ eſt falſum, quia non iurauit de malo, ſed de miſericordia non auferenda, vt patet præce. lib. c. 20. Peccauit igitur Dauid: ſed non fuit periurus. *Berzellai quoque.* Hic ponitur curialitas Dauid in Berzellai expeditione. §. quia promiſit ei multa, & inuitauit eum, vt veniret in Ieruſalem cum ipſo, & dicitur. *Berzellai quoque Galaadites.* Iſte eſt vnus de tribus benefactoribus Dauid, de qbus habetur. §. 17. & iſte erat qui magis afficiebat ad Dauid q̄ alij duo, & vocatur Galaadites, quia erat de terra Galaad. *Deſcendens de Rogelim.* Iſte erat locus ſuus in terra Galaad. ſupra 17. & deſcendit de eo ad eundum cū rege. *Tranſduxit regem Iordanem.* Ideſt, tranſiuit cum rege Iordanem. *Paratus etiam ultra fluuium proſequi eum,* ideſt, ibat cum intentione comitandi regem vltra Iordanē vſq; Ieruſalem, & redeundi poſtea in domum ſuā. In Hebræo habetur. *Tranſiuit ad mittendum eum ad Iordanem,* i. trāſiuit Iordanem, vt mitteret eū ad Iordanem, ideſt, comitaretur euntem vltra Iordanem. *Erat autem Berzellai Galaadites ſenex valde, ideſt, octogenarius.* Iſtud ponit ad ſignandum, quòd non erat vtile ipſi Berzellai ire cum Dauid vltra Iordanem, quia erat ſenex valde, & non poterat experiri aliquam delectationem de illis, quæ erant in domo regis.

Ad ſecundam.

Berzellai an eſſet valde ſenex cum eſſet. 80. annorum. Quæſt. XXXII.

QVAERETVR, quomodo vocabatur Berzellai ſenex valde cùm eſſet ſolùm. 80. annorum, nam in illo tempore non deberent homines eſſe valde ſenes anno. 80. Reſpondent quidam Hebrei, vt Ra. Sa. & ſimiles, q̄ iſte Berzellai erat ſenex, non per ætatem, ſed quia vacauerat libidini, & libido cito hominem facit ſenem. Sed iſtud nō eſt conuenienter dictum, quia Dauid nondū erat annorum. 70. & tñ dicebatur ſenex valde, ita ut cū operiretur pannis nō calefieret, ſeq. lib. c. 1. Quòd aūt Dauid nondum eſſet. 70. annorū patet, quia q̄n factus eſt rex erat annorum. 30. & durauit regnū ſuum annis 40. vt patet. §. 5. Itē non eſt rōnabile dictum Iudæorū, qa di-

Universidad de Deusto
Biblioteca

cum malum de aliquo non habentes fundamentum ad illud cùm de quolibet semper præsumatur bonũ quousque probetur contrarium. Dicendum igitur, quòd Berzellai erat valde senex, ideſt, iam impotens ad conuenienter se mouendum, & non gaudens in delectabilibus iuuenilibus propter sensuum grauitatem. Hoc fortè acciderat ei ex laboribus, qui hominẽ cito senem efficiunt, vel ex cogitatione magna: quia corpus quod corrumpitur aggrauat animam, & terrena habitatio deprimit sensum multa cogitantem. Sic etiam dicit Aristo. quòd ex intelligere, & speculari corrumpitur animal. Marcescunt enim quodã corrupto interius, vt patet in primo de Anima: vel fortè eueniebat hoc propter tristitias aliquas quas toleraue rat Berzellai: nam iste hominem cito senem efficiũt. Sic patet Prouer. 17. Scilicet: Animus gaudens ætatẽ floridam facit. spiritus tristis desiccat ossa. Sic etiam Boe. de consol. lib. 1. Meth.. Scilicet:

Quæ sunt illa quæ faciunt hominem cito senescere.

Venit enim properata malis inopina senectus.
Et dolor ætatem iussit ineſſe suam.
Intempestiui funduntur vertice cani:
Et tremit effeto corpore lassa cutis.

Sic etiam in Dauid propter labores bellicos corpus emolitum est, & nondum completo anno 70. erat tã senex, vt opertus pannis non calefieret. sequen. lib. capit. 1. Vel poterat esse aliqua alia causa de illis, quas assignat Aristo. in lib. de Breuitate, & longitudine mortis, & vitæ. Vel potest dici, quòd non assignata aliqua alia causa speciali, erat Berzellai senex ex conditione ætatis, quia in 80. anno homines erant senes in illo tẽpore, sicut nunc. Sic patet Psal. 89. Anni nostri sicut aranea meditabuntur, dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta annis, si autem in potentatibus 80. anni. amplius eorum labor, & dolor. Cũ ergo esset Berzellai annorũ 80. nõ oportebat inqri cur esset senex. *Et ipse præbuit alimenta regi.* Istud ponitur ad signandum, quare Dauid optabat ei tanta bona, & volebat illum secum ducere in Ierusalem, & dicitur, quòd pbuit alimenta regi: quia dum mansit profugus vltra Iordanem, nõ habebat vnde aleretur, & iste ministrauit ei, & exercitui suo necessaria. Sed obijcietur, q non solùm iste, sed etiam Machir de Lodabar, & Sobi filius regis Naas Ammonita ministrabant ei cibos supra 17. Dicendum, quòd illi duo obtulerunt simul cum Berzellai munera Dauid mox vt transiuit Iordanem, quibus consumptis solus Berzellai dedit necessaria regi toto tempore, quo fuit in terra illa. *Cum moraretur in castris.* Ideſt, in quodam loco, qui vocatur castra siue Manaim, vel secundùm Hebræos Mahanaim. De quo dictum est supra 17. Nam in ciuitate illa mansit Dauid toto tempore, quo fuit profugus de Ierusalem. *Fuit quippe vir dies nimis.* Istud ponitur ad significandum, quomodo potuit Berzellai dare cibos regi: quia ad hoc requirebantur magni sumptus. *Dixit itaque rex ad Berzellai.* Volebat Dauid aliquo modo recompensare pro beneficiis Berzellai: & dixit quæ sequuntur, *Veni mecum, vt requiescas securè mecum in Ierusalẽ.* Ideſt, ibi manebis gaudens, & sine curis, & nullum timebis, & frueris mecum omnibus bonis. In Hebræo dicitur. *Veni gubernabo te mecum.* Sed idẽ est requiescere securè, & gubernare, scilicet, facere, q non egeat aliqua re, nec solicitetur pro illa. *Et ait Berzellai ad regem.* Scilicet: Excusans se de eundo in Ierusalem ad suscipienda ista gaudia. *Quot sunt dies annorum vitæ meæ, vt ascendam cum rege in Ierusalem.* Quasi dicat si essem iuuenis, vel non in tanta senectute, vt possem gaudere bonis, quæ sunt in domo regis, deberem ire in Ierusalem, sed cùm sim valde senex, ita vt non possim experiri aliquid istorum, non est mihi opus ire illuc. *Octogenarius sum hodie.* Ideſt, hodie compleo. 80. annos. Poterat esse, q die illa compleret annum. 80. vitæ suæ, vel dicitur hodie, ideſt, modicũ ante hoc compleui, vel parum post hoc complebo. *Numquid vigent sensus mei ad discernendum suaue, & amarum.* Iudicare istud pertinet ad sensum gustus, sicut dicitur Iob. 12. nonne auris verba diiudicat, & fauces comedentis saporem? Iste autem sensus iam nõ vigebat in Berzellai præ senectute, & dixit Berzellai de dulci, & amaro: quia communitas hominum vulgarium in delectationibus cibi, & potus totam vitæ felicitatem constituit: sicut turpissimi Epicureorum, & fortè de istis erat Berzellai: iõ dixit de dulci, & amaro. In Hebræo dicitur. *Si scio inter bonum, & malum.* Ideſt, non possum distinguere inter bonum, & malum saporem: & non accipitur bonum, & malum, pro bono, & malo quod est in moribus, vel in rebus, quia in iusto vigere debebat potius nunc Berzellai propter experientiam magni temporis. Prudentia enim perfecta non fit sine magna ætate, vt patet 6. Eth. *Aut delectare potest seruum tuum cibus, & potus.* Istud differt a præcedenti: quia aliud est distinguere inter dulce, & amarum, & aliud delectari in cibis, & potibus: nam cibus, & potus magis causant delectationem per modum tactus quàm per modum gustus: quod probat Arist. 4. Eth. c. de temperantia. Dicens, q distinguere de saporibus pertinet ad illos, qui pulmenta condiunt, & vina probant: & tñ isti non vocantur intemperati. Item gustus cõsistit in lingua, & tamen non stat in hoc delectatio ciborum, sed potius in transglutiendo. Nam si quis semper cibos delectabiles, vel vina in ore teneat, & non deglutiat, quãquã ibi iudicet de sapore, nihil delectatur nisi transglutiat: immo pœna quædam est sic facere. Itẽ probat Arist. exemplo cuiusdam Erixi; Philoxeni, qui pultiuorax erat, & desiderauit collum suum longius fieri collo gruis, tanquam delectaretur in tactu ciborum, & non in gustu. *Et* sic quidam non bene iudicant de saporibus rerum, & tamen magis delectantur in cibis, & potibus, quàm alii acutè iudicantes. In Hebræo habetur. *Si gustat seruus tuus, quod comedit, & bibit.* Ideſt, non delectatur gustando ea, quæ comedit, & bibit. *Vel audire possim vltra voces cantorum, vel cantatricum.* Quasi dicat non possum iam audire voces cantorum, & cantatricum, quia aures meæ obsurdantur. Vel non possum audire, ideſt, non possum distinguere bene cantus cantorum, vel cantatricum: vel nõ delector in illis, quia ad delectationem in cantu opotet sensum auditus esse perspicacem ad percipiendã armoniam, sed iam in Berzellai erant sensus graues. Sciẽdum autem quòd Berzellai nominauit ista duo, scilicet, delectationem in gustu, & in auditu: quia in domibus regum ista solent esse excellentius, quàm in aliis domibus: sic dixit Salomon de seipso Eccles. 2. scilicet: Feci mihi cantores, & cantatrices, & delitias filiorum hominum, cyphos, & vrceolos in ministerio ad fundenda vina. Et quia Berzellai non percipiebat aliquid istorum, non expediebat sibi ire cum rege. *Quare seruus tuus sit oneri domino meo regi.* Ideſt, quare ego seruus tuus, qui senex sum ibo tecum, vt sim tibi onerosus, quasi dicat, cùm sim senex, non sum facilis ad motum neque ad lætitiam, vel conuersationem iuuenum, & si mansero in domo tua erit tibi grauis vita mea ad portandum. *Paululum procedam famulus tuus à Iordane tecum.* Ideſt, solùm volo ire modicum tecum vltra Iordanem, & redire in terram meam. *Nec indigeo hac vicissitudine.* Ideſt, non indigeo ista retributione, scilicet, quòd tu gubernes me in Ierusalem sicut ego te in terra mea alui. Vicissitudo enim dicitur à vicibus permutatis, scilicet, quando vna vice homo dat, & alia vice recipit, & ista est retributio. *Sed obsecro vt reuertar seruus tuus,* Ideſt,

ideſt, rogo vt des mihi licentiam redeundi. *In ciuitate mea.* Ideſt, in Rogelim de terra Galaad, vt patet. supra in litera. & supra 17. *Et sepeliar iuxta sepulchrum patris mei, & matris meæ.* Ista erat consuetudo Israelitarum, q sepelirentur minores in sepulchro patrum suorum, & sic quamquam aliqui morerentur in una terra, non sepeliebantur ibi, sed ducebantur in sepulchra patrum suorum. Sic enim Samson mortuus est in terra Philisthinorum, & ductus est in sepulchrum patris sui ad tribum Dan, vt patet Iudi. 16. Sic etiam Iacob mortuus est in Aegypto, & ductus est ad sepeliendum in terram Chanaan. Gen. vlt. Ioseph quoque in Aegypto mortuus, in terram Chanaan ductus est. Exo. 13. Dicitur etiam in sepulchro patris sui, & matris suæ; quia uiri, & uxores in eodem sepulchro sepeliebantur, vt patet de Abraham, & Sara uxore sua; de Isaac, & Rebecca; de Iacob, & Lya. Omnes enim isti uiri cum uxoribus suis in spelunca duplici agri Hebron sepulti sunt, vt patet Gen. 49. ita igitur pater & mater Berzellai erant in eodem sepulchro in vrbe Rogellin, & ibi desiderabat Berzellai sepeliri. *Est autem seruus tuus Chamaam, ipse vadat tecum domine mi rex,* ideſt, ego habeo filium quendam nomine Chamaam, qui præsens est, & est iuuenis potens experiri ista bona, & seruire tibi: ipse ergo vadat tecum loco mei. *Et fac ei, quod tibi bonum videtur,* ideſt, si vis facere aliquam retributionem, fac illi sicut indigueris. *Dixitque ei rex, mecum transeat Chamaam,* ideſt, eat mecum in Ierusalem ad manendum ibi. *Et ego faciam ei quidquid tibi placuerit,* ideſt, ponam eum in officio, vel dignitate, secundum quòd tu elegeris. *Et omne quod petieris à me impetrabis,* ideſt, non solùm habebo curam de Chamaam, sed etiam si tu manens in terra tua petieris aliquid pro te, vel pro alio impetrabis. Sciendum autem, quòd reuersus Berzellai Chamaam filius eius fuit cum Dauid in Ierusalem, & comedebat semper in mensa eius: postea etiam alij filij Berzellai iuerunt ad Dauid in Ierusalem, & comedebant in mensa sua, vnde quando Dauid mortuus est iussit Salomoni filio suo, quòd filij Berzellai comederent cum eo in mensa, seq. lib. cap. 2. scilicet, sed & filijs Berzellai Galaaditis reddes gratiam: eruntque comedentes in mensa tua. *Cumque transisset vniuersus populus, & rex Iordanem, osculatus est rex Berzellai,* quamquam Berzellai non esset iturus in Ierusalem cũ Dauid, tamen transiuit cum eo Iordanem, & ibi osculatus est eum expediens se de illo. *Et benedixit ei,* Impretiatus est ei bona, vt si diceret, Deus det tibi prosperam uitam, & omnibus posteris tuis, & foelicem habere mortem. *Et ille reuersus est in locum suum,* ideſt, redijt in Rogelim terræ Galaad. *Transiuit ergo rex in Galgala.* Iste est locus inter Iordanem, & Iericho, & est in itinere euntibus Ierusalem de Iordane, & ibi castrametati sunt Israelitæ prima die, qua introierunt in terram Chanaan trãsito Iordane. Iosue 4. & 5. Et dicitur quòd transiuit illuc Dauid, quia fortè illa die qua transiuit Iordanem mansit in Galgala. *Et Chamaan cum eo.* Non rediit iste cum patre suo, sed iuit cum Dauid, vt semper cum eo maneret. *Omnis autem populus.* Hic ponitur quartum, scilicet, reducentium regem concertatio. Nam pugnauerunt inter se viri Iuda, & Israel. Et dicitur. *Omnis autem populus Iuda transduxerat regem.* Ideſt, tota tribus Iuda fuit præsens quando Dauid transiuit Iordanem, eo quòd mox vt uocauit illos Dauid venerunt omnes, & occurrerunt ei antequam transiret Iordanem, vt patet supra. *Et media tantum pars affuerat de populo Israel.* Ideſt, in transitu Iordanis solum fuit medietas populi Israel, ideſt, 11. tribuum, quę uocantur Israel. Alij autem non venerant, eo q non uocati. *Itaque omnes uiri Israel occurrentes ad regem,* ideſt, venerunt omnes viri de 11. tribubus ad regem, & forte quando erat in Ierusalem scientes, quòd filij Iuda transduxissent eum.

Quare omnes tribus uenerunt in Ierusalem.
Quæst. XXXIII.

QVAERETVR, ad quid venerunt omnes tribus, cùm iam scirent, quòd rex venerat in Ierusalem. Respondetur, quòd uenerunt ad se excusandum, & ad accusandum tribum Iuda: nam fortè Dauid putaret quòd ex negligentia vel contemptu quodam non teniſſe illos, & haberet illos exosos, quod ipsi horrebant. Veniebant etiam vt accusarent tribum Iudã, quòd grauauerat omnes de Israel accipiendo regem quasi furtim, & transducendo illum per Iordanem, & hoc fuerat, quia Israelitis nihil significatum est de reductione Dauid, in quo facta est eis magna iniuria. Nam ipsi miserunt prius ad Dauid super reconciliatione, & reditu in regnum, & postea admoniti sunt uiri Iuda de hoc, & quamquam tunc cõcordatum est, quòd rex reciperetur vt prius in regem, sed de tempore reducendi eũ in domum suam nihil dictum est, sed erant Israelitæ parati reducere regem quandocunque ipse uellet. Interim autem uiri Iuda acceperunt regem nihil significantes uiris Israel, & transduxerunt eum per Iordanem, quod scientes Israelitæ uenerunt ad conquerendum de iniuria sibi facta, & tũc erat rex in Ierusalem, vel prope. Nam medietas solùm Israelitarum fuerat simul cum Dauid quando transiuit Iordanem, vt patet supra in litera.

Cur Israelitæ accusauerint uiros de tribu Iuda.
Quæst. XXXIIII.

QVAERETVR ulterius, cùm Israelitæ satis se excusassent coram rege ueniendo ad eum, & dicendo, quòd ipsi non fuerant uocati ad transductionem eius, quare accusabant uiros de tribu Iuda. Respondendum, quòd accusauerunt eos propter duo. Primò quia uere conceperant de eis odium, eo quòd fecissent eis iniuriam ducendo regem, & non uocando eos, quod uidebatur ortum ex quodam contemptu: & ipsi putabant, quòd hoc facerent uiri Iuda tanquam nimis superbientes, eo quòd esset rex de stirpe eorum: & istud erat durum Israelitis, cùm ipsi essent ualde plures, & deberent plus honorari quàm tribus Iuda, uel saltem æqualiter, & pro hoc interposuerunt querelam apud regem, si fortè prouideret eis de satisfactione, sed non prouidit. Secunda causa querelæ fuit ad magis se excusandum, quia si uiri Israel uenientes ad Dauid non conquesti fuissent de uiris Iuda, qui eis intulerat hanc offensam, viderentur modicum curare de reductione regis, nec dolere, quia non interfuerat. vt ergo Dauid putaret eos de hoc dolere, conquesti sunt de viris Iuda. *Dixerunt ei, quare te furati sunt fratres nostri viri Iuda?* ideſt, quare duxerunt te furtim, & non significauerunt nobis, vt interessemus. Vocauerunt autem eos fratres, quia Iudæi, & Israelitæ erant filij Iacob, & omnes inter se fratres erant. *Et transduxerunt regem, & domum eius Iordanem,* ideſt, transduxerunt regem cum tota domo sua, ideſt, familia, & rebus domesticis per Iordanem. *Omnesque viros Dauid cum eo,* ideſt, etiam transtulerunt omnes viros, qui erant cum Dauid. Nam tempore seditionis præteritæ manserant cum Dauid illi, qui erant specialiter serui sui, & etiam istos nunc honorificè receperunt uiri Iuda, & aliæ tribus, quia semper steterant cum Dauid;

Et respondit omnis vir Iuda ad viros Israel, quia propior est mihi rex. ideſt, ideo transduxi regem per Iordanem, quia propior eſt mihi, ideſt, magis coniunctus cognatione, Sed in hoc non reſpondebat conuenienter tribus Iuda, quia licèt eis propior eſſet rex: nõ tamen ad eos ſolos pertinebat, ideo debebant concludere propior eſt mihi rex, ideo ego debui eſſe principalis in transductione eius, non tamen q̃ eſſem ſolus. *Cur iraſceris super re.* ideſt, quare iraſceris propter hoc quòd duxerim regem. q.d. non debes iraſci, ſed etiam in hoc non bene dicebant viri Iuda, quia viri Iſrael habebant iuſtam cauſam iraſcendi, cùm eſſet ſibi facta iniuria, *Nunquid comedimus aliquid ex rege.* Poteſt dupliciter intelligi. Vno modo quòd nihil comedimus ex rege, ideſt, nullam partem corporis eius, & iſta reſponſio eſt irriſoria ad magis contemnendum Iſraelitas, q.d. ſi aliquam partem regis comediſſemus, poteratis iuſtè conqueri, ſed nihil de eo comedimus, ideo non iraſcamini. Aliter poteſt intelligi, quòd nihil comedimus ex rege, ideſt, nullam partem bonorum eius. q.d. ſi nos comediſſemus aliquid, quia venimus cum rege de bonis regis, & vos nihil comediſſetis, poteratis conqueri, ſed nihil comedimus de bonis regis. *Aut munera nobis data sunt.* ideſt, nunquid data ſunt nobis aliqua munera propter hoc, quòd venimus cũ rege? ſi enim data fuiſſent, & vos non recepiſſetis partem illorum, poteratis iuſtè conqueri, ſed non recepimus nos munera. In Hebræo habetur. *Aut fi munera obtulit nobis,* Scilicet, ſi rex obtulit nobis aliquid, quia venimus cũ eo, & ad idem redit. *Et respondit vir Israel ad viros Iuda.* ideſt, omnis vir Iſrael reſpondit ad viros Iuda, vel vnus reſpondit nomine omnium. *Decem partibus ego maior sum apud regem.* ideſt, maior ego ſum quàm tu decem partibus, ideo magis pertinet ad me rex quàm ad te, vt debeam ducere, vel reducere eum.

Quomodo Iſraelitæ dicantur decem partibus maiores tribu Iuda. Quæſt. XXXIV.

QVAERETVR, quomodo dixerunt viri Iſrael decem partibus maior ſum apud regem. Nam viri Iuda erant plus quam medietas omnium virorum Iſrael. Quod patet ex computatione facta poſt hoc, De qua, infra, 24. in qua inuenti ſunt de tribu Iuda quingenta millia, & de omnibus vndecim tribubus Iſrael ſolùm octingenta millia, & ſic non erat Iſrael ad Iudam duplus, & dato, q̃ accipiamus filios Iſrael ſecundùm aliam ſummam maiorem, quæ habetur primo Paralip. 27. adhuc non erit Iſrael triplus ad Iudam. Reſpondendum eſt, quòd Iſraelitæ dixerunt ſe eſſe maiores decem partibus tribu Iuda, quia Iſraelitæ erant. 11. tribus, & vna illarum erat æqualis tribui Iudæ. Reliquæ autem decem excreſcebant, & non intelligitur iſta maioritas quantum ad numerum, ſed quantum ad dignitatem, vel ius: nam Iſraelitæ habebant ius eligendi regem ſecundùm numerum tribuum ſuarum, ſcilicet, quòd ille, quem maior pars tribuum in regem acciperet eſſet rex, & non curabatur, an una tribus eſſet maior alia in numero, quia iſtud non conferebat ius, cum electio non fieret, vt à ſingulis perſonis, ſed vt à tribubus: ideo dato, quòd tribus Iuda eſſet æqualis in numero omnibus tribubus ſimul, non habebat magis de iure ad eligendum regem, vel ad diſponendum ſuper negocijs communibus regni, quàm una quælibet de tribubus alijs, ſicut eſt inter canonicos eligendo epiſcopum, vel quantum ad alia, quæ fiunt in capitulo, nam licèt aliquis potentior ſit alio, non habet maiorem vocem in capitulo, & ob hoc non dixerunt viri Iſrael, decem partibus maior ſum te abſolutè, ſed decem partibus maior ſum te apud regem, ideſt, licèt non ſim decies te maior numero, ſum tamen te maior decies apud regem, ideſt, in iure quod habeo in comparatione regis, ſcilicet, eligendo illum, vel diſponendo alia, quæ ad eum pertinent. Nam quandocunque agebatur de rege, vel de aliquibus negocijs communibus regni erant. 11. voces in Iſrael, & una ſolùm in Iuda. *Magisque ad me pertinet Dauid quàm ad te,* ideſt, non eſt verum quòd tu ſis propinquior regi, quia ad me pertinet magis, quàm ad te. In quo directè reſpondebant Iſraelitæ viris Iuda. Nam illi dixerant, quia rex mihi propior eſt, Iſraelitæ autem poterant reſpondere quòd quamquam ipſi erant propiores, tamen non pertinebat ad eos ſolos rex, ideo non debuerant ſoli transducere eum, ſed uoluerunt reſpondere grauius, ſcilicet, quòd rex magis pertinebat ad eos quàm ad uiros Iuda, ideo ipſi non ſolùm debebant intereſſe in regis transductione, ſed etiam debebant eſſe principales.

An rex magis pertineret ad Iſrael, quam ad tribum Iuda. Quæſt. XXXVI.

QVAERETVR, an verũ dixerint viri Iſrael, ſcilicet, quòd rex ad eos magis pertinebat. Aliquis dicet, quòd nòn, quia Dauid erat de cognatione tribus Iuda, & nòn de aliqua tribu Iſrael, ideo magis pertinebat ad eos quàm ad Iſraelitas. Reſpondendum, quòd verum dixerunt Iſraelitæ, quia Dauid conſiderabatur dupliciter, ſcilicet, inquantum rex, vel inquãtum perſona priuata: ſi vt perſona priuata, magis pertinebat ad Iudam quàm ad omnes tribus Iſrael, eo quòd erat de cognatione illius tribus, & non aliarum, ſi inquantum rex, magis pertinebat ad tribus Iſrael quàm ad Iudam, quia inquantum rex erat princeps illius populi totius, qui deſcendebat à Iacob, ſed viri Iuda computabantur vt vna pars vel vnum caput, & vna Iſrael, vt vndecim capita, ergo magis pertinebat rex ad Iſraelitas, quàm ad Iudam. Etiam in electione regis, vel diſpoſitione quacumque circa regem, cùm Iſraelitæ eſſent vndecim partes, & tribus Iuda eſſet vna, præualebant Iſraelitæ, & ſtandum erat iuſticeorum, ideo magis pertinebat rex ad illos, quia ea quæ pertinebant ad regem magis fiebant diſpoſitione Iſraelitarum quàm Iudæ. Nunc autem agebatur de transductione regis, & ad hanc nihil agebat conſanguinitas, ſed ius diſponendi de reditu vel transductione regis, & quia iſtud ius erat potius in Iſraelitis dixerunt nunc abſolutè: magis pertinet ad me. *Dauid, quàm ad te. Cur feciſti mihi iniuriam?* Scilicet, recedendo aliquid ſine me. *Et non mihi renunciatum priori, vt reducerem regem meum.* Ideſt, quare mihi non fuit dictum prius quàm tibi quòd venirem ad reducendum regem meum. Vocauit enim illum regem ſuum, quia magis ad eum quàm ad Iudam pertinebat. *Durius autem reſponderunt viri Iuda viris Iſrael.* Ideſt, poſt hoc durius reſponderunt viri Iuda viris Iſrael quàm prius reſponderant: nam prius ſuperbè reſponderant, vt patet ex verbis eorum, nunc autem durius reſponderunt: ſed quid nunc dixerint non patet in litera, ſatis tamen videtur quòd reſponderint directè ad verba Iſraelitarum dicentium quòd magis pertinebat ad eos Dauid quàm ad Iudam, & dixerunt nihil pertinet ad vos rex, ſed ad me, & iſtud durius erat quàm prior reſponſio, quia prius dixerant, propior eſt mihi rex quàm tibi. Quòd autem reſponderint iſtud viri Iudæ, colligitur ex verbis Sebæ ſequen. c. qui audita reſponſione virorum Iuda, dixit: non eſt pars nobis in domo Dauid, nec hæreditas in filio Iſai, reuertere Iſrael

Iſrael in tabernacula tua, & tamen iſtud non dixiſſet Seba, niſi viri Iuda reſpondiſſent hæc verba, vel aliqua æquiualentia.

Quomodo viri Iuda viros Iſrael offenderunt. Quæſt. XXXVII.

QVAERETVR, quam iniuriam fecerunt viri Iudæ viris Iſrael. Reſpondendum, quòd offenderunt eos in duobus. Primò quia debebant vocari prius ad transducendum regem, quàm viri Iudæ, & non vocati ſunt. Secundò quia ſaltem debebant aliquando uocari, & non fuerunt vocati: ſed ipſi audito, quòd viri Iudæ transducerent regem, venerunt: ideo ipſi dixerunt, cur non eſt mihi nunciatum priori, vt reducerem regem meum. Sed dicetur, quomodo conquerebantur viri Iſrael de viris Iudæ, quòd non vocati fuiſſent ipſi prius. Nam viri Iudæ non potuerant vocare prius viros Iſrael, quàm ipſi vocati eſſent, cùm antequam vocarentur, neſcirẽt aliquid de reductione regis. Reſpondendum quòd iſta querela non eſt directè contra viros Iudæ, ſed cõtra Dauid, qui debuerat prius vocare ad ſe transducendum viros Iſrael, quàm Iuda: ſed Iſraelitæ non auſi ſunt opponere crimen regi, ideo tranſtulerunt illud in viros Iuda.

An viri Iuda peccauerunt, an viri Iſrael. Quæſt. XXXVIII.

QVAERETVR vlterius, qui peccauerunt hic, nunquid viri Iſrael, vel Iuda: nam grauis ſeditio inter eos orta eſt ex duris verbis adinuicem, in tantum, vt omnes Iſraelitæ recederent à Dauid. ſequen. capit. Reſpondendum, quòd viri Iuda peccauerunt, & non Iſraelitæ. Primò quia ipſi priuauerunt iure ſuo Iſraelitas, faciendo quòd rex tranſirer non vocatis Iſraelitis. Secundò peccauerũt, quia grauiter, & ſuperbè reſponderũt: nam cùm peccauiſſent, & offendiſſent Iſraelitas, debuerant blandè reſpõdere, & mitigaſſent furorem Iſraelitarum: quia reſponſio mollis frangit iram, ſermo durus ſuſcitat furorem. Prouerb. 15. reſponderunt tamen acriter, ſcilicet, propius eſt mihi rex, & tamẽ hoc falſum erat, quia licèt ſibi eſſet propior iure conſanguinitatis, non tamen iure regis, ad hoc, quòd poſſet diſponere de illo potius, quàm uiri Iſrael: & tamen hic agebatur de propinquitate, quæ conferret ius ad transferendum regem. Item dixerunt viri Iudæ Iſraelitis: cur iraſceris ſuper re, & tamen Iſraelitæ habebant iuſtam cauſam iraſcendi. Item dixerunt: nunquid comedimus aliquid ex rege, aut munera nobis data ſunt? ſed iſta omnia erant verba nimis pungitiua: potiſſimè quia viri Iuda dicebant iſta tumentes ſuperbia, & grauitas prolationis, & efferatio vultus, Iſraelitarum animos magis irritauerunt. Item quod peius fuit, quia dicitur q̃ poſtea durius reſponderunt viri Iuda, ex quo patet quòd illa verba eſſent nimis pungitiua, & intolerabilia auditui, vnde grauiter peccauerunt. Viri autem Iſrael non videntur peccaſſe in his verbis prioribus, quia ipſi iuſtam cauſam habuerunt proponendi querelam, cùm priuari eſſent iure ſuo, etiam querelam iſtam cũ quadam manſuetudine propoſuerunt, quia dixerunt, quare furati ſunt te fratres noſtri? & ſic non iraſcebantur nimis viri Iudæ cùm vocarẽt eos fratres, & emoliti fuiſſent breuiter, ſi uoluiſſent uiri Iudę tẽperare verba ſua.

An peccauerit Dauid in hac contentione. Quæſt. XXXIX.

QVAERETVR vlterius, an Dauid peccauit in his. Reſpondendum, quòd principiũ huius contentionis fuit Dauid. Nam Iſraelitæ miſerant ad eum, quòd volebant ipſum reducere, & nondum miſerant viri Iuda, & ipſe miſerat ad viros Iuda, quòd venirent, & tranſducerent eum, & non miſit ad viros Iſrael, quòd venirent, cùm potius debuiſſet illos vocare, tum quia digniores erant, tum quia prius ipſi locuti fuerãt de reductione regis. Item peccauit, quia dato quòd veniſſent viri Iuda priores ad reducendum Dauid, non debuiſſet ire cum illis, ſed expectare Iſraelitas: tranſiuit autem cũ eis Iordanem, ideo contra eum directior querela erat quàm contra viros Iudæ, vt ſupra dictum eſt: ſed non auſi ſunt Iſraelitæ incuſare regem. Etiam peccauit, quia cùm peccauiſſent viri iudæ, & Iſraelitæ iuſtè conquererentur debuerat promittere eis executionem iuris, & ſic placauiſſet eos: vel ſaltem debuiſſet ſe interponere, ne Iſraelitæ & viri iudæ per verba concitarentur in iram: ſed nihil horum fecit, ideo non eſt omnino immunis à culpa ſuper hac re.

CAP. XX.

ACCIDIT quoque, vt ibi eſſet vir Belial nomine Seba filius Bochri vir Iemineus, & cecinit buccina, & ait: Non eſt nobis pars in Dauid, neque hæreditas in filio Iſai: reuertere in tabernacula tua Iſrael.

DESCRIPTO in ſuperioribus de punitione Dauid pro adulterio Bethſabee, & homicidio Vriæ: hic deſcribitur punitio de proditione mortis Vriæ, ſcilicet, quia proditorie occidit Dauid Vriã, quæ fuit in rebellione populi contra ipſum ſuſcitata per Sebam, in qua punitus eſt. Et diuiditur in duo, quia primò ponitur rebellionis ortus: ſecundò punitionis modus, ibi. *Dixit rex Amaſæ.* Prima diuiditur in duas, ſcilicet, in partem principalem, & incidentalem, ſecunda ibi. *Cum veniſſet rex.*

An ordo ſit continuus. Quæſt. I.

QVAERETVR circa primum, an ea, quæ dicuntur hic, habeant ordinem continuatum ad præcedentia, & an fuerint facta immediatè poſt illa. Reſpondendum quòd ordo continuus eſt. nam ſupra dicebatur de cõtentione orta inter Iudam & Iſrael pro tranſductione regis; hic agitur de diuiſione facta in regno ex hac contentione, nam cùm multum vtrinque irritarentur viri, receſſerunt omnes Iſraelitæ à Dauid, manẽte ſola tribu Iuda cum eo. Ad ſecundum dicendum, quòd iſtud factũ eſt immediatè poſt præcedentia, immo ſimul cũ illis, nam cùm incepta eſſet contentio, quę habetur. 5. in tñ ſe verbis irritauerunt, quòd Iſraelitæ non inueniẽtes aliquem fauorem in Dauid receſſerunt ab eo. Et dictum eſt, non eſt nobis pars in domo Dauid, nec hæreditas in filio Iſai: & in hoc terminatã eſt contentio. *Accidit*

quoque vt ibi esset vir Belial nomine Seba. Ideſt, dum eſſent iſta uerba contentionis, accidit quòd Seba interesset: & dicitur de eo, quia ipſe concitauit populũ ad recedendum à Dauid. In Hebræo dicitur. *Fuit vocatus ibi vir Belial.* Sed iſtud ponitur propter equiuocationẽ, quia verbum qđ hic ponitur, in Hebræo ſignificat vocari, vel accidere. Sic patet ſupra primo, cũ dixit adoleſcens Amalecites ad Dauid: caſu veni in mõtem Gelboe, & Hebræi dicunt vocatus fui in monte Gelboe: ſed litera noſtra ſemper ponit pro accidere, quia aliàs non conueniret ſententiæ: eſſet enim ſenſus, ꝙ iſte vir vocatus fuerat ad repugnãdum Dauid, & hoc falſum eſt, quia non veniebant Iſraelitæ cum intentione repugnandi Dauid. Vel ſi dicatur, quòd erat vocatus ad aliquid aliud, non agit ad propoſitum: dicitur autem vir Belial, ideſt, indomitus vel ſine iugo, vt exponitur in litera. Iudic. 19. & hoc dicitur, quia iſte promptus erat ad reſiſtendum, vel recedendum ab obedientia: ideo incitauit Iſraelitas, vt recederent à Dauid. *Filius Bochri.* Iſtud ponitur ad differentiam, quia alij multi vocantur Seba, ſic enim vocatur ſeruus Miphiboſeth præcedent. c. & ſupra. 9. & 16. ſed ille debet vocari Siba, & iſte Seba. per. e. licèt communiter dicamus Siba. *Vir Iemineus.* Ideſt, de ſtirpe Beniamin. Nam Iemini, & Beniamin idem ſunt, vt communiter dicitur, vel ſaltem Iemini fuit aliquis magnus princeps in tribu Beniamin: ſed primum eſt melius. *Et cecinit buccina.* Iſtud fuit ad conuocandum omnem populum, vt recederet à Dauid: quia non poterat omnibus loqui verbo cùm eſſet ibi totus Iſrael, ſed dedit ſignum per tubam ſicut datur in bello.

Quare Seba mouit Iſraelitas, vt recederent à Dauid.
Quæſt. II.

QVAERETVR, quare iſte Seba nunc mouit Iſraelitas, vt recederent à Dauid. Reſpondendum, quòd vna cauſa fuit, quia iſte erat valde impatiens, ideo non potens tolerare verba aſpera virorum Iuda concitauit totum Iſrael ad recedendum à Dauid. Etiam fecit hoc, quia erat vir nimis diſpoſitus ad rebellandũ, & non poterat tolerare iugum, ideo deſiderabat exuere ſubiectionem, vel ſaltem mutare dominium: & quia non erat aliquis vir in Iſrael tam diſpoſitus ad hoc, ipſe primus buccina cecinit clamans diſceſſionem, & iſta cauſa ponitur in litera cùm dicitur, vir Belial, quaſi dicat, quòd ex eo quòd erat vir Belial, ideſt, filius inobedientię, uel ſine iugo, quaſi dicat, quòd ex hoc quòd erat ſine iugo prouocauit diſceſſionem Iſrael à Dauid. Alia cauſa fuit, quia iſte erat uir de tribu Beniamin, cui tribui ablatum fuerat regnum, quòd ibi prius erat, ſcilicet, in Saule, & Iſboſeth, ideo viri de tribu Beniamin habebant exoſum Dauid, & quia iſte erat unus de Beniamin uidens nunc opportunitatem ad diuidendum regnum Dauid clamauit buccina, ut diſcederet Iſrael à Dauid. Iſta cauſa innuitur in litera cùm dicitur. Seba filius Bochri vir Iemineus, ideſt, de tribu Beniamin, ſcilicet, quòd propter hoc quòd erat de tribu Beniamin commouit diſceſſionem. Alia cauſa fuit, quia iſte fuit aliquis magnus princeps de tribu Beniamin, & fortè fuit ſatis propinquus domui Saulis, de qua futuri erant reges, ideo aſpirabat ad regnũ, & fortè mortuo Abſalone, ipſe uoluerat quòd Iſrael rediret ad regnum priſtinum, quia tamen totus Iſrael uoluit reducere Dauid, non habuit opportunitatem. Nunc autem uiſis contumelijs, quas uiri Iuda inferebant Iſraelitis, non reputando eos, credidit eſſe conuenientem locum ad uſurpandum ſibi regnum, & clamauit, ut omnes recederent. Hoc autem patet, quia omnes Iſraelitæ ſecuti ſunt Sebam illico ut clamauit: tamen non ſecuti fuiſſent eum, ſi ipſe eſſet aliquis uir parui ſtatus. Item ſi ipſe non intendiſſet, quòd omnes Iſraelitæ ſecuturi erãt ipſum, nõ clamauiſſet buccina, quia aliàs immediatè occideretur tanquam uolens prouocare diuiſionem nullo ſibi dante fauorem. *Et ait, non eſt nobis pars in domo Dauid.* Ideſt, totus Iſrael nihil habet in domo Dauid, ſed ſola tribus Iuda habet partem in Dauid, uel habet ſibi eum totum. *Nec hæreditas in filio Iſai.* ideſt, nullam hæreditatem habemus in eo, ad hoc quòd poſſimus uiuere cũ eo, ſicut cum rege noſtro. Iſta eſt repetitio ſententiæ, quia idem ſignat iſta litera, quod præcedens: idem eſt enim pars & hæreditas, & idem eſt Dauid & filius Iſai, quia Iſai erat pater Dauid. præced. lib. c. 16.

Quare Seba dixit Iſrael non habere partem in domo Dauid.
Quæſt. III.

QVAERETVR, quare Seba dixit iſta uerba. Reſpondendum, quòd hoc fuit quia uolebat Seba prouocare diſceſſionem à Dauid, ſed iſta erant uerba conuenientia ad prouocandum illam, ſic patet ſeq. lib. cap. 12. cùm totus Iſrael, ideſt, decem tribus uoluerunt recedere à Roboam, dixerunt, quæ nobis pars in Dauid, uel quæ hæreditas in filio Iſai? Vade in tabernacula tua Iſrael. Alia cauſa fuit, quia fortè iſta uerba dixit tribus Iuda ad totum Iſrael contendendo cum eis, Iſraelitæ autem læſi ualde ex hoc uerbo receſſerunt, & ob hoc clamauerunt iſtud tanquam cauſam ſuæ diſceſſionis, dicentes: non eſt nobis pars &c. Quòd autem iſta dixerint uiri Iuda apparet, quia ſupra reſponderint grauiter dicentes, magis ad me rex pertinet, uel propior eſt mihi. Et poſtea dicitur in litera, quòd durius reſponderunt, ideo non reſtabat niſi ut nunc dicerent non eſt uobis aliqua pars in Dauid, cùm prius dixiſſent minor pars eſt uobis in Dauid quàm nobis: & ſatis hoc uidetur, quia iſtud uerbum dixit immediatè Seba poſt uerba contentionis uirorum Iuda. Alia cauſa fuit, quia dato, quòd non dicerent uiri Iuda iſtud uerbum uiris Iſrael, dixerunt tamen aliquid ſimile, ſcilicet, propinquior mihi eſt rex: & ex hoc uiri Iſrael dicerent, non eſt nobis pars, &c. quia iſte eſt modus hominum ſuſcipientium iniurias, ſcilicet, quòd diuersa repetunt uerba eis dicta, quàm ea, aduersarii protulerunt. Alia cauſa eſt, quia Iſraelitæ propoſierant iuſtam querelam de uiris Iuda, & Dauid non adsenſit eis, nec interpoſuit pacem, quamquam ſtrenuè rent, ideo illi non inuenientes aliquem fauorem in Dauid ad executionem iuſtitiæ, dixerunt, non eſt nobis pars in Dauid. *Reuertere in tabernacula tua vir Iſrael.* Ideſt, quia nihil habes in Dauid, non cures comitari eum, ſed reuertere in tabernacula tua. *Et ſeparatus eſt omnis Iſrael à Dauid.* Ideſt, tunc receſſerunt omnes Iſraelitæ, ſcilicet, qui erant de 11. tribubus à Dauid, nolentes eum comitari. In Hebræo habetur. *Reuertatur quilibet in tabernacula ſua.* Vbi dicit litera noſtra reuertere Iſrael. *Secutuſque eſt Sebam filium Bochri.* Ideſt, poſtquam cecinit buccina, omnes ſecuti ſunt ipſum recedentes à Dauid.

Iſraelitæ quare ſecuti ſunt Sebam. *Queſt. IIII.*

QVAERETVR, quare Iſraelitæ ſecuti ſunt Sebam. Reſpondendum, quòd Seba erat aliquis magnus uir de tribu Beniamin, & iſte conabatur regnare, & nunc uiſa opportunitate fecit diuiſionem: Iſraelitæ autem uidentes, quòd erat uir magnus adhæſerunt ei, nam iam habebant exoſum

exoſum Dauid, eo ꝙ fauebat nimis viris Iuda contra eos, & ob hoc uolebant habere quemcunq; aliũ regẽ potius quàm Dauid, & quia Seba erat magnus vir de ſiderans regnare, putauerunt ꝙ ille poſſet defendere eos, ideo ſecuti ſunt ipſum. Quòd autẽ Seba eſſet potens, & vellet regnare apparet, quia ipſe buccina cecinit quocando Iſraelitas. Si tamen credidiſſet, ꝙ nullus ſibi aſſenſurus erat, vel ſaltem dubitaret, nõ clamaſſet buccina, quia erat ſibi periculum mortis. ſ. quia immediatè occideretur, vt prouocans diuiſionem. Item patet, ꝙ ille intenderet rebellare Dauid, & congregare ſibi Iſrael, quia Dauid dixit ad Abiſai, num magis afflicturus eſt nos Seba filius Bochri quàm Abſalõ: tolle ſeruos domini tui ne forte inueniat aliquas ciuitates munitas, & effugiat nos. Non poterat tamen magis nocere Seba quàm Abſalom, niſi fortè faceret bellũ contra Dauid, ergo Dauid intendebat ꝙ Seba volebat congregare exercitum, & pugnare contra eum, ſicut fecit Abſalom. Vel dicitur quòd omnis Iſrael ſecutus eſt Sebam. ſ. quòd ſicut ipſe primus receſſit, ita omnes poſt eum receſſerunt, ſed primus ſenſus eſt melior.

Cur noluit Dauid tunc pugnare contra Sebam, qui diſſenſionem excitauerat. *Quæſt. V.*

QVAERETVR vlterius, cùm Dauid pugnaturus eſſet contra Sebã, quia cauſauerat diſceſſionem, cur non pugnauit contra eum illico, cùm adeſſet ſibi tota tribus Iuda, quæ ſequebatur eum. Dicendum quòd Dauid noluit tunc pugnare contra Sebam propter duo. Primò qa nõ habebat diſpoſitionem pugnandi: nam licèt ibi eſſet tribus Iuda tota, tñ non veniebãt diſpoſiti ad pugnã viri Iudæ, ſed velut inermes ſolùm ad ſuſcipiendum regẽ. Secunda cauſa fuit, quia Iſraelitæ omnes erant preſentes, & non poterat tunc Dauid pugnare ꝺ illos, quia timendum ſibi eſſet cùm illi eſſent valde multi, & iam prouocati ad iram. Alia cauſa poteſt addi, ſcilicet, ꝙ Dauid noluit pugnare, dato ꝙ ſciret, quòd poterat ſubijcere ſibi tribus Iſrael, quia putabat quòd nunc Iſraelitæ cùm eſſent prouocati ad iram, nullo modo cederent ei: ſed poſtea redeuntibus eis parum ad ſeipſos, poſſet illos verbis ſuadere cùm eſſent extra paſſionẽ: nunc verò in ipſa paſſione exiſtentes nõ cederent niſi gladio vincerentur, in quo eſſet magnum damnum ipſius Dauid. ſ. ꝙ ſubditos ſuos occideret, quos aliter poterat nullo ſanguine effuſo ad ſe reuocare, ſicut poſtea factum eſt: nam nullus occiſus eſt in reuocatione totius populi ad Dauid niſi Seba, vt patet infra.

Seba quare non mouit immediatè bellum contra Dauid.
Queſt. VI.

QVAERETVR vlterius, quare Seba faciẽs ſeditionem ꝺ Dauid, non immediatè mouit bellum cùm haberet ſecum. 12. tribus, & Dauid vnicam. Reſpondendum, ꝙ hoc fecit, quia ꝙꝙ Seba nunc cauſauerat diſceſſionem, tñ neſciebat an oẽs Iſraelitæ fouerent opinionem ſuam, vel aliqui adhærerent Dauid, ideo non poterat nũc aliquid agere, ſed potius fugere debebat, vt conciliaret ſibi animos Iſraelitarum firmiter, & ſic poſſet inſtruere bellum contra Dauid: & hoc dixit Dauid, infra. ſ. ne inueniat ciuitates munitas, & effugiat nos. ſ. ꝙ inueniat aliquas ciuitates, in quibus poſſit manere aliquanto tempore, dum cor totius populi ſibi conciliat, & tunc poterit procedere contra nos. Alia cauſa fuit, quia Iſraelitę nõ veniebant tunc animo pugnandi, vnde erant quaſi inermes, & indiſpoſiti ad pugnandum. Item non poterat fieri commodè bellũ ex aliqua parte, quia tam Iſraelitæ ꝙ viri Iuda erãt mixti, & non habebat aliquas acies ordinatas, ideo facile erat indifferenter quoſcunq; perire: vnde neutra pars putauit ſecurum ſibi eſſe tunc pugnare, & ceſſit alteri. *Viri autem Iuda adhęſerunt regi ſuo à Iordane vſque in Ieruſalem.* i. quamquam receſſerunt viri de vndecim tribubus, non receſſerunt viri de tribu Iuda, ſed ſecuti ſunt Dauid à Iordane vſque in Ieruſalem. Ex hoc videtur ꝙ iſta diuiſio fuit facta apud Iordanem. ſ. quia ibi litigauerunt tribus Iuda & totus Iſrael & receſſit inde Iſrael, venitq; cum rege ſola tribus Iuda. Sed non ſtat, quia præced. c. dr: omnis autem populus Iuda trãſduxerat regem, & media tantum pars affuerat de populo Iſrael. Rñdendum ꝙ totus Iſrael non ſtetit cũ Dauid apud Iordanem, ſed ſola medietas Iſrael. Deinde cùm accederet Dauid prope Ieruſalem, venerunt oẽs tribus Iſrael, & iurgatæ ſunt ꝺ Dauid, & ab eodẽ loco receſſerunt ab eo, ad quem venerant ad illum: tribus autem Iuda venit ſemper cum Dauid ex Iordane vſq; in Ieruſalem: & dicitur hoc propter medietatem populi Iſrael, quia illa ſteterat cum Dauid apud Iordanẽ, & veniebat cum eo in itinere. Poſtea verò quando reliqua medietate accedente factum eſt iurgium, receſſit iſta medietas, quæ prius erat cum Dauid cum alia medietate nouiter veniente, & ſoli filij Iuda receſſerunt cum Dauid de Iordane vſq; in Ieruſalẽ: quia illa medietas Iſrael receſſerat de Iordane vſque ad quandam partem itineris cum Dauid, & non venit in Ieruſalem. *Cumque veniſſet.* Hic ponitur ſecundum, ſcilicet, pars incidentalis, & agitur de concubinis Dauid quas reliquerat in Ieruſalem. Et dicitur. *Cumque veniſſet rex in domum ſuam in Ieruſalem.* Ibi erant cõcubinæ, quas reliquerat, & cognouerat eas Abſalom, nam poſtquam cognouit non mutauit eas inde, nec fecit ſibi aliquid, quia ſolùm cognouerat eas, vt totus Iſrael videns firmiter ei adhæreret. ſupra. 16. ipſę autem mulieres uiolenter hoc paſsę remanſerunt vbi prius erant, neſcientes quid agerent, nec fugerunt aduenięte Dauid, quia non timebant mortem cùm nihil ſponte egiſſent. *Tulit decem mulieres concubinas ſuas.* Ideſt, tulit eas de domo ſua, vt iam non manerent ibi, ſed eſſent clauſæ in aliquo loco ſecreto. *Quas dereliquerat ad cuſtodiendam domum.* Nullum enim virum auſus fuerat dimittere ex cauſa aſſignata ſupra 15. *Et tradidit eas in cuſtodiam.* Ideſt, poſuit eas in aliqua domo ſecreta, ubi manerent ſub cuſtodia certa, ne liceret eis egredi in publicum, nec aliquando apparere coram rege. *Alimenta eis præbens.* Ideſt, quamquam Dauid non cognouit eas poſtea, tradidit eis ſemper alimenta. *Et non eſt ingreſſus ad eas.* Ideſt, nunquam cognouit eas poſtea carnaliter. Iſte enim modus loquendi ſignifieat cognitionem carnalem. Sic dicitur Gen. 16. Ingredere ad ancillam meam, ideſt, cognoſce eam carnaliter.

Quare Dauid nunquam cognouit. 10. concubinas cognitas ab Abſalom. *Quæſt. VII.*

QVAERETVR, quare Dauid nunquã cognouit poſtea iſtas concubinas. Aliquis reſpõdebit, quòd Dauid cùm iam ſuſtinuiſſet multas tribulationes uoluit deſerere vitia, & contentus matrimoniali concubitu reliquit concubinas. Sed dicendum, quòd non ſtat, quia Dauid non dimitteret eas ex hac cauſa, eo quòd non putabat ſe peccare habendo concubinas, nec peccabat, quia fiebat ex diſpenſatione, ut declaratum eſt. ſupra 5. q. 12. ideo non dimitteret eas nunc tanquam peccans. Quòd autem ipſe intenderet ſe non peccare habendo concubinas apparet, quia non habuit eas ſpecialiter aliquo tempore, quaſi ex paſſione ſicut Bethſabee

vxorem Vriæ accepit ex passione, sed eo tẽpore, quo melior erat, & magis deicola accepit illas, vt patet supra 5. nam cùm cœpit velle ædificare templum domino, & tunc duxit arcam in domum suam, & saltauit coram illa ex magna deuotione. supra 6. si tamen putaret se peccare dimitteret concubinas, vel non aggrederetur tale opus, quale erat ducere arcã, aut velle ædificare templum, sciens, quòd non placeret Deo manens immundus. Item Deus non imputat ei hoc ad peccatum, quia quamquam haberet concubinas, Deus vocabat eum seruum suum, & promisit ei valde magna bona. supra 7. ergo non dimittebat eas tanquam peccasset prius. Item non stat, quia tunc non solùm Dauid istas decem concubinas abiecisset, sed jetiam omnes alias, quia eadem causa peccati erat in omnibus, sed habebat Dauid alias, & nõ abiecit, ideo non fecit propter peccatum. Quod autem haberet alias patet præced. cap. nam dixit Ioab ad Dauid, confudisti hodie vultus seruorum tuorum, qui saluam fecerũt animam tuam, & filiorum tuorum, & filiarum tuarum, & vxorum, & concubinarum tuarum, sed hoc non potest intelligi de istis decem, quæ iam traditæ erant in manu Absalom. sup. 16. ergo præter istas habebat alias concubinas, quæ saluatæ sunt in bello illo, ergo cùm nõ dimisit illas, sed has decem solùm, non fecit propter peccatum. Item si Dauid abiecisset eas à se propter peccatum, non clausisset eas, sed solùm fecisset, quòd non essent in domo sua, tenuit tamen eas clausas, ergo propter aliud fuit. Dicendum igitur, quòd hoc fuit, quia Absalom cognouerat illas, & Dauid nolebat iam cognoscere eas propter quoddam ius affinitatis causatũ inter Dauid, & filiũ suum ex accessu ad illas mulieres. Hebræi tamen dicunt, scilicet, Ra. Dauid Kimhi, quòd licitum erat Dauid accedere ad illas mulieres, tamen noluit ad maiorem honestatem, cùm filius suus cognouisset eas.

An Dauid licitè potuisset cognoscere illas concubinas, Quæst. VIII.

QVAERETVR circa hoc, an uerum sit, q̃ poterat Dauid licitè cognoscere istas mulieres, non obstante, quòd cognouisset Absalom eas. Respondendum, quòd non, quia istæ concubinæ Dauid iam erant nurus Dauid, eo quòd filius suus cognouerat eas, sed non licebat alicui reuelare turpitudinem nurus suæ. Leuit. 18. & 20. cap. Ad hoc dicent Hebræi, quòd istæ mulieres, eo quòd uiolenter assumptę sunt, non erant illicitæ Dauid. Sed hoc non stat, quia quòd istæ mulieres fuerint uiolenter, vel uoluntariè cognitæ, ad nihil aliud facit nisi, quòd ipsæ non peccassent in hoc, q̃ cognitę sunt: Dauid tamen poterat eas accipere, siue peccassent, siue non: sicut potest quis tenere uxorem suam, etiam si ab alio cognita fuerit, & non peccat in hoc, immo meretur si ad hoc teneat illam, ne facto diuortio quantum ad thorum, ipsa efficiatur adultera, vel infametur: multo minus ergo peccaret Dauid si, ex hac causa susciperet cõcubinas quamquam peccassent: sed si aliquid impediebat Dauid accipere illas erat aliqua affinitas contracta: ad hanc autem nihil differt mulierem uoluntariè, vel spontè esse cognitã, quia ius affinitatis causatur ex ipso iure diuino, vel positiuo per seminis commixtionem, ideo non differt uiolenter, vel spontè esse cognitam. Sed aliquis dicet, quòd licebat Dauid redire ad illas mulieres, quia non fuerat causata aliqua affinitas, cùm istud sit, quando quis cognoscit uxorem alterius accipiendo eam in uxorem, vel accipiẽdo aliquam mulierem in uxorem causatur affinitas ad cognatos illius: Absalom tamen non accepit illas in uxores, sed solùm cognouit illas non habens intentionẽ postea redeundi ad illas, ideo non contraheretur ibi affinitas. Dicendum, q̃ quamquam affinitas contrahatur per aliquem contractum matrimonialem, tamen etiam sine contractu per cognitionem carnalem causatur affinitas, immo præcipuè in seminis commixtione consistit affinitatis causatio. Sed adhuc dicetur, quòd quamquam causaretur hic aliqua affinitas, non caderet sub lege Leuit. 18. & 20. quia ibi dicitur, q̃ non cognoscat aliquis uxorem filij sui, & tamen hic non fuerunt istæ mulieres uxores Absalom, ideo non incurrebat Dauid in pœnam illius legis. Dicendum, q̃ non stat, quia ut probatum est, per hoc q̃ Absalõ cognouit concubinas Dauid, causata est affinitas, sed nõ potest esse aliqua alia, nisi quòd mulieres illæ iam essent nurus Dauid, & tamen cum nuru prohibetur Leuit. 18. scilicet: Turpitudinem nurus tuæ non reuelabis. ergo non licebat Dauid accedere ad eas. Item peccatum erat, quia Deus improperat istud in peccatis Israelitarum Amos. 2. dicens, & filius ac pater eius iuerunt ad puellam, vt uiolarent nomen sanctum meum: idest, in hoc quòd pater, & filius cognouerunt eandem puellam, uiolauerunt nomen meum, scilicet, quia ego volebam ista esse vetita: ideo Dauid credens peccatum esse, non cognouit amplius concubinas illas.

Quare Dauid clausit illas. Quæst. IX.

QVAERETVR vlterius, quare Dauid clausit illas, quia sufficiebat, quòd separasset eas à se. Aliquis dicet, quòd fecit ad hoc, quòd peniterent pro peccato. Sed non stat, quia istę mulieres nihil peccauerunt, cùm inuitæ cognitæ fuissent: ideo iniustum erat eas puniri. Sed dicendum, quòd clausę fuerunt, vt nunquam venirẽt in domum regis. Nam fortè pulchræ erant, & si rex interdum uideret aliquam illarum afficeretur ad eam, & cognosceret, quod illicitũ erat, ideo volebat tollere causam scandali. Alia causa erat, quia si non essent clausæ aliquando Dauid uideret eas, & dato quòd non moueretur ad aliquam illarum, saltem recordaretur, quo modo Absalom fœdauerat eas, & consequenter de morte Absalonis, & omnibus alijs malis, quæ intercederãt, & iste erat sibi grauior dolor ideo melius erat, quòd nunquam eas uideret. Alia causa erat, ne exirẽt in publicum, & uiderentur, quia tunc populus reduceret ad memoriam, quomodo fœdauerat illas Absalom, & istud erat dedecus Dauid. Alia fuit causa, & potissima, quia istę mulieres in perpetuum separabantur à rege, ideo furtim commiscerentur aliquibus, & postea sequeretur inde magnũ dedecus Dauid: nam non solùm cognoscendo vxores eius, sed etiã cognoscendo concubinas dedecus erat. Quod patet, quia Absalom concubinas Dauid fœdauerat, & non uxores, & tamen per hoc totus Israel credidit fœdatum esse Dauid, & quod iam impossibile esset reconciliari Absalom ipsi Dauid, tãquam intulisset ei acerrimam iniuriam: Dauid igitur clausit mulieres istas, idest, posuit super eas diligentem custodiam, ne alicui furtim commiscerí possent. Non est tamen intelligendum, q̃ clausit eas, scilicet, in uinculis ponens, quia non potuit eis uincula, cũ ista essent in pœnã, sed solũ posuit super eas diligẽtẽ custodiã, ne aliqñ fornicari possent.

Cur Dauid præbebat alimenta concubinis, cum eas reiecisset, Quæst. X.

QVAERETVR vlterius, cùm Dauid abiecisset omnino à se istas concubinas, cur eis præbebat alimenta, an licitè ageret. Respondendum, q̃ Dauid non peccabat prouidendo his mulieribus de necessarijs, quia ipsę non peccauerãt, ideo sicut à principio dabat eis omnia necessaria, ita & nunc daret licitè. Immo dicendum, quòd non solùm licebat Dauid, sed etiam peccaret si non faceret hoc propter duo. Primò quia ipse susceperat istas mulieres ex virginitate sua, & ob hoc carnuerunt uiris: nam iam nullus vellet eas accipere postquam deflorate erant à rege: ideo sicut ille, qui virginẽ seducit, & deflorat, tenetur eam dotare, & accipere in vxorem. Exo. 22, ita qui accipiẽs aliquam cõcubinam deflorabat eam, debebat ei prouidere, sicut si haberet virum. Secunda ratio est, quia Dauid ponebat mulieres istas in custodia, ne ab aliquo cognosci possent, ideo cùm non liceret eis acquirere vitam, accipiendo uiros, vel alio modo: Dauid tenebatur eis prouidere, qui eas tales constituebat. Aliæ duæ causæ signari possunt. Prima, quia dato quòd Dauid concederet istis mulieribus accipere uiros, nullus eas vellet, quia iam fuerant concubinæ regis, etiã quia timeret quicunque accipiens aliquam illarum, quòd rex iterum ad illam rediret, & esset matrimonium suspectum. Item quia dato, quòd aliqui acciperẽt illas, non in tanto honore acciperentur sicut si nunquam fuissent defloratæ à rege. Rex ergo tenebatur eis tam honorabiliter prouidere quantũ ipsæ apud viros suos mansuræ fuissent, si non essent concubinæ regis. Secunda causa est, quia Dauid tenebatur eis specialiter super hoc pro iniuria quam pro eo tolerauerãt: nam Absalom cognouit eas corã toto populo. Quod fuit eis magnum dedecus, & hoc sustulerunt propter Dauid, quia si non fuissent concubinæ eius non fœdasset eas Absalom: tenebatur ergo Dauid prouidere eis, & abundanter quidem. Sic etiam dicendum est de omnibus alijs, qui concubinas aliquando tenuerunt, & eas deserunt. Nam licèt isti peccauerunt tenendo illas, & non peccauit Dauid, tamen debent eis prouidere: potissimè si eas à virginitate acceperunt: nam tunc propter illos fœminæ perdiderunt coniugia, & honorem, licèt sponte hoc fecerint. Si autem aliquis acceperit concubinam non ex virginitate, minus ei tenetur quàm alias, & tamen quia propter illos concubinæ infamantur, & perdunt aliquos modos honestos acquirendi vitam, tenentur eis prouidere: vel saltem in quibusdam vbi non apparet tã manifesta obligatio ex aliquibus causis, saltem misericordiæ opus est illis prouidere, dumtamen ad carnalem affectum non habeatur respectus. Sic etiam illi, qui olim vxores dimittebant, vt sacros ordines acciperent, tenebantur vxoribus ad omnia necessaria vitę ministranda, sic patet in decretis Di. 31. cap. quicumq; virginitatem. §. poteſt & aliter. & cap. omnino confitemur. Licèt hic maior obligatio est, quia semper manet matrimoniũ, licèt tollatur concubitus, vt patet præalleg. cap. omnino. Vnde nefas esset, & anathema si quis tali vxori p̃uidere nollet, vt determinatum est in canonibus apostolorum, & habetur in Decretis, 28. Dist. cap. si quis docuerit. *Sed erant clausæ vsque ad diem mortis suę*, ideſt manserunt semper sub custodia diligenti, vsq; ad diẽ mortis ex causis dictis, & potissimè ne alicui commiscerí possent. *In viduitate viuentes*, ideſt erant viduę, & sequestratę in domo vt semper viuerent sicut viduæ. Dicit Nic. quòd & hic patet istas non fuisse concubinam, sed vxores: alioquin non diceretur quòd manebant in viduitate, quia vidua est quæ marito caret. Sed ista ratio non stat, nam per contrarium arguitur: quia cùm vidua dicatur mulier mortuo viro, & hic nõ erat mortuus Dauid, ergo non uocantur viduæ ex hac parte, sed dicuntur viduæ, ideſt separatę à viro, scilicet quia Dauid non accedebat ad eas, nec alicui alteri accedere licebat, siue ergo essent concubinæ, siue uxores, cùm iuberentur perpetuam continentiam obseruare postq̃ virum cognouerant vocarentur viduæ: non ergo fuerunt vxores, sed concubinæ: vt declaratum est supra 5. & 12. *Dixit autem rex.* Hic ponitur secundum principale, scilicet rebellionis Sebæ punitio. Et diuiditur in tres partes, quia primò ponitur Sebæ insecutio: secundò eius occisio ibi. *Venerunt autem.* Tertiò regni Dauid ordinatio, ibi. *Fuit ergo.* Circa primum dicitur. *Dixit autem rex Amasæ.* Huic præcepit Dauid, vt congregaret exercitum contra uiros Israel propter Sebam insurgẽtem. *Conuoca mihi omnes viros Iuda in diem tertium*, ideſt conuoca omnes uiros bellatores de tribu Iuda, & fac quòd veniant ad me omnes usque ad tres dies. *Et tu adesto præsens.* ideſt tu ueni cum eis coram me.

Quomodo Dauid misit ad congregandum viros Iuda cum prius omnes essent secum. Quæst. XI.

QVAERETVR, cũ Dauid haberet prius secum totum exercitum uirorum Iuda, quia dicitur supra quòd uenerat tota tribus Iuda ad transducendum Dauid per Iordanem, & uenerat cum illo in Hierusalem, quomodo nunc mittebat ad congregãdum omnem exercitum uirorum Iuda. Respondeti potest dupliciter, uno modo quòd uiri Iudæ uenerunt cum Dauid usque in Ierusalem, & inde recesserunt singuli in domos suas: & non fuit factum istud immediatè de persecutione Sebæ: ideo quando uoluit Dauid mittere uiros contra Sebam, iã nullus erat cum eo de illis uiris Iuda, qui uenerant ad cum in Iordanem: ideo oportuit quòd mitteret ad uocandum eos Amasam. Aliter potest dici, quòd omnes uiri Iuda, qui uenerunt cum Dauid de Iordane erant nunc in Ierusalem cum eo, & quòd istud factum est mox, ut Dauid accessit ad Ierusalem: non tamen erãt omnes uiri Iuda cum Dauid, sed multi eorum, & uoluit nunc Dauid mittere pro reliquis: quia egebat magno exercitu contra Sebam. Sed dicetur, quę istarum positionum est uerior? Respondendum quòd prima est uera. Secunda autem non est uera, sed uerisimilis. Quod patet quia Dauid misit Amasam p̃ toto exercitu Iudæ: & cùm ille moraretur, uoluit Dauid mittere Abisai, ne magnitudine moræ fugere posset Seba in aliqua loca tuta, & dixit ei: tolle seruos domini tui, & persequere eum: & sequitur quòd egressi sunt cum eo omnes uiri Roab, & Cerethi, & Pheleti, & robusti de Ierusalem: isti tamen erant, quos continue habebat Dauid secum: etiam tempore maxime tranquillitatis: ut patet supra. 15. quando fugit Dauid de Ierusalem: nam isti fugiebant cum eo. Si tamen fuissent ibi reliquus exercitus Iuda, qui uenerat cũ Dauid de Iordane, misisset illum cum Abisai. Ideo uidetur quòd nullus ibi erat: & sic apparet, quòd omnes uiri Iuda recesserant iam in tabernacula sua, & Amasa iuit ad uocandum illos, quia fuit istud aliquot diebus post introitum Dauid in Ierusalem.

Cur iussit Dauid Amasę congregare exercitum, & non Ioab. Quæst. XII.

QVAERETVR vlterius, quare Dauid iussit Amasæ, quòd congregaret exercitum Iudæ: & non iussum est hoc Ioab, uel alicui alteri. Respõdendum q̃ Dauid promiserat Amasę qñ misit ad uocandum eum, q̃ faceret eũ principẽ totius exercitus pro Ioab, prece. c. nunc aũt cũ uenisset Amasa ad Dauid, abstulit Dauid principatum Ioab, & tradidit illum Amasæ, & quia conuocare exercitum pertinet ad principem belli, pertinebat ad Amasam, q̃

Universidad de Deusto Biblioteca

Nicolaus reijcitur.

conuocatet iam exercitum. Nicol. autem dicit aliter, ſcilicet, quòd Amaſa non congregauit iſtum exercitum tanquam dux, ſed tãquam aliquis cui ſpecialiter committebatut tribus Iuda. Pro quo ſciendum, quòd dicit Nicolaus Dauid habuiſſe exercitum de omnibus tribubus, ſcilicet, quòd in qualibet erant aliqui, qui ſpecialiter ueniebant quandocũque uocaret eos Dauid, vel ueniebant omnes quotquot vocaſſet de illa tribu, & ſuper omnes iſtos erat vnus princeps, ad quem pertinebat vocare illos, & ſic erant duodecim principes exercitus in duodecim tribubus. Ioab tamẽ erat princeps ſuper omnes, & ad eum pertinebat diſpoſitio belli, vocatis omnibus; ideo ipſe vocabatur propriè princeps exercitus, nunc autem dicit, ꝙ Amaſa conſtitutus eſt ſpecialiter dux exercitus in tribu Iuda, & erat ſub Ioab, & quia nunc congregandus erat exercitus de tribu Iuda: miſſus eſt Amaſa, qui erat princeps exercitus huius tribus ad congregandum illum. Ioab verò miſſus erat ad congregandum exercitum de omnibus alijs tribubus. Sed iſta non ſtant, ſcilicet, quia dicit, ꝙ erant tot principes exercitus, quot erant tribus, & quòd Ioab erat ſuper omnes, & quòd Amaſa fuit ſolùm princeps exercitus in tribu Iuda: quia tunc Amaſa non ſuccederet Ioab, nec eſſet loco eius, ſed loco illius, qui fuerat prius princeps exercitus. in tribu Iuda, cum officium Ioab integrum maneret, vt prius: Dauid tamen dixit: hoc faciat mihi dominus, ſi non princeps exercitus mihi fueris omni tpe pro Ioab. præce. c. ergo in officio eius ſucceſſit, & non alicuius principis ſpecialis tribus Iudæ. Itẽ hoc modo non ſolùm Amaſa diceretur eſſe loco Ioab, ſed etiam quilibet de principibus omnium tribuum diceretur eſſe pro Ioab, quia erat ſpecialiter princeps militiæ ſub illo in aliqua tribu: ſed de nullo alio dicebatur hoc niſi de Amaſa, ergo non erat Amaſa princeps alicuius tribus ſolùm. Item Ioab occidit Amaſam præ inuidia, quia Dauid conſtituerat eum in iſto principatu, vt colligitur ex litera: ſi tamen fuiſſet ſolùm princeps exercitus vnius tribus, & ſub ipſo Ioab, non occideret eum, quia nemo prudens vult occidere ſubditos ſuos, ſed potius gaudet habere illos: ergo non erat iſte ſub Ioab, ſed tenebat totum principatum eius. Item ſi Amaſa tenente ſolum principatum tribus Iudæ occidiſſet eum Ioab, pari ratione occidiſſet omnes alios principes exercituum in tribus ſpecialibus, ſed non occidit aliquem, niſi Amaſam: ergo vel nulli alij principes erant in ſingulis tribubus, vt aſſerit Nicol. vel erant occidendi ipſi, & Amaſa, ſed non occidit alios, etgo falſum eſt Amaſam occiſum, ꝙa erat princeps exercitus Iudæ. Item ſi Amaſa ſolùm erat princeps exercitus Iudæ, & propter hoc occidit eũ Ioab, non ſolùm occidiſſet eum, ſed etiam prædeceſſorem ſuũ, & quemlibet principem illius tribus, ſed falſum eſt. Item ſerui Ioab videntes mortuum Amaſam dixerunt, iſte eſt qui uoluit eſſe pro Ioab, & non dixerunt hoc de aliquo alio uiro in Iſrael: ergo iſte acceperat principatum totum Ioab. Item patet, quia ſeq. lib. cap. 2. dixit Dauid Salomoni de Ioab: tu noſti quid fecerit Ioab mihi, & duobus principibus exercitus Iſrael Abner filio Ner, & Amaſæ filio Ieter. Ergo oportet, quòd uterque iſtorum eſſet princeps exercitus Iſrael, quando occiſus eſt: ſi tamen Amaſa ſolùm fuiſſet princeps exercitus Iudæ, non vocaretur princeps exercitus Iſrael, ergo erat princeps totius exercitus Iſrael tenens totum locum Ioab. Dicendum ergo ſicut prius, ſcilicet, quòd Dauid abſtulerat Ioab totum principatum pro occiſione Abſalom, & dedit illũ Amaſæ; ideo nũc Amaſa iuit ad colligendum exercitum, & non Ioab. *Abijt ergo Amaſa, vt conuocaret Iudam*, ideſt, perambulauit tribum illam, vt cõgregaret totum exercitum illius. *Et moratus eſt extra placitum, quod ei conſtituerat rex*, ideſt, moratus eſt ultra terminum, vel diem ſibi præfixum. Dixerat enim Dauid, quòd ueniret uſque ad tertiam diem, erat autem iſtud paucum tempus, ideo non potuit tam breuiter congregare totum exetcitum. *Ait autem Dauid ad Abiſai*. Quia morabatur iam Amaſa, voluit Dauid, quòd interim iret exercitus aliquis contra Sebam de illis, qui erant in Ieruſalem cum Dauid, & ad hoc vocauit Abiſai, vt eſſet princeps illius exercitus. *Nunc magis afflicturus eſt nos Seba filius Bochri, quàm Abſalom?* ideſt, nũquid Seba faciet nobis maiora bella, & ponet in maiori periculo, quàm poſuit Abſalom? quaſi dicat, ſi non diligẽter præuenerimus eũ, faciet, & eſt ſenſus: ſi Iſraelitę nunc cõiurant, & Seba, quia iam victi fuerũt, quando cõiurauerũt cũ Abſalom, nũc cautius ſe habebũt, & poterunt nobis magis nocere. *Tolle ergo ſeruos Domini tui, & perſequere eum*, ideſt, quamquam nondum venerit exercitus tribus Iudæ, quem debebat cõuocare Amaſa, accipe exercitum, qui haberi poteſt in Ieruſalem, & ſeruos domini tui, ideſt, ſeruos meos, qui ſum dominus tuus, & iſti erant illi, qui ſemper ſtabant cum Dauid ſiue tempore belli, ſiue pacis, ſcilicet, Cerethi, & Pheleti, & ſexcenti viri Gethæi pugnatores validi, de quibus dicitur, quòd egreſſi ſunt cum Dauid, quando fugiebat à Ieruſalem. ſup. 15. Alij dicunt quòd vocetur hic dominus Abiſai ipſe Ioab, & eſt fundamentũ huius, quod dicitur infra, egreſſi ſunt ergo cum eo viri Ioab Cerethi quoque, & Pheleti. Sed dicendum ꝙ accipitur dominus ꝓ Dauid, quia viri Ioab pauci erant hic, ſcilicet, aliqui, qui pertinebant ad familiam eius: nam Cerethi, & Pheleti, in quibus erat robur exercitus, non erant ſerui Ioab, vt patet cùm dicatur, egreſſi ſunt cum eo ſerui Ioab, & omnes Cerethi, & Pheleti. *Ne fortè inueniat ciuitates munitas, & effugiat nos*, ideſt, cito perſequere eum, ne inueniat aliquas ciuitates munitas, in quibus latere poſſet, & effugiat nos, ideſt, non poterimus poſtea eum tenere, quaſi dicat, ſi expectamus reditum Amaſæ cum toto exercitu Iudæ, forte interim effugiet Seba ad aliquas ciuitates munitas, ideo melius eſt quòd tu eum illico perſequaris cum iſto exercitu, qui præſens eſt. In Hebræo habetur. *Et effugiat oculos noſtros*. Vbi nos dicimus, & effugiat nos: ſed melior eſt litera noſtra, ideſt, expreſſior, quia effugere oculos eſt quòd non poſſimus videre eum, effugere nos eſt fugere de poteſtate noſtra, ita quòd nequaquam poſſimus eum tenere: ſed manifeſtum eſt, quòd Dauid loquebatur de poteſtate tenendi eum, & non de viſu, quia hoc nihil attinebat.

Dauid quare commiſit Abiſai ducere exercitum contra Sebã. Quæſt. XIII.

QVAERETVR quare Dauid commiſit Abiſai, quòd duceret exercitum contra Sebam, & non commiſit hoc Ioab. Nicolaus reſpondet ad hoc, ꝙ Dauid habebat militiam triplicem nunc, ſcilicet, militiam familiarium ſuorum, eorum qui ſemper manebant cum eo, alia erat militia tribus Iudæ, quæ nõ erat ſemper cum Dauid, alia erat militia aliarum tribuũ: nunc autem dicit, quòd Dauid præpoſuerat Amaſam ſuper militiam Iudæ, ideo ipſe vocabat eam, alia pars, ſcilicet, militia familiarium commiſſa erat Abiſai, ideo ipſi iuſſum eſt, ꝙ ferret ſecum omnes ſeruos Dauid. reliqua autem, ſcilicet, militia omnium tribuum commiſſa erat Ioab, vnde dicit, quòd ſicut iuerat Amaſa ad congregandum militiam Iudæ, ita iuerat Ioab ad congregandum militiam de alijs tribubus, vnde manebat ſolus Abiſai, & huic cõmiſit Dauid ferre exercitum contra Sebam. Sed hoc non ſtat, quia dicitur ꝙ miſſus erat Ioab ad cõgregandum exercitum de alijs tribubus, nam nunc nulla illarum tenebat cum Dauid, ſed omnes ſecutæ fuerant Sebam, vt patet ſupra in litera. Sed dicit Nicol. quòd quamquam omnes tribus repugnauerant, ſemper manſerunt cum Dauid de qualibet tribu aliqui, qui fuerant cũ eo ex eo tempore, quo fugiebat à Saule, & manebat in deſerto, de quibus habetur. 1. Paral. 12. Sed iſtud non ſtat, quia illi, qui ſteterunt cũ Dauid ex eo tempore, ſemper manſerunt poſtea cum ipſo ſpecialiter, & non diuertebãt ad tribus ſuas. Quod patet ſup. 15. cùm dicitur, quòd omnes Gethæi, ideſt, omnes uiri, qui uenerant cum Dauid de Geth egreſſi ſunt cũ eo de Ieruſalem: iſtis etiam dedit Dauid manſiones apud ſe: nam cùm uenit de terra Philiſthinorum, fecit eos habitare in oppidis Hebron, & Dauid manebat in Hebron, vt patet ſup. 2. ideo non iret nunc Ioab ad uocãdum aliquem de his. Item non auſus fuiſſet Ioab diſcurrere nũc per tribus Iſrael, niſi cum exercitu magno, quia omnes nunc inſurrexerant contra Dauid. Item non ſtat, quia dicitur hic, quòd egreſſi ſunt cum Abiſai ſerui Ioab, ſi tamen Ioab iuiſſet ad congregandum exercitũ per terram Iſrael, ſerui ſui iuiſſent cum eo, vel ſaltem expectauiſſent eum in Ieruſalem, & non iuiſſent cum Abiſai, ſed cum eo. Item patet, ꝙ maneret tunc Ioab in Ieruſalem, & quòd ipſe iuerit ſub ducatu Abiſai fratris ſui, quia infra dicitur quòd Abiſai iuit contra Sebam, & cum pergeret occurrit Amaſa ei, & Ioab, & occidit eum Ioab, & ſic videtur quòd ſimul ibant Ioab, & Abiſai. Dicendum ergo, quòd nihil horum erat, ſed Abiſai, & Ioab manebant in Ieruſalem dum Amaſa congregaret exercitum Iudæ, & ille ſolus congregatus eſt, non ꝙ eſſet Amaſa ſpecialiter princeps exercitus illius tribus, ſed quia nulla alia tribus nunc obediebat Dauid, alioquin Amaſa congregaſſet exercitum de omnibus: & quamquam eſſet Ioab in Ieruſalem, noluit Dauid committere aliquid Ioab, quia iam priuauerat eum principatu, & nolebat, quòd vlterius directè, vel indirectè vſurparet ſibi illum, vel haberet aliquem actum principis, & licèt nunc nõ principaretur Abiſai toti exercitui, tamẽ adhuc iſtum partem principatum noluit tradere Dauid ipſi Ioab, ſed fecit, quòd iret nunc Ioab ſeruiens ad præceptũ Abiſai. Sic patet cùm dicitur infra. Egreſſi ſunt cum eo viri Ioab, ſcilicet, cum Abiſai, & etiam ipſe Ioab egreſſus eſt, vt patet in litera: Dauid enim quamquam haberet exoſum Ioab, & etiam Abiſai, cùm vterque eſſet ſibi durus. ſupra 3. ſcilicet, porro viri iſti filij Saruiæ duri mihi ſunt: tamen non tantum offenderat eum Abiſai, ſicut Ioab, ideo commiſit nunc principatum Abiſai, non ſumpliciter, ſed ſolùm pro iſto bello, quia non erat præſens Amaſa, cùm tamen rediret, ipſe futurus erat princeps. Idem tenet Hiſto. ſchol. & Ra. Dauid Kimhi. Ioſephus autem dicit ſeptimo antiquitatum, quòd iſta locutus fuerit Dauid ad Ioab, & ꝙ ipſe tulerit nunc militiam, ſed non ſtat, quia litera dicit contrarium. *Egreſſi ſunt ergo cum eo viri Ioab*, ideſt, cum Abiſai iuerunt nunc viri Ioab ex mandato Dauid, & etiam iuit ipſe Ioab, vt patet infra, nam erat in Ieruſalem. *Cerethi quoque, & Thelethi*, ideſt, etiam iuerunt legiones Cerethi, & Phelethi, quæ ſunt baliſtariorum, & fundibulariorum, vt declaratum eſt ſupra. 8. & iſti erant ſemper cum Dauid ubicunque eſſet. *Et omnes robuſti exierunt de Ieruſalem*, ideſt, etiam omnes alij fortes, qui conſueuerant eſſe cum Dauid iuerunt illuc, & iſti ſunt ſexcenti viri Gethæi, qui erant fortiſſimi, vt patet ſupra 15. c. *Ad perſequendum Sebam filium Bochri*, ſcilicet, quia ipſe erat concitator ſeditionis contra Dauid.

Reſponſio auct.

Quomodo dixit Dauid ad Abiſai, quòd perſequeretur Sebam, ne inueniret ciuitates munitas. Quæſt. XIIII.

QVAERETVR, quomodo dixit Dauid ad Abiſai perſequere eum, ne fortè inueniat ciuitates munitas, & effugiat nos: nam manifeſtum eſt, quòd iam poſſet inueniſſe: immo certiſſimè inueniſſet ciuitates munitas, in quibus poſſet latere, quia Dauid non miſit Amaſam ad congregandum exercitum Iudæ mox, vt Seba fecit diſceſſionem, ſed poſt aliquot dies, vt ſupra probatum eſt, etiam poſtquam miſſus eſt ad congregandum exercitum moratus eſt tribus diebus, & tunc miſit Dauid Abiſai contra Sebam, vt patet ſupra, iam ergo inueniſſet ciuitates munitas. Reſpondendum, quòd Dauid intendebat, quòd Seba vellet rebellare inſurgendo contra eum, & tollendo ſibi regnum, & ad hoc, ꝙ vellet confœderare ſibi Iſraelitas, & interim maneret in aliqua ciuitate: confœderatis autem omnibus procederet ad bellum contra Dauid: voluit ergo Dauid prius, quàm Seba confœderaret ſibi Iſraelitas præuenire eum bello, & occidere. Nam ſi ſemel totum Iſrael ſibi confœderaret, erat difficillimũ pugnare contra illũ, ideo dixit: ne inueniat ciuitates munitas, ideſt, ne confœderet eas ſibi, & maneat in illis quouſque habeat opportunitatẽ pugnandi contra nos, & hoc modo nondũ Seba potuiſſet confœderare ſibi aliquas urbes: ſi tñ permitteretur aliquot diebus potuiſſet, ideo Dauid noluit expectare Amaſam, ſed feſtinãter miſit Abiſai ꝙ Sebam. *Cumque eſſent illi.* Hic ponitur quædã pars incidentalis de morte Amaſæ ſ. quo Ioab occidit Amaſam proditoriè, & dicitur. *Cumque illi eſſent iuxta lapidem grandem, qui eſt in Gabaon*, ideſt, Abiſai, & Ioab erant iuxta lapidem magnum apud vrbem Gabaon: eſt enim Gabaon in ſorte Beniamin. Ioſue 18. & apud hanc iterum pugnauerat Ioab contra Abner, dum Dauid regnaret ſuper Hebron, vt patet ſupra 2. nunc autem Ioab, & Abiſai venerant in Gabaon, quia fortè per illam erat iter ad ciuitatem, in qua latebat Seba. Nam cum eſſet de tribu Beniamin, vt patet ſupra credendum eſt, quòd lateret in vrbibus Beniamin. *Amaſa veniens occurrit eis*, ideſt, veniebat Amaſa de congregando exercitum Iudæ, & redibat ad regem, qui dixerat ei, & tu adeſto preſens, & habuit obũios iſtos duos fratres in Gabaon. *Porro Ioab veſtitus erat tunica ſtricta ad menſuram habitus ſui*. Ponitur hic modus proditionis, per quem Ioab occidit Amaſam, & dicitur quod erat Ioab veſtitus tunica ſtricta, eſt enim iſta tunica militaris, quia expedita eſt ad bellum: fecerat tamen eam Ioab ad menſuram habitus ſui, ideſt, ad menſurã habitudinis corporis, ſcilicet, quòd nihil plus habebat quam vt corpus Ioab intra capi poſſet. Hoc autem erat, vt per leuem motum corporis gladius qui adhærebat ei poſſet egredi, quod non fieret ſi veſtis magna eſſet, & laxa flueret. *Et deſuper accinctus gladio*, ideſt, ſuper tunicam erat accinctus gladio, iſte nõ erat gladius magnus ad pugnandum, ſcilicet, enſis, ſed aliquis minor, quia alias leui motu non poterat egredi apte ad ea, quæ volebat Ioab. *Dependente vſque ad illa in vagina*, ideſt, iſte gladius, quæ accinctus erat Ioab ſtrictè dependebat vſque ad illa ſua, ideſt, vſque ad extremitatẽ lumborum, ex quo apparet quòd erat paruus gladius: alioquin dependiſſet circa terram. Ioſephus dicit, ꝙ iſta tunica erat lorica ferrea, & hoc ipſe vult, quia magis conuenit ad bellum, ſcriptura tamen vult eſſe veſtem. *Qui fabrefactus leui motu egredi poterat, & percutere*, ideſt, iſte gladius erat taliter diſpoſitus arte fabrili, vel magiſtrali quòd poterat leui motu egredi, ſcilicet, ipſo Ioab mouente corpus, etiam ſi non applicaret manum

Universidad de Deusto
Biblioteca

manum poterat exire, vel appliçante manu leuissime exibat.

Cur Ioab se disposuerat ad occidendum Amasam. Quæst. XV.

QVAERETVR, quid intendebat facere Ioab cùm se sic disposuisset habens tunicam strictã, & accinctus erat gladio, qui leuiter poterat exire. Respondendum quòd Dauid iam abstulerat principatũ militiæ ipsi Ioab, & dederat Amasæ, & ex illo die Ioab cogitabat quomodo occideret Amasam, vt ipse restitueretur in principatum suum, & ad hoc fecit sibi gladium quo posset Amasam non aduertentem occidere. Pro quo sciendũ quòd Amasa erat vir fortis, & obseruabat se aliquantulũ à Ioab, quia principatum eius susceperat, & putabat Ioab ꝙ si publicè vel palam aggrederetur Amasam, ipse Amasa resisteret ei, vel fortè occideret ipsum cum fortis esset: oportuit ergo, quòd modo insidiatorio, & per fraudem occideret eum, alioquin non posset. Excogitauerat etiam Ioab quòd finito isto bello occideret Amasam, putabat enim quòd Amasa iam non veniret ad bellum, sed ipse, & Abisai frater suus persequerẽtur, & occiderẽt Sebam, & reuersi de bello occiderent Amasam, & quia occurrit eis Amasa euntibus ad bellum, voluit ibi Ioab occidere eum; & occidit.

Ad quid facta est tunica stricta. Quæst. XVI.

QVAERETVR vlterius, ad quid facta est tunica stricta, & quomodo ista proficiebat ad occidendum Amasam. Respondendum quòd Ioab intendebat occidere fraudulenter Amasam ex causa dicta, sic enim occiderat Abner apud portam Hebron: nam vocauit eum tanquam vellet ei loqui secretè seorsum, & percussit eum latenter in inguine, supra 3. sic etiam volebat nunc occidere Amasam, & fecit tunicam strictam, vt ipse expeditior esset ad occidendum Amasam, & gladius etiam leuius exire posset, quàm si vestis esset magna, & laxa flueret. Deinde de isto gladio dicitur quòd erat fabrefactus, vt leuiter exire posset ad occidẽdum Amasam. Sed in hoc est differentia, quia quidam volunt quòd Ioab volebat occidere Amasam osculando eum, & ad hoc gladius debebat esse sic dispositus, vt leui motu egredi posset, scilicet, quòd dum Ioab oscularetur Amasam, egrederetur gladius, & percuteret Amasã. Hoc videtur innuere litera nostra, dicens: qui fabrefactus leui motu egredi poterat & percutere, ideſt, ipse gladius egredi deberet, & percutere per se: alij uolunt, quòd gladius erat sic dispositus, quòd posset leuiter exire, & cadere in terram, quando Ioab uellet osculari Amasam, & Ioab inclinans se pro gladio coram Amasa prius quàm oscularetur eum, & eleuans gladium teneret manu, & tunc oscularetur Amasam: ipse aũt non attenderet ad hoc, qa nõ putaret ꝙ Ioab teneret gladium ad occidendum eum, cùm coram eo cecidisset, sed solùm, quia volebat eum reducere in vaginam, & sic posset Ioab occidere Amasam non aduertentem dum oscularetur eum: & istud tenent Hebræi, quòd aliqualiter innuitur ex litera hebraica. Nam dicitur. *Ioab erat cinctus, & vestitus veste sua, & super eum erat accinctus ensis coniunctus super lumbos suos in vagina, & ipse exiuit, & cecidit.* Et hoc est totum quod habet litera nostra ex illo loco, scilicet, porro Ioab: vsque ad illum locum, scilicet, dixit itaque Ioab. Et est sensus, quòd Ioab erat cinctus veste sua, & indutus, & non dicitur stricta, sed hoc addidit litera nostra: quia gladius non poterat egredi conuenienter nec accingi super vestem laxam. Dicitur etiam, quòd erat coniunctus ensis super lumbos Ioab, vbi litera nostra dicit, quòd dependebat vsque ad ilia. Dicit etiam, quòd gladius exiuit, & cecidit, vbi dicit litera nostra, quòd erat fabrefactus, ita vt leui motu exire posset. Et sic volunt Hebrei, quòd ipse gladius ceciderit, & Ioab inclinauit se pro eo, vt supra dictum est: litera tamen nostra circumloquitur sensum hebraicum: eo quòd litera hebraica interdum est decurtata, & oportet multa suppleri, sicut ipsi Hebræi confitentur. Alij volunt, quòd gladius Ioab erat sic dispositus, vt leui motu egredi posset, scilicet, quòd intendebat Ioab occidere Amasam, dũ oscularetur eum: & tunc educeret gladium leuiter ad percutiendum: & si forte gladius esset durus ad extrahendum, non pusset Ioab expedirè educere illum ad occidendum Amasam: vel saltem sentiret Amasa, & teneret gladium Ioab, & posset occidere eum, scilicet, tenendo gladium illius, & extrahendo interim gladium suum ad occidendum Ioab. Quia tamen erat iste gladius dependens in lumbis, scilicet, à parte posteriori, non vidit eum Amasa. Et hoc est quod infra dicitur: Porro Amasa non obseruauit gladium, quem habebat Ioab, scilicet, quia non vidit. Etiam cùm esset ille gladius leuiter exire potẽs, tetigit eum Ioab, & exiuit, percussitque ipse Ioab Amasam non videntem. Ista positio est melior, & tenet eam historia scholastica. Prima autem positio non est conueniens, scilicet, quòd gladius per se exiret, & nullo mouente eum per se percuteret: quia tunc gladius caderet in terram, quando exiret, cùm à nullo moueretur. Item datur, quòd caderet & tãgeret Amasam, non percuteret, quia aut capulus gladij versus erat ad Amasam, aut cuspis. si capulus in cassum tangeret Amasam, & non percuteret, sed caderet in terram. Si autem cuspis esset contra Amasam, & capulus retrorsum, caderet gladius citra Ioab, & nullum percuteret tangendo. Item dato, quòd per aliquod artificium posset cuspis cadere contra Amasam: tangeret eum in vestibus: tamen non faceret vulnus, eo quòd a nullo mouebatur, sed per se cadebat: fuit tamen ista percussio tam fortis, vt effunderẽtur intestina Amasæ: & non opus esset alio uulnere: vt patet in litera. Itẽ non est verisimile, ꝙ aliquid tale aggrederetur Ioab, quia dato, ꝙ gladius posset exire, & percutere fortiter: quia tñ à nullo mouebatur, irregulariter percuteret, & æqualiter cõtingere posset, ꝙ percuteret eũ, uel Amasam: non ergo se exponeret huic periculo, cũ posset alio mõ, & faciliori occidere eũ. Itẽ nõ stat, quia dr infra litera, qui percussit eum in latere, & effudit intestina eius. Et refertur hoc ad Ioab. Quod patet, quia immediatè dicitur, & secundum vulnus non apposuit, sed apponere, vel non apponere secundum vulnus, non pertinet ad gladiũ, sed ad illum, qui per ipsum agit. Dicendum ergo, quòd Ioab occidit accipiens gladium, & nõ exiuit gladius per se ad occidendum Amasam, & quamquam uideatur litera nostra tenere hanc positionem, tamen non tenet, quia in ea dicitur, ꝙ Ioab percussit Amasam, & non apposuit secũdum vulnus. Cum autem dicitur, quòd gladius erat fabrefactus, ita vt leui motu egredi posset, & percutere: non refertur ad percutere ad gladium, sed ad Ioab, scilicet, quòd gladius poterat leui motu exire, ideſt, Ioab leuiter tangendo illum poterat educere de vagina, & poterat percutere. Alia positio Hebræorum, scilicet, quòd gladius ceciderit in terram, & eleuauerit eum Ioab, satis colligitur ex cortice literæ Hebraicæ, sed non ex sensu: nam in litera dicitur, quòd Amasa non aduertit gladium; quem tenebat Ioab, si tamen tenuisset eum in manibus, quando leuauit de terra, attendisset eum. Sed responderent Hebræi, quòd Amasa non attendit ad

Ioab quomodo occidit Amasã.

ad gladium, ideſt, non curauit de ipso: putans, ꝙ Ioab non haberet intentionem nocendi ei, sed solùm eleuandi de terra, & tamen bene vidit gladium. Sed dicerur, quòd hoc non est uerisimile, quia cùm Amasa accepisset principatum, quem tenuerat Ioab nunc nouiter, timere debebat, quòd Ioab dolor stimulatus vellet nocere ei, ideo videns gladium in manu eius caueret ab illo. Sed Hebræi dicunt, quòd manifestum est, quòd gladius erat in manu Ioab, quia vbi litera nostra dicit: porro Amasa non attendit gladium, quem habebat Ioab, dicit litera Hebraica: porro Amasa nõ attendit gladium, qui in manu Ioab. Ergo uidit eum Amasa. Respondendum, ꝙ non habebat Ioab gladium in manu, & cùm dicitur, qui in manu Ioab, intelligitur, ideſt, quem habebat Ioab, quia quæcunque aliquis habeat, dicitur habere in manu sua. Sic patet præcedẽ. lib. c. 16. cùm dixit Dominus ad Samuelem: vitulum de armento tolles in manu tua. & tamen manifestum est, quòd non tollebat eum in manu, potissimè cùm esset uitulus uiuens. Sic etiam dicitur Numer. 22. quòd Madianitæ iuerunt ad Balaam ferentes precium diuinationis in manibus suis: sed manifestũ est quòd non ferebant in manibus, sed in bursis, uel aliàs. Sic etiã omnia, quæ quis agit, dicitur agere per manus. Sic patet Num. 9. quòd loquebatur Deus per manum Moysi: & tamẽ per manum nullus loquitur: sed per os: ita ergo quicquid aliquis habet ubicunq; habeat, dicitur habere in manu. Vnde quãquam Ioab haberet gladium dependentem super lumbos, dicebatur illum habere in manu: & ideo litera nostra noluit dicere, quòd gladius erat in manu Ioab: sed ꝙ habebat eũ Ioab, quia per hoc significabatur ubicunque haberet illum, propter hoc etiã litera nostra exposuit Hebræam: quia cùm dicitur in Hebræo, exiuit, & cecidit: dicitur in litera nostra, quòd gladius erat fabrefactus ita, ut leui motu exire posset, & percutere: & sic per hoc quòd dicitur exiuit: intelligitur, id est erat habilis ad exeundum, & cadendum. Si quis tamen uelit tenere sensum, quem faciunt Hebrei: quãquam non sit tam uerisimilis sicut noster: tamen nõ nimis in hoc insto. Et tamen propter hoc non dicat aliquis quòd Hieron. aliter transtulit quàm habetur in Hebræo, quia cùm trãstulerit sensum Hebraicum: licet non literam, quia illa interdum barbarica est, bene transtulit: quia ut ipse ait in libro de optimo genere interpretandi, optimum genus interpretandi est transferri sensum ex sensu, & non uerbum ex uerbo, & hoc quia non fit res propter sermonem, sed sermo propter rem, & illi debet esse subiectus, ut ait Hilarius libro de Trinitate, & habetur extra de uerborum sig. cap. intelligentia. *Dixit itaque Ioab ad Amasam, salue mi frater.* Accessit enim Ioab ad Amasam tanquam uolens osculari eum, & dixit, salue mi frater, eo ꝙ Ioab, & Amasa erant quasi fratres: nam erant filij duarum sororum. s. Amasa filius Abigail, & Ioab filius Saruiæ. supra 17. & 1. Paral. 2. & hoc dixit ad reddendum secum Amasam, ut non timeret ꝙ uellet ei Ioab inferre malum. *Et tenuit manu dextra mentum Amasæ*, i. tenuit barbam illius manu dextra, hoc fecit Ioab ut teneret immobiliter ipsum Amasam ne posset fugere, uel cõtorqueri in aduersum, quia nullus locus erat, per quẽ firmius teneri posset quàm per barbam propter dolorem magnum si quis teneat ꝑ capillos barbæ conantem effugere, uelut ẽt si quis teneat aliũ per testiculos tenebit immobiliter ꝓp uehemẽtiã doloris, & ob hoc lex uetuit dicẽs, ꝙ si mulier teneret uirũ pugnantẽ cõ maritũ suũ ꝑ testiculos, abscinderẽt manus mulieris, alicui licebat tenere alterũ pernerenda. Eadẽ prope cã est, si quis aliũ teneat per barbã. Apud Hebræos autem, & oẽs antiquos ferè erat hoc promptum, quia nutriebant barbas longas, & poterant teneri per illas. ista fuit causa, quòd apud quasdam gentes Ispanorum tolleretur vsus barbarum longarum, atque comarum propter actus bellicos, quia interdum se per barbas tenebant. *Quasi osculans eum*, ideſt, quamquam tenuisset Ioab Amasam per barbam, non putauit ex hoc Amasa, quòd malum vellet ei inferre, quia istud erat signum, quòd vellet eũ osculari: nam sicut quis interdum alium osculari volens extẽdit palmas ad faciem eius, vt teneat eam: ita ad osculandum extendit Ioab manum, & tenuit barbam Amasæ. *Porro Amasa non obseruauit gladium, quem habebat Ioab*, ideſt quando Ioab tenuit barbam Amasæ ad osculandum nihil mali suspicatus est Amasa, eo quòd non uidit gladium Ioab, qui pendebat super ilia, & ex hoc non putauit, ꝙ posset facere ei malum, si autem uidisset gladium, non permisisset accedere ad se Ioab, ut teneret barbam. Quia autem non uidisset gladium, patet ex Hebræo ubi dicitur, quòd pendebat gladius super lumbos, & sic erat ad partem posteriorem, quam non uidebat Amasa. In Hebræo dicitur *Amasa non obseruauit gladium, qui in manu Ioab*, ideſt, qui erat in manu Ioab, sed non habebat Ioab gladium in manu, sed potius pendentem in uagina super lumbos: Hebræi tamen dicunt, quòd habebat gladium in manu, nam ceciderat gladius de uagina, & leuauit eum Ioab de terra, sed non putauit Amasa ad malũ esse: supra tamen declaratum est de hoc quæst. præcedenti, quòd non ceciderit gladius, nec uiderit eum Amasa. *Qui percussit eum in latere*, scilicet postquam tenuit barbam Amasę in manu, accessit ad eum propius tanquam osculari uolẽs, ut non uideret Amasa quomodo Ioab eduebat gladium de uagina, Ioab autem leuiter eduxit illum, quia fabrefactus erat ita, ut leui motu exire posset, ut patet supra.

Quare percussit Ioab Amasam in latere. Quæst. XVII.

QVAERETVR, quare Ioab percussit Amasam in latere. Respondendum quòd percussit eum in latere, s. in uentre ubi uenter coniungitur lateri, & per quem locum fluere possunt intestina, & hoc propter duo. Primò ut Amasa non uideret gladium, nam si percussisset eum in aliqua parte ſsuperiori: uidisset Amasa gladium, & potuisset tenere eum, quia manus eius ligatæ non erant, & hoc timuit Ioab, & euitauit. Secundò & præcipue, quia voluit Ioab percutere Amasam ita, ut illico moreretur: si tamẽ percussisset in partibus ſsuperioribus, non potuisset mori Amasa unico ictu, & sic fieret bellum, uel fortè effugeret Amasa manus Ioab: cùm autem percuteretur in latere, etiam si non esset magnum uulnus, illico fluerent intestina, & iam non esset sãlus: sic enim factum est. quia ad primũ vulnus intestina prodierunt. Et ex istis causis Ioab percussit Abner, quem occidit in eodem loco, scilicet, in inguine, ut patet supra 3. *Et fudit intestina eius in terram*, s. illico, ut percussit eum ceciderunt intestina eius in terram, quia percussit eum in ventre, & sic necesse erat rupta pelle uisera fluere. *Nec secundum vulnus apposuit*, i. semel tantùm percussit eum, & non curauit percutere amplius, quia non erat opus cadentibus intestinis in terram.

Amasæ mors.

An peccauit grauissimè Ioab occidendo Amasam. Quæst. XVIII.

QVAERETVR, an Ioab peccauit occidendo Amasam. Respondendum, quòd peccauit grauissimè, quia occidit uirũ sine causa, s. quia dederat

dederat ei Dauid principatum, quo ipse Ioab iustè priF natus fuerat, & quòd maius erat, ipse Amasa non peruenerat istum principatum: nec aliquem alium, sed Dauid ei promisit illum, vt ueniret ad se, dicens: hæc faciat mihi dominus, si non magister militiæ fueris coram me omni tempore pro Ioab præceden. capit. Item occidit propinquissimũ sibi sanguine, nam erat filius sororis matris suæ, vt supra dictum est. Item occidit eum præ inuidia, quia noluit aliquem maiorem se uideri. Item occidit eum insidiosè, scilicet, occultando gladium, quod erat nimis contra honorem virilem. Item quod maius erat, occidit eum dum osculabatur ipsum, & iam nihil deterius esse potest. Quod patet, nam Christus increpans Iudam tanquã de maximo scelere, dixit ei: osculo tradis filium hominis? id G est, nunquid per osculum debebas me tradere? quasi dicat, istud est pessimum, quod fecisti. Luc. 22. sed adhuc fuit hic aliquid differentius, quia Iudas per osculum dedit signum, vt acciperetur Christus ad mortem, sed ipse non occidit eum: Ioab autem osculando occidit Amasam: ob hoc autem nimis culpauit Dauid ipsum Ioab seq. lib. cap. 2. scilicet, tu nosti quid fecit Ioab duobus principibus exercitus Israel, & effudit sanguinem belli in pace, idest, occidit per insidias, scilicet, quòd sicut occidere debebat in bello, ita crudeliter occidit viros in pace. Et ista fuit causa, quare Ioab occisus est à Salomone intra templum Domini tenens cornu altaris, quia cùm exire nollet, iussit eum ibi occidi Salomon seq. lib. cap. 2. & istud licuit, quia H Ioab occiderat duos uiros per insidias, sed insidiatores non gaudent immunitate sanctuarij, Exo. 21. scilicet: Qui per industriam occiderit proximum suũ, & per insidias, ab altari meo euelles eum, vt moriatur, sic etiam extra de homicidio. c. 1. Si tamen non occidisset per insidias, non potuisset Salomon iubere occidi illũ apud altare, vel extrahi inde: factum est tamen, vt dictum est.

An Ioab occiderit Amasam, vt exercitus principatum recuperaret. Quæst. XLIX.

QVAERETVR vlterius, quomodo Ioab putabat, quòd occidẽdo Amasam, principatum I exercitus recuperaret, quem perdiderat: nam potius debuisset extimare, q Dauid inferret ei magnam pœnam, tum quia occidebat uirum innocentem, tum quia iste erat princeps exercitus Israel, & tales occidere peccatum magnũ est, tum quia iste erat cognatus Dauid, scilicet, filius sororis suæ Abigail. 1. Paralip. 2. & diligebat eum valde Dauid, & saltem propter hoc doleret nimis: sic enim quãdo Ioab occidit Absalonem priuatus est principatu, ergo repetito delicto, pœna maior debebat imponi, scilicet, non solùm, quòd principatum non recuperaret, sed etiam quòd uitam perderet. Respondendum, quòd Ioab putauit, quòd mortuo Amasa principatus belli rediret ad ipsum, & hoc, quia Dauid non habebat aliquẽ, K quẽ constitueret conuenienter super viros belli mortuo Amasa nisi Ioab, vel Abisai, sed ad quemcunque eorum perueniret principatus, erat uterque princeps, cùm essent fratres ambo. Item quia omnes alij seruiebant Dauid erubescerent mortuo Amasa sumere principatum exercitus, ita ut Abisai, & Ioab essent sub potestate illius, cùm Ioab habuisset sub se omnes uiros Dauid. Item omnes timuissent, quia cùm Ioab ausus fuisset occidere Amasam, qui uoluit esse princeps exercitus, & tamen erat ipse filius sororis Dauid, à fortiori auderet occidere quemcunque alium, qui efficeretur princeps exercitus, cùm nõ esset tam propinquus sanguine ipsi Dauid. Item putauit, quòd posset hoc modo accipere principatũ, etiam inuito ipso Dauid, quia tunc omnes viri bellatores ibant cum Abisai, & Ioab, quando occidit Ioab Amasam, & reuertẽtes de bello adhuc non deponebant exercitum timẽtes Dauid, ideo Dauid non poterat priuare Ioab, quia ipse tenebat tunc totum exercitum, & si Dauid conaretur deponere Ioab de principatu, ipse insurgeret contra Dauid, & expelleret eum de regno, vel saltem faceret, quòd omnes bellatores recederẽt ab eo: sic enim iterum fecit præced. cap. cùm dixit Ioab ipsi Dauid, iuro tibi per dominum, quòd si non exieris, nec unus quidem remansurus sit tecum nocte hac: & tunc Dauid timens verba Ioab surrexit, & fecit q dixit Ioab, Item putauit Ioab se inuenisse opportunitatem ad recuperandum principatum, quia nunc totus Israel receSSerat à Dauid manente sola tribu Iudæ, ideo si vellet Dauid auferre Ioab principatum, cùm ipse haberet nunc totum exercitum in potestate sua, quia nondum deposuerat illum, posset facere dissensionem irremediabilem contra Dauid, quia totus Israel facillimè sibi consentiret: tribum autem Iuda sub potestate sua habebat, ideo credebat, quòd stantibus his non posset ei Dauid auferre principatum, quem ipse inuito eo usurpauerat occiso Amasa, & sic euenit: nam principatus ipsi Ioab redditus est, vt patet infra in litera cùm dicitur, quòd Ioab erat super omnem exercitum Israel.

Dauid cur non occidit nunc Ioab. Quæst. XX.

QVAERETVR vlterius, quare Dauid non occidit nunc Ioab, cùm ipse occidisset iniuste Amasam. Aliquis dicet, q Ioab occidit nunc Sebam, qui fecerat dissensionem, & liberauit Dauid à magno periculo, quia ipse putauit, q maius esset istud periculum, quàm malum, quod ei intulerat Absalom, vt patet supra in litera, ideo pro hoc bono, quod egerat remisit ei istud malum, & restituit ei principatum: cuius signum est, quia nunc Dauid nihil mali locutus est Ioab postquam reuersus est ad eum, & tamen si non remisisset ei inrepuisset illum super hoc. Sed dicendum, quòd non stat, quia Dauid non remisit Ioab illud delictum, nec aliquod aliud, quod patet, quia moriens iussit Salomoni, vt occideret Ioab, quia occiderat duos principes exercitus, scilicet, Abner, & Amasam, seq. lib. cap. 2. delictum tamen remissum non potest postea puniri. Dicendum ergo, quòd Dauid nihil remisit ipsi Ioab, sed non puniuit, eo quòd uidit se impotentem ad puniendum: istud autem erat, quia Ioab tenebat totũ exercitum, & Dauid erat quasi persona priuata, ideo licèt conaretur ad hoc, non posset illud efficere. Item erat sibi periculum perditionis totius regni, quia cùm totus Israel nunc recessisset à Dauid, si conaretur occidere ipsum Ioab: subito ipse totum populum commouisset in seditionem, cùm Seba unico verbo totum Israel recedere fecerit à Dauid. sup. in litera, & quia ex ista sequeretur valde magnum scandalum, scilicet, perditionis regni, & multorum homicidiorum, volunt Dauid potius differre ad aliud tempus, in quo puniret istud delictum. Quod autem Dauid propter impotentiam corrigendi omiserit corrigere istud delictum patet, quia sic fecit, quando Ioab occidit Abner. Nam dixit: ego autem adhuc delicatus, & unctus rex: porrò viri isti filij Saruiæ duri mihi sunt: idest, ego iam nouiter unctus in regem, & ex hoc non habeo magnam potestatem, & uiri isti filij Saruiæ sunt mihi valde duri, idest, resistentes mihi, & non possum domare eos, ideo subditur ibi, retribuat dominus facienti malitiã iuxta malitiam suam, supra tertio, idest, quia ego non possum

possum eis pœnam imponere pro peccato: oro vt A Deus retribuat eis malum pro malo suo: ideo sola impotentia etiam excusauit hic, quamquam nũc Dauid non locutus fuerit talia verba Ioab qualia locutus est supra 3. Cùm autem obijcitur, quòd Dauid remisit, eo quòd non locutus est hic asperè contra Ioab. Dicendum, quòd non fecit hoc tanquam remittens peccatum, sed vt non suscitaret magnum scandalum, quia si aliquid durum loqueretur, fortè intellexisset Ioab, quòd Dauid habebat animum occidendi eum, & fecisset seditionem.

An sit licitum aliquando remitti alicui pœnam mortis pro aliquo magno bono, quod agit, vel egit prouinciæ, vel regi. Quæst. XXI.

QVAERETVR circa id, quod dictum est hic, scilicet, quòd pro bono, quod fecit Ioab occidendo Sebam remitti poterat ei malum, quod fecit occidendo Amasam: & est dubium, an sit licitum remittere alicui pœnam mortis, ad quam pro crimine obligatus est pro aliquo magno bono, quod fecerit. Respondẽdum, quòd si nos applicemus ad Ioab, vel ad quemlibet alium subditũ alicuius regis, non stat obligatio ad hoc, quòd remittatur crimen per aliquod factum notabile, quia hic non potest fieri recompensatio: nam nihil hic Ioab impendebat ad soluendam obligationem suam ad mortẽ; quia quòd ipse pugnaret fideliter pro Dauid ad occidendum Sebam, erat aliquid ad quod obligabatur Ioab, eo quòd erat seruus Dauid, & dato, quòd nunquam deliquisset, tenebatur fideliter seruire Dauid: ideo per istum actum, ad quem obligatus erat, nõ poterat tollere aliquam aliam obligationem: sic est de omnibus aliis, qui deliquerunt contra principes suos, & dominos: nam dato, q postea eis fideliter seruiant, non merentur remissionẽ pœnæ per hoc, quia etiam si nunquam peccauissent tenerentur semper seruire fideliter. Sed posito alio casu, scilicet, quòd dato, quòd Ioab non satisfaceret per istud opus bonum de malo, quod fecerat, est dicendum an posset ei Dauid ex benignitate sua remittere hanc culpam. Respondendum, quòd aut culpa est contra ipsum regẽ D solum, vtpote si cõmisit crimen læsæ maiestatis quis, vel similia: aut est contra aliquem aliũ. Si primo modo dicendum, quòd rex potest liberè remittere pœnam debitam, siue peccans fecerit ante, vel post aliqđ magnum bonum, siue nullum: quia cùm ipse sit pars licet sibi renunciare iuri suo, quod habet contra delinquentem ad accusandum eum, & inquantum iudex poterit cessare ab executione pœnæ, cùm inquantum pars remiserit. Si autem peccatum non sit contra regem, vel non solùm contra eum, aut est contra communitatem solam, aut contra aliquam personã priuatam. Si enim est contra communitatem, vtpote quia læsit honorem, vel bonum reipublicæ, non lædẽdo specialiter statum alicuius personæ de republica, E si faciat iste, qui peccauit aliquod opus magnificum, quod sit ad honorem magnum reipublicæ, vel vtilitatem aliquam, poterit princeps non requisito consensu alicuius remittere delictum illius, eo quòd ad principem pertinet administrare bona reipub. & ipse est nomine reipub. Si autem delictum sit contra personam aliquam priuatam, si illa consentit fieri remissionem propter aliquod magnum bonum, quod iste egit pro republica: non est dubium, quin remittatur licite: sed isto dissentiente est difficultas, quia cùm bonum, quod iste egit, qui peccauit, sit ad rempublicã, & bonum reipublicæ non est determinatè alicuius priuatorum, non videtur, quòd aliquo modo satisfiat isti pro bono quod factum est reipublicæ, ideo non apparet, quòd princeps, vel tota respublica possit tollere huic actionem suam, sicut huic possidenti aliquid tota respublica non posset illud sine causa auferre, & hoc regulariter. Credendum tamen est, quòd si istud bonum quod delinquens egit reipublicæ sit superexcellens valde, quòd possit princeps, vel tota respublica inuita parte remittere pœnam: velut si ille delinquens liberauit patriam, quæ certissimè erat omnino peritura nisi ipse eam liberasset. Et ratio est, quia in hoc casu non solùm tota respublica, sed etiam ille, contra quem factum est delictum, suscipit liberationem, tenetur ergo vitam pro vita donare. Itẽ, quia in hoc casu respublica habet potestatem super leges: B nam respublica non est propter leges, sed leges propter rempublicam: ideo potius permittendum est perire leges, quàm perire rempublicam: quod intelligo de legibus factis ab homine: quia illæ sunt propter hominem: secus autem de legibus factis à Deo: quia non sunt propter hominem, sed magis homo propter illas, ideo potius debet communitas perire, quã vt aliqua lex Dei infringatur. Item patet hoc ex simili, nam si diceretur tota ciuitas peribit, nisi iste homo remittat mortem patris sui, potest ciuitas compellere illum ad remittendum illam; immo si nollet, posset ciuitas eum occidere: eo quòd quilibet obligatus est se exponere, & sua pro patria, ne pereat, à fortiori autem obligabitur remittere aliquam actionem pro saC lute patriæ. Simile autem est hic, quia cùm tota patria teneatur isti homini ad tantum quantum ipsa valet, cùm ipse defenderit eam, ne omnino periret: potuerit compellere patria istum cui inflicta est offensa, vt remitteret iniuriam. In casu tamen præsenti de Ioab, secus est: quia ipse obligabatur hoc facere quod fecit, & etiam offensa ista non fuit facta soli Dauid, sed toti cognationi Amasæ: ideo non poterat Dauid ex benignitate sua illam remittere.

An Dauid peccauit cessando à punitione Ioab. Quæst. XXII.

QVAERETVR vlterius, an peccauerit Dauid cessando ab inflictione pœnæ propter scandalum: nam dictum est supra, q propter scandalum magnum discessionis regni, & homicidiorum, quæ inde sequi poterãt, cessauit Dauid à punitione Ioab. Aliquis dicet, quòd non licuit, quia vtiliùs scandalum nasci permittitur, quàm veritas relinquatur: vt patet extra de regulis iuris. cap. qui scandalizauerit. Respondendum, quòd Dauid non peccauit cessando à punitione Ioab propter tria. Primò, quia Dauid non cessauit omnino ab illa, sed distulit punitionem ad tempus: nam iussit postea filio suo occidere Ioab sequen. lib. cap. 2. differre autem executionem iuris pro loco, & tempore, vt melius fiant, peccatum non est, sed prudentia. Secundum est, quia Dauid non cessauit solùm propter scandalum: sed magis, quia videbat se impotentem: nam dato, quòd nequaquam curasset de scãdalo, adhuc non potuisset occidere Ioab, quia ille surrexisset contra Dauid cum toto exercitu, quem nondum deposuerat, ideo erat inutile tentare, quod erat impossibile; immo erat stultum cùm sciret se nõ posset proficere, & insuper sequerentur magna scandala, si Dauid hoc attentasset. Tertium est quia illa regula de scandalo intelligitur secundùm triplicem veritatẽ: est enim quędam veritas vitæ, scilicet, quòd quis viuat verè secundùm regulam euangelicam, & dictamen rationis. Secunda veritas est iustitiæ, scilicet, secundùm quam aliquis exequitur contra delinquentes pœnas

deter-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Vtilius esse pmitti scandalũ nasci quam relinquere veritatem.

determinatas a iure diuino, vel positiuo. Tertia veritas est doctrinę, siue disciplinę, per quam ea, quę vera sunt prædicantur. Dicendum autem quòd ista regula intelligitur de veritate vitę, quæ nunquam relinquenda est propter aliquod scandalum: nam non debet quis agere contra regulam euangelicam, etiam si totus mundus scandalizetur, immo etiam si pereat æternaliter. De aliis duabus veritatibus dicendum ꝙ possunt ommitti propter scandalum, sicut patet de veritate iustitiæ: nam interdum pœna totaliter remitti potest propter scandalum si magnum est, quia melius est crimina impunita manere quàm totam ciuitatem destrui: possunt autem à fortiori pœnæ differri, ne sequatur scandalum, vt postea possint infligi sine scandalo. De veritate disciplinæ facilius est, quia si prędicatio interdum scandalizat grauiter, potest cessari ad tempus ab illa, non potest tamen falsum prædicari ad vitandum scandalum, quia istud iam non esset peccare in veritate disciplinæ, sed magis in veritate vitæ: cùm sponte fidem catholicam infringamus: Dauid autem fecit hic contra veritatem iustitiæ propter scandalum, scilicet, differendo executionem iuris: ideo non peccauit.

Quomodo potuit Dauid tunc auferre principatum a Ioab.
Quæst. XXIII.

QVAERETVR vlterius, quomodo Dauid potuit auferre principatum exercitus Ioab, & tradere Amasæ ante hoc: nam videtur quòd non autùs fuisset: nam Dauid mortuo Absalom timuit in tantum verba Ioab quòd coactus est cessare à planctu Absalom, & exire ad loquędum hilariter populo, quamquam non esset hilaris. seq. ca. ideo non apparet quomodo potuerit tollere ei principatum, vel si tunc potuit, non videtur quomodo nunc non potuerit auferre. Respondendum quòd tunc potuit Dauid auferre principatum militiæ Ioab propter duo. Primò quia iam desposuerat exercitum Ioab: nam quando iuit ad bellum tenuit exercitum, postquam autem reuersus est in ciuitatem solutus est exercitus, & iam non manebat potens Ioab ad resistẽdum Dauid, ne auferret ei principatum: contulit autem Dauid principatum Amasæ postquam venit ad eum cum toto Iuda ad Iordanem, ideo poterat leuiter priuari Ioab, quia iam tunc non tenebat exercitũ. Secundum fuit, quia tunc Dauid erat magnæ potentiæ, ita vt posset conferre principatum Amasæ, quia Amasa veniebat cum toto Iuda ad Iordanem, vt colligitur præced. ca. & illa erat maior potestas quam potestas Ioab: nunc autem non erat aliquid istorum. De primo patet, quia Ioab non immediatè deposuit exercitum, iam instructus si aliquid facere vellet Dauid contra eum, sic enim Romani faciebant quando mittebant aliquem ad pugnandum contra hostes: nã antequam rediret in ciuitatem per certam distãtiam debebat deponere exercitum, ne potentia fultus posset seditionem mouere in vrbe, & ista fuit vna de causis belli Iulij Cæsaris & Pompei, quia Senatus iussit Cæsari deponere exercitum, ipse autem timens factionem contra se in vrbe, non deposuit. Secundum non erat hic, quia Dauid non habebat magnam potẽtiam ad deponendum Ioab de principatu, sicut habuerat præsente Amasa cum tota tribu Iuda apud Iordanẽ: ideo non potuit hic priuare Ioab. Cùm autem arguitur, quòd Dauid non anderet ipsi Ioab auferre principatum, quia timuit verba eius præced. cap. Dicendum quia illud fuit, eo quòd Ioab nondum deposuerat principatum, quia adhuc non introiuerat in vrbem cum exercitu, sed manebat exercitus foris. Vnde dixit Ioab ipsi Dauid, iuro per Deum, quòd si non exieris, nec vnus quidem hac nocte remansurus sit tecum: hoc autem quia Ioab tenebat illos adhuc secum, sed postquam ipse deposuit exercitum ingressus in vrbẽ, Dauid fuit potentior, & potuit auferre ei principatum sicut dictum est.

Cur Dauid post hoc non priuauit Ioab principatu.
Quæst. XXIIII.

QVAERETVR vlterius, quare Dauid non priuauit Ioab principatu post hoc, nam licèt nunc non deposuisset exercitum, necesse erat, quòd aliquando deponeret, & tunc Dauid posset priuare Ioab. Respondendum quòd hoc fecit propter duo. Primò quia fortè non potuit, nec habuit opportunitatem ad hoc, eo quòd Ioab tanquam conscius sibi criminis obseruabat se semper ne Dauid posset eum deponere habita opportunitate, & ad hoc videbatur esse ei facultas, quia Ioab, & frater suus Abisai possidebant fere totum principatum domus Dauid, & non poterat faciliter Dauid contra illos. Secundum est propter scandalum, quia dato quòd Dauid potuisset priuare Ioab, priuando eum sequeretur magnum scandalum, ideo vt illud vitaret, noluit priuare eum. Item dici potest quòd hoc fecit, quia non reperiret aliquem, qui esset conuenienter dux belli si priuaret Ioab, eo quòd omnes fuerunt sub potestate sua, & non erat aliquis vir tam industrius, sicut Ioab.

Quare, si Dauid volebat priuare Ioab principatu, eundem & restituit. Quæst. XXV.

QVAERETVR, dato quòd nollet Dauid priuare Ioab principatu, quare restituit ei principatum, quem abstulerat, quia propter pœnam delicti sui nunquam debuisset restitui. Respondendum quòd Dauid non restituit Ioab in principatum, quo eum priuauerat, sed ipse Ioab se restituit inuito Dauid, eo quòd mortuo Amasa, cùm Abisai duxisset exercitum ad bellum, Ioab, qui cum illo iuit, accepit exercitum, sicut prius: & fuit in bello, sicut dux, & quando redijt ad Dauid, redibat vt princeps: vnde Dauid nihil ei restituit, sed ad hoc quòd eum puniret, si punire voluisset, debebat eum priuare principatu, quem sibi vsurpauerat, sed hoc non fecit ex causis assignatis præcedenti quæstione.

An Dauid peccauerit non occidendo Ioab, & postea iubendo Salomoni, quòd occideret illum.
Quæst. XXVI.

QVAERETVR vlterius, an Dauid peccauit nunquam occidendo Ioab, & postea iubendo Salomoni, quòd occideret illum. Dicendum quòd non peccauit, & fortè, quia non potuit, vel quia timuit scandalum: maius enim scandalum sequeretur, si vellet occidere Ioab, quàm si vellet tollere ei principatum, sed non tollebat principatum ei propter scandalum, vt dictum est: ergo minus posset eum occidere sine scandalo. Sed obijcietur, quia Salomon fecit occidi Ioab, & faciliter occisus est, & sine scandalo seq. lib. c. 2. ita ergo potuisset Dauid. Forte potest dici, ꝙ tempore Salomonis fuit facilius, eo quòd tunc Ioab non erat princeps belli, sed persona priuata, & Banaias filius Ioiadæ erat princeps: allega. capit. tempore autem Dauid possidebat Ioab semper principatum, & erat potens ad resistendum, & faciendum scandalum. Secundum erat, quia Ioab erat iam senex, eo quòd ipse occisus est aliquot annis elapsis de regno

de regno Salomonis: nam Ioab occisus est intra sanctuarium tenens cornu altaris. allegat. capit. & tamen non fuit hoc ad minus vsque ad vndecim annos regni Salomonis: nam Salomon cœpit ædificare domum domini anno quarto regni sui, & compleuit eã in septem annis seq. lib. cap. 6. & sic esset iam Ioab senior, & ob hoc minus dispositus ad resistẽdum per se, vel per suos. Tertium fuit quia iam carebat Ioab auxilio, nam frater suus **Abi**sai erat ei medietas vitæ, cùm ipse semper faueret ei ad omnia, & teneret tantam potestatem ferè, vt ipse Ioab, nunc autem Abisai mortuus erat. Dicunt enim illum mortuum fuisse in illa peste magna, quæ accidit sub Dauid, de qua infra vlti. ideo iam non poterat resistere Salomoni, sicut poterat viuente Dauid, & potuit Salomon occidere eum. ꝙ adhuc Abisai iam non viueret, colligitur, quia nunquam fit mentio de illo post hoc. Aliter tamen dici potest, ꝙ Dauid poterat aliquãdo occidere Ioab, tamen noluit. Quod patet, quia viuente Dauid cùm Ioab, & aliqui ex parte sua voluissent instituere Adoniam in regem, & audirent ꝙ Salomon eadem die institutus fuit rex iussu Dauid, omnes fugerunt singuli in viam suã. seq. lib. c. 1. tunc ergo poterat Dauid occidere Ioab cùm timeret, & fugeret: sed videtur ꝙ noluit, eo ꝙ Ioab fuerat semper cum eo in omnibus aduersitatibus suis, iõ compassus est ei, & videbatur quasi iniqua retributio, ꝙ nunc in senectute sua occideret eum, sed commisit Salomoni, ꝙ eum occideret, & ille poterat rationabilius eum occidere, tum quia Ioab fuit aduersarius Salomoni, nam voluit Adoniam constituere regem. sequen. lib. c. 1. etiam quia Ioab non seruierat Salomoni sicut seruierat Dauid, vnde tenebatur ei minus seruare vitam. Quod autem dictum est supra de senectute Ioab, & ꝙ occisus fuerit ad minus anno 1. regni Salomonis, fm quosdam procedit, sed non absolutè, quia altare, quod tetigit Ioab non erat in templo Salomonis, sed in domo quam parauerat Dauid pro Arca. *Ioab autem, & Abisai frater eius persecuti sunt Seba filium Bochri*, ſ. postquam Ioab occidit Amasam, ipse & Abisai frater eius reliquerunt eum, & persecuti sunt Sebam. ſinquirẽtes per diuersa loca, in qua ciuitate maneret. *Interea quidam viri cùm stetissent iuxta cadauer Amasæ.* Occisus fuerat Amasa in via, & qui transibant videbant eum, & loquebantur de illo. *De socijs Ioab*, i. isti qui nunc steterũt apud cadauer erant socij Ioab, idest, milites constituti sub eo, & ob hoc zelabant pro Ioab contra Amasam gaudentes de morte eius. *Dixerunt, ecce qui esse voluit pro Ioab comes Dauid*, idest, ecce iste vir est, qui voluit esse comes Dauid ablato Ioab, quasi dicat, ideo recepit tale præmium. Ex hoc patet ꝙ Amasa non acceperat aliquem principatum specialem alicuius tribus sub Ioab, sed totum principatum Ioab. *Amasa autem conspersus sanguine iacebat in media via.* Erat enim conspersus sanguine fluente de ipso, nam ipse voluebatur in eo, erat etiam in media via, idest, in medio viæ, quia ibi occisus fuerat. *Vidit hoc quòd subsisteret omnis populus ad videndum eum*, idest, quidam vir considerauit quòd omnes venientes subsistebant apud cadauer Amasæ, & per hoc non sequebantur expedite Ioab ad bellum, ideo abstulit cadauer de loco volens quòd omnes expedite sequerentur duces suos. *Amouit Amasam de via in agrum*, scilicet, ne venientes haberent eum obuium. *Operuitque eum vestimento*, scilicet, vt non putarent esse hominem mortuum: nam si manssisset in agro conspersus sanguine, quamquam effet aliqualiter distans à via, videretur à transeuntibus, & diuerterent illuc, opertus autem vestimento non putaretur esse mortuus. *Ne subsisterent transeuntes propter eum*, scilicet, quia ex hoc impediebantur prosequi Abisai, & Ioab euntes ad bellum. *Amoto igitur illo de via*, scilicet, translato illo de via in agrum, & operto veste. *Transibat omnis vir sequens Ioab.* idest, transibat expeditè, quia etiam prius transibant, sed morabantur aliquantulum apud cadauer Amasæ. *Ad persequendum Sebam filium Bochri.* scilicet, ne reciperet se in aliquibus locis valde munitis, vel confortaret sibi auxilia, sicut supra dictum est. *Porro ille transierat per omnes tribus Israel.* Istud potest exponi de Seba, vel de Ioab: si intelligatur de Seba, est sensus quòd iam ille discurrerat per omnes tribus Israel congregando sibi adiutores, & omnes viri iam fauebant ei, & proponebat bellum facere contra Dauid, istud est quòd timebat Dauid, scilicet, ne inueniret Seba aliquas ciuitates munitas, idest, ne conciliaret sibi ciuitates munitas, & viros fortes, & postea non posset expugnari. Vel potest exponi de Ioab, quòd ille transiuit per omnes tribus persequendo Sebam, & non inuenit eum quousque venit in Abelam. Dicitur autem transiuisse per omnes tribus, quia Abela, & Bethmacha sunt in tribu Aser, vt patet Iosue 19. est autem tribus Aser habens sortem quasi in parte maximè septemtrionali terræ Chanaan. Ierusalem autem, de qua nunc ueniebant Ioab, & Abisai erat nimis meridiana in terra Chanaan, scilicet in termino sortis Iudæ, & Beniamin, vt declaratum est Iosue decimo octauo: ideo oportebat, quòd Ioab transiret ferè per omnes tribus Israel cùm ueniret in Abelam, sed primus sensus est melior. *Vsque in Abelam, & Bethmacha*, idest, iam perueuerat ad istas duas urbes, quæ sunt in sorte Asser, & sunt quasi extremæ in terra Israel, vnde nunc Seba erat in Abela, & ibi occisus est. Nicolaus vult quòd Abela sit nomen ciuitatis, & Bethmacha sit nomen regionis, in qua erat Abela. Sed non stat propter duo. Primum, quia dicitur hic, in Abelam, & in Bethmacha, & sic ponuntur ista tanquam diuersa, nunquam tamen ponitur tanquam differens ciuitas à regione, cuius est, sicut non bene dicitur, iste iuit Salamanticam, & in Hispaniam, cum sit Salamantica in Hispania. Secundum est, quia Bethmacha videtur esse nomen vrbis in tribu Asser. Iosue 19. *Omnesque electi congregati fuerant ad eum*, idest, omnes viri electi istarum terrarum congregati fuerãt ad eum, idest, ad Sebam: non quidem eundo cum eo, quia non erant multi cum illo, sed confederando se ei ad pugnandum contra Dauid. In Hebræo habetur, *Omnes putei*. Vbi nos habemus, omnes electi, & est sensus secundùm Hebræos, quòd transiuit Ioab siue iste Seba per omnes tribus vsque Abelam, & Bethmacha, & transiuit per puteos, idest, per quædam loca, quæ erant apud puteos. Litera tamen nostra est conuenientior, quia magis applicatur proposito, & procedit istud ex æquiuocatione, vel uariatione puncti, quia in Hebræo pro electis dicitur Barim, & pro puteis dicitur Berim, & in literis nihil mutatur in utroque nomine, nec superadditur, sed solùm in apicibus, qui non sunt de substantia, eo quòd interdum non ponuntur in litera, & potest indifferenter legi Berim, & Barim, sed accipitur id quod magis conueniens est, & sic accipit litera nostra Barim, idest, electos. *Venerunt itaque*. Hic ponitur secundum, scilicet, Sebæ occisio, & dicitur. *Venerunt itaque & oppugnabant eum in Abela, & Bethmacha*, idest, Ioab & milites sui uenerunt in Abelam, quia cognouerunt ibi nunc esse Sebam: nam discurrebat per omnia loca Israel ad conciliandum illa sibi, & oppugnabant eum in Abela, & Bethmacha, quia forte pars exercitus sui erat in Bethmacha, & pars in Abela: istæ autem ciuitates duæ coniunctæ erant: ipse vero in Abela erat, ideo contra illam specialiter pugnatum est. *Et circumdederunt munitionibus ciuitatem*. Vocantur

Abela cuius nomen est & Bethmacha.

Lyranus refellitur.

munitiones instrumẽta bellica, scilicet, turres ligneæ, vel machinæ, & similia: vt aries, & crater, & testudo, quæ proficiũt ad capiendas vrbes. *Et obsessa est urbs*, i. circundata est à viris Ioab volentibus expugnare eam. *Omnis autem turba, quę erat cum Ioab moliebatur destruere muros*, ideſt, conabatur per munitiones destruere muros, & irrumpere vrbem: dicitur enim moliri, conari, vel cogitare siue operam dare. *Et exclamauit mulier sapiens de ciuitate*. Ista mulier clamauit vocando Ioab, vt loqueretur ei: vocatur autem sapiens, quia sapientia, & eloquentia sua persuasit Ioab ne destrueret vrbem, & persuasit ciuibus tradere Ioab caput Sebæ.

Mulieris cõsilio Ioab destitit destruere ciuitates.

Quę fuerit ista mulier. Quæst. XXVII.

QVAERETVR de ista muliere, quæ fuit. Aliqui respondent, quòd fuit Prophetes. Quod patet, quià ipsa dixit: nonne ego sum, quæ respondeo veritatem in Israel? sed hoc pertinebat ad illam, quæ specialiter cognoscebat veritates, scilicet, per spiritum propheticum, & sciebat respondere omnibus Israelitis, & sic accidebat interdum esse aliquas mulieres prophetissas: sic fuit Anna mater Samuelis, præced. lib. ca. 2, sic etiam Olda vxor Sellum erat prophetes, & rex Iosias misit ad cõsulendum dominum per eam, infra 4. lib. capit. 22. Dicunt etiam Hebræi quòd fuerunt septem prophetissæ, vt commemorat Rab. Dauid Kimhi, de quibus diximus præceden. lib. cap. 25. & de illis fuit vna ista de qua hic. Alij volunt, vt tenet Ra. Sa. quòd ista mulier fuit Sara filia Aser, de qua habetur Gen. 46. & dicunt, quòd ista denunciauit Iacob, quòd viueret Ioseph: licèt non crediderit ei quousque vidit plaustra venientia ex Aegypto, quæ mittebat Ioseph. Gen. 45. dicunt etiam, quòd ista reuelauit Moysi & alijs Israelitis vbi erant ossa Ioseph, quando transferenda erant de Aegypto, & hoc asserunt; quia ista dixit quòd ipsa erat quæ loquebatur veritatem in Israel, ideſt, ipsa locuta fuerat veritatem Iacob, qui vocatur Israel de morte Ioseph. Sed ista sunt ridicula: non est enim verisimile aliquid horum, potissimè quia sequitur quoddam impossibile ex conditione humana, scilicet, quòd ista mulier vixerit quasi septingentis annis. Quod patet: quia si ipsa reuelauit Iacob vitam Ioseph per spiritum propheticum antequam descenderet in Aegyptum: esset tunc annorũ viginti, vel quasi, quia spiritus propheticus non consueuit venire super paruulos, postea autem manserunt Israelitæ in Aegypto ferè ducentis viginti annis, deinde ab exitu de Aegypto vsquequo Salomon cepit construere templum, fluxerunt anni 480. vt patet seq. lib. cap. 6. qui simul iuncti faciunt annos septingentos viginti. Detrahantur autem ab his illi anni, qui fuerunt ab hoc tempore vsq; ad annum constructionis templi Salomonis, quæ fuit quarto anno regni eius. sequen. lib. cap. 4. & essent hi ad plus decem, vel duodecim anni, ideo manebunt septingenti anni, vel quasi de vita istius mulieris, quod non dicitur conuenienter, quia nullus hoc tempore uiuebat vltra octuaginta, vel nonaginta annos, sic patet Ps. 89. Anni nostri sicut aranea meditabuntur, dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni: si autem in potentatibus octuaginta anni, & amplius eorum labor & dolor. Dicendum ergo quòd ista mulier fuit aliqua mulier prudens valde, & eloquens inter alias mulieres eiusdem vrbis: ideo vocabatur sapiens: nam sciuit persuadere hoc, quod nulla mulier eiusdem vrbis sciuerat. *Audite, audite, dicite Ioab, appropinqua huc, & loquar tecum*. Ista omnia loquebatur ista mulier ad exercitum, quia nesciebat quis erat Ioab, vt vocaretur

Prima opinio.

Ra. Sa.

Responsio auct.

& loqueretur ei, erat enim ista mulier super murum, quia non audebat exire de muro, eo quòd erat clausa, & obsessa à viris Ioab. *Qui cum accessisset ad eam*, ideſt, ad mulierem, vel ad vrbem: non enim poterat simpliciter accedere ad eam, eo quòd manebat ipsa intra urbem, sed accessit ad illam plus quam prius, scilicet, præstita securitate, ne de muro tela iacerentur, uel lapides. *Ait illi, tu es Ioab?* ideſt, nunquid tu es? Non enim cognoscebat mulier eum, quia nunquam uiderat: uel fortè erat uelatus armis non confidens de hostibus, & mulier non cognoscebat nultum illius. *Et ille respondit, ego*, ideſt, ego sum: certificando eam, ne ipsa loqueretur in uanum, si fortè ille esset aliquis de turba. *Ad quem sic locuta est, audi sermones ancillę tuæ*. Aliquando accipitur audi, ideſt, exaudi, hic autem solùm accipitur pro audire, uel attendere, scilicet, audi sermones meos, ideſt, attende, ut audias bene, & intelligas illos: quod patet ex responsione Ioab, nam alle dixit audio, ideſt, bene audio: non tamen accipitur audio pro exaudio, quia prius quàm loqueretur mulier non consentiret Ioab petitionibus eius, nesciens quid locutura esset. *Rursumque illa*, ideſt, postquàm Ioab dixit, audio: ipsa subiunxit quæ sequuntur. *Sermo inquit dicebatur in veteri prouerbio*, ideſt, apud antiquos erat quoddam prouerbium, quod sequitur. *Qui interrogant interrogent in Abela*, ideſt, qui habent aliquam quæstionem quærant de illa in Abela. In Hebræo habetur: *Loquentes loquentur, prius quærentes quærent in Abela, & sic finiebant*. Et ad eundem sensum redit, ad quem litera nostra, scilicet, loquentes loquuntur prius, ideſt, antiquitus homines loquebantur: accipitur enim loquentur pro loquebantur, quia in Hebræo sæpe mutantur tempora, & istud est, sermo erat in prouerbio antiquo. Sed circa illud, qui interrogant interrogent in Abela, est diuersitas in modo exponendi, omnes tamen præsupponunt unum, scilicet, quòd ista mulier loquebatur Ioab ista uerba ad hoc quòd liberaret ciuitatem suadendo, q̃ malum erat delere eam. Sed Hebræi, & Nicolaus exponunt, quòd mulier dixerit quòd cùm secundùm legem, quando Israelitæ bellum inferebant alicui genti, quod prius offerrent ei pacem, & si susciperent illam non pugnabant Israelitæ: Deuteron. 20. & ideo debebat seruari in Israelitis lex, quæ seruabatur extraneis, quia non deberent esse minoris conditionis, & tunc applicatur litera. *Sermo dicebatur in prouerbio antiquo*. Ideſt, in lege, quæ vocatur prouerbium antiquum, quia antiqua est. Dicebatur sermo, ideſt, erat quidam sermo scriptus, scilicet, quòd cùm inferetur bellum vrbi, offeretur ei primo pax. Deuteron. 20. *Qui interrogant interrogent in Abela*. Ideſt, illi, qui pugnantes contra alia loca interrogant à viris vrbis, an velint pacem: interrogent in Abela, an velint pacem: ideſt, ita debes offerre pacem istis vrbi, sicut offertur vrbibus extraneorum, quia magis mulierendum est Israelitis, quàm extraneis: quomodo ergo tu vis destruere ciuitatem, non offerendo ei pacem? quasi dicat, malè agis. Aliter exponitur ista litera, scilicet, quòd mulier hæc vellet suadere Ioab, ne deleret vrbem, eo quòd ista ciuitas ab antiquo fuerat magnæ reputationis, & magni consilij, scilicet, quia erant ibi semper viri prudentes, ad quos aliæ vrbes Israel reuertebant pro consilio, ideo locus tantæ probitatis, non erat destruendus, & inducitur litera. Sermo erat in veteri prouerbio, ideſt, ista ciuitas est virorum sapientum, & prudentum, quòd ab antiquo fertur in prouerbium sapiẽtia illius: & est prouerbium: Qui interrogant, interrogent in Abela, ideſt, quando aliqui dubitant, & volunt interrogare de dubio, vadant ad interrogandum in

in Abela, & ibi respondebitur eis. Iste sensus est conuenientior, quàm ille, quem inducebant Iudæi: quod patet ex litera sequenti, scilicet, & sic perficiebant, ideſt, quando ueniebant ad interrogandum in Abela perficiebant interrogationem suam, quia ibi respondebatur eis plenè. Item quia dicitur infra, nonne ego sum, quæ respondeo veritatem in Israel? & refertur ad ciuitatem, scilicet, ista ciuitas est, quæ respondet veritatem in Israel de omnibus dubijs, quia ibi sunt sapientes, qui respondeant. Item dicitur infra: tu quæris euertere matrem in Israel, ideſt, tu vis destruere ciuitatem, quæ est mater omnium ciuitatum, Israel quantum ad sapientiam. Sed manifestum est, quòd ista nõ possunt applicari ad sensum, quem ponunt Hebræi, scilicet, q̃ interrogetur in ciuitatibus pro pace. Nam tunc erit sensus, qui interrogãt in alijs ciuitatibus pro pace, interrogẽt in Abela: sed quod sequitur, scilicet, sic perficiebant, non est ad propositum, sed necessariò debet referri ad alium sensum, scilicet, perficiebãt quæstionem suam, habendo ibi responsionem: alia autem duo allegata significãt excellentiam ipsius vrbis in sapientia, ideo non possunt applicari ad interrogationem, quæ fiebat pro pace. Item litera nostra nullo modo vult hoc: nam cùm mutata sit à litera Hebraica propter maiorem manifestationem, diceretur: sermo dicitur in lege. sed dixit: sermo dicitur in prouerbio antiquo, quod vult inducere ad prouerbia, quæ inter homines feruntur. Item istud, scilicet, qui interrogant interrogent in Abela, est quod dicebatur, siue in prouerbio, siue in alio quodcũque sit illud, de quo hic dicitur: & tamen in lege non dicitur: qui interrogant, interrogent in Abela, sed in prouerbio. Si autem velis dicere, q̃ ibi debebat aliquid suppleri, scilicet, sermo dicebatur, ideſt, sermo dicebatur in lege de offerendo pacem, satis apparet, quòd sit iste sensus distortus, quia in illa lege erat præcipuum fundamentũ mulieris, ideo debebat exprimi illud. Item non stat, quia in Hebræo dicitur, sermo dicebatur prius, si tamen intelligatur de lege, non diceretur dicebatur prius, quia eadem lex nũc manebat, sed diceretur sermo dicitur. Oportet ergo intelligi in sensu, secundo supra posito. *Et sic perficiebant*, scilicet, postquam quærerent de dubio in Abela, habebant responsum, & sic perficiebãt, ideſt, desinebant iam quærere: & tamen dum quærerent in alijs ciuitatibus, nunquam perficiebant, quia nunquam respondebatur eis. *Nonne ego sum, quæ respondeo veritatem Israël?* ideſt, nunquid non sum ego, quæ respondeo veritatem toti Israel, & ueniunt omnes ad interrogandum me? quasi dicat, propter hoc non debet destrui ciuitas, quia ipsa respondet veritatem toti Israel. Aliqui exponunt hoc de muliere, scilicet, ego sum, quæ respondeo veritatem Israel, quia mulier illa erat prophetes, vel sapiens: sed non consonat propter duo. Primò, quia ipsa intẽdit per hoc liberare vrbem, & tamen dato, q̃ ipsa responderet veritatẽ omnibus, non debebat ciuitas liberari, quia si ciuitas rea erat, ipsa mulier poterat duci ad alium locum, vbi responderet, & deleretur ciuitas. Secundò non consonat, quia sup. dicitur: sermo dicebatur in prouerbio veteri, qui interrogant, interrogent in Abela: ergo oportet, q̃ intelligatur de tempore antiquo, antequam mulier ista esset, alias ipsa nõ allegaret, q̃ dicebatur sermo in prouerbio antiquo. Dicendum ergo, q̃ intelligitur de uerbo, quæ ab antiquo respondere solebat omnibus inquirentibus, & erat prouerbium de illa, qui interrogant interrogent in Abela. Et sic est sensus, ego sum, quæ respondeo veritatem Israel. Loquebatur mulier nomine urbis, scilicet, ista vrbs est, quæ respondet de veritate toti Israel. Ex hoc enim Iudæi uoluerunt, q̃ ista mulier esset Sara filia Aser, & respondisset Iacob,

A q̃ uiueret Ioseph, & dicit, ego respondeo veritatẽ Israel, ideſt, ego respondi veritatem ipsi Iacob, qui vocatur Israel, & ista veritas est, q̃ uiueret Ioseph. In Hebræo habetur. *Ego pacificans fideles Israel, uel ego pacifica rum, & fidelium Israel*. Secundùm aliam æquiuocationem. Primò modo est sensus, ego pacificans fideles Israel, scilicet, ergo respondeo fideliter omnibus Israelitis, & per hoc pacifico eos, faciendo q̃ cessent à dubijs suis. secundùm aliam literam est sensus: ego pacificarum, & fidelium Israel, ideſt, ego fui semper de ciuitatibus fidelibus, & pacificis in toto Israel, quia nunquam repugnaui Dauid: sed seruaui fidelitatẽ, & pacem. ideo nõ debes me destruere. Sed primus sensus est melior, & istũ sensum accepit litera nostra, dicens,
B ego sum, qui respondeo veritatem Israel. *Et tu quæris subuertere ciuitatem*, ideſt, vis destruere ciuitatẽ iniustè cùm ipsa sit pacifica, & fidelis. *Et euertere matrem in Israel*, ideſt, vis destruerẽ me, qui sum mater in Israel. Aliqui referunt hoc ad mulierem, dicentes, q̃ ipsa cõquereretur de Ioab, q̃ vellet eã occidere delendo ciuitatem, sed ipsa erat mater in Israel. s. quia respondebat omnibus Israelitis. Sed hoc non stat, quia mulier illa non poterat conqueri de hoc. Nam etiam si Ioab deleret ciuitatẽ, non occideret ipsam mulierẽ, si ipsa diceret se non cõsentire ciuitati: sed intelligitur hoc de ciuitate. s. q̃ diceret mulier, vis euertere matrem in Israel, ideſt, vis destruere istam ciuitatẽ, quæ est mater, quælibet enim ciuitas uocatur mater eorum, qui habitant in ea, & ob hoc incolę eius vocãtur filij. Sic enim
C dicitur, filij Ierusalem, ideſt, habitatores eius. Vel vocatur ista ciuitas mater ī Israel, ideſt, mater respectu omnium Israelitarum, quia ad eam recurrebant pro consilio tanquam ad matrem. *Quare præcipitas hæreditatem domini?* ideſt, male agis deijciendo in terrã aliquam de ciuitatibus Israel, quia oẽs sunt hæreditas domini: vocantur aũt ciuitates Israel hæreditas domini, q̃a Deus firmiter illas possidebat, quia acquisiuerat eas sibi de manu gentiliũ: vnde ipse dixit, terra enim mea est, & uos coloni mei estis. Leu. 25. *Respondensque Ioab ait, absit hoc à me, non præcipito nec demolior*, ideſt, Ioab dixit, q̃ non intendebat destruere ciuitatẽ, nec demoliri eã. s. præcipitãdo turres, & menia in terrã per munitiones quas circumposuerat ciuitati. *Non se sic habet res*, ideſt, non est veritas sicut tu existimas. s. q̃ ego velim destruere ciuitatẽ, quia non ueni ad hoc, sed ad capiendũ Sebam. *Sed homo de monte Ephraim Seba filius Bochri cognomine*, ideſt, solùm quæro Sebam cognomine Bochri, ideſt, qui cognominatur de cognatione Bochri, & iste est de monte Ephraim. s. quia habitat in illo.

D

Seba an sit de monte Ephraim. Quæst. XXVIII.

QVAERETVR, quomodo est uerum, q̃ Seba esset de monte Ephraim, quia dicũtur esse de monte Ephraim illi, qui habitant in sorte Ephraim, sed habitãtes ibi sunt de cognatione Ephraim, ipse aũt Seba erat de cognatione Beniamin: nam uocatur filius Semini. Respondendũ, q̃ Seba erat de stirpe Beniamin, vt patet sup. dicebatur tñ esse de monte Ephraim, q̃a habitabat in aliqua parte montis Ephraim: nã tribus Beniamin, & Ephraim habebant sortes cõiunctas, & aliqua pars mõtis terræ Ephraim tenebatur in sorte filiorũ Beniamin, ideo q̃ erant de tribu Beniamin, poterant dici de monte Ephraim: *Leuauit manum suam contra regem Dauid, tradite illum solum, & recedemus à ciuitate*, ideſt, solũ persequimur Sebã filiũ Bochri, q̃a ipse leuauit manũ ꝰ regem Dauid, ideo date illũ nobis, & recedemus de urbe. *Et ait mulier ad Ioab, ecce caput eius mittetur ad te per murum*. Dixit hoc mulier, non quòd ipsa sciret determinatè,

E

Universidad de Deusto
Biblioteca

minatè, q̃ ciues vellent dare caput Sebæ ipsi Ioab, sed credidit q̃ darent confidens de eloquentia sua, ideo promisit ei tanquam aliquid certum. *Ingressa est ergo ad omnem populum*, Quia fortè totus populus erat in cõsilio quid agerent de statu vrbis cùm Ioab obsedisset illam, & tũc introiuit mulier ad populum in domum consilij. *Et locuta est eis sapienter.* Quid mulier ista dixerit, non habetur, sed credendum est, q̃ locuta fuerit de periculo, in quo erant, quomodo Ioab certissimè præualeret contra vrbem, & q̃ ipsi fouebant causam iniquam, & delerentur omnes, ideo q̃ expediebat illum hominem mori, ne simul tota gens periret. *Qui abscissum caput Sebæ filij Bochri proiecerunt ad Ioab*, scilicet, viri vrbis persuasi verbis mulieris occiderunt Sebam, qui inter eos erat, & proiecerunt caput eius per muros. Nam non ausi sunt aperire portas, eo q̃ timebant ne forte irrumperet exercitus in vrbem, & læderet eam. *Et ille cecinit tuba*, scilicet, postquam Ioab recepit caput Sebæ cecinit buccina, dans signum recedendi à ciuitate. Sic enim fecit sup. 18. Nam mortuo Absalom cecinit buccina, vt omnes recederent de bello. *Et receßerunt ab vrbe vnusquisque in tabernacula sua.* Audito clangore omnes recesserunt, quia postquam dux dabat signum recedendi, nulli licebat pugnare, nam ageret contra disciplinam militarem.

Cur occiso Seba Ioab non egit amplius bellum.
Quæst. XXIX.

QVAERETVR, quomodo Ioab occiso solo Seba recessit de vrbe iam non agens bellum. Nam non solùm Seba surrexerat contra Dauid, sed etiam omnes Israelitæ secuti fuerant eum. Respondendum q̃ Seba incitauerat omnes, & eo moriente credebatur quòd omnes cessarent tanquam non habentes ducẽ; ideo satis fuit ipsum occidi. Sic etiam fecit Ioab in bello contra Absalonem, nam mortuo eo iussit Ioab omnes cessare à bello, & permiserunt Israelitas liberos recedere in domos suas, supra 18. Sed adhuc dicendum, quòd dato quòd Ioab cognosceret certissimè Israelitas promptos esse ad repugnãdum Dauid, & non rediisse ad eum propter mortem Sebæ: non expediebat, quòd moueret bellum contra totum Israel, sed solùm contra principem eorum, & cùm nũc nullum principem haberent, non debebat Ioab pugnare, cùm autem haberent principem, sicut nunc habebant Sebam, pugnare debebat. Ratio est, quia Israelitæ nunquam repugnarent Dauid, nisi haberẽt principem, alioquin dato quòd omnes Israelitæ mortis rei essent recedendo a Dauid, non debebat eis infligi mors: quia multitudini parcendum est: nam aliàs magis noceret sibi Dauid non relinquendo sibi subditos. In multitudine autem non debet attendi ad punitionem peccatorum, sed debet adhiberi cautela, ne peccet, & etiam si multotiens peccauerit, non debet tota deleri, nisi sit parua communitas respectu alicuius principis magni, & maius nocumentum ei inferat sæpe repugnando quàm vtilitatis afferret seruiendo.

An pax esset omnibus ciuitatibus offerenda.
Quæst. XXX.

QVAERETVR vlterius, cùm dictum sit supra q̃ mulier ista diceret debere peti, & offerri pax ciuitatibus Israelitarum, sicut offerebatur ciuitatibus alienigenarum, an verum sit hoc. Respondendum est, quòd illa lex de offerendo pacem, non posita est directè pro ciuitatibus, quæ erant in terra Israel, sed pro illis, quæ longe: vt patet Deute. 20. scilicet: Sic facies omnibus ciuitatibus, quæ a te procul valde sunt, & nõ sunt de his vrbibus, quas in possessione accepturus es: de his autem ciuitatibus, quæ dabuntur tibi, nullum omnino permittas viuere. Istud tamen intelligitur de ciuitatibus, quæ erant in terra Chanaan antequam efficerentur Israelitarum, scilicet, quando possidebantur à Chananæis: sed postquam tenebantur ab Israelitis, non stabat ista lex si pugnaret ꝺ illos. Sed adhuc non stat ista lex in Israelitis, quia dicitur in ea, q̃ si oblata pace susciperent eã, deberent seruire sub tributo, & tamen hoc manifestũ est, quòd non fiebat, quia si libenter aperirent portas nulla pœna imponenda erat, sicut nunc dato capite Sebæ non fuit posita aliqua pœna habitantibus in Abela. Item non stat, quia si pugnaret princeps Israel ꝺ aliquam de ciuitatibus suis non poterat ei imponere istam pœnam, s. tributi, quia omnes vrbes Israel erant tributariæ ipsi regi, etiam si nunquam pugnarent ꝺ eum, vt colligitur præce. lib. c. 17. cùm dr̃, q̃ quicunq; pugnaret contra Philisthæum, & præualeret consequeretur immunitatem à tributis pro se, & domo patris sui, ergo videtur, q̃ omnes domus Israelitarum erant subiectę tributis, & sic non poterat imponi alicui vrbi in pœnam q̃ esset tributaria. Item non poterat ista lex seruari in Israelitis generaliter, quia interdum pugnabatur contra aliquam vrbem, & quamquam ipsa vellet pacem, & aperiret portas non suscipiebatur in seruitutem, sed omnes occidendi erant gladio siue homines, siue iumenta, & tota ciuitas cremanda erat: sicut fiebat ciuitati, in qua erãt idolatræ, vt patet Deuteron. 13. Dicendum ergo q̃ illa lex de offerenda pace non erat data pro Israelitis, sed pro extraneis: ideo nisi dus ex illa obligabatur offerre pacem vrbi, ꝺ quam pugnaret, sed consideranda erat qualitas criminis, propter quod bellum indicebatur: quia q̃n poterat sine bello, & occisione procurari pax, tenebantur Israelitæ non agere bellum, quia fratres erant. Alia autem erant, in quibus criminis qualitas exigebat nullam haberi pacem, sicut est in idolatria, vt dictum est. Ioab ergo non obligabatur habitatoribus vrbis Abela ex conditione illius legis, sed quia non peccauerant, sed solùm erat apud eos Seba, qui peccauerat, debebat admonere eos q̃ traderent Sebam, alioquin vrbs obsideretur, & destrueretur. *Ioab autem reuersus est in Ierusalem ad regẽ*, scilicet, ablata obsidione vrbis, & recedentibus singulis in tabernacula sua, ipse Ioab iuit in Ierusalem ad regem ferens secum exercitum, nam non deposuit illum, vt supra dictum est, ne posset Dauid punire eã vel ammouere principatum. Et si dicatur, quòd hic dicitur, scilicet, receſſerunt ab vrbe vnusquisque in tabernacula sua. Dicendum quòd istud intelligitur de illa parte exercitus, quæ non erat de seruis Dauid manentibus cum eo in Ierusalem, sed de illis, qui nũc vocati fuerant ad bellum, omnes autem alios secum duxit Ioab in Ierusalem. *Fuit ergo Ioab.* Hic ponitur terminus scilicet, regni Dauid ordinatio, & nominantur seruatores eius præcipui, scilicet, officiales domus sue.

Cur nominantur iterum officiales Dauid.
Quæst. XXXI.

QVAERETVR, quare hic nominantur illi officiales Dauid, cùm iam nominati fuerint supra octauo. Respondendum, quòd fuit propter tria. Primò ad certificandum de aliquibus dubijs. Nam cùm supra fuisset ducatus militiæ traditus Amasæ priuato Ioab, esset nunc dubium mortuo Amasa quis esset dux, ideo dicitur, q̃ fuit dux Ioab. Secundum fuit ad addendum, quia aliqua ponuntur hic, quæ non fuerunt supra octauo nam dicitur quòd Ira Iairithes erat sacerdos Dauid. Tertium est propter varietatem temporum, quia omnia tempora præcedentia ex capitulo 11. fuerunt Dauid laboriosa. Nam tolerauit multas aduersitates, nunc autem incipit aliud tempus, in quo fuit Dauid quasi quietus, quia iam non insurrexerunt mala domestica contra ipsum: ideo sicut ante aduersitatem omnes officiales sui nominati sunt, supra 8. ita hic finita aduersitate iterum fuerunt nominati. Quartum potest esse propter magnitudinem temporis: quia inter ea, quæ habentur hic, & supra 8. interciderunt aliquot anni, in quibus poterant mutari vel mori officiales Dauid: ideo vt sciatur qui nunc erant, fuerunt hic iterum repetiti. *Fuit ergo Ioab super omnem exercitum Israel*, ideſt, fuit dux totius exercitus duodecim tribuum, & ad ipsum pertinebat congregare, & dissoluere exercitum, & principari in bello. *Banaias autem filius Ioiadæ super Cerethęos, & Phelethæos.* Iste erat alius principatus specialis, scilicet, super Cerethi, & Phelethi, qui erant balistarij, & fundibularij Dauid, vel aliæ legiones pugnatorum, semper manentes cum Dauid, & horum cura pertinebat ad Banaiam, sed adhuc iste erat sub manu Ioab principis belli: erat enim Banaias vir fortis, vnus de fortibus Dauid, vt patet infra 23. & erat quasi de prẽcipuis Erat pater suus vir magnorum operum de vrbe Capseel. eo. cap. Erat autem de tribu Iudã, quia ista ciuitas erat in sorte Iudæ. Iosue 15. huic autem commissa est militia tota tempore Salomonis sequen. lib. cap. 2. & iste occidit Ioab apud altare. eo. c. ipse quoque occidit duos leones in terra Moab, & percussit leonem in cisterna in diebus niuis, & fecit eum Dauid secretarium suum, infra 23. *Aduram vero super tributa.* Istud additur hic. Nam supra octauo, vbi ponuntur principes domus Dauid, non ponitur Aduram tãquam colligens tributa: sic etiam vocatus est ille, quem Roboam præposuit tributis, & misit ad colligendum illa in terram Israel facta diuisione regni, & lapidatus est ab Israelitis, sequen. lib. capit. 12. *Porro Iosaphat filius Ahilud à commentarijs*, ideſt, iste erat relator causarum tempore Dauid, vt declaratum est supra octauo, & tempore Salomonis etiam fuit à commentarijs, sequenti libro capitulo quarto, vbi ponuntur officiales Salomonis. *Sadoc verò, & Abiathar Sacerdotes*, ideſt, erant Sacerdotes magni: nam de Sacerdotibus minoribus non fit hic mentio, cùm illi valde multi essent, & erant ambo isti Sacerdotes magni tempore Dauid, & non fuerunt postea duo Sacerdotes simul sed vnicus, & ante hos etiam semper fuit Sacerdos vnicus. Causa autem quare tunc fuerunt duo summi Sacerdotes cùm deberet esse vnus, declarata est supra octauo, quæstio. vigesima, & vigesima prima, & vigesima secunda: aliqui enim putant, quòd ante Dauid semper fuerunt Sacerdotes magni singulares, ideſt, semper erat vnus, sed post Dauid fuerunt semper duo Sacerdotes simul magni: sed errant, nam solus erat vnus summus Sacerdos nisi tempore Dauid quando duo facti sunt. *Seba autem scriba*, ideſt, Seba fuit scriba Dauid. Non fuit iste Seba, qui erat seruus Miphiboseth, nec etiam ille, qui surrexit contra Dauid, sed alius, quia multi sic vocabantur. Sed obijcietur, quia supra octauo dicitur, quòd Saraias erat scriba. Respondeti potest quòd Saraias, & Seba sunt nomina eiusdem viri, qui erat binomius, sicut interdum aliqui sunt binomij, & quadrinomij. Aliter potest dici quòd à principio fuit Saraias scriba, & postea factus est Seba scriba. *Ira autem Iairithes erat Sacerdos Dauid.* Iste etiam additur hic, nam supra 8. non ponebatur.

An Ira Sacerdos Dauid esset magnus, vel minor.
Quæst. XXXII.

QVAERETVR, qũo ponitur hic Ira, vt Sacerdos Dauid, quia aut erat Sacerdos magnus, aut minor: non põt dici, q̃ esset magnus, quia soli duo, s. Sadoc, & Abiathar erant Sacerdotes magni, s. Sadoc super filios Eleazar, & Abiathar super filios Ithamar. 1. Paralip. 24. Etiam non potest dici, quòd esset Sacerdos minor, quia de istis valde multi erant, ideo non magis poneretur Ira, quam aliqui alij. Respondent quidam, q̃ Ira non erat Sacerdos, sed offerebat munera: sicut enim Domini magni habent aliquos ministros, qui vocantur eleemosynarij, & per eos dispensantur omnes eleemosynæ dominorum: ita Dauid habebat quendam virum, per quem dispensarentur omnia sacrificia sua, ideſt, quòd haberet curam de omnibus animalibus, quę debebat offerre Dauid, & de omnibus libamentis eorum pro singulis temporibus, & iste vocabatur Sacerdos, quia habebat curam de sacrificiis, quæ offerebantur per sacerdotes, & iste erat Ira Iairithes. Alij dicunt, quod Ira erat Sacerdos specialis Dauid, scilicet, quia ei dabat Dauid omnia sacrificia sua, vt ille offerret ea domino. Dicunt etiam, quòd Iairithes non est nomen regionis, sed significat illuminatorem, quia nomen istud in Hebræo potest significare lumen, & illuminatorem, & sic volunt, quòd iste esset incensor lucernarum sanctuarij, & dicunt etiam, quòd erat de Thecua, quia ibi erat oleum oliuarum. Sed istud nihil est, nec indiget reprobatione, quia nullum habet fundamentum. Dicendum ergo, quòd Ira erat Iairithes sic nominatus à quadam ciuitate, de qua erat, & iste erat Sacerdos Dauid, scilicet, Sacerdos minor. Nominatur tamen hic, quia erat specialiter Sacerdos Dauid, nam sicut dñi magni habent capellanos à quibus specialiter audiunt missam, & quãquam habeant sub se episcopos, vel alios prælatos, illi non dicunt eis missam, nisi rarò: ita Dauid specialiter afficiebatur ad Iram Iairithem, quia fortè erat vir sanctæ conuersationis, & per eum offerebat omnia sacrificia sua: ideo nominabatur specialiter Sacerdos Dauid tanquam ip se solus haberet officium sacrificandi coram Dauid. Sadoc autẽ, & Abiathar nominantur hic Sacerdotes: non quidem Dauid, sed absolutè. s. quia habebant dignitatem summi Sacerdotij, quod erat magnus principatus. De Ira autem non dr̃, q̃ erat Sacerdos simpliciter, sed q̃ erat Sacerdos Dauid. Alij autem volunt q̃ Ira non erat Sacerdos, sed princeps in domo Dauid, & vocatur Sacerdos, i. princeps: sic. n. dr̃ supr. 8. q̃ filij Dauid erant Sacerdotes: & tamẽ manifestum est, q̃ ipsi non erant Sacerdotes, cùm de hac tribu nullus esset Sacerdos, sed erant principes magni, sic patet 1. Paralip. 18. s. porrò filij Dauid primi ad manum regis, i. erant principes primi ꝺiuncti regi, sed iste sensus non est conueniens, quia tunc Ira esset maior omnibus de domo Dauid, & haberet locum filiorum regis, sed accipiendum est, vt diximus immediatè, scilicet, q̃ esset Sacerdos. Si tamen aliquis velit dicere q̃ erat princeps magnus, sicut filij regis, non resistimus ei. Simile enim habetur 1. Paralip. 27. scilicet, Onathan patruus Dauid consiliarius vir prudens, & literatus ipse, & Iahiel filius Achamon erant cum filijs regis, ideſt, erant principes sicut illi. Sciendum est quòd hic non ponuntur omnia officia domus Dauid, nam ipse habebat per singulos menses singulos ministros, qui aderant, & seruiebant ei: & sicut erant duodecim menses, ita erant duodecim tribus, & de qualibet erat vno mense vnus princeps cum 24. millibus virorum de tribu sua, & astabat Dauid, quarum nomina per

Universidad de Deusto
Biblioteca

singulos menses ponuntur 1. Paralip. 27. alia quoque officia minuta erant in domo Dauid, quæ omnia ponuntur, eod. cap.

CAP. XXI.

EACTA est quoque fames in diebus Dauid tribus annis iugiter: & consuluit Dauid oraculum Domini: dixitq; Dominus: Propter Saul, & domum eius sanguinum, quia occidit Gabaonitas. Vocatis ergo Gabaonitis, rex dixit ad
Iosue 9. eos: Porro Gabaonitæ non erant de filijs Israel, sed reliquiæ Amorrhæorum,)

DICTO in præcedentibus de peccato Dauid per luxuriam. Hic agitur de peccato eius per negligentiam, scilicet, quia
De negligẽtia Dauid. propter negligentiam ipsius venit fames super populum. Et diuiditur in duo, quia primò ponitur factum: secundò narratur quadruplex bellum, ibi. *Factum est autem rursum.* Prima in duas, quia primò ponitur punitio populi: secundò pœna delicti, ibi. *Vocatis ergo.*

An ordo continuus sit. Quæst. I.

QVAERETVR circa primum, an ea, quæ habentur hic, habeant ordinem continuatum ad præcedentia, & an facta fuerint immediatè post præcedentia. Respondendum est, quòd non patet ordo: nam hic non ponitur aliqua historia continuata, sed ponitur duplex historia: vna de fame, & alia de bellis. Quantum ad illam partem de bellis dicendum, quòd non est continuata totaliter præcedẽtibus, eo quòd ibi ponitur bellum, in quo Dauid occidit Goliath Gethæum, & tamen istud bellum fuit antequam Dauid esset rex tempore Saulis. præceden. lib. cap. 17. Ideo dicendum quòd in illa parte nihil ponitur nisi quædam recollectio bellorum, quæ facta sunt diuersis temporibus Dauid. Quantum ad primam partem de fame, non apparet an fuerit facta immediate post præcedentia, vel ante. Sed aliquis dicet, quòd fuit factum post, quia nunquam recedere debemus ab ordine, quem ponit scriptura, nisi per aliquam causam apparentem. Hic tamen non apparet aliqua ratio ordinis commutati, ideo videtur dicendum quòd fuerit ordo continuus. Huic rationi assentio, & tamen aliquid est propter quod possimus suspicari contrarium, quia Dauid peccauit per luxuriam, supra 11. & postea secutæ sunt variæ punitiones eius vsque hue, quod fuit in multis annis, ideo fortè hoc tempore medio accidit fames ista: tamen scriptura non posuit illam, ne diuideret historiam de punitione Dauid pro peccato luxuriæ. Multotiens autem scriptura tollit ordinem naturalem permutando illum, vt seruet ordinem artificialem, quia tamen non apparet hic, an fuerit facta aliqua mutatio ordinis, potius dicendum est quòd non fuit, sed quòd est ordo rectus. Cùm autem quæritur an ista fuerint facta immediatè post præcedentia, Dicendum ꝙ non potest apparere, quia cùm nõ constet, an ista sint post præcedentia, minus constabit, an sint immediatè post illa, vel magno tempore. Sed adhuc dato, quòd concedamus ista fuisse post illa, non apparet an immediatè, vel aliquanto tempore interiecto acciderint, *Facta quoque est fames in diebus Dauid*, quasi dicat, dato quòd fames non pertinuerit directè ad punitionem peccatorum Dauid, tamen in diebus eius facta est.

Quare fames ista facta est. Quæst. II.

QVAERETVR, quare accidit ista fames, Respondet Rab. Salo. quòd ponitur hic de ista fame, quia ponitur supra de Hira Iorathita Sacerdote Dauid, & dicit quòd quando, cumque aliquis dat omnia munera sua vni Sacerdoti inducit famem super orbem. Sic etiam recitat Rab. Dauid Kimhi. Et quia Dauid dabat omnia munera sua, scilicet, Hiræ Ioratithæ, qui vocatur Sacerdos Dauid. præceden. cap. induxit Deus famem. Sed ista responsio est stulta, quia in litera ponitur contrarium, scilicet, quòd venit fames propter domum Saulis, quia occiderat Gabaonitas. Etiam quia Deus proprius est terræ quando occisi sunt filij Saulis. Si tamen fuisset peccatum in Sacerdote Dauid, scilicet, quia ei soli dabantur munera, non fuisset ablata pœna propter mortem filiorum Saulis. Item non est rationabile quod dicunt, quia dato, quòd aliquis det eidem Sacerdoti omnia munera sua, si ille Sacerdos bonus est, nihil peccat, quia non facit iniuriam alijs cùm non tenetur eis aliquid dare. In muneribus autem necessarijs secus est, quia ibi præiudicaret Dauid omnibus Sacerdotibus, si daret ea vni, ideo nihil est hoc. *Tribus annis iugiter*, ideſt, fames ista durauit per tres annos cõtinuos, scilicet, quia nunquam cessauit.

Dauid quare non consuluit per tres annos Dominum super fame. Quæst. III.

QVAERETVR, quomodo per istos tres annos durabat fames, & Dauid non consulebat dominum. Respondet Ra. Sa. quòd in primo anno non curauit consulere dominum, quia putauit ꝙ veniret casu, sicut dixerũt augures Philisthinorum, & Sacerdotes: ꝙ si boues ascenderent directè per viam Israel, Deus percusserat Israelitas; sin autem, casu acciderat. præc. li. c. 6. Ita ergo hic poterat accidere fames sine aliqua causa, & Deo non faciente. Item secundo anno putauit factum fuisse propter idolum Michæ: de quo habetur Iud. 17. In tertio autem anno putauit iam quòd propter seipsum accidebat, ideo consuluit dominum. Sed ista non stant. De primo patet, quia nunquam aliquid euenit casu, scilicet, ꝙ aliqua pœna infligatur hominibus sine causa, & ꝙ illa non sit a Deo: necesse est enim omnes pœnas nobis inflictas à Deo euenire, & etiam propter aliquam causam, quia nihil potest esse factum per accidens, vel fortuna, vt probat Boe. de ꝓso. li. 5. prosa 1. Citaliter à fortuna, vt probat Boe. de ꝓso. li. 5. prosa 1. Cũ autẽ cõfirmant auctoritate sacerdotũ Philisthinorũ, ibi. Illud nihil est, quia Philisthini erant ignorantes circa diuinam prouidentiam, & putabant aliquid posse euenire Deo non agente, sed a casu: falsum tamen est, quia non solùm continetur auctoritate scripturæ, sed etiam ratione naturali, vt probat Boe. vbi supra. Secundum non stat de idolo Michæ, quia tunc oportebat, ꝙ adhuc idolum illud maneret; sed hoc falsum est, quia à multis diebus ante hoc ablatũ fuerat: vult tamẽ Nicolaus, quòd illo anno secundo Dauid abstulerit illud, & non cessauerit fames. Sed non stat, quia solum mansit istud idolum Michæ in tribu Dan quamdiu mansit tabernaculum Domini in Silo: vt patet Iudic. 18. ſ. mansitque apud eos Idolum Michæ omni tẽpore, quo fuit domus Dei in Silo: sed manifestum est, ꝙ nunc non erat tabernaculũ domini in Silo, quia moriente Heli summo Sacerdote perijt arca de Silo, quia capta est à Philisthinis, li. præce. c. 4. & tabernaculum pauco tempore post inde ablatum est: nam tempore Saulis tabernaculum erat in Nobe: nam ibi occidit Sacerdotes Saul, præced. lib. cap. 22. ideo non erat iam Michę Idolum in terra Israel. Ra. Cahad Iagaon dixit, quòd non quæsiuit Dauid vsque ad tertium annum, quia primo anno putauit esse istud pro idolatria in toto populo: nam quando totus populus declinabat ad Idola, Deus auferebat pluuias, & inducebat famem. Deut. 11. ſ. Cauete, ne fortè decipiatur cor vestrum, & recedatis à domino, seruiatisq; dijs alienis, & adoretis eos: iratusque dominus claudat cœlum, & pluuiæ nõ descendant, nec terra det germen suum, & pereatis velociter de terra. idolatriam autem manifestam, vel communem, si aliqua erat, abstulit Dauid de terra. In secundo anno putauit, ꝙ veniebat hoc propter aliquã specialem idolatriam occultam, & tũc super illos, qui idolatrarent veniret, iuxta illud Amos. 4. ſ. cùm adhuc tres menses superessent vsque ad messem, & plui super ciuitatem vnam, & super ciuitatem alteram non pluit. In tertio anno putauit Dauid, ꝙ ista veniebãt ꝓp ſe, & ideo consuluit dominum. Sed etiam hoc non stat. De primo patet, quia cùm Dauid esset vir deicola, non auderent Israelitæ publicè in diebus eius Idola colere: ideo non putaret ipse ꝙ propter communẽ idolatriam aliqua pœna veniebat, quia nulla talis idolatria erat. Item non stat secundum, quia quando peccatum est occultũ, Deus nõ infert pœnam toti populo, p illo, sed illis, apud quos frequentatur peccatum: erat tamẽ fames generalis ĩ tota terra Israel: & auctoritas Amos inducta probat contrarium, scilicet, pluit super ciuitatẽ vnam, & super ciuitatem alteram non pluit, & tamen nunc erat generalis fames. Dicendum ergo, quòd nõ omisit Dauid consulere dominũ in duobus annis primis pro hac causa, sed fortè consuluit, & Deus nõ respondit ꝓp aliquod peccatum, sicut Sauli quærenti à domino non respondit propter peccatum Ionathæ. præc. li. c. 14. Iterũ etiam Deus noluit respondere Sauli per somnia nec Sacerdotes, nec prophetas, præc. li. c. 28. & sic fortè propter aliquod peccatum populi, vel Dauid Deus non respondit in duobus annis. Vel aliter dici potest, quòd non quæsiuit Dauid in illis, eo quòd Deus inclinauit eum ad non quærendum, vt populus pateretur famem his tribus annis: quia fortè Deus disposuerat punire populum fame his tribus annis, & si in principio quæsitum fuisset cur hoc eueniebat, respondisset Deus, ꝙ veniebat propter Saulẽ, & occisis filijs eius cessaret, & sic non puniuisset Deus Israelitas tempore, quo disposuerat. *Et consuluit Dauid oraculum Domini*, ideſt, petiuit responsum à Deo. In Hebræo habetur. *Quæsiuit faciem Domini.* Sed idem est, quia quãdo Deus alicui respõdebat, dicebatur esse corã facie eius.

Dauid quomodo consuluit oraculum. Quæst. IIII.

QVAERETVR, quomodo Dauid consuluit oraculum. Respondendum, ꝙ poterat cõsulere per summos Sacerdotes, qui in rationali inquirerent ei veritatem, vel poterat per prophetas, qui per orationem haberent à Deo respõsum. De modis autem consulendi Dominũ declaratũ est ꝓc. li. c. 8. & 9. Sed adhuc dicetur, ꝙ poterat ꝓsulere Dominum per somnia, nã sic dr præc. li. c. 28. ꝙ Deus non respõdit Sauli per somnia, nec per prophetas, nec per Sacerdotes, ergo vr ꝙ quidã modus respondendi erat ꝓ somnia. Dicendum ꝙ Deus poterat rndere per somnia, quòd tamen homo exponeret se ad hoc, ꝙ Deus responderet ei per somnia, erat quædam superstitio, & peccatum, vt declaratum est alleg. c. ideo Dauid cùm esset vir deicola, non uteretur superstitione, sed modis licitis.

An consuluerit Dauid dominum per sacerdotes, vel per prophetas. Quæst. V.

QVAERETVR, quem ergo modũ Dauid habuit de his duobus, scilicet, per sacerdotes, vel per prophetas. Dicendum, quòd licèt nõ constet, putandum est, quòd consuluerit Dauid dominum per sacerdotes, quod patet ex duobus. Primum quia Dauid semper erat consuetus consulere Dominum per sacerdotem, sic enim patet præced. lib. c. 23. vbi consuluit bis dominũ per Abiathar. Iterum etiam eo. li. c. 30. consuluit per eundem Abiathar. Per prophetas autem rarò inquirebat: nam non legitur inquisiuisse, nisi semel per prophetã Natham, & illa vice errauit Natham, quia non locutus fuit, vt à Deo inspiratus, sed sensu humano, vt patet supra 7. ideo sequenti die correxit dictum suum. Secundum est, quia dicitur hic in Hebræo, quæsiuit faciẽ domini, sed propriè inquirebant dominum, qui uolebant responsum per sacerdotem præsente rationali: nam ibi magis significabatur præsentia Dei, quàm aliter. Tertium potest addi, scilicet, quia non est modus ita conueniens ad inquirendum per prophetas, sicut per sacerdotes, quia sacerdotes illico habebant responsum, nisi Deus iratus esset, & respondere nollet. In prophetis autem secus erat, quia licèt essent uiri boni, & Deus non esset iratus: interdum non respondebat eis illico, sed expectabant per aliquot dies: sic enim fuit de Ieremia, qui petiuit à Domino, an deberẽt descendere Israelitæ in Aegyptum, nam insistens orationibus, & ieiunijs habuit responsum post decẽ dies: Iere. 42. sic etiam fuit de Daniele: nam ipse interdum erat multis diebus ieiunans, scilicet, tribus hebdomadis, vt haberet responsum à Deo de quadam visione, sic patet Daniel. 10. Ideo facilior modus inquirendi erat per sacerdotes, & istum communiter tenebat Dauid.

Cur orta est fames temporibus Dauid. Quæst. VI.

QVAERETVR vlterius de ista fame, cùm non euenisset propter peccatum Dauid, cur euenit in diebus suis, quia sic indirectè puniebatur ipse. Respondendum, ꝙ aliquo modo fuit culpa Dauid circa hoc. Pro quo sciendum, quòd Iosue, & principes Israelitarum decepti à Gabaonitis cùm deberent eos occidere, acceperunt illos in seruos pro sanctuario ad scindendum ligna, & portandum aquas, & non occiderunt illos propter iuramentum, quod præstiterunt. De quo Iosue 9. Ad hoc autem iuramentum tenebantur omnes posteri, eo quòd totns Israel fecit illud coram Domino, & acquisitum est quoddam ius Deo ex illo, scilicet, quia habebat seruos sanctuarij. Saul autem præuaricatus est iuramentum istud occidendo plurimos de Gabaonitis, & quia peccatum istud erat notorium, & Gabaonitæ uolentes habere iustitiæ complementũ, non potuerũt: Deus immisit famem. Erat autem magna culpa Dauid in hoc, quia ad eum pertinebat punire delicta notoria, & quia istud notorium erat, & non puniuit illud. tenebatur de negligentia, vnde postea fuit coactus satisfacere petitioni Gabaonitarum inflicta fame.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Cum Dauid peccaret nolens prouidere de iustitia Gabaonitis, cur non fuit inflicta ei aliqua pœna. Quæst. VII.

QVAERETVR vlterius, cũ Dauid in hoc peccaret directè, scilicet, nolens prouidere de iustitia Gabaonitis: cur non fuit inflicta ei aliqua pœna specialiter. Nam iudex nimis delinquit quando non vult prouidere de iustitia petentibus, & hoc erat magnũ peccatũ, potissimè in iudice summo, qui multos per iniuriam sic grauaret, ideo debebat sibi infligi pœna specialiter, & non populo. Respondendum ꝙ Gabaonitæ nunquam petierant à Dauid ꝙ faceret eis iustitiã de semine Saulis pro malo quod passi fuerant, quia si petiuissent, & noluisset prouidere eis Dauid, ipse faciebat litem suam, & conuertebat in se totam culpam Saulis. Quod autẽ non petiuissent Gabaonitæ de hoc iustitiam, patet: nam si petiuissent, & Dauid noluisset satisfacere eis, iam sciret, ꝙ illud erat peccatũ graue, & propter illud fames ueniebat, nesciuit tamen in tribus annis cur ueniret fames, ergo non petiuerant aliquid ab eo Gabaonitæ. Item Gabaonitæ non ausi fuissent petere vindictam contra Saulem, quia credebãt, ꝙ cùm ipsi essent alienigenæ, & serui Hebræorum, si peterent vindictam contra posteros Saulis, qui erant de semine regio, ꝙ totus Israel subuerteret eos: ideo non petebant, sed intra se clamabant ad dominum. Dauid autem sciebat istud, scilicet, ꝙ illi non auderẽt petere satisfactionem, ideo cùm ipse esset iudex, debebat ex officio suo illis prouidere dando locum ne timerent petere: & quia circa hoc fuit negligens, fuit fames inflicta tempore suo super eum, & alios: si tamen ipse negauisse iustitiæ complementum Gabaonitis, quia istud fuisset speciale peccatum suum, data fuisset pœna ei præter pœnam cõmunem, quę erat in fame.

An puniuit Deus totum populum propter peccatum Saulis, Quæst. VIII.

QVAERETVR vlterius, quare Deus infligebat famem toti populo pro malo quod fecerat Saul, cùm ipsi in hoc essent innocentes. Respondeti potest, ꝙ Saul occidit Gabaonitas, & tamen totus populus cõsensit ei in hoc, & quia hoc erat manifestè malum, puniuit Deus populum sicut semen Saulis. Consensit autem populus Sauli fortè vt placeret ei, & tamen tenebatur resistere, quia notoriè erat malum, & tunc cessasset Saul: sic enim fuit, quando iurauit Saul, ꝙ occideret Ionathan, & tamen populus non permisit. præced. lib. ca. 14. Aliter potest dici, ꝙ ista pœna inflicta est populo quamquam non consenserit Sauli occidenti Gabaonitas, quia postea non vindicauit iniuriam illorum: nam mortuo Saule cùm esset notorium toti populo malum quod pertulerant Gabaonitæ à Saule, debebant prouidere eis de remedio, quia fortè ipsi sciebant, ꝙ propter timorem eorum Gabaonitæ non petebant satisfactionem, vel fortè populus incusserat eis timorem, ne peterent, alioquin occiderentur, & tunc populus esset nimis reus. Vel aliter, fortè populus non peccauerat in malo quod passi sunt Gabaonitæ, tamen Deus puniebat populum, non quia peccauerat, sed vt occasione huius pœnæ incitaretur ad vindicandum iniuriam Gabaonitarum: quia si non fuisset fames inflicta, nunquam curassent Israelitę vindicare iniuriam Gabaonitarum. Inflicta autem fame consulerent dominum super ea, & ipse respondens quòd inciderat propter peccatum Saulis contra Gabaonitas, faceret ꝙ puniretur peccatum illud. Vel aliter, fortè Israelitæ peccauerant in aliquo alio, pro quo Deus illis dabat punitionem hanc: etiam si nihil omnino peccassent in malo inflicto Gabaonitis, & tamen volebat quòd manifestaretur peccatum illud per istam famem à Deo inflictam.

Quare non est inflicta mors populo sicut filijs Saul. Quæst. IX.

QVAERETVR vlterius, dato ꝙ consensisset populus Sauli occidẽti Gabaonitas, & propter hoc fuisset inflicta fames, quomodo non fuit inflicta mors, sicut fuit inflicta filijs Saulis. Respondendum ꝙ pp duo fuit hoc. Primò quia hoc dato solus Saul fuit, qui occiderat Gabaonitas iubendo illud, & serui exequerentur. Populus autem solùm cõsentiebat Sauli, vt faueret ei, quia erat rex, iõ non erat tantũ peccatum populi sicut regis, vnde filij regis debuerunt occidi loco ipsius. Populus autem debuit minori pœna affligi. Secundum fuit, quia licèt totus populus præstitisset consensum aliquem, vel non repugnaret cùm posset, licèt pro quolibet eorum fortè per se esset causa sufficiens ad hoc, ꝙ occideretur: tamen pro oĩbus simul non erat causa sufficiens: quia maius damnum erat, & pœna occisio totius populi, quàm iustè deberet exigi pro morte Gabaonitarum: vnde licèt totus Israel iuberet, ꝙ occiderentur Gabaonitæ, & cõsensus, vel præceptum cuiuslibet de populo ad hoc specialiter interuenisset, non erat licitum, ꝙ totus populus occideretur pro morte Gabaonitarum: quia ex hoc modo pro iniusta morte vnius solius viri deberet vnum regnum totum perire: & tamen secundùm rectitudinem legum, & etiam conscientiæ iniusta esset pœna, ideo suffecit toti populo, quòd per tres annos fame affligeretur, sicut quòd ipse Saul, qui fuerat princeps criminis pateretur in morte filiorum suorum.

An ista fames fuerit inflicta pro alio peccato populi a peccato Saulis. Quæst. X.

QVAERETVR vlterius, quia supra dictũ est, ꝙ poterat esse, ꝙ ista fames trium annorum fuerit inflicta pro alio peccato populi, & tñ fuerat ad indicandum peccatum Saulis contra Gabaonitas, an hoc possit stare. Aliquis dicet ꝙ non, quia Deus respondit in litera, quòd ista fames erat propter Saul, & domum sanguinum, quia occidit Gabaonitas, ergo non potest poni pro alio delicto. Respondendum ꝙ satis poterat esse illa pœna pro duobus delictis inęqualibus, & tamen quòd exprimeretur minus infectis, delictum tanquam causa, pro quo tamen minus inferebatur: simile patet præc. lib. c. 16. cùm iret Samuel in Bethlehem ad vngendum Dauid in regem principaliter, & ibat etiam ad sacrificandũ Domino minus principaliter, scilicet, solùm ad occultandum id, quod intendebat: & tamen Deus iussit ꝙ diceret se venisse ad sacrificandum Domino, & taceret ꝙ veniebat ad vngendum Dauid in regem, sic ergo in duabus pœnis poterat fieri, ꝙ minor exprimeretur tanquam causa. Similiter etgo Deus poterat infligere istam famẽ in pœnam alicuius delicti Israelitarum, & etiam vt manifestaretur per illam delictum factum ꝺ Gabaonitis, & sic licèt esset alia culpa, quia Deus poterat dare istam pœnam ad significandum delictum illud, poterat dare primi peccatum ꝺ Gabaonitas tamquam causa solã, proprer quam dabatur, & verum est, ꝙ ista pœna erat pp Saul, & domũ sanguinum, i. ad significandum delictum illud, licèt nõ esset in pœnam eius, sed alterius. *Dixitq; Dominus*, i. rñdit per Sacerdotẽ præsẽte rõnale. *Propter Saul, & domum sanguinum*, i. ista pœna venit pp Saulem delinquentem, & pp domum suam, quæ est domus sanguinũ. i. domus, q̃ effudit multũ sanguinẽ iniustè: iõ nõ solũ est pctũ Saulis, sed ẽt domus suæ. Rab. Sa. dicit, quòd fames venit propter Saulem, scilicet, propter peccatum, quod habuerunt Israelitæ, scilicet, quia nõ defleuerunt Saulẽ, sed sepelierunt eum cito sine honore, & propter domum sanguinum, id est, propter domum suam, quæ erat domus sanguinis.

An opinio Ra. Salomonis sit vera. Quæst. XI.

QVAERETVR, an stet expositio Rab. Sa. Dicendum, ꝙ non. Primò quia falsum præsupponit, scilicet, ꝙ Saul fuit quasi subito sepultus sine fletu: nam Saul occisus ductus est in terram Philisthinorum, & ibi fuit suspensus in muro vrbis Bethsan, siue in platea, & viri Iabes Galaad venientes per noctem furati sunt cadauer eius, & filiorum suorum, & ducentes secum sepelierunt in nemore Iabes, fleueruntque, & ieiunauerũt septem diebus, præced. lib. c. vlt. & primo Paral. 10. ergo non fuit sine honore, & planctu sepultus. Item Dauid, & viri sui audita morte Saulis fecerunt planctum magnum, & ieiunauerunt, supra. 1. cap. Item Dauid promisit viris Iabes Galaad retributionem pro eo quòd sepelierunt, & fleuerunt Saulem, supra secundo: si tamen illi non fecissent hoc honorabiliter, & sine crimine, nihil eis promisisset: ergo non fuit aliquid erratum circa funera eius. Item dato, quòd populus non exhibuisset Sauli omnem honorem qui regibus exhiberi debet, non fuisset fames imposita super populum, eo quod non erat tam graue delictum, ut talis pœna imponeretur. Item non stat, quia si propter istud delictum fuisset pœna imposita, ad satisfactionem illius iussisset Deus aliquid fieri: sicut enim quia fames ista uenerat propter Gabaonitas, iussi fuerunt occidi filij Saulis. Ita pro pecato honoris, non traditi funeri Saulis iussisset Deus aliquid fieri: nihil tamen iussum est, ideo non fuit pœna famis propter hoc, sed fuit propter Saul, idest, propter peccatum suum, quod litera ipsa exponit cùm dicitur. *Quia occidit Gabaonitas.* Idest, peccatum Saulis fuit in occidendo Gabaonitas, hoc autem dicitur, quia Saul fecerat multa peccata, scilicet, persecutus fuerat Dauid, & occiderat Sacerdotes, & Gabaonitas, ut ergo sciretur pro quo infligebatur, dictum est, quia occidit Gabaonitas.

Quomodo Saul occidit Gabaonitas, & quando. Quæst. XII.

QVAERETVR, quãdo Saul occidit Gabaonitas, & quomodo. Aliq rñdent, ꝙ occidit eos, non quidem in propria persona, sed occidit Sacerdotes, per quos sustentabantur Gabaonitæ, & qui alteri subtrahit id, quo alitur, dr̃ occidere eum, sic tenet Ra. Sa. Sed non stat, primò quia falsum præsupponitur. s. ꝙ non occiderit Saul Gabaonitas, qa ꝺ. dr̃, virum, qui attriuit nos, & oppressit iniquè, ita debemus, ergo occidit eos. Itẽ si non occidisset eos, sed subtraxisset sustẽtationem, satisfactio non erat occidendo aliquos de filijs Saulis, sed deberet restitui Gabaonitis id, qd̃ ablatũ fuerat: & tñ Dauid dixit eis, qd faciam vobis, vt benedicatis Hæreditati Dñi? & dixerunt Gabaonitæ, non est nobis super argento, & auro quæstio, sed ꝺ Saul, & domum eius: si tñ læsisset Saul illos subtrahendo victum, quæstio esset super auro, & argento, vel super alio æquiualenti ad victum, & non super morte virorum. Item dicitur in litera: Gabaonitæ non erant de filijs Israel, sed reliquiæ Amorrhæorum, & voluit Saul percutere eos zelo, quasi pro filijs Israel, & Iuda, ergo pcussio, vel occisio fuit, & nõ subtractio sola victualium. Item errat Rab. Sa. qa nõ bene concludit, quia dato ꝙ occisi fuerunt Sacerdotes, nõ tollebatur sustentatio Gabaonitarum, quia nõ fuerũt oẽs Sacerdotes occisi, sed solũ illi, qui erant de domo Heli summi Sacerdotis, & specialiter illi, qui pertinebant ad Achimelech, quia isti videbantur coniurasse cum Dauid, & ob hoc ciuitas Nobe, deleta est. De stirpe tñ Eleazari filij Aaron nulli Sacerdotes occisi sunt, quia illi non pertinebant ad Achimelech, cùm essent de alia progenie: etiam non fuerunt occisi omnes de stirpe Ithamar, quia Saul solùm intendebat occidere illos, qui credebantur coniurasse ꝺ eum, & isti erant Achimelech, & domus eius: manentibus ergo alijs Sacerdotibus, semper fierent sacrificia, & ministrationes in templo, & nunquam cessaret opus Gabaonitarum in templo, de quo ipsi acquirebant cibum: vnde semper manserunt Sacerdotes, qui ministrarẽt. Item dato ꝙ occiderentur omnes Sacerdotes, qui tũc erãt, adhuc alij noui surrexissent, qui facerẽt ministeria sanctuarij, & coram illis seruirent Gabaonitæ: vnde quia nũquam cessauerunt ministeria templi tpe Saulis, vel Dauid, nunquam cessauit opus Gabaonitarum. Non ergo perdiderunt aliquid de sustentatione moriẽtibus Sacerdotibus. Dicendum ergo ꝙ Saul occidit Gabaonitas plurimos uolens destruere omnes, vt patet. ī. & resíduí illorum de hoc conquesti sunt. Quãdo autem occiderit Saul Gabaonitas non apparet. Dicit. n. Rab. Dauid Kimhi, quòd occidit eos quãdo occidit Sacerdotes in Nobe. Et hoc est aliqualiter verisimile, quia Saul iussit occidi oẽs, qui erant in urbe Nobe, & occisi sunt vsq; ad pecora. præc. lib. c. 22. Sed non stat hoc, qa si Saul occidisset tũc Gabaonitas, hoc erat, quia multi illorum erant tunc ministrãtes in vrbe Nobe in tabernaculo vbi ministrabant omni tpe, & sic fuisset ista occisio per accidẽs. s. quia nõ intẽdebat directè eos occidere, sed uolebat occidere oẽs habitatores vrbis, qa ibi facta fuerat coniuratio ꝺ ipsum cũ Dauid: Saul tñ non occidit Gabaonitas, quasi per accñs, sed ab intẽtione. Qd̃ patet, quia dr̃. ī. & uoluit Saul percutere eos zelo quasi pro filijs Israel, & Iuda. Etiã dr̃. ī. virũ, q attriuit nos, & oppressit iniquè. Et in Hebræo dicitur, uirum qui cogitauit destruere nos: ergo non occidit tũc illos Saul, sed alio tpe, quando aũt illud fuerit nõ apparet.

Quare Deus non immisit famem populo, quando Saul occidit Sacerdotes. Quæst. XII.

QVAERETVR ulterius, qũo fames ista uenit super populum, quia Saul occidit Gabaonitas, & non uenit, quia occidit Sacerdotes: nã tã graue peccatum, uel maius fuit mors Sacerdotũ, sicut Gabaonitarũ. Rñdendũ est, ꝙ Saul multa peccata fecit. s. primò non obediuit Samueli sacrificando ante aduentum ejus, præc. li. c. 13. Scd̃m fuit, qa nõ occidit, nec destruxit oĩa, quę pertinebant ad Amalecitas, cùm Deus hoc iussisset, præc. lib. c. 15. Tertiò peccauit sæpe uolendo occidere Dauid, & persequendo eum. præced. lib. c. 18. & 19. & usque ad 27. Quartò peccauit occidendo Sacerdotes, præc. li. c. 22. Quintò peccauit occidendo Gabaonitas, ut patet hic. Sextò peccauit eundo ad consulendum pythonissam, præc. lib. c. 28. & primo Paralip. 10. Nunc autem aliquis dicet, ꝙ pro oĩbus quinq; iniquitatibus Deus dedit Sauli in pœnam, ꝙ occideret ab hostibus, & turpiter tractaretur post mortẽ. pc. li. c. 31. pro peccato aũt Gabaonitarũ data est ista pœna. Sed hoc nõ stat, quia mors inflicta Sauli, nõ fuit inflicta nisi pro inobedientia Dei nolendo destruere Amalecitas, sic patet præc. lib. c. 28, .i. faciet tibi Dñs sicut locut' est in manu mea, & scin-

det regnum de manu tua,& dabit illud proximo tuo Dauid,quia nō obediſti voci Domini,nec feciſti iram furoris eius in Amalec, ideo quod pateris fecit tibi Dominus hodie. Alij dicunt, q̄ Deus puniuit nunc Iſraelitas pro peccato contra Gabaonitas, & non pro peccato contra ſacerdotes,quia ſacerdotes manentes remiſerunt iniuriam mortis fratrum ſuorum, & Gabaonitæ non, ideo Deus intulit pœnam ad vindictam Gabaonitarum,& non ſacerdotum, ſic tenet Ra.Sal. & Ra. Dauid Kimhi. Sed hoc non ſtat, quia dato, q̄ remiſiſſent ſacerdotes iniuriam, adhuc Deus non remittebat pœnam: nam quando quis offendit proximum, non ſolùm offendit illum, ſed etiam Deum, ideo remittente proximo iniuriam offenſori adhuc manet Deo, quòd inferat pœnam ſuper eum. Patet hoc,quia aliàs poſtquam homo remitteret iniuriam, Deus nunquam repeteret illam:& tamen falſum eſt, quia repetit, vt patet Deuter.32. & ad Rom. 12. ſcilicet,mihi vindictam, & ego retribuam. ergo homine remittente, Deus vult repetere vindictam. Item aliàs ſequeretur, quòd ſi quis remitteret offenſam proximo, quòd ille iam non teneretur ad pœnam purgatoriam pro illo crimine, ſed falſum eſt. Ideo dicendum, quòd quamquam ſacerdotes ſuperſtites remiſiſſent iniuriam occiſionis fratrum ſuorum, ſemper poterat infligi pœna à Deo pro peccato illo,licèt non poſſet infligi à iudice. Alij dicunt,quòd non poſita eſt fames ſuper Iſraelitas pro peccato contra ſacerdotes, ſed contra Gabaonitas, eo quòd ſacerdotes Dei iudicio perierunt: nam ipſe hoc dixerat longo ante tempore,præceden.lib.c.2.de Gabaonitis autem non fuit ſic. Dicendum, quòd non ſtat hoc propter duo. Primò quia non ſolùm ſacerdotes,ſed etiam Gabaonitæ ex aliqua culpa ſua perierunt: nam nullus poteſt malum pati, niſi mereatur, licèt ille,qui ei infert malum poteſt inferre ex cauſa iniqua, vt declaratum eſt præceden. lib. c.22. alioquin tolleretur rectitudo diuinæ prouidentię,vt patet per Boe.de conſol.lib.4.proſe.6. Etiam non poterant Gabaonitæ mori ſine Dei præordinatione, quia aliàs aliquid ſieret, quod effugeret diuinam prouidentiam,& diſpoſitionem:quod falſum eſt, quia etiam parui paſſeres non poſſunt mori ſine Dei præordinatione,vt patet Matth.10.ſcilicet. Nonne duo paſſeres aſſe veneunt? & unus ex illis non cadet ſuper terram ſine patre veſtro.ideſt,vnus non moritur ſine conſilio Dei: à fortiori ergo,homo non poteſt perire, nec quidquam ſaltem modicum pati niſi ex magno Dei conſilio, & diſpoſitione, immo etiam capilli non cadunt de capite ſine Dei conſilio. Matt. 10.c.cùm dicitur,Veſtri autem capilli capitis omnes numerati ſunt, nolite ergo timere, multis paſſeribus meliores eſtis vos: ideſt, capilli capitis veſtri quamquam ſint parui valoris reſpectu partium corporis,& ipſi ſint multi: tamen omnes numerati ſunt, ad hoc ſcilicet, quòd nullus eorum cadat ſine Dei diſpoſitione; & quia unus paſſer non poteſt cadere in terram ſine Dei diſpoſitione, à fortiori nec poteſt cadere aliquis homo,quia homo quilibet multis paſſeribus melior eſt. Gabaonitæ ergo mortui ſunt ex diſpoſitione Dei,ſicut ſacerdotes,& etiam pro peccatis ſuis,quam quam neutros eorum Saul occidit pro peccato, ſed ex alia cauſa, ſcilicet, iniqua affectione: ſolùm autem differt, quia mors ſacerdotum prænūciata eſt, & non mors Gabaonitarum, ſed iſtud nihil agit ad eſſe mortem iuſtam, vel iniuſtam. Secundò non ſtat dictum iſtorum,quia quamquam ſacerdotes mortem merentur, Saul peccauit occidendo illos, quia non occidit pro cauſa iuſta, ſed pro quodam falſo crimine eis appoſito,vt patet præceden.lib.c.22.Ita ergo fuit peccatum in occiſione ſacerdotū, ſicut in occiſione Gabaonitarum. Dicendum ergo, quòd Deus dedit hic famem pro peccato facto contra Gabaonitas, & non contra ſacerdotes: quia licèt multa ſint crimina alicuius,interdum punit eum Deus pro aliquo crimine, & non pro alijs hic. Interdum autem pro omnibus, & interdum pro nullo, ſed reſeruatur pœnā futuro ſæculo:& quando punit pro uno,& non pro alijs,punit pro quo vult.Ita fuit in Saule,quia puniuit eum Deus pro peccato Amalecitarum tradendo eum hoſtibus. præceden.lib.c.28.& puniuit pro peccato Gabaonitarum:alia autem quatuor peccata, de quibus dictum eſt, reliquit punienda in futuro ſæculo, quòd autem punierit pro peccato Gabaonitarum, potius quā pro quolibet de alijs quatuor ſola uoluntas Dei eſt. Aliter poteſt dici, q̄ puniuit potius pro iſto peccato, quàm pro alijs, quia preces Gabaonitarum ſolicitabant dominum,ſcilicet, quia quotidie orabant, vt uindicaretur ſanguis eorum. pro alijs autem peccatis non erat aliquis orans vindictam, ideo pro hoc pœnam intulit. Aliter & melius dici poteſt, quòd Deus fecit hoc ad oſtendendum iuſtitiam ſuam,& quòd non erat perſonarum acceptor: quia aliqui putarent Deum fauere nimis Iſraelitis, & alienigenis non: ideo voluit potius vindicare iniuriam Gabaonitarum, qui erant alienigenę, quàm peccatum contra ſacerdotes, qui erant miniſtri ſui:nam Deus plus puniebat peccata ſacerdotum,quàm aliorum,quando ipſi peccarent:ſicut ipſe dixit:Sanctificabor in his,qui appropinquant mihi,& in conſpectu populi glorificabor, & hoc fuit quando occidit Nadab, & Abiu, qui errauerunt in miniſtrando. Leuit. 10. Deum autem ſanctificari in appropinquantibus ſibi eſt, quòd oſtendat iuſtitiam ſuam, & ſanctitatem puniendo familiares ſuos: quādo autem aliquis peccabat cōtra ſacerdotes,Deus non tam grauiter puniebat illū, ſic fuit in ſacerdotibus iſtis, quos occidit Saul. Aliter etiam dici poteſt, quòd Deus admonuerat Iſraelitas ualde, vt diligerent alienigenas conuerſos ad fidem,& non nocerent eis. Exo.22. ſcilicet,Aduenam non contriſtabis,nec affliges eum,ad uenæ enim ipſi fuiſtis in terra Aegypti. Dicebat etiā Deus ſe diligere aduenas, & per hoc monebat Iſraelitas amare eos. Sic patet Deuter.10. ſcilicet,Dominus potens, qui perſonam non accipit, nec munera: facit iudicium pupillo, & uiduæ, amat peregrinum,& dat ei uictum atque ueſtitum,& uos ergo amate peregrinos, quia & ipſi fuiſtis aduenæ in terra Aegypti: ad oſtendendum ergo,quòd amabat illos, puniuit populum pro peccato facto contra illos, & non pro morte inflicta ſacerdotibus.

Vocatis ergo. Hic ponitur ſecundum,ſcilicet,pœna delicti,& diuiditur in tres partes. Primò ponitur pœnæ taxatio. Secundò taxatæ pœnæ executio, ibi, *Tulit itaque.* Tertiò occiſorum venerabilis tumulatio, ibi, *Et nunciata ſunt.* Circa primum dicitur, *Vocatis ergo Gabaonitis, rex dixit ad eos,* ideſt, poſtquam cognitum eſt diuino oraculo famem veniſſe propter Gabaonitas, vocauit illos Dauid, vt ſatisfaceret eis pro malo inflicto, & ceſſaret fames à populo. *Porro Gabaonitæ non erant de filijs Iſrael,* ideſt, Gabaonitæ,quibus ſatisfacere debebat Dauid, non erant de ſtirpe Iſraelitarum, ſed alienigenæ conuerſi ad Iudaiſmum de ſtirpe Chananæorum. Modus autem conuerſionis eorum patet Ioſue 9. *Sed reliquię Amorrhęorum,* ideſt, erant de ſtirpe Amorrhæorum, qui relicti fuerant occiſis cæteris Amorrheis:nam Iſraelitæ occiderant Chananęos quoscunque potuerunt, & de illis manſerunt Gabaonitæ quos non occiderunt Iſraelitæ propter iuramentum eis præſtitum,vt patet Ioſue 9.

Gabaonitæ

Gabaonitæ quare vocati ſint de ſtirpe Amorrhęorum, quamuis eſſent de ſtirpe Heueorum.
Quæſt. XIIII.

QVAERETVR, quomodo vocātur Gabaonitæ reliquiæ Amorrhæorū: nam non erant de ſtirpe eorum, ſed de ſtirpe Heuęorum, vt patet Ioſue 11. ſcilicet, non fuit ciuitas, quæ ſe non traderet filijs Iſrael præter Heuæum, qui habitat in Gabaon,omnes bellando cœpit,ergo Heuæi erant Gabaonitæ. Reſpondendum,q̄ ſeptem populi erant in terra Chanaan, vt patet Deuter.7. & Ioſue 3.ſcilicet, Chananæi,Amorrhæi,Pherezæi,Iebuſæi,Hethæi,Heuęi,Gergeſæi. Gabaonitæ autem erat de ſtirpe Heuęorum, vocantur tamen de ſtirpe Amorrhæorum, quia Amorrhæi accipiuntur dupliciter. Vno modo prout dicunt quendam populum de iſtis ſeptem,& ſic nō erant Gabaonitæ Amorrhæi. Alio modo Amorrhæi dicuntur generaliter omnes populi terræ Chanaan,ſic patet Gene.15. cùm dicitur, nondum completa ſunt peccata Amorrhæorum vſque ad præſens tempus, & tamen non intelligitur ibi ſolùm de Amorrhæis, ſed etiam de omnibus alijs. Sic etiam dicitur Iudi.6. Ne timeatis Deos Amorrhæorum, in quorum terra habitatis, & tamen non ſolùm prohibebantur ibi dij vnius populi iſtorum,ſed omnium ſeptem populorum. Etiā quia Iſraelitæ non ſolùm habitabant in terra populi Amorrhęi,ſed omnium ſeptem populorum. Ita hic accipitur Amorrhęus pro omnibus ſeptem populis, & ſic erant Gabaonitæ de ſtirpe Amorrhęorū. Idem contingit in hoc nomine Chananęus, quia aliquando ſignificat omnes ſeptem populos, & aliquando vnum de illis,ſicut ſæpe dictum eſt.

Quare non dicuntur Gabaonitę de ſtirpe Iſraelitarum.
Queſt. XV.

QVAERETVR vlterius,quare ponitur hic, quòd Gabaonitæ non erant de ſtirpe Iſraelitarum ſed Amorrhæorum. Reſpondet Ra. Sa. q̄ dicitur hoc ad ſignificandum cauſam quare non fuit peccatum dimiſſum,ſcilicet,quia iſti erant Chananęi, & ob hoc erant immiſericordes, & noluerunt remittere iniuriam, ſacerdotes autem, qui erant de ſtirpe Iſraelitarum remiſerunt iniuriam ſuam, ideo non fuit pœna inflicta pro peccato cōtra ſacerdotes, ſed contra Gabaonitas. Nicolaus aurem ponit aliam cauſam, ſcilicet, quòd dicitur hoc ad ſignificandū quare iſti Gabaonitæ dimiſſi ſunt occiſis cæteris Amorrhęis. Sed dicendum magis videtur,q̄ ponitur hoc tanquam quoddam præſuppoſitum ad notificandum id, de quo fit ſermo. Nam iſte modus eſt generalis tam in diſciplinis, quā in hiſtorijs: nam in qualibet diſciplinarum præſupponitur de ſubiecto eius aliquid, ſcilicet, an ſit, & quid ſit, vt patet primo Poſterio. In hiſtorijs autem quandocūque de aliquo uiro,vel de aliqua vrbe debent aliqua geſta enarrari: notificatur primò de qua progenie ille vir ſit, vel ſaltem de qua regione, vt ſciatur quis eſt ille, de quo hiſtoria agit. De vrbe quoque ſi aliquid enarretur,notificatur prius de qua parte orbis illa ſit.Ita hic cùm ſermo eſſet de Gabaonitis,præmittitur,quæ gens iſta eſſet,vt non ſit ignotum de ſubiecto quid ſit. *Filij quippe Iſrael iurauerant eis,* ſcilicet, q̄ non occiderent eos: nam aliàs cùm iſti eſſent Chananæi,occidendi erant, & quia iſti deceperunt Iſraelitas dicentes ſe non eſſe de Chananæis, voluerunt eos poſtea occidere comperta veritate, ſed propter iuramentum timuerunt, & fecerunt eos ſeruos ſanctuarij ad ſcindenda ligna, & aquas comportandas. Ioſue 9.iuramentum autem factum ibi ab Iſraelitis, & poſtea confirmatum veritate comperta, obligauit eos, & omnes poſteros, ideo Saul occidendo illos,peccauit. *Ne perimerent eos.* ſcilicet,hoc eſt quod iurauerunt.Hoc non habetur in Hebræo, nec in libris correctis,ſed additum eſt p modum Glo. & textui inſertum eſt imperitia librariorū, ſed ſolùm habetur,quòd iurauerunt eis. *Et voluit Saul percutere eos,quaſi zelo pro filijs Iſrael,& Iuda.* Ideſt,Saul voluit occidere Gabaonitas ſignificando ſe zelare pro filijs Iſrael,& Iuda: & propter hoc conſenſit populus Sauli, vel ſaltem non repugnauit quòd occideret Gabaonitas.

Quare Saul occidit Gabaonitas. Queſt. XVI.

QVAERETVR, quis zelus fuit iſte,pro quo occidit eos. Aliqui dicunt,quòd Saul deſiderabat habere vrbes, in quibus morabantur Gabaonitę,& ad hoc finxit quādam cauſam, ex qua videretur proſequi vtilitatem Iſraelitarum, vt permitteretur occidere Gabaonitas. Pro quo ſciendū quòd Gabaonitæ habebant quatuor ciuitates notabiles,ſcilicet,Gabaon,Caphira,Beroth,& Cariathiarim, vt patet Ioſue.9. de iſtis autem ciuitatibus creditur vt communiter,quòd relictæ fuerint ad habitandum ipſis Gabaonitis, Saul autem voluit habere illas pro Iſraelitis,maximè quia in tribu ſua, ſcilicet, in ſorte Beniamin erant tres illarum, ſcilicet, Gabaon, Caphira, Beroth.Ioſue.18.Ad hoc ergo finxit cauſam dicens,q̄ non erat bonum,quòd Gabaonitæ,qui erant extranei miniſtrarent in ſanctuario,ſed melius erat quòd Iſraelitæ miniſtrarent,& ad hoc quòd occiderentur illi,& ſic oſtendebat Saul ſe habere iſtum zelum, ſed non habebat,quia ſolùm deſiderabat poſſeſſiones eorum. Sed iſta poſitio non ſtat,primò,quia innititur falſo,ſcilicet,quia præſupponit,quòd Gabaonitæ poſſidebant iſtas quatuor vrbes,ſed falſum eſt,quia ſi ipſi poſſediſſent, non fuiſſent diuiſę per tribus, fuerunt tamen diuiſæ, quia tres illarum ceciderunt in ſorte Beniamin, & vna, ſcilicet, Cariathiarim fuit in ſorte Iudæ.Ioſue. 15.& 18.Item quia Iſraelitæ nominantur ab his vrbibus,ſicut ſupra.4.c.illi,qui occiderunt Isboſeth vocantur Berothitę, ideſt, de urbe Beroth. Sic etiam Cariathiarim data eſt alijs filijs Iuda, ſic patet preced. li. c.7. cùm dicitur,quòd venerunt viri Cariathiarim,& tulerunt Arcam, poſueruntq; eam in domo Aminadab, & iſte erat Leuita: ergo non moueretur Saul contra Gabaonitas, ut caperet urbes eorum. Item non ſtat, quia dato, quòd poſſiderent Gabaonitę urbes illas, non exprimeret Saul talem cauſam, ſcilicet, ut miniſtrarent filij Iſrael,& Iuda in miniſterio Gabaonitarū. Nam ſi fuiſſet iſtud miniſterium alicuius honoris, & redditiuum, potuiſſent illud deſiderare Iſraelitę, ſed erat miniſterium abiectum, & laborioſum, quia non erat in aliqua re ſanctuarij,ſed ſolùm portare aquas,& ligna pro ſanctuario: & iſtud fuerat ſibi impoſitum in grauiſſimam ſeruitutem, ut patet Ioſue. 9. ſcilicet. Cur nos decipere uoluiſtis, ut diceretis: procul ualde habitamus à uobis, cum in medio noſtri ſitis? itaque ſub maledictione eritis, & nō deficiet de ſtirpe veſtra ligna cędens,aquaſque comportans. Non ergo accipe rent Iſraelitę id, quod erat poſitum in maledictione. Item ſi Iſraelitę ex hac cauſa permiſiſſent occidi Gabaonitas,accepiſſent immediatè officium illorum,ſed nunquam acceperunt: ergo non expreſſit Saul iſtum zelum. Item non ſtat,quia licèt Iſraelitę,uellent accipere officium Gabaonitarum,non occiderent eos,q̄ poterant non occidendo illos tollere offic um,permittendo

Universidad de Deusto
Biblioteca

Tyrannos reijcitur.

tendo eis uiuere in terra, sicut uiuebant alij conuersi ad Iudaismum de Gentibus. Alij dicunt, quòd Saul mouebatur desiderio capiendi ciuitates Gabaonitarum, & dixit omnibus Israelitis, quòd nō erat bonum Gabaonitas, qui erant extranei habere ciuitates, sed q̄ ipsi acciperent illas, & occiderent Gabaonitas, quia Iosue, & alij de populo non potuerunt dimittere Gabaonitas viuere cùm esset contra legem: & tunc dicitur, quòd egit hoc quasi zelo pro filijs Israel & Iuda, quia in fauorem illorum volebat accipere aliis ciuitates, & tradere illis, & ista est positio Nicolai. Sed ista peccat quamquam non tantum sicut præcedēs, nam præsupponit quòd Gabaonitæ possidebant ciuitates, & tamen falsum est, vt probatum est supra. Dicendū ergo aliter, scilicet, quòd Saul motus est quodam zelo pro filijs Iuda, & Ierusalem, scilicet, tanquam supplēs id, quod illi omiserant: putabat enim Saul, quòd Israelitæ non potuerant dimittere viuentes Gabaonitas: & quòd Iosue, & omnes principes populi, qui erant tempore illo, peccauerunt, & omnes, qui postea permittebant Gabaonitas viuere, peccabant; ideo vt ipse excusaret tam filios Israel quam Iuda à peccato, quasi motus zelo illorum voluit occidere Gabaonitas: & hoc modo non stat aliquod inconueniens quod sequebatur ad alias positiones, & dicitur hic quasi zelo, quia quamquam hic verè esset zelus, tamen non erat bonus. Peccabat enim Saul occidendo Gabaonitas, quia illi non manebant contra legem Dei viuentes, sed ex consensu eius: quia credendum est quòd quamquam à principio Iosue, & Israelitæ decepti fuerint à Gabaonitis, quòd postea cognita veritate cōsuluerint Deum super hoc, & ipse permiserit manere illos. Potissimè quia applicati fuerant ei in ministros, & conuersi ad Iudaismum. Item non mouebatur recto iudicio Saul credens, quòd Gabaonitæ iniustè manerent viuentes, quia tunc sequeretur, quòd non potuisset contra aliquos dispensari de Chananæis, vt viuerent, quia si Iosue cum toto populo non poterat dispensare cum Gabaonitis, quia erant Chananæi ita nec potuisset dispēsare cū Raab, & cognatione eius, q̄ manerent, tamen isti manserunt in medio Israel de Chananæis, vt patet Iosue. 6. ergo etiam debebat Saul occidere omnes descendentes de Raab, & cognatione sua, quia illa erat de Chananæis, ergo non iustè motus est, & sic Deus puniuit illum.

Saul quare non occidit omnes Gabaonitas.
Quæst. XVII.

QVAERETVR vlterius, cùm Saul ex prædicta causa voluit occidere Gabaonitas, & occiderit multos eorum, quomodo non occidit omnes, quia si lex non erat impleta, viuentibus illis, quocumque eorum manente fieret contra legem, quia Deut. 20. dicitur, quòd de ciuitatibus, quæ pertinebant ad Israelitas, scilicet, quæ fuerant Chananæorum, nullū omnino permitterent viuere, sed omnes occiderent in ore gladij. Respondendum, quòd Saul incepit occidere Gabaonitas cum desiderio nullum eorum dimittendi, sed postea fortè conscientia remordit eum, & dimisit aliquos viuere: sic enim fuit de Dauid, qui iussit computari totum populum, sed postea percussit Dauid cor suum, cùm iussisset numerari populum, & reuocauit mandatum, manseruntq; multi de populo non numerati, vt colligitur infra vlt. c. & primo Paralip. 27. Vel aliter potest dici, quòd populus consenserat à principio Sauli, quòd occideret Gabaonitas, postea autem videns malum esse interdixit eorum mortem, & sic prohibitus est Saul finire quod volebat. *Dixit ergo Dauid ad Gabaonitas, quid faciam vobis?* Idest, in quo vultis, vt vobis satisfaciam pro malo vobis inflicto? *Et quod erit vestri piaculum?* idest, quæ erit satisfactio vestra? Piaculum enim aliquando significat pœnitentiam, & aliquando remedium, vel ablutionem, aut satisfactionem. In Hebræo dicitur. *In quo parcetur mihi?* Idest, quid erit, quod ego possim facere pro vobis, in quo mihi parcatur, idest, mihi, & populo meo, scilicet, vt auferatur fames. *Vt benedicatis hæreditati Domini.* Idest, vt oretis pro filijs Israel, quia nunc Gabaonitæ petebant quotidie mala cōtra Israel, eo quòd iniuria eorū manebat inulta, & Deus exaudiebat eos: At si etiam nunc orarent pro Israelitis tanquam recepta satisfactione: Deus exaudiret eos auferendo pœnā ab Israel. Vel dicitur vt benedicatis hæreditati Domini, idest, vt dicatis bonum de filijs Israel, quia ante hoc maledicebant eis, eo quòd nolebant prouidere eis de remedio. *Dixeruntque ei Gabaonitæ, non est nobis super argento, & auro quæstio.* Idest, non petimus, vt detur nobis aurum, & argentum, sed solùm quòd fiat vltio in domo Saulis. In quo præsupponendum, quòd Dauid uidens Gabaonitas esse pauperes, & abiectos, putauit quòd iniuriam suam remitterent pro aliquo pretio, ideo prius obtulit eis pretiū, ut remitterent, ipsi autē dixerunt, non est nobis quæstio super auro, & argento. Dicit Ra. Sa. quòd Dauid primò petiuit ab omnibus Gabaonitis, ut remitterent iniuriam pro pretio, & noluerunt: deinde Dauid putans, quòd omnes simul erubescerent pro pecunia remittere iniuriam, petiuit à quolibet singulariter, & etiam noluerunt. Hoc probat, quia in Hebræo dicitur: Non est mihi quæstio super argento, idest, omnes simul dixerunt Dauid: non est nobis quæstio super argento, & quilibet illorum dixit, non est mihi quæstio super argento, quando singulariter à Dauid interrogabantur.

Vnde prouenit tanta Gabaonitarum audacia.
Quæst. XVIII.

QVAERETVR, cùm Gabaonitæ ante hoc non auderent proponere querimoniam suam timore Israelitarum, quomodo nunc tam audaces erant, ut oblato sibi argento, & auro à rege nollent remittere, sed peterēt uindictam in sanguine. Respondendum, quòd ante hoc Gabaonitæ uidebant se à Deo neglectos, quia manifestè pro illis nihil agebat, & ab Israelitis abiectos, quia non curabant satisfacere eis de illata iniuria, sed potius incutiebant eis timorem, ne peterent satisfactionem, ideo nullum habentes fauorem tacebant: nunc autem Deus ostenderat eis magnum fauorem, quia pro illis totus populus percussus fuerat fame tribus annis, & rex coactus fuerat rogare eos, ideo confisi quòd Deus non auferret famem quousque satisfieret eis, noluerunt remittere iniuriam pro pretio, sed uoluerunt accipere plenam satisfactionem. *Sed contra Saul, & contra domum eius,* idest, solùm est nobis quæstio contra Saulem, & cōtra domum eius, scilicet, isti sunt hostes nostri, quia isti percusserunt nos, ideo in his uolumus solùm uindictam. *Nec volumus, vt interficiatur homo de Israel,* idest, nolumus, quòd aliquis occidatur de toto Israel, sed solùm illi, qui sunt de domo Saulis. Hoc dixerunt Gabaonitæ, quia putaret Dauid quòd cùm fortè populus consensisset Sauli occidenti Gabaonitas: quòd etiam uellent de reliquo populo multos occidi, & hoc esset ualde graue Dauid, & fortè non cōcederet: maximè quia ista causa contingeret aliquos de tribu Iuda, & cognatione Dauid: ideo ut Dauid non recusaret exhibere cōplementum iustitiæ, dixerunt: nolumus, ut interficiatur homo de Israel. *Ad quos rex ait, quid ergo vultis vt faciam vobis?* Iam Dauid nouerat, quòd uolebant

bant vindictam in sanguine domus Saulis, sed nesciebat quomodo, scilicet, an vellent vnum vel omnes, vel quosdam de domo Saulis occidi, ideo quæsiuit qd vultis vt faciam vobis? idest, quātam vltionem vultis, & qualiter. *Qui dixerunt regi, virum, qui attriuit nos, & oppressit iniquè ita delere debemus,* idest, volumus delere penitus virum illum, qui nos attriuit, & oppressit iniquè, scilicet, nullam habuit causam occidendi nos, & tamen occidit plurimos. Dicebantur autem delere eum, idest, cognationem suam: nam iam non manebat Saul: sed occidendo omnes de cognatione sua dicebantur eum delere, idest, memoriā eius. *Vt nec vnus quidem residuus sit de stirpe eius in cunctis finibus Israel.* Idest, non debemus facere aliquam leuem punitionem, sed tantum debemus eum delere, quòd in toto Israel non maneat aliquis de stirpe sua. In Hebræo habetur. *Virum qui attriuit nos, & putauit destruere ne essemus in toto termino Israel.* Litera nostra supplet istam, scilicet, debemus delere virum, qui attriuit nos in tantum quòd nō relinquamus aliquem de stirpe eius in toto Israel, sed litera Hebraica magis sonat, quòd Saul voluit delere Gabaonitas, ita vt non maneret aliquis eorum in Israel.

An esset pœna Sauli occidere posteros suos.
Quæst. XIX.

QVAERETVR, quomodo Gabaonitæ putabant sibi satisfieri occidendo filios Saulis, cū ipse Saul intulisset hoc damnum, & quomodo erat hoc pœna Sauli, vel dicebatur deleri occidendo posteros eius. Dicendum ad secūdum, quòd secundùm rem non erat aliqua pœna ipsi Sauli occidendo posteros eius, quia vt Arist. determinat primo Ethic. cap. pronepotum autem fortunas, bona vel mala pronepotum, & amicorum parum conferunt, vel nocent morientibus: nam non possunt ex hoc effici fœlices, si in infœlicitate mortui sunt, nec rursus red duntur infœlices si beatè vixerunt, sed solùm conferūt ista quantum ad opinionem viuētium, quia viuentes existimāt mortuos beatiores esse cùm posteri eorum fœlices sunt. & è contrario, illos quodam modo minus beatos, vel calamitosos putant cùm in aduersitates magnas posteri eorum inciderint. Ita ergo si nunc posteri Saulis occiderentur, putaretur infœlicissimū esse Saul. Item ipsemet Saul putasset se miserrimū dum viueret, si cognouisset posteritatem suam delendam fore, nec erat aliquid, quod magis ipse horreret, vnde hoc solum petiuit à Dauid, scilicet, quòd juraret ei, ne deleret semen ipsius post eum. præced. lib. c. 24. & hoc erat, quia maximum quod inter Iudæos desiderabat, erat, quòd nomē defunctorum maneret in stirpe sua, cum autem tollebatur progenies peribat nomen. Vn de dixit Saul ibidem, neque auferas nomen meum de domo patris mei, scilicet, destruendo totam pgeniem meam. Pœna ergo in hoc inferebatur Sauli. Ad primum dicendum, quòd Gabaonitæ putabant se recipere satisfactionem conuenientem occidendo posteros Saulis. Primò, quia fortè aliqui de illis, qui nunc supererant de domo Saulis, fuerant in occisione Gabaonitarum, & sic directè recipiebant vltionem de illis. Secundò quia cùm non possent Gabaonitæ habere vindictam directam, scilicet, occidendo illum, qui occiderat eos, volebant habere qualemcunque possent: non erat autem modus magis conueniens ad vindictam quàm iste, quia filij censentur eadem persona cum patre, & viuentibus illis censetur viuere pater. Eccle. 30. Mortuus est, & non est mortuus pater eius, reliquit enim filium similem sibi. E contrario ergo cùm occiditur filij, censetur occidi pater, & sic occidendo posteros Saulis, uidebatur Gabaonitis, quòd occiderent Saulem. Item dato, quòd realiter non esset pœna Sauli quòd occiderentur filij eius, quia non sentiebat illam: tamen quia homines existimant istam ut pœnam, infertur interdum à lege, & putant homines esse uindictam, sic enim se occidentibus fiunt uituperationes secundùm leges quorundam populorum, scilicet, qa relinquuntur insepulti, & trahuntur per terram, atque fiunt aliæ inhonorationes, & istę uocantur pœnæ secundùm Arist. 5. Ethi. ubi ponitur iste casus. Ita igitur hic putabatur esse pœna Saulis, quòd occiderentur filij eius.

An Gabaonitæ contentati sunt vt eis darentur 7. viri de stirpe Saulis vt complacerent Dauid. Quæst. XX.

QVAERETVR ulterius, quomodo Gabaonitæ petiuerunt hic, quòd tota cognatio Saulis deleretur, ita ut nec unus remaneret in toto Israel, & postea dixerunt, quòd darentur eis septem uiri soli de stirpe Saulis. Respondendum, quòd Gabaonitæ noluerunt occidere totam cognationem Saulis, sicut ipse uoluit delere omnes Gabaonitas: uoluerunt tamen complacere Dauid in omnibus: nam sicut supra dixerunt, nec uolumus, ut occidatur uir de Israel: & hoc ut non mouerent Dauid contra se: ita nunc uoluerunt eum habere placatum: & quia si debuissent occidere totam cognationem Saulis, occidissent quoque Miphiboseth filium Ionathæ, & Micham nepotem eius, quos Dauid diligebat, orauit Dauid ne peterent Gabaonitæ omnes occidi, ideo tunc petierunt septem solùm, ut non includeretur in eis Miphiboseth, uel Micha filius eius: *Detur nobis septem viri de filijs eius,* idest, dentur in potestate nostra septem uiri de filijs, idest, de posteris eius, quia solùm duò istorum erant filij Saulis, ut patet infra.

Quare petierunt septem, & non plus. Quæst. XXI.

QVAERETVR, quare Gabaonitæ petiuerunt septem de filijs Saulis, nec plures, nec paucio: res. Respondet Ra. Sa. quòd petiuerunt septē, quia Saul occiderat septem de Gabaonitis, scilicet, duos scindentes ligna, & duos portantes aquas, & unum capellanum, & unum seruitorem, & unum relatorem, & uoluerunt habere totidem de filijs Saul. Sed non stat, quia in litera dicitur, uirum qui attriuit nos, & oppressit iniquè, sed atterere & opprimere significant quasi totalem destructionem. Item quia alias erabuissent Gabaonitæ, quòd pro septem hominibus seruilis conditionis occideretur tota regalis posteritas. Item quia supra dicitur, quòd Saul uoluit percutere Gabaonitas quasi zelo pro filijs Israel: hoc autem significat, quòd uoluit Saul occidere omnes Gabaonitas: cùm ergo incepetit occidere illos, non occideret septem solùm. Item Rab. Sa. interdum ad excusandos Israelitas solet dicere similia, nam Num. 21. dicitur, quòd pugnauerunt Chananæi contra Israelitas, & existentes victores ceperunt prædam de Israel, & tamen dicit Rab. Sa. quòd solùm acceperunt unam ancillam: sed iste manifestus fauor est & contra literam, quia non dicerentur Chananæi uictores si solùm prævaluissent in terra quòd possent accipere unam solam ancillam: quia si uerè prevalerent, cōuerterent Israelitas in fugam, & caperent magnam prædam, ita hic dixit septem mortuos esse solùm, cùm multi mortui fuissent. Sed dicendum, quòd petierunt Gabaonitæ istos septem, quia non erant plures in tota cognatione Saulis exceptis Miphiboseth, & Micha filio eius. Non petierunt etiam pauciores, quia uoluerunt

Universidad de Deusto
Biblioteca

sant ipsi occidere omnes de cognatione Saulis, nisi F
obstitisset Dauid, & quia ipse non intendebat nisi pro
Miphiboseth, & filio eius, reliquos petierunt occidi.
Vt crucifigamus eos Domino. Ideſt, crucifigamus coram
domino. Sic dicitur infra, crucifixerunt illos in mon-
te coram Domino, vel dicitur quòd crucifixerunt il-
los Domino, ideſt, ad placandum Dñm. ſ. quia ſicut
Deus iratus fuerat, qñ Saul occidit Gabaonitas, ita pla
caretur qñ occiderẽtur filij Saulis. Vel dr̃ crucifixerũt
illos Domino, ideſt, ad honorem Domini: quia quan
do executio iuſtitiæ fit propter legem Dei in delin
quentibus, Deus honoratur nimis in hoc, & ſic dici-
tur Deuter. 13. conſumes omnia Domino Deo tuo,
ideſt, cremabis omnia, quæ fuerint in vrbe idolatra-
rum ad honorem Dei. *In Gabaath Saul quondam electi
Domini*, ideſt, occidemus eos in Gabaath, quæ erat ci-
uitas Saulis, qui fuit quondam electus Domini, ideſt,
electus à Deo in regem, ſed iam nõ erat electus, quia
reprobata fuerat tota progenies eius, & electus fuit
Dauid præceden. lib. cap. 15. & 28. In Hebræo non ha
betur quondam, ſed ſolùm electi domini. Litera au-
tem noſtra poſuit quondam, quia iam non erat Saul
electus a Deo, ſed in perpetuum reprobatus. Dicit
Ra. Sa. quòd quando Gabaonitæ dicebant, crucifiga-
mus eos in Gabaath Saulis; audita eſt quædam vox
dicens: electus Domini, ideſt, Saul fuit electus à Deo,
& dicit, quòd iſta vox venit de cœlo: ſed iſta ridicula
ſunt, quia tunc iſtud non cohæreret priori ſententiæ:
ſed eſſet per ſe diſtinctum. *Et ait rex: ego dabo.* Con-
ſenſit Dauid dare ſeptem viros, quos petebãt Gabao-
nitæ, eo quòd in eis non includebatur Miphiboſeth, H

An Dauid rectè permiſerit occidi filios pro patre.
Quæſt. XXII.

QVAERETVR quomodo Dauid permiſit,
quòd occiderentur filij Saulis, & poſteri pro
illo. Nam lex vetuit occidi patres pro filijs, &
filios pro patribus. Deuter. 24. Reſpondet
Ra. Iohanam, quòd melius eſt, quòd rumpatur una
lectio de lege, vt compleatur iuſtitia, & honoretur
Deus in publico, quàm non rupta lege Deus non ho
noretur: pertinebat autem ad honorem Dei, quòd
occiderentur iſti poſteri Saulis, ideo licèt eſſet contra
legem, decuit, quòd occiderentur. Sed iſtud eſt nimis
inconueniens, quia non decet legem Dei in aliquo
rumpi, immo nunquam magis Deus contemnitur,
quàm cùm lex eius violatur. Alij autem dicunt, quòd
occiſi ſunt iſti non pro peccato Saulis, ſed pro pecca-
to ſuo, quia iſti paruuli exiſtentes occiderunt ſacerdo
tes Nobe, & Gabaonitas cum Doeg Idumæo, hoc te-
net Glo. ordin. & Hiſto. ſchol. & Andr. & Ra. Sa. Sed
non ſtat, quia quando occiſi ſunt ſacerdotes Nobe,
iſti fortè nondum erant nati: ſaltem quinque filij Me
rob, qui occiſi fuerunt, vel ſi nati erant aliqui illorum
eſſent valde paruuli. Quod patet, quia Saul promiſit
dare filiam ſuam Merob Dauid, & cùm ueniret tem-
pus quo tradi debebat, tradita eſt alteri, & tunc dedit
Saul filiam ſuam Michol ipſi Dauid, præced. lib. c. 18.
Paulo tamen poſt hoc Dauid fugiens à Saule venit in
Nobe, & tunc occiſi ſunt ſacerdotes. præced. lib. c. 20.
Et iſtud fuit modicum tempus, ſcilicet, ex quo Dauid
accepit Michol, & non data eſt ei Merob, vt patet cõ
tinuando proceſſum ex. c. 18. vſque ad 22. in quo mo-
dicum tempus eſt, & tamen in iſto oportebat, quòd
Merob tradita Adrieli gigneret ei iſtos quinque fi-
lios, & illi efficerentur. 15. vel 20. annorum ad occi-
dendum ſacerdotes Nobe, & Gabaonitas: ſed nequa-
quam poteſt poni tantum tempus intermedium, er-
go non potuerunt iſti eſſe in morte ſacerdotum No-

be, & Gabaonitarum. Item patet efficacius, quòd Da-
uid anno, quo factus eſt rex, erat triginta annorũ ſup.
5. c. ſi tamen poſtquã ipſe cœpit in uxorem Michol
non data Merob geniti fuiſſent iſti quinque filij Me-
rob, & peruenirent ad annum 15. vel 20. vſquequo oc
ciderent Sacerdotes, & Gabaonitas, oporteret, quòd
in anno quo Dauid pugnauit contra Goliath eſſet io
lum. 13. vel 14. ann. quod patet tollendo ſaltem 15.
ann. quos deberent habere iſti pueri, vel ſaltem pri-
mus eorum vſquequo poſſent occidere Gabaonitas,
& Sacerdotes, & tempus quod fuit poſt mortẽ iſto-
rum uſque ad unctionẽ Dauid in regem, & tempus
quod fuit à bello Dauid cum Goliath vſquequo non
data eſt ei Merob & tradita eſt ei Michol, & ſic ma-
nebunt 13. vel 14. anni ſolũ de ætate Dauid quando
pugnaret cum Goliath. Sed hoc falſum eſt, quia in
tali ętate ipſe non haberet vires, nec animoſitatem ad G
pugnandum, nec Saul permitteret eum pugnare. Sed
aliquis dicet, quòd Dauid habebat vires ſupernatura-
liter, & quamquam eſſet puer poterat pugnare. Sed
non ſtat, quia Saul non cognoſceret iſtud, & nõ per-
mitteret eum pugnare. Item quod fortius eſt, dato q
haberet vires ſupernaturaliter: tamen adhuc corpore
paruo, & delicato eſſet, ſcilicet, in 13. vel 14. ann. & ſic
non indueretur armamentis virilibus, & tamen indu
tus eſt lorica, & omnibus alijs armis Saulis tentans ſi
armatus poſſet incedere: ergò videtur, quòd tunc vir
erat, cùm arma Saulis ei coaptarentur. Item Dauid
ante hoc aliquanto tempore vocabatur vir, vt patet
præceden. lib. cap. 16. cùm dixit quidam de ſeruis Sau
lis: ecce vidi filium Iſai fortiſſimum robore, & virum
bellicoſum, & loquebatur de Dauid: ergo vir erat. H
Item patet hoc: quia non ſolùm non eſſet Dauid vi-
ginti 15. ann. immò non eſſet vltra 10. quia ſupra indu
ctum eſt, quòd primus filius Merob ad hoc, quòd ei-
ſet annorum ſaltem 15. vt poſſet occidere Sacerdo-
tes, & Gabaonitas, Dauid eſſet annorum 15. ad plus,
quando pugnauit cum Goliath, & tamen non ſolum
primus de filijs Merob dicitur occidiſſe Gabaonitas,
& Sacerdotes, ſed etiã omnes, ideo oportebat, vt mi-
nimus eorum eſſet annorum 15. & tamẽ ipſa gentiit.
5. ſucceſſiuè in 5. annis, ideo quando minor eorum et
ſet annorum 15. maior eſſet annorũ 20. ſed pro maio
ri, vt eſſet annorum 15. ad occidendum Sacerdotes, I
requirebatur Dauid eſſe annorũ 15. quãdo pugnauit
cum Goliath, vt ſupra inductũ eſt: ergo ut minimus
eſſet ann. 15. oportebat Dauid eſſe 10. ann. quando pu
gnauit cum Goliath: ſed iſtud ridiculum eſt. Dicen-
dum igitur, quòd impoſſibile fuit, quòd omnes iſti ſe
ptem uiri ſaltem 5. filij Merob fuiſſent in morte ſacer
dotum, & Gabaonitarum, ſed magis credendum eſt,
quòd fortè erat nullus eorum natus, ſed q̃ nati ſunt
iam regnante Dauid. Dicendum igitur, quòd iſti oc-
ciſi ſunt, non pro peccato ſuo, ſed pro peccato Sau-
lis, & tamen non fuit contra legem Deuter. 24. ſcilli-
cet, Non occidentur patres pro filijs, nec filij pro pa J
tribus: quia illud intelligitur in iudicio humano, ſcili-
cèt, quòd iudex nunquam poſſet ferre ſententiã con-
tra patrem pro peccato filij, nec è conuerſo. In iudi-
cio tamen Dei ſecus eſt, quia Deus poteſt occidere K
patrem pro peccato filij, & è conuerſo filiũ pro pec-
cato patris, quia ipſi omnes ſubiecti ſunt. Hic tamen
erat iudicium Dei, quia ipſe iuſſit fieri uindictam, ſi-
cut poſtulabant Gabaonitæ, ideo iudicio ſuo occide-
bantur iſti uiri, & non iudicio hominum. Vnde ſi Ga-
baonitæ petiuiſſent à Dauid, q̃ occideret iſtos. 7. vi-
ros de ſtirpe Saul pro peccato eius inconſulto Deo,
non debebat aliquem occidere. Sed obijcietur, quod
adhuc iudicio Dei non occidentur filij pro patribus,
vel è conuerſo, vt patet Eze. 18. vbi agitur de iudicio

Dei,

Dei, ideſt, de pœna, vel morte illata hominibus à Deo
pro peccato, & tamen dicitur quòd non morietur fi-
lius pro patre, nec è contra. Reſponderi poteſt dupli-
citer, primo modo, quòd illud intelligitur, quando ho
mo peccat ſoli Deo, vel principaliter ei, & tamen quã-
do peccat proximo, Deus facit interdum quòd occi-
dantur filij pro patribus, quia non poteſt proximus in
quem peccatum eſt aliter ſatisfactionem ſuſcipere, &
hoc intelligo de filijs magnis: nam de paruulis non
erat dubium, quin quocumque modo poſſint occidi
pro peccato patris iudicio Dei, vt patet de filijs Achã:
qui lapidati ſunt cum eo pro peccato ipſius, vt patet
Ioſue. 7. de quo ibi declaratum eſt: iſti tamen erant vi-
ri, ideo oportet poni ſpecialem ſolutionem pro his.
Aliter poteſt dici quòd iſti. 7. viri occiſi ſunt pro pec- B
cato ſuo, non quidem pro occiſione Gabaonitarum,
vel Sacerdotum, quia in illa non peccauerant, ſed pro
aliquo alio peccato ſuo, & tamen Deus voluit, quòd
tuiderentur occidi pro peccato Saulis, & permiſit eos
occidi à Gabaonitis, qui ſolùm occiderũt eos pro pec-
cato Saulis: Deus tamen non permittebat eos occidi
pro hoc peccato, ſed pro aliquo alio, nam ſi nullum
aliud egiſſent, non permiſiſſet Deus eos occidi. Et fuit
hic ſicut ſupra dictum eſt de fame inflicta populo, qa
illa non fuit pro peccato Saulis, ſed pro alio peccato
populi, voluit tamẽ Deus, quòd illa principaliter pro-
ficeret ad oſtendendum peccatum Saulis: ita hic iſta
mors non fuit à Deo permiſſa pro peccatis Saulis, no-
luit tamen Deus, quòd proficeret principaliter ad ſi- C
gnificandum pœnam peccati Saulis, & ob hoc tunc
permiſit iſtos iuuenes occidi, quando agebatur de vin
dicta peccati Saulis, & ab illis occiſi ſunt qui pro pec-
cato Saulis pœnam exigebant. Et uerum eſt, quòd iſti
puniti ſunt pro peccato Saulis, & tamen principaliter
mortui ſunt pro peccato ſuo: quod patet, quia iſti cõ-
ſiderantur dupliciter, ſcilicet, vel inquantum erant
quædam perſonæ ſingulares, vel inquantum erant fi-
lij Saulis. Primo modo erat pœna ipſis, & occideban-
tur pro peccato ſuo. Secundò modo mors ſua erat pœ-
na Saulis, & occidebatur pro peccato Saulis.

Iſti viri quomodo fuerunt ſuſpenſi in Gabaath.
Quæſt. XXIII. D

QVAERETVR ulterius, quomodo iſti uiri
ſuſpenſi ſunt in Gabaath, & cur Gabaonitæ
ſpecialiter petierunt illos ad ſuſpendendũ ibi.
Reſponderi poteſt, quòd forte hoc fuit, qa
iſti iuuenes morabantur in Gabaath, quæ erat ciuitas
patris ſui, & ob hoc ibi ſuſpenſi ſunt. Vel aliter poteſt
dici, quòd nunc puniebatur peccatum Saulis, & quia
ipſe fuit de urbe Gabaath, uoluerunt ibi punire deli-
ctum eius, & hoc uidetur innuere litera, cùm ait, ut
crucifigamus eos in Gabaath Saulis quondam electi
Domini, ideſt, in Gabaath, quæ olim fuit ciuitas Sau-
lis. Aliter poteſt dici, quòd fortè Saul occidit Gabao- E
nitas in urbe Gabaath, ideo ſecundùm modum iuris
in loco delicti inflicta eſt pœna. Quòd autem ibi oc-
ciderit illos ſatis eſt ueriſimile, quia ibi occidit Sa-
cerdotes: nam fecit eos uocari de vrbe Nobe in Ga-
baath, ubi ipſe manebat, & ibi occidit illos, præced. lib.
5. 22. *Pepercitque rex Miphiboſeth filio Ionathę filij Saul.*
Ideſt, quamquam eſſet Miphiboſeth de ſtirpe Saulis,
non permiſit eum Dauid occidi, ſed tradidit ad occi-
dendum alios uiros, qui erant de ſtirpe Saulis. *Propter
iusiurandum Domini quòd fuerat inter Dauid, & inter Iona-
thã filium Saul.* Ideſt, hoc fecit propter iuramentum,
& pactum factum inter Ionatham & Dauid, nã pro-
miſit Dauid facere miſericordiam cum ſemine Iona-
thæ præced. lib. c. 20. alioquin non curaſſet Dauid plus

de Ionatha, vel de filio eius Miphiboſeth, quàm de fi- A
lijs Saul, & filiæ ſuæ Merob.

Micha filius Miphiboſeth, an fuerit ſuſpenſus.
Quæſt. XXIIII.

QVAERETVR, quomodo dicitur, quòd
pepercit Miphiboſeth, in quo innuitur, q̃ei
ſoli pepercit. Sed contra, quia etiam filio eius
Micha parcere debebat, & pepercit. Ali-
quis reſpondebit, quòd non, ſed quòd ſolùm libera-
uit Miphiboſeth. Sed hoc non ſtat propter duo, pri-
mò quia hic dicitur, quòd occiſi fuerunt ſoli ſeptem,
& nominantur cuius filij fuerint, ſcilicet, duo eorum
filij Saulis, & Reſphę concubinæ eius, & quinque fi-
lij Merob filiæ Saulis, ſed inter iſtos non poteſt intel-
ligi Micha filius Miphiboſeth, quia nec erat filius
Reſphę, nec Merob. Secundò patet, quia dicitur hic,
quòd Dauid pepercit Miphiboſeth propter iuſiuran-
dum, ſed propter iſtud iuramentum, non magis tene-
batur parcere Miphiboſeth, quàm Michæ filio eius,
cũ iurauiſſet Dauid Ionathæ non nocere ſemini eius,
ideo cùm Micha eſſet de ſemine Ionathæ, tenebatur
ſeruare miſericordiam illi, ergo non occideret illum.
Reſpondendum, q̃ non occidit Micham, & tamen
non nominauit eum ſcriptura liberatum eſſe, quia
non erat opus propter duo. Primò quia erat filius Mi-
phiboſeth, & cùm pater & filius cenſeantur eadem C
perſona, dicto quòd liberauerit Dauid Miphiboſeth
à morte, intelligitur quòd etiam liberaret Micham fi-
lium ſuum. Secundo, quia hic exprimitur cauſa libe-
rationis Miphiboſeth, ſcilicet, propter iuramentum
Ionathæ & Dauid, ſed iſta cauſa erat communis Mi-
phiboſeth, & filijs eius, ideo expreſſo uno non opor-
tebat exprimi alterum.

Miphiboſeth, quomodo fuit liberatus à Dauid.
Quæſt. XXV.

QVAERETVR vlterius, quomodo dicitur
q̃ Dauid liberauit Miphiboſeth: nam non vi-
detur, quòd erat in poteſtate eius liberare eũ;
ſed ſi petiuiſſent illum Gabaonitæ tenebatur illis dare eum. Reſpondet Ra. Sa. quòd liberauit
eum Dauid orando pro ipſo ne caperetur coram ar-
ca, quia omnes poſteri Saulis tranſibant coram arca,
& qui cadebant coram ea tenebãtur ad occiſionem,
qui vero tranſibant liberè non occidebantur: Miphi-
boſeth autem trãſiuit liber coram arca precibus Da-
uid, ideo dicitur, quòd pepercit ei. Et habet iſtud Ra.
Sa. ex quadam ſimilitudine comprehendendi delictũ
ad illud, quod factum eſt tempore Ioſue propter A-
cham, quia totus Iſrael ſtetit coram arca, & ponebantur ſortes ſuper tribus, familias, domos, & uiros quo-
uſque nouiſſimè venit ſors ſuper Achan, vt patet Io
ſue 7. ſic etiam fuit ad inueniendum peccatum Iona-
thæ filij Saulis poſitis ſortibus ſuper totum populum
coram arca, de quo præceden. lib. c. 14. Sed non poteſt
hoc ſtare, quia ibi ponebantur ſortes ad comprehen-
dendum delinquentem, quia erat perſona incerta,
nunc autem certum erat, qui puniendi eſſent, cùm
petiuiſſent Gabaonitæ omnes poſteros Saulis. Dein-
de orante Dauid petiuerunt ſolum ſeptem, vt non in-
cluderetur Miphiboſeth in eis, vt ſupra dictum eſt.
Item non ſtat, quia dicitur, quòd pepercit Dauid ipſi
Miphiboſeth, ſed parcere ſignificat quandam clemẽ-
tiam in habente poteſtatem puniendi, & non ſignifi-
cat orare. Alij dicunt, quòd Miphiboſeth non fuit oc-
ciſus nunc, eo quòd compertum eſt ipſum non pec-
caſſe in occiſione Gabaonitarum, & Sacerdotum, &

hoc

hoc verum est, quia Miphiboseth erat ita paruus, q̄ non poterat aliquid in hoc agere per se operando, vel alijs iubendo. Quod patet, quia quando mortuus est Saul, erat Miphiboseth annorum. 5. supra 4.cap. & tamen Gabaonitæ mortui fuerant viuente Saule, ergo tunc nihil poterat agere Miphiboseth. Sed hoc etiam non stat, quia alij iuuenes non fuerunt in occisione Gabaonitarum, & tamen ipsi occisi sunt. Dicendum igitur, quòd pepercit Dauid Miphiboseth inquantum conatus est ne occideretur: nam Gabaonitæ prius petebant omnes de cognatione Saulis, & postea precibus Dauid petierunt solos septem. Secundò pepercit Dauid Miphiboseth, quia cùm cōcessisset Dauid Gabaonitis septem viros de stirpe Saulis, noluit quòd esset de illis Miphiboseth, & tamen poterat facere, q̄ esset vnus de illis.

An Dauid potuisset dare Gabaonitis filios Saulis innocentes. Quæst. XXVI.

QVAERETVR vterius, an potuisset Dauid dare Gabaonitis de filijs Saulis illos, qui innocentes erant. Respondendum, quòd si Dauid tanquam iudex egisset istud, non permisisset aliquem occidi, nisi manifestè reum mortis: agebat tamen iussu Dei, quia ipse iubebat, quòd satisfaceret Gabaonitis, ideo quemcunq; illi peterent de filijs Saulis tenebatur illis dare Dauid: nam illi, qui occisi sunt, non erant rei criminis huius, quia vt probatū est, non potuerunt esse in occisione Gabaonitarum, vel Sacerdotum. Ita ergo quamquam Miphiboseth esset innocens, si Gabaonitę petiuissent dari sibi omnes posteros Saulis, & in hoc perstitissent, vel si petiuissent determinatè Miphiboseth, & nollent desistere à petitione, tenebatur eis dare Miphiboseth ad occidendum, quia non agebat sponte, sed Dei iussu: Gabaonitæ tamen cessauerunt petere Miphiboseth, propter Dauid: quia ille orauit ne peterent eum: vnde nō profuit ei sua innocentia, sed amicitia Dauid. Dicendum etiam quòd quamquam Dauid manifestè ageret contra innocentes occidendo illos, tamen non agebat cōtra conscientiam, quia iussu Dei agebat, qui absoluit hominem à quocumque debito: sed potius è contrario, si petiuissent Gabaonitæ aliquem de posteris Saulis, & noluisset eum dare Dauid quia innocens erat, peccaret grauiter, cùm Deus iuberet satisfieri Gabaonitis de domo Saulis, & tamen ibi nulli erant nisi innocentes, qui possent occidi.

Dauid an fregerit iuramentum factum Sauli dando Gabaonitis filios suos. Quæst. XXVII.

QVAERETVR vlterius, an Dauid tradendo istos filios Saulis Gabaonitis ad occidendū seruauit iuramentum factum Sauli: nam iurauit ei quòd non deleret semen suum, præceden. lib. c. 24. Aliquis dicet, quòd non seruauit pactum: quia propter iuramentum præstitum Ionathæ non occidit Dauid Miphiboseth filium Ionathæ, vt patet hic: ergo propter iuramentum præstitum Sauli debuerat liberare omnes filios eius. Respondendum, quòd Dauid non egit contra iuramentum præstitum, & hoc apparet multipliciter. Primò quia Dauid non tenebatur seruare illud: ideo quamquam occideret filios eius, non infringebat iuramentum, patet hoc, quia frangenti fidem est fides frangenda, extra de iureiu. c. peruenit, Saul tamen postquam composuit cū Dauid, quòd non deleret semen eius, innouauit contra ipsum mala insidiando ei ad mortem. Nam præc. lib. cap. 24. fuit compositio siue iuramentum, deinde eo. lib. c. 26. persecutus fuit iterum Saul Dauid, ideo iam cessabat obligatio ex priori iuramento. Secundò dici potest, quòd etiam si mansisset iuramentum poterat Dauid occidere aliquos de filijs Saulis, quia ipse solùm iurauerat non delere semen Saulis, & tamen ad hoc sufficiebat, q̄ maneret vnus de posteris, in quo seruaretur nomen Saulis: fecit autem hoc Dauid, quia seruauit Miphiboseth, & Micham filium eius, qui erant de filijs Saulis: ideo occisis cæteris, & manente Miphiboseth, non violabatur iuramentum. Sed iste modus respondendi non est valde conueniens, quia licèt verba ista strictè accepta significent solùm quòd nō deberet Dauid occidere omnes de posteritate Saulis: tamen non fuerunt sic intellecta in petitione Saulis, & in iuramento Dauid, sed quòd nullum occideret de posteris Saulis, pro hac causa inimicitiæ inter eum & Dauid: vnde peccasset Dauid si ex hac causa occidisset aliquem, nisi Saul aliquid innouasset post præstitum iuramentum: sic declaratum est præced. lib. c. 24. Tertiò dici potest & melius, quòd dato quòd tenuisset iuramētum præstitum Sauli, & ipse nihil innouasset, poterat nunc Dauid licitè occidere omnes posteros Saulis, quia non agebat uoluntate sua, sed iussu Dei. Iussis autem Dei solui à quacumque obligatione facta cuicunque. Item dato quòd fecisset Dauid istud iuramentum: si postea peccauissent filij Saulis, poterat licitè occidere eos Dauid, quia iuramentum solùm extendebatur ad præterita: nam aliàs esset inuitum iniquitatis: Et dato quòd Dauid expressè iurasset, quòd nūquam occideret posteros Saulis, etiam si peccassent, non obligabatur hoc iuramento, sed potius debebat occidere illos tanquam iudex, & si uellet obseruare iuramentum, peccaret. Ita ergo hic cum Deus iuberet occidi illos pro crimine patris, poterat Dauid licitè occidere illos, immo tenebatur. Ad rationem in contrarium dicendum quòd non est simile de iuramento prestito Sauli & Ionathæ, quod patet multipliciter: primò, quia etiam neutro obligante poterat gratificare Dauid filios Ionathæ, & nollet gratificare filios Saulis. Secūdò, quia iuramentum factum ipsi Ionathæ semper tenuit, eo q̄ Ionathas nihil innouauit contra Dauid, sed semper seruauit ei misericordiam, & exposuit se pro illo ad mortem, præc. lib. c. 20. Iuramentum autem prestitum Sauli, q̄ innouauerat Saul, non tenebat ut dictum fuit. §. 3. quia iuramētum præstitū Sauli poterat de rigore sermonis saluari occidendo omnes posteros Saulis, non occiso Miphiboseth: & si occideret Miphiboseth non poterat seruare iuramentum præstitum Ionathæ: quia non seruauit misericordiam ad semen suum. Sed dicetur, cùm posset gratificare Dauid filios Ionathæ, cur non gratificauit filios Saulis? Respondendum, quòd si Dauid potuisset saluare oēs filios Saulis, ne quis eorum occideretur, saluasset. Quod patet, quia ipse tēnuit Gabaonitas an vellēt in satisfactionem offensę aurum, vel argentum, vt liberarentur oēs filij Saulis: sed noluerunt Gabaonitæ dicentes, non est nobis quæstio super auro & argento, sed cōtra Saul, & domum eius: cū igitur non potuit liberare oēs, liberauit quos potuit. Miphiboseth. Et dato q̄ potuisset liberare vnum de alijs, duos, tradendo Miphiboseth ad occidendum, non liberasset illos, sed Miphiboseth, quia magis tenebatur Ionathæ, quàm Sauli propter ea, quæ dicta sunt.

An Dauid teneretur liberare Miphiboseth propter iuramentum præstitum Ionathæ. Quæst. XXVIII.

QVAERETVR vlterius, an iuramentū præstitum Ionathæ à Dauid obligabat Dauid ad hoc, ne occideret Miphiboseth filium eius, vel quòd liberaret eum de manibus Gabaonitarum. Respondendum, quòd Dauid tenebatur misereri filijs Ionathæ, & quantum in ipso erat tenebatur liberare eos à morte, nunc tamen non obligabat eum istud iuramentum: vnde si Gabaonitæ petiuissent filios Ionathæ occidi cum reliquis, & in hoc perseuerassent, tenebatur Dauid tradere Ionathæ filium Miphiboseth, & Micham nepotem eius occidendos: quia præceptū Dei soluebat eum ab omni obligatione iuramenti cuicunque præstiti: nec magis tenebatur Dauid iuramento præstito Ionathæ quàm Sauli quantum ad hoc, quòd non permitteret filios eorum occidi: quia tamen Ionathas nunquam egerat aliquid contra Dauid manebat obligatio Dauid ad seruandum iuramētum quantum ipse posset, ideo licèt non posset simpliciter liberare Miphiboseth nullo alio præmisso, q̄ obstabat Dei mandatum: poterat tamen instare cum Gabaonitis, vt remitterent offensam Miphiboseth, & hoc non iubendo, quia sic non prouideret eis de iustitia, sed solùm orando, & hoc fecit, & precibus eius Gabaonitæ non petiuerunt Miphiboseth. Ideo quia fecit hoc Dauid, vt obseruaret iuramentum prestitum Ionathæ, dicitur quòd pepercit Miphiboseth propter iusiurandum quod fuit inter Dauid & Ionatham. *Tulit itaque.* Hic ponitur secundum huius partis, scilicet, pœnæ taxatæ executio, quam fecit Dauid vt contentaret Gabaonitas, & dicitur. *Tulit itaque rex duos filios Respha.* Idest, iussit eos tolli, & tradi Gabaonitis, vt facerent eis quod vellent. *Filiæ Ahia, quos peperit Sauli.* Idest, ista Respha erat filia Ahia, & erat concubina Saulis, supra tertio, & suscepit duos filios ex illo, & istos occidit Dauid. Ista Respha fuit, quam cognouit Abner, & propter eam fuit iurgium inter eum & Isboseth, & fuit causa ablationis regni de domo Saulis: de hoc supra tertio. *Armoni, & Miphiboseth.* Ista erant nomina filiorum, & est iste Miphiboseth differens à Miphiboseth filio Ionathæ. Sciendum autem quòd istos duos filios Saulis ex concubina dedit Dauid Gabaonitis, quia nulli filij legitimi Saulis restabant: nam Saul solùm habuit quatuor filios, scilicet, Melchisue, Ionatham, Aminadab, & Isbaal, siue Isboseth. 1. Paralip. 8. & tamen omnes isti mortui fuerant, quia tres illorum primi mortui sunt in bello cum patre. præceden. lib. cap. vlti. Isboseth autem, qui erat vltimus postea occisus est supra 4. ideo soli illegitimi restabant, qui nunc occisi sunt. *Et quinque filios Merob filiæ Saul.* Idest, etiam tradidit Gabaonitis istos quinque filios Merob. In Hebræo habetur Michol, vbi nos dicimus Merob: & sic etiam est in libris correctis, aliqui tamen putantes vitium esse scriptoris, eo quòd non erat Michol mater istorum, sed Merob posuerunt Merob: veritas tamen literæ habet Michol.

An filij Michol fuerint occisi. Quæst. XXIX.

QVAERETVR, quomodo ergo stat, quòd filij Michol occiderentur, nam hoc repugnat. Primò quia Michol non habuit filios, quia supra. 6. dicitur, quòd non est natus Michol filius vsque ad diem mortis suæ. Item si essent isti filij Michol, essent filij Dauid, sed non traderet Dauid filios suos Gabaonitis occidendos, nec etiam Gabaonitæ acciperent illos. Item dato, quòd essent filij Michol, & alterius uiri, quem habuit fugiente Dauid de terra, scilicet, Phalti filij Lais. præceden. libro cap. 25. non occideret eos Dauid, quia erant filij uxoris suæ, quam ipse nimis diligebat, ut patet preced. lib. cap. 18. Item quia dicitur, quòd istos peperit Adrieli filio Berzellai, qui fuit de Molathi. Michol tamen non fuit vxor Adrielis, sed ipsa Merob, ut patet preceden. lib. cap. 18. nam cùm uenisset tempus, quo tradenda erat Dauid data est Adrieli. Respondeni. ium, quòd isti erāt filij Merob, quos peperit de Adriele, nocantur tamen filij Michol per adoptionem, quia Michol cùm non haberet filios, adoptauit sibi filios sororis suę: & cùm dicitur, quos peperit Adrieli, non refertur ad ipsam Michol, sed subintelligitur Merob, sic tenet Glos. ordinaria & Andreas, & Historia scholastica, & omnes Hebręi.

Quare potius fuerunt occisi isti. 7. de posteris Saulis quàm alij. Quæst. XXX.

QVAERETVR vlterius, quare potius occisi sunt isti septem uiri de posteris Saulis quàm alij. Respondet Rab. Sa. quòd cogebantur omnes posteri Saulis transire coram arca: & qui reus erat, tenebatur immobiliter, qui verò innocens, transibat liber, & isti septem inter cæteros capti sunt. Sed non stat istud, vt declaratum fuit supra. Item quia Gabaonitæ petiuerunt sibi dari septem viros, & Dauid obtulit se daturum, si tamen transirent coram arca, & sic cognosceretur, qui erant rei, fortè plures traditi eis fuissent, vel pauciores, sed traditi sunt tot quot ipsi voluerunt, ergo non fuit factum istud experimentum. Item si sic fieret non peterent Gabaonitæ, quòd daretur eis septem, sed quòd traderentur omnes, qui rei erant super hoc de stirpe Saulis. Item si hoc modo consideraretur, nullus de istis septem occisus fuisset, quia nullus eorum peccauerat, vt supra probatum est. Dicendum ergo, quòd isti septem occisi sunt de posteris Saulis: quia nulli alij relicti fuerant de descendentibus ab eo. Quod patet, quia aut essent filij Sauli, aut nepotes, vel pronepotes eius. Non filij, quia aut essent legittimi, aut illegittimi. Si primo modo erant quatuor, scilicet, Ionathas, Aminadab, Melchisue, Isboseth, quorum tres primi mortui sunt in bello præcedent. libro capit. vltim. Isboseth postea mortuus est supra quarto: si autem illegittimi, solùm erant duo filij Respħæ concubinæ Saulis, scilicet, Armoni, & Miphiboseth: & isti occisi fuerunt hic, vt patet hic. nec legitur Saul plures filios habuisse. Si autem intelligatur de nepotibus & pronepotibus, aut illi erant ex filiabus, aut ex filijs, si ex filiabus, illę erant duæ, scilicet, Merob, & Michol, vt patet præcedenti libro capit. decimoquarto, ex Michol autem nullus filius natus est. Nam dicitur supra sexto, quòd Michol filiæ Saulis non est natus filius vsque ad diem mortis suæ. Ex Merob autem alia filia nati sunt quinque filij, & illi occisi sunt, ut apparet hic: & isti quia erant parui, nondum habebant filios, qui posent occidi, vel manere, vel dato quòd esent magni, nunquam illos habuerunt. Si autem considerentur nepotes ex filijs, sic fuit ex Ionatha Miphiboseth, & Micha filius Miphiboseth, sed istos non occidit Dauid propter iuramentum, ut patet hic. Si autem consideretur de alijs filijs, dicendum quòd non habuerunt aliquos filios succesores. Quod patet, quia primo Paralip. 8. enarratur tota progenies Saulis, vbi ponuntur quatuor filij eius, & computatur tota progenies Ionathę secundū successionem, & de alijs filijs non cōputatur

Universidad de Deusto
Biblioteca

progenies aliqua, ideo nullum habuerunt, alioquin computaretur, quia sic solet fieri in primo Paralipo. à principio vsque ad 10. cap. scilicet, quòd si quis habeat multos filios, non solùm computatur successio per vnum, sed per omnes: non ergo manebant nunc aliqui posteri Saulis, qui occidi possint nisi isti septem præter Miphiboseth, & Micham quibus pepercit Dauid. *Quos genuerat Adrieli filio Berzellai.* Id est, Merob genuit istos quinque filios ex Adriele filio Berzellai: iste enim fuit vir eius, quia cum tradi debuisset Merob Dauid, tradita est Adrieli filio Berzellai. *Qui fuit de Molathi.* Est Molathi quædam ciuitas in terra Israel, & aliqui volunt, quòd sit in sorte Simeon, & vocatur Molada, ut patet Iosue decimonono. Sed magis videtur, quòd fuerit aliquis alius locus in tribu Beniamin, ideo vocatur iste Adriel Molathites, vt patet præceden. libro cap. decimooctauo. *Et dedit eos in manu Gabaonitarum.* Scilicet, vt crucifigerent eos. *Qui crucifixerunt illos in monte.* Scilicet, in monte, qui est apud Gabaath ciultatem Saulis, sic enim dixerant ipsi, quòd darentur eis septem viri, vt crucifigerent eos in Gabaath. Quare autem ibi potius quam alibi, supra declaratum est. *Coram Domino.* Idest, crucifixerunt eos coram Domino, idest, manifestè, scilicet, in monte, ubi erat locus publicus. Ea enim quæ fiunt publicè, coram Domino fieri dicuntur. Et sic quandocunque congregatur totus populus, & aliquid facit, dicitur illud fieri coram Domino, sic patet Iosue vlti. & in alijs locis. *Et ceciderunt hi septem simul occisi.* Idest, omnes isti. 7. occisi sunt simul, scilicet, in eadem die. *In diebus messis primæ.* Idest, tunc erat messis prima, quando isti suspensi sunt. Est autem messis prima in mense Martio, qui est primus mensis apud Hebræos: nam incipiebat messis inter Hebræos immediatè post festum azymorum: vt patet Leuitic. vigesimotertio. Nam dicitur, quòd die secunda azymorum duceretur manipulus spicarum in sanctuarium ad faciendum sacrificia, & hoc erat antequam mitterentur falces in segetem, & non licebat Israelitis ante diem istum comedere de segete panem pultes aut polentam eod. cap. & immediatè post festum azymorum incipiebat messis, & sic occisi sunt isti in mense primo, scilicet, Martio prope festum azymorum. *Incipiente messione hordei.* Idest, tunc incipiebat messis hordei: nam dicitur, quòd erat tēpus messis primę, & tamen messis prima est hordeorum, cùm ista sint primitiua in segetibus. *Tollens autem Respa filia Aia cilitium substrauit sibi super petram.* Idest, Respha concubina Saulis accepit cilitium, idest, pelles grossas, vel stramenta facta de pilis caprarum, & strauit sibi super petram, idest, fecit sibi lectum super petram: sternere enim est lectum componere, hoc autem fecit Respha ad custodiendum suspensos ne lacerarent eos volucres cœli: nam duo illorum erant filij sui, & mansit ibi in monte apud patibula à principio messis primæ vsquequo ablata sunt cadauera de patibulis. *Donec stillaret aqua super eos de cœlo.* Idest, mansit ab initio messis primæ vsquequo stillauerunt aquæ de cœlo super cadauera, & tunc ablata sunt de patibulis, & recessit inde Respha. Valde enim laudanda fuit Respha, quæ tam duros & horrendos labores sustinuit, vt honorem quendam defunctis impenderet: nam fuit nocte, & die vigilans apud patibula, ne aues cęli lacerarent cadanera, & quandocunque venirent aues, ipsa lapidibus abigebat eas. Mansit autem ibi ad ardorem solis, nocte, & die non recedens, nam si per modicum recederet tempus, volucres superuenientes lacerarent cadauera. Est tamen ardor in terra illa valde magnus, cùm sit quasi in medio tertij, & quarti climatis, ipsa autem tolerauit totum ardorem veris, & æstatis: nam vt dicitur fuerunt ibi cadauera à die decimosexto Martij, scilicet, die sequen. post festum azymorum vsq; ad diem. decimūseptimū Septembris, quia tunc incipiunt fluere aquæ de cęlo, sic dicit Ra. Iohanam: idem etiam dicit Historia scholast. quòd manserunt ibi vsque ad Calendas Septembris, in quo tempore finita messe naturaliter pluuiæ incipiunt distillare. Alius tamen est sensus: vt infra dicetur. Hunc autem laborē Respha non exhorruit. Item erat alius labor adhuc intolerabilior, scilicet, fętor exhalatus de cadaueribus: nam cùm esset tempus calidum, necesse erat horrendum fętorem exhalare: quem vix quilibet hominum tolerare potuisset: non potest tamen dici, quòd Respha longe recedebat a patibulis, vt non peruenire ad eam fętor grauissimus: nam necesse erat, quòd esset prope patibula: quia alioquin possent irruere volucres super cadauera prius, quàm ipsa veniret ad abigendum illas, & multotiens irruendo lacerarent: ipsa tamen non permisit lacerari illa à volucribus: ideo necesse erat, quòd maneret apud ea. Huius mulieris virtutem Dauid admiratus est, nam cùm enarrassent ei serui sui quid egisset Respha, ipse admiratus fecit, quòd corpora tollerentur de patibulo. *Et non dimisit aues lacerare eos per diem, nec bestias per noctem.* Idest, assiduè manebat Respha apud patibulum die, & nocte: per diem quidem, vt abigeret aues venientes super cadauera: per noctem verò vt conseruaret ea à bestiis. Ponitur autem hoc ad distinctionem temporis, quia aues per diem venantur, in nocte autem quiescunt: bestiæ verò è contrario per diem manent in cubiculis suis, & per noctem inquirunt prædam: sic patet Psalm. cap. 3. Posuisti tenebras, & facta est nox: in ipsa pertransibunt omnes bestiæ siluæ, catuli leonum rugientes, vt rapiant, & quærant à Deo escam sibi: ortus est sol, & congregati sunt, & in cubilibus suis collocabuntur. Sed obijcietur, quia Genes. decimoquinto dicitur, quòd Abraham abigebat volucres descendentes in cadauera per noctem. Dicendum, quòd illę volucres descenderunt per diem: nam cùm dicitur: descenderunt volucres super cadauera, & abigebat eas Abraham: sequitur: cumque sol occumberet, sopor irruit super Abraham: & sic nondum occubuerat Sol quando Abraham abigebat aues. Circa dendum autem, quòd Respha non erat sola in custodia istorum suspensorum: quia necesse erat eam aliquando dormire, & tunc volucres, vel bestiæ possent irruere super cadauera, & lacerare, quia tamen ipsa erat principalis in hoc, nominatur ipsa sola.

Quare isti manserunt tanto tempore suspensi, quia videtur contra legem. Quæst. XXXI.

QVAERETVR, quomodo tanto tempore isti manserunt in patibulo, quia Deuteron. vigesimoprimo, dicitur, quòd quando aliquis suspenderetur, non maneret corpus suum in patibulo, sed eadem die sepeliretur, isti autem manserunt in cruce magno tempore. Respondet Rab. Iohanam, quòd melius est rumpi aliquam partem de lege, vt Deus laudetur, quam quòd obseruata lege non laudetur: sic enim factum est hic, quia si isti depositi fuissent eadem die de cruce, secuta fuisset aliqua laus Dei, uel Israelitarum: nunc autem cùm manserunt multis diebus, trāsibant multi extranei apud patibula, & quærebant, qui erant illi, qui suspensi erant, & respondebatur, quòd erant filij regis, & suspensi erant qui occiderant alienigenas: tunc videntes alienigenæ iustitiam Israelitarum, conuertebantur ad Iudaismum, & laudabant populum istum. Vnde dicit idem Ra. Ionatham, quòd conuersi sunt. 150. millia alienigenarum, & isti erant, qui portabant onera tempore Salomonis, & erant diuisi, quia 70. millia onera portabant, & 80. millia erant latomi in monte, vt patet sequen. libro capit. quinto. Sed errat iste, quia non est laus Dei, quòd rumpatur aliquid de lege, sed potius est magnum vituperium, quia honor Dei consistit in hoc, quòd obedimus ei in his quæ iussit. Cùm autem dicit, quòd conuersi sunt. 150. millia de portantibus onera. Dicendum, quòd præsupponit aliquid, quod non est probabile, quia sicut colligitur sequen. lib. cap. 5. illi, qui portabant onera, & erant latomi non erant de conuersis, sed de Israelitis, & de seruis Iram regis Tyri tenet tamen istam positionem Rab. Sa. Alij dicunt, quòd rex iussit de suspensione istorum, & putauit, quòd eodem die tollerentur secundùm legem, ideo nihil locutus est de ablatione eorum de patibulo. Executores autem dixerunt: nihil dixit rex de ablatione de patibulo, sed de suspensione, ideo non removerunt cadauera de patibulis vsque ad Septembrem: tunc enim audiuit Dauid de Respha, & scinit, quòd manebant cadauera in cruce, & fecit tolli. Hoc tenet Rab. Dauid Kimhi. Aliter potest dici, quòd non sciuit Dauid manere eos in patibulo: nam suspensi sunt in Gabaath, Dauid autem manebat in Ierusalem, ideo nescisuit qnando suspensi sunt, an fuerunt ablati de patibulo, & manserunt ibi vsquequo rex audiens incidentaliter de Respha iussit, quòd deponerentur cadauera de cruce. Sed dicendum, quòd adhuc non stat, quia si fuisset solùm ex errore, vt isti arbitrantur, scilicet, quia rex nesciebat, an deposita essent cadauera de patibulo, & non esset aliquod præceptum regis de non deponendo illa: Respha, quæ tam diligenter custodiebat cadauera, petiuisset, vt rex iuberet ea deponi, & tamen non petiuit, cum postea narratum fuerit ei quid fecerit Respha: ergo non petiuit ipsa deponi cadauera. Item populus non permisisset, quòd contra legem manerent cadauera tādiu in patibulls, quia ex hoc erat terra maledicta, & contaminata: vt patet Deuter. 21. scilicet, nō permanebit cadauer eius in ligno, sed eadem die sepelietur, quia maledictus à Deo est, qui pendet in ligno: & nequaquam cōtaminabis terram tuam, quam Dominus Deus tuus dedit in possessionem tibi: sed permisit populus toto hoc tempore cadauera manere in patibulis: ergo videtur, quòd rex vetuerat illa inde tolli. Dicendum, quòd cadauera istorum non ablata sunt de cruce, quia rex statuerat, ne quis illa auferret quousque iuberet ipse. Et ob hoc Respha putans, quòd mansura essent cadauera magno tempore in patibulo parauit sibi lectum ad custodiendum toto tempore, quo manerent in cruce: ideo dicitur, quòd Respha strauit sibi cilitium super petram, idest, fecit sibi lectum de cilitio. Causa autem quare Dauid iussit manere cadauera in cruce, fuit: quia isti viri suspensi fuerāt ad placandum iram Dei, per quam inflicta fuerat fames in terra: & ista fames fuit per defectum pluuiæ, sicut tempore Elisæi: vt patet sequen. lib. cap. 17. & Iacobi. cap. 5. nam tunc tribus annis non pluit: vnde dicitur: viuit Dominus Deus Israel, si erit annis his ros, & pluuia, nisi iuxta verba oris mei: & fuerunt isti. 3. anni. ita nunc sentiebant Israelitæ famem continuā per hoc, q̄ his tribus annis non

pluit, & ad placandum dominum suspenderunt istos, ideo iussit Dauid quòd manerent cadauera eorum in cruce vsquequo ostenderetur Deus placatus: & quia ira sua erat non mittendo pluuiam, ostenderetur placatus, quando mitteret illam: & ob hoc iussit Dauid, q̄ non deponerentur corpora illa de cruce, quousque plueret, & sic factum est. Nam semper mansit Respha custodiens cadauera, quousque pluit, & ad signandum istam causam dicitur hic in litera, subtraxit sibi super petram cilicium ab initio messis, donec stillaret aqua super eos, idest, tunc quando aqua distillauit, sciuit totus populus, quòd Deus erat placatus super peccato Saulis contra Gabaonitas, ideo iussit tolli cadauera de cruce. Quod autem dicit Historia scholastica, quòd manserunt usque ad calendas Septembris, quo tempore naturaliter pluere solet, non stat, quia non uidetur aliqua causa, quare magis tunc ablata fuerunt cadauera de cruce, quàm alio tempore: nisi fortè dicatur, quòd ex ignorantia factum est. Sed non stat cùm supra improbatum sit: oportet tamen quòd ex aliquo mysterio ponatur quòd manserunt corpora in cruce usquequo stillauit aqua super illa de Cęlo, ideo intelligendum est ut nunc dictum fuit.

Et nunciata sunt Dauid. Hic ponitur suspensorum honorabilis tumulatio: nam quamquam passi fuissent pœnam abiectam ut placaretur Deus in illis: postea placato Deo, honorabiliter sepulti sunt, & dicitur. *Et nunciata sunt Dauid, quæ fecerat Respha filia Aia concubina Saul,* scilicet, quomodo seruasset cadauera toto tempore, quo manserunt in cruce, nunciatum fuit autem hoc Dauid tanquam opus magnæ uirtutis, & uerissimè sic erat. Vocatur Respha concubina Saul, quia acceperat eam in concubinam postquam fuit rex, & genuit ex ea duos filios, qui nunc suspensi sunt. *Et abijt Dauid.* Iuit in Iabes Galaad ubi erat sepultus Saul. *Et tulit ossa Saul, & Ionathæ filij eius a viris Iabes Galaad,* idest, accepit ab istis uiris ossa Saulis, & Ionathæ, quæ erant sepulta apud eos in nemore Iabes, ut patet præceden. lib. cap. ult. & 1. Paralip. 10. & non solùm ossa istorum, sed etiam aliorum duorum filiorum Saulis, qui sepulti fuerant in Iabes cum Saule, & Ionatha, nam omnia eorum corpora ducta sunt simul de terra Phillsthinorum, ut patet prælleg. capit. fit tamen hic mentio solùm de Saule, & Ionatha, quia erant honorabiliores.

Suspensorū honorabilis tumulatio.

Quare Dauid tulit ossa Saulis, & Ionathę de Iabes. Quæst. XXXII.

QVAERITVR, quare iuit Dauid ad ducendum ossa Saulis & filiorum suorum de Iabes. Respondendum quòd uoluit Dauid honorare Saulem, & Ionatham: erat autem apud Hebræos magna infœlicitas, quòd quis non sepeliretur in sepulchris patrum suorum, ideo desiderabant omnes sepeliri in sepulchris eorum, sic patet de Berzellai Galaadite, qui dixit ad Dauid. Reuertar seruus tuus obsecro, & moriar in ciuitate mea, & sepeliar iuxta sepulchrū patris mei, & matris meæ. Sic etiam Achitophel venit ad suspendendum se in ciuitate sua, vt sepeliretur in sepulchro patrum suorum: vt declaratum est supra decimoseptimo. Sic etiam Abraham, Isaac, & Iacob, & vxores eorum in eodem sepulchro sepulti sunt. Gen. quadragesimonono. Dauid ergo volens honorare Saulem, & Ionatham, voluit ducere eos in sepulchrum patrum suorum. Erat enim ciuitas illorum Gabaath, de qua pro aui eorum fuerāt: & ibi

Universidad de Deusto
Biblioteca

sepulti erant. Saul autem, & Ionathas erant extra F
terram suam in nemore Iabes Galaad, quæ erat in
sorte Gad: ideo duxit ossa eorũ in Gabaath, & in hoc
impendit eis magnum honorem, quia ipse iuit de Ie-
rusalem in Iabes Galaad pro illis, & cũ eo magna pars
populi Israel: & honorabiliter duxerunt ossa illa, sicut
decebat ossa regia ducis: & stetit Dauid in officio fune-
ris istorum postea in Gabaath.

*Nunquam Dauid habuit tantam opportunitatem ducendi os-
sa Saulis de Iabes. Quæst. XXXIII.*

QVAERETVR vlterius, quare potius Dauid
duxit ossa Saulis, & Ionathæ nunc quàm alio
tempore. Respondendum, ꝙ Dauid intende-
bat ducere aliquando ossa Saulis, & Iona-
thæ in sepulchrum patris sui, & tamen non occurre- G
rat ei tanta opportunitas, sicut nunc. Et hoc fuit pro-
pter duo, primò quia nunc uidebatur honorabilior
Saul, & filij sui quàm ante hoc: nam prius constabat
Saulem egisse multa scelera, & nõ apparebat, an Deus
remisisset ei. nunc autem apparebat, quòd Deus erat
sibi placatus, cùm occisis filijs suis pluit Deus: ideo ap-
paruit magis honorabilis nunc quàm prius, & ob hoc
potius dignati sunt eum honorare, dãdo sepulchrum
venerabile quàm prius. Secundùm fuit, quia isti su-
spensi honorandi erant à populo magno honore tu-
muli, cùm Deus in morte eorum placatus fuisset po-
pulo tollendo famem: & quia isti erant filij, & nepo-
tes Saulis, & sepeliendi erant in Gabaath, vbi Saul se-
peliendus erat, cum rex conuenire deberet ad sepul- H
chrum istorum, voluit quoque ducere Saulem & fi-
lios eius, qui erant in Iabes Galaad, vt omnes simul se-
pelirentur, quia erant omnes filij Saulis: hoc autẽ non
occurrerat prius, ideo non duxerant ossa ante hoc.
Qui furati fuerant ea de platea Bethsan. Quia isti Iabeseni
memores beneficij, quod eis fecerat Saul, scilicet, libe-
rando eos de potestate Naas regis Ammonitarum.
prꝫced. lib. cap. 11. iuerunt in Bethsan vrbem Philisthi-
norum, vbi Saulis, & filiorum suorum cadauera erant
suspensa, & per noctem furati sunt illa, duxeruntque
in Iabes Galaad, & ibi ieiunauerunt per septem dies,
& fleuerunt, sepelieruntque illa in nemore Iabes, præ-
cedent. lib. cap. vlti. *In qua suspenderant eos Philisthini.*
Scilicet, suspenderũt Philisthini cadauera Saulis, & fi- I
liorũ eius in platea Bethsan, & inde tulerunt ea viri Ia-
bes. *Cùm interfecißent Saul in Gelboe.* Ideſt, interfecerunt
Saulem in monte Gelboe: & inde duxerunt corpora
Saulis, & filiorum suorum: vt ostenderent ea in terra
sua ad laudem victoriæ, & suspenderunt illa in platea
Bethsan, & inde duxerunt ea viri Iabes in terrã suam.
Et asportauit inde ossa Saul, & ossa Ionathæ filij eius. Ideſt,
accepit de terra Galaad ossa Saulis, & Ionathæ, & alio-
rum duorum filiorum Saulis, & duxit ea in Ga-
baath.

*Viri Iabes quomodo dicuntur tulisse ossa Saulis de platea
Bethsan. Quæst. XXXIIII.*

QVAERETVR, quomodo dicitur hic,
quòd viri Iabes tulerunt ossa Saulis, & Io-
nathæ de platea Bethsan, quia præcedent.
lib. cap. vlti. dicitur, quòd suspenderunt ea
in muro Bethsan. Respondendum,
quòd Philisthini suspenderunt cadauera Saulis, & fi-
liorum suorum in muro Bethsan, & non erant in
platea intra urbem, quia tunc non potuissent viri Ia-
bes introire in Bethsan per noctem ad capiendum
cadauera, quia porta clausa esset, cùm ista ciuitas esset
in terminis terræ Philisthinorum, & Israel. Etiam da-
to, quòd esset aperta ciuitas, non auderent viri Iabes
introire in vrbem per noctem, quia dum caperent
cadauera cognosceretur in vrbe, & caperentur. Dicẽ
dum ergo, quòd extra ciuitatem Bethsan erat platea,
scilicet, locus rerum venalium, & ista platea adiacebat
muris, vnde rectè dici poterat, quòd muri erant in
platea, & sic quidquid penderet in muris, diceretur
esse in platea, & quia suspensa erant cadauera de mu-
ro, dicebantur esse suspensa in platea: & ob hoc præ-
ceden. libro cap. vlti. dicitur, quòd erant suspensa de
muro, hic autem & primo Paralipom. decimo dici-
tur, quòd erant suspensa in platea. *Et colligentes ossa
eorum, qui affixi fuerant.* Ideſt, acceperunt corpora
suspensorum, & sepelierunt ea cum corporibus, vel
ossibus Saulis, & Ionathæ. Et dicitur, colligentes ossa,
ideſt, corpora, quia aliquando ipsa cadauera integra
vocantur ossa. Vel dicuntur colligi ossa, scilicet, quia
fortè manserant magno tempore in patibulis, & quã-
quam aues non lacerarent illa, per quotidianam tabe
factionem computruerunt, & dissoluta sunt: cecide-
runtque per partes apud patibula, & tamen quam-
quam sic essent, non permittebat Respha volucres
accedere ad ossa, & sic iacentia apud furcas colleges
runt, & sepelierunt. *Et sepelierunt ea cum ossibus Saul &
Ionathæ filij eius.* Scilicet, quia omnes isti erant filij
Saulis, vel nepotes, & intelligitur cum ossibus Sau-
lis, & Ionathæ, & etiam aliorum duorum filiorum
Saulis, scilicet, Aminadab, & Melchisue: quia om-
nium ossa simul ducta sunt. *In terra Beniamin.* Scili-
cet, apud ciuitatem Gabaa, quæ erat in terra Benia-
min: nam de illa ciuitate erat Saul, & ibi erant sepul-
chra maiorum suorum. *In latere montis, in sepulchro Cis
patris eius.* Ideſt, sepulta sunt omnia ista ossa in sepul-
chro Cis patris Saulis, & erat istud sepulchrum in la-
tere cuiusdam montis: nam intra vrbes nulli sepeli-
bantur ætate illa, sed per agros, & in montibus: sic
etiam erat apud gentiles, scilicet, quia in agris sepeli-
bantur in fundis suis, & illi vocabantur sacri. Eccle-
sia autem primò introduxit sepeliri homines intra
vrbes in ipsis Ecclesijs, & in cœmeterijs. Causa autem
huius declarata est Numeri decimonono. Credeba-
dum est autem, quòd Dauid nunc struxerit aliquod
ædificium pulchrum apud sepulchra Saulis, & filio-
rum suorum propter statum regium: & præcipue
propter honorem Ionathæ, quem diligebat nimis: sic
enim Machabæi fecerunt pulchra ædificia super se-
pulchra sua, & patris sui, vt patet primo Machab.
cap. 13. *Fecerunt que omnia, quæ præceperat rex.* Scilicet,
occidendo filios Saulis, & tenendo eos in patibulis
magno tempore, & postea sepeliendo illos. *Et repro-
pitiatus est Dominus terræ post hæc.* Ideſt, misertus fuit
Deus terræ Israelitarum postquam facta sunt hæc, sci-
licet, auferendo famem: nam existentibus suspensis
filijs Saulis Deus placatus est, & misit aquam de cœlo
super illos, & tunc uiderunt Israelitæ, quòd Deus au-
ferebat famem, & miserebatur terræ: ideo dicitur si-
pra quòd manserunt cadauera in cruce, quousque
stillaret aqua de cœlo super illa. *Factum est.* Hic pon- K
tur secundum principale, scilicet, quadruplex bellum
Dauid contra Philisthinos.

*An ordo sit consequens ad præcedentia.
Quæst. XXXV.*

QVAERETVR circa hoc, an istud ha-
beat ordinem consequentem ad supra posi-
ta. Respondendum, quòd non habet to-
taliter ordinem consequentem, licet
quãtum ad aliquid habeat: nam dicitur quòd tertium
bellum fuit, in quo Dauid occidit Goliath Gethæum,
sed

sed manifestum est, ꝙ multo tẽpore ante hoc Dauid A
occidit Goliath, scilicet, tempore Saulis, antequã ipse
esset rex. prꝫced. li. c. 17. sic etiam dicendum est de alijs,
ꝙ non habeant ordinem rectum ad præcedentia: &
etiam inter se nõ habent rectum ordinem, quia illud
quod ponitur hic tertium bellum fuit ante primum,
& secundum, cùm illud fuerit primum bellũ Dauid:
nam ante illud semper fuerat in opere pastorali. Sed
obijcietur, quòd hic sit ordo continuus, quia istud bel-
lum primum fuit post ea, quæ dicta sunt de fame, vt
infra declarabitur, & alia vocantur secũdum, tertium,
& quartum, ergo fuerunt illa post primum, & sic om-
nia fuerunt post famem. Respondendum ꝙ non stat,
sicut manifestè apparet de bello Dauid ꝓtra Goliath,
quod est hic tertium, & fuit ante omnia. Sed dicendũ B
ꝙ hic vocantur, primum, secundum, & tertium, non
prout importent ordinem, sed prout dicunt nume-
rum, & dicitur, quòd fuit secundum bellum, ideſt, fuit
aliud bellum, vnde scriptura non curauit ibi de ordine
rei, sed solùm rem gestam enarrare.

Quare fiat hic mentio de istis bellis. Quæst. XXXVI.

QVAERETVR vlterius, cùm ista bella non
se habeant consequenter ad præcedentia de fa
me, cur ponuntur hic. Respondendum ꝙ scri-
ptura voluit facere quãdam recapitulatio-
nem bellorum fortium Dauid: ideo quamꝫ in diuer-
sis temporibus ista facta fuerint, posita sunt simul, quia C
scriptura interdum plus seruat ordinem artificialem
ꝫ naturalem. Fecit autem in hoc conuenienter, quia
ista bella, quæ hic ponuntur, nunquã fuerant enarrata
in præcedentibus, & ne manerent gesta magnifica Da
uid intacta, descripsit illa hic. Sed obijcietur, cùm pri-
mum, secundum, & quartum bellum, quę hic narran-
tur nunquam fuerint alibi enarrata, cur tertium bellũ
ponitur hic? quia illud iam fuerat enarratum præc. lib.
c. 17. Respondendum ꝙ scriptura intendebat hic face-
re duo. Primum enarrare bella fortia, quæ non enar-
rata fuerant, & hoc facit in primo, secundo, & quarto
bello. Secundum est, quòd specialiter narrentur bel-
la illa gloriosiora, in quibus occisi sunt aliqui gigãtes.
Pro quo sciẽdum, quòd in vrbe Geth Philisthinorum D
quædam mulier nomine Arapha genuit quatuor si-
lios gigantes, & istos quatuor occidit Dauid diuersis
temporibus in bellis: ideo vt mors istorum enarrare-
tur tanquam aliquid singulare, tetigit hic scriptura
quatuor bella, in quibus isti quatuor gigantes occisi
sunt: & quamquam vnum istorum iam enarratum
fuisset præced. lib. cap. 17. vt tamen intelligeretur illud
pertinere ad alia tria bella, de quibus hic dicitur, enar-
rata sunt omnia simul, vt sic sciatur quid de illis qua-
tuor gigantibus factum fuerit. Et ista est causa quare
solùm posita fuerint hic quatuor bella, quamquam
alia famosa facta fuerint à Dauid, scilicet, quia in istis
solis quatuor occisi sunt quatuor gigantes, de quibus
hic principaliter intendebatur. *Factum est autem rur- E
sum prælium Philisthinorum aduersum Israel.* Ideſt, Philis-
thini incitauerunt bellum contra Israelitas post præ-
cedentia. *Et descendit Dauid, & serui eius cum eo.* Scili-
cet, descenderunt ad obuiandum Philisthinis, ne ipsi
intrarent, & vagarẽtur per terram Israel. *Et pugnabant
contra Philisthiim.* Ideſt, inierunt pugnam contra illos.

*An istud bellum fuerit post famem, vel ante.
Quæst. XXXVII.*

QVAERETVR, an istud bellum fuerit post
famem, uel ante. Respondendum, quòd sa-
tis de hoc dubitari potest: nam supra proba-
tum est, quòd hic non erat ordo continuus ad præce-
dentia, ideo sicut in uno bello, scilicet, in tertio erat
discontinuitas ordinis, ita & in alijs esse poterat. Rur-
sus tamen non conuincitur, quòd sit discontinuatio,
quia licèt vnum bellum istorum nõ habeat ordinem
ad præcedentia, poterunt habere reliqua: quia ista
quatuor bella non sunt tanquam quatuor partes eius-
dem historiæ, sed tanquam quatuor historiæ non de-
pendentes, nec connexæ. Sciendum, quòd aliqui vo-
lunt istud bellum primum fuisse antequam Absalom
persequeretur Dauid: quod probant, quia infra dici-
tur, quòd nũc iurauerunt serui Dauid, quòd non egre-
deretur amplius cum eis ad bellum, sed supra 18. in
historia Absalom dicitur, quòd non permiserũt serui
Dauid eum exire ad bellum: ergo prius fuerat istud B
quàm illud, quia ante hoc non iurauerant, ꝙ non exi-
ret cum eis Dauid ad bellum. Sed dicendum, ꝙ istud
bellum factum fuit post famẽ præcedentem, vt patet
ex litera, cùm dicitur: factum est autem rursùm prę-
lium: si tamen non fuisset post prꝫcedentia, non haberet ad
quid referretur, nam iterum dicit ordinem, sicut si di-
ceretur post hæc. Item non stat ratio in ꝯrium cùm
dr, ꝙ non permiserũt serui Dauid eum exire ad bellũ:
nam illud prius fuit quàm istud, quia tpe illo Dauid
erat robustus, quod patet. ℈. 17. stu nosti patrem tuum,
& uiros, qui cum eo sunt esse fortissimos. Et iterum:
scit. n. omnis populus Israel fortem esse patrem tuum:
nunc aũt iam erat deficiens viribus, cũ dicatur hic defi
ciente aũt Dauid: ergo non fuit istud ante illud. Item
non bene arguunt, eo ꝙ dicitur ꝙ nunc iurauerunt, ꝙ
non exiret Dauid cum eis in bellum, & ibi non ꝓmise
runt eum exire, quia illa non permissio non fuit ꝓp
istud iuramentum, sed ex alia causa. ſ. quia iam Dauid
erat inimicus valde Absalom & de eo solo curaret in
bello: vnde dato ꝙ esset fortissimus occidi, vel capi pos
set, irruentibus super eum omnibus seruis Absalom:
nunc aũt non prohibuerunt eum ꝓp speciales inimi-
citias, sed quia deficiens erat uiribus, vt dicitur hic: ibi
autem non ꝓp defectum virium, cùm dicitur. ℈. 18.
Rñdit populus: non exibis nobiscũ, siue. n. fugierimus
non magnoperè ad eos de nobis pertinebit: siue me-
dia pars nostrum ceciderit, non satis curabunt, quia tu
unus pro decem millibus computaris. Item patet, ꝙ
illud fuerit ante istud: nã si iam serui Dauid iurassent,
ꝙ nunquam Dauid egrederetur cum eis ad bellũ, non
inquietaret eos amplius uolendo ire ad bellum: dixit
tamen ℈. 18. egrediar & ego vobiscum: ergo uidetur ꝙ
non fuerat adhuc factum istud iuramentum, & sic di-
cendum, quòd istud fuit post ea, quæ habentur ℈. 18.
& post famem supra habitam. *Deficiente autem Dauid.*
Ideſt, deficiente uiribus. Quod dupliciter intelligitur,
ſ. propter senectutem: ita ꝙ iam nõ esset aptus ad bel-
lum, & sic Philisthinus poterat eum faciliter ꝓcutere:
vel ꝓp laborem. ſ. ꝙ quamquam esset in ætate robu-
sta: tamen iam nimis laborauerat in bello illo, & Phi-
listhinus inuenit eum fatigatum: ideo poterat eũ per- E
cutere. *Jesbibenob.* Aliqui uolunt esse tres dictiones
hic. ſ. Iesbi, & Be, & Nob. Et dicũt, quòd iste Iesbi erat
de urbe Nobe. Sed hoc non stat, quia Iesbi erat de
Geth terrę Philisthinorum, & non erat de Nobe ciui-
tate, quę erat in terra Israel. Alij autem Hebræi, ut re-
fert Ra. Dauid Kimhi, uolunt, ꝙ dicatur Iesbibenob,
ideſt, de urbe Nobe: non quòd esset de illa oriundus,
sed quia Deus permisit uenire Iesbi super Dauid ꝓp
peccatũ, quod fecit in urbe Nobe contra Sacerdotes:
nam ipse fuit occasio mortis illorum. Sed etiam hoc
non stat, ut ait Ra. Dauid Kimhi: & ratio est manife-
sta, quia tunc Be esset præpositio apud Hebræos, sed
falsum est, quia nunquam reperitur apud eos talis
dictio. Alij uolunt, quòd Iesbi Benob sint duæ dictio-

Universidad de Deusto
Biblioteca

nes, scilicet, Iesbi una, & Benob alia, eo quòd uidentur ista diuisa in litera Hebraica. Sed etiam hoc non stat, quia Benob non significaret ibi aliquid, scilicet, non nomen uiri, quia uocabatur Iesbi secundum eos, non nomen loci, quia iste erat de urbe Geth cum esset filius Arapha sicut alij tres gigantes. Ideo dicēdum quòd sit una dictio. *De genere Arapha.* Ideſt, filius cuiusdam mulieris, quæ uocabatur Arapha.

Arapha quæ mulier fuerit. Quæſt. XXXVIII.

QVAERETVR, quæ mulier erat ista. Respondent Hebræi, quòd erat Orpha nurus Noemi, de qua habetur Ruth. 1. & causa huius est, quia licet in litera nostra differant nomina huius, & illius, scilicet, Arapha, & Orpha, tamen apud Hebræos eadem dictio est, scilicet, Orpha: ideo est causa errandi apud Hebræos: litera autem nostra fecit differentiam ad innuendum, quòd non erat eadem dictio. Sed sciendum, quòd non poterat illud stare, quia Orpha nurus Noemi erat de terra Moab: ut patet Ruth. 1. Arapha autem, de qua hic erat de terra Philisthinorum, scilicet, de urbe Geth. Item non est uerisimile, quòd illa haberet nunc filios iuuenes quales erant isti, nam de Iesbi Benob dicitur, accinctus erat ense nouo, ideſt, factus fuerat miles tunc: si tamen esset filius Orpha iam esset mortuus, uel antiquus nalde. Quod patet, quia ex tempore illius usque nunc transierant ferè centum uiginti anni, quia Ruth dicitur fuisse in principio temporis Heli, scilicet, ipso iudicante, & tamen Heli præfuit 40. annis præced. lib. cap. 4. & Samuel, & Saul præfuerunt alijs 40. Act. c. 13. Dauid etiam præfuit 40. annis, & nunc erat quasi finis regni sui, scilicet, in senectute sua, ideo erant iam anni 120. ex eo tempore, quo Orpha acceperat uirum, ideo necesse erat, quòd nulli filij de ea superessent, uel essent antiquissimi ualde. Item patet hoc per generationes: nam Orpha, & Ruth erant nurus Noemi, & tamen Ruth concepit postea Obeth, Ruth. 4. & ille genuit Isai, & Isai genuit Dauid, & Dauid erat nunc senex, & transierant tres generationes per lineam Ruth, ergo totidem ad minus transiuissent per lineam Orphę. Non est ergo ista Orpha, de qua habetur in Ruth, potissimè cum filius eius Iesbi benob esset iuuenis, scilicet, accinctus ense nouo, vt patet hic. Dicendum ergo, quòd ista Arapha erat quędam mulier de urbe Geth terræ Philisthinorum, quæ genuit quatuor filios gigantes quasi coętaneos Dauid, *Cuius ferrum hastæ trecentas uncias appendebat.* Istud ponitur ad signandum magnitudinem roboris gigantis huius, cùm posset hastam tanti ponderis gestare, & uti illa faciliter ad bellum. De Goliath autem dicitur, q̄ ferrum hastæ eius sexcentos siclos habebat ferri, præceden. lib. capit. 17. sed non constat an siclus, & uncia sint eiusdem ponderis. *Et accinctus erat ense nouo.* In Hebræo habetur accinctus erat nouo, & non dicitur de ense: sed subintelligendum est de ense. Vocatur autem ensis nouus, quia tunc accinctus fuerat nouiter ad pugnam, scilicet, quòd nunquam exiuerat ad pugnam, nisi illa die. Vel erat accinctus de nouo, scilicet, quia illa die acceperat nouiter cingulum militarem, & ob hoc conabatur facere aliquid famosum eadem die occidendo Dauid. *Nisus est percutere Dauid,* ideſt, Iesbi benob conatus est occidere Dauid, cū uidit eum deficientē, & fortè ipse ab intentione quærebat Dauid, vt occideret eum, & inueniens conatus est illum occidere. *Præsidioque ei fuit Abisai filius Saruię,* ideſt, Dauid non poterat se defendere, sed Abisai, qui erat filius Saruiæ sororis Dauid, & erat frater Ioab liberauit eum. Dicunt enim aliqui, quòd adiuuit eum orando, & sic tenet Ra. Sa. Sed fictum est, nam qui in bello sunt non orationibus, sed armis pugnant. Item Abisai non erat aliquis uir sanctus, cuius orationibus Dauid liberari deberet, sed erat solùm uir bellator. Item non stat, quia dicitur hic, quòd Abisai occidit gigantem illum, si tamen sola oratione defendisset Dauid, non occidisset gigantem: nam oratione non occidūtur hostes, licèt debilitentur uires eorum, sicut fuit tempore Moysi: nam ipse orabat pugnante Iosue, & dum eleuasset manus fugabatur Amalec, & dum depressisset eas fugabatur Iosue, nullos tamen hostes occidit Moyses, sed solus Iosue. Exod. 17. Alij autem dicunt, quòd Abisai erat in pugna contra Ammonitas eo tempore, quo Dauid pugnabat contra istum gigantem, & transiuit quædam columba coram Abisai impetuosè, qui per hoc coniecturauit aliquod malum accidisse Dauid, vel eum esse in periculo, ideo subito transiuit per omnia spacia terrarum media, & ueniens ad locum, in quo erat Dauid liberauit eum, & occidit gigantem, sic refert Ra. Dauid Kimhi. Sed ista ridicula sunt absurda, & superstitiosa, nec digna redargutione cùm per se pateant. *Et percussum Philisthæum interfecit,* ideſt, tunc percussit Abisai Philisthæum, & occidit illum. *Tunc iurauerunt uiri Dauid dicentes, iam non egredieris nobiscum ad bellum.* Tū iuraverunt enim, quòd cùm esset iam debilitatus aliquando deficeret, & occideretur ab hostibus, vel daret quòd fortis esset, erat periculum, quòd iret ad bellum, quia poterat incidere in manus hostium, & erat damnum inextimabile. Iurauerunt autem hoc seruando Dauid, ne haberet Dauid occasionem inquietandos eos aliquando petendo, q̄ permitteretur ire ad bellum, quia postquam iurassent, iam non poterant permittere. *Ne extinguas lucernam Israel,* ideſt, si tu moreris extinguetur lucerna Israel, quia Dauid erat rex, & lumen totius Israel, ad quem oculi hominū omnium attendebant. Sic patet sequen. lib. capitu. 1. scilicet, verumtamen domine mi rex in te oculi respiciunt tertius Israel. Etiam putabant Israelitæ, quòd propter merita Dauid eueniebant eis omnia bona, & uerum erat, ideo nolebant carere illo. *Secundum quoque bellum fuit in Gob.* Vocatur secundum bellum nō secundum ordinem, sed secundùm numerum, quia ab unitate primum dicitur, & à binario secundum nominatur, quasi diceret fuit secundum bellum, ideſt, fuit aliud bellum. In Hebræo habetur, *Fuit magis bellum,* vel fuit præterea bellum, & istud dicitur magis propriè, quia non significat ordinem, sed additionem. *In Gob.* nomē loci est, & dicit historia scholastica, quòd est quædam ciuitas, quæ uocatur Iasser. *Contra Philisthinos.* Omnia quatuor bella fuerunt contra Philisthinos, nam isti gigantes quatuor, qui occisi sunt erant Gethæi de terra Philisthinorum. *Tunc percussit Sobochai de Husathi Saphi,* ideſt, in isto bello Subochai, qui erat unus de uiris fortibus Dauid, occidit Saph, qui erat de Philisthæis, ab alijs uocatur iste Sephi. Dicitur autem de Husathi, quia Husathi est nomen loci in terra Israel, de quo erat Subochai: de stirpe Arapha, ideſt, de filijs Arapha: nam omnes isti quatuor gigātes, qui occisi sunt in istis quatuor bellis, erant filij eiusdem matris, vt patet infra in litera. *De genere gigantum,* ideſt, erat iste de gigantibus: nam Arapha pariebat filios gigantes. *Tertium quoque fuit bellum.* Istud bellum fuit, in quo Dauid occidit Goliath, & dicitur in Hebræo. *Fuit præterea bellum.* Et est magis propriè dictum quàm in litera nostra propter rationem supra positam, scilicet, quia non significat ordinem, sed additionem,

Abisai quomodo adiuuit Dauid à Iesbibenob.

Bellum de quo fit hic mentio an fuerit ante prædicta. Quæst. XXXIX.

QVAERETVR, an istud bellum fuerit post præcedentia. Aliqui dicent, quòd nō, eo quòd dicitur hic de morte Goliath, & illū occidit Dauid multo ante hoc. In contrarium videtur, q̄ non fuerit istud bellum ante, eo q̄ putant quidam istud, quia Dauid occidit Goliath Gethæum, & tamen hic dicitur de morte Goliath, ergo fuit bellum ante hoc. Ad quod dici posset quòd fuit alius Goliath. Item patet, quia nō dicitur hic, quòd Dauid occidit istū Goliath, sed quòd occidit eum Adeodatus Bethlehemites. Respondendum, quòd Iosephus vult. 7. Antiquitatum, quòd iste Goliath non fuit ille, quem occidit Dauid, & iste, qui occidit eum non fuit Dauid, sed dicit q̄ fuit quidam cognatus eius nomine Ephran. Vnde dicit, Post hanc cōpressionē Philisthini denuo pugnauerunt sup quos exercitum mittente Dauid fortissimus apparuit Ephran cognatus eius, nam contra singulos Philisthinorum solus pugnando peremit eos, alios conuertit in fugam, quorum multi in prælio ceciderunt. Idē recitat Rabanus, & habetur in Glosa ordi. Idem etiam Histor. scholastica. Item hoc patet satis rationabiliter dictum, quia hoc modo dicetur, q̄ omnia ista quatuor bella fuerunt facta post famem præcedentem, & non erit aliqua mutatio ordinis. Item quamquam aliqui volunt, quòd Adeodatus Bethlehemithes sit ipse Dauid, tamen non stat multum conuenienter, quia scriptura vocaret eum Dauid vel regem, & non alijs nominibus occultis: præsertim quia illud nomen polymitarius non bene ei applicatur, licèt expositores velint retorquere. Item cùm vocatur Goliath Gethæus iste, qui occisus est hic: intelligendum est quòd fuerit alius Goliath quàm ille, quem occidit Dauid præce. li. cap. 17. nam multi eodem nomine vocantur. Quòd etiam vocetur Gethęus non obstat: nam omnes isti quatuor gigantes Gethæi erant. Item omnes isti gigantes dicuntur filij Arapha: sed Goliath quem occidit Dauid præced. lib. c. 17. non uocatur filius Arapha. In contrarium tenent omnes nostri, scilicet, Rabanus, Glo. ordi. Histor. scho. Andreas, & Nico. dicentes, quòd iste fuit Dauid, qui occidit Goliath, de quo allegato c. & reputatur hic, vt ponantur simul omnes victoriæ, quas habuerunt Israelitæ de gigantibus. Fateor tamen cōuenientiorem esse literę positionem Iosephi, & illā mihi magis placere: omnia autem, quę supra dixi volo intelligi secundùm positionem communem, cui nūquam intendo totaliter repugnare, nisi cùm textus in expresso est in contrarium, vel ratio euidentissima. *In Gob.* ideſt, bellum fuit in quodam loco, qui dicebatur Gob. Ex hoc etiam patet, q̄ non fuerit istud bellum Dauid & Goliath, de quo præce. li. c. 17. nam ibi dicitur, quòd fuit bellum illud in valle Terebinthi, hic autem dicitur, q̄ fuit in Gob: sed illi qui uolunt dicere, q̄ Dauid pugnauit hic contra Goliath, debent dicere, quòd vallis Terebinthi, & Gob sunt idem locus, sed vallis Terebinthi est vallis magna habēs uaria nomina pro diuersis partibus, & sic tenet Nico. *Contra Philisthęos.* Omnia enim ista quatuor bella fuerunt contra Philisthæos. *In quo percussit Adeodatus.* Istud est nomen viri Israelitæ, qui occidit gigantem hunc, sic enim aliquis inter nos uocatur Adeodatus. Illi, qui uolunt, quòd Dauid erat, qui occidit gigantem istum, dicunt quòd vocatur Adeodatus tanquam nomen appellatiuum, eo quòd Deus elegit eum in regem, sed non est conuenienter dictum, quia hic ponitur tanquam nomen proprium. *Filius saltus.* Ideſt, natus in saltu, vel habitans ibi, & sic dicuntur filij Ierusalem, ideſt, habitantes in Ierusalem. *Polymitarius.* Vocantur polymitarij tinctores pannorum, à polys quòd est pluralitas, & Michos, quòd est gutta, quasi habens plures guttas, vel colores, eo quòd tinctores vario colore uestes tingunt. In Hebræo habetur textor. & ad idem pertinet, quia textores pannorum miscent fila variorum colorum. *Bethlehemites.* Ideſt, de urbe Bethlehem, ex hoc enim vult Iosephus, quòd iste Adeodatus siue Ephran fuit cognatus Dauid, quia fuit de urbe Bethlehem, in qua erat tota cognatio Dauid, præceden. lib. cap. 16. & 17. Qui autem uolunt istum fuisse Dauid, scilicet, Glo. ordin. Andreas, & Nico. dicunt quòd vocatur Dauid filius saltus, quia pascebat greges in saltu, siue deserto, præceden. lib. cap. 17. vocatur autem polymitarius, ideſt, textor, vel operator in diuersis coloribus, eo quòd erat de cognatione Beselehel, qui fecit omnium uarietatem artificiorum sanctuarij, vt patet Exod. 31. & 36. Hebræi dicunt, quòd omnes cognati Dauid erant textores uelorum pro sanctuario, ut uult Rab. Sa. Sed nullum istorum conuenit, quia ipse Dauid non erat polymitarius cum nunquam uacauerit huic officio, sed semper fuit pastor, uel princeps belli, nam de gregibus ad regnum sumptus est: etiam non uocatur polymitarius propter Beselehel, quia nō constat, an de progenie huius sit, etiam quia multum distat iste à Dauid, ideo nequaquam erat uerisimile, q̄ uocaretur propter illum polymitarius: sed ille uir, de quo hic dicitur, erat uerè polymitarius secundùm positionem Iosephi, quæ uera est. *Goliath Gethæum.* De eadem urbe erat iste Goliath, & ille, quem occidit Dauid, ideo est causa errandi multis, tamen erat iste vnus de quatuor filijs Arapha: alius autem non erat de eis, licèt fortè esset de eadē progenie. *Cuius hastile hastæ erat, quasi liciatorium texentium.* In hoc patet fortitudo huius, quia lācea sua erat grauis nimis, nam hasta erat ita magna, & grossa sicut liciatorium texentium, ideſt, lignum super quod texentes conuertunt id quod texunt, & illud sæpe rotatur: est autem lignum grossum. *Quartum bellum.* In Hebræo habetur. *Fuit præterea vel iterum bellum.* Et exponendum est sicut supra. *In Geth.* Ista est vna de quinque ciuitatibus Metropolibus Philisthinorum, vt patet Iosue. 13. & præcedent. lib. cap. sexto, erat autem iam capta à Dauid: ut patet primo Paralipom. 18. & apud illam pugnauerunt Philisthini cum Dauid, ut recuperarent ciuitatem. *In quo fuit vir excelsus.* Ideſt, staturæ giganteę. Nam omnes isti quatuor uiri, de quibus hic dicitur, qui erant de stirpe Arapha: erant excelsi corpore: sic enim patet de alio Goliath Gethæo, qui erat altitudinis sex cubitorum, & palmo: nullus tamen hominum excedit tres cubitos, & dimidium de communibus. *Qui senos in manibus pedibusque habebat digitos, ideſt.* 24. Iste uir erat monstruosus: nam habebat sex digitos in quolibet pede, & in qualibet manu. *Et erat de origine Arapha.* Ideſt, erat filius eius, quia omnes isti quatuor erant fratres. *Qui blasphemauit Israel.* Ideſt, maledixit omnibus dicendo, quòd erant uiri inutiles, & quòd nullus audebat singulari certamine congredi cum eo: sic enim Goliath Gethæus maledixit Israeli, per quadraginta dies, quia nullus inueniebatur audens pugnare cum ipso, & postea Dauid occidit eum. *Percussit autem eum Ionatham filius Semmaa fratris Dauid.* Ideſt, pugnauit cum eo Ionatham singulari certamine, uel fortè in bello communi, & occidit illum, iste erat filius Semmaa, qui erat de fratribus Dauid tertius: ut patet primo Paralipom. secundo. Iste Ionatham erat frater illius Ionadab, qui dedit consilium Amnon filio Dauid, vt deflorare sororem suam Thamar, vt

patet supra 13. nam ibi uocatur Ionadab filius Semmaa, cuius etiam uocatur hic filius Ionathan. *Hi quatuor nati sunt de Arapha in Geth*, ideſt, iſti quatuor gigantes prænominati, & occiſi in quatuor bellis, nati ſunt de matre Arapha in urbe Geth terræ Philiſthinorum. *Et ceciderunt in manu Dauid, & ſeruorum eius*, ideſt, omnes iſti quatuor occiſi ſunt à Dauid, & ſeruis ſuis, ſcilicet, quia in bellis communibus peribant, ſcilicet, in quatuor ſupra poſitis.

CAP. XXII.

LOCVTVS eſt autem Dauid Domino verba carminis huius, in die qua liberauit eum Dominus de manu omnium inimicorum ſuorum, & de manu Saul. Et ait: Dominus petra mea, & robur meum, & ſaluator meus. Deus fortis meus, ſperabo in eum.

IN præcedētibus poſita liberatione Dauid ab omnibus periculis, ponitur hic canticum gratiarum actionis. Et diuiditur in duo: quia primò ponitur gratiarū actio pro peccatis. Secundò gratiarum actio pro futuris. cap. ſequen. Prima diuidit in duas, quia primò ponitur breuis præfatio. Secundò ſubditur gratiarum actio, ibi. *Dominus petra mea*. Iſte Pſalmus ponitur poſt omnes perſecutiones, & bella Dauid.

An ordo continuatus ſit. *Quæſt. I.*

QVAERETVR circa hoc, an ea, quæ habentur hic, habeant ordinem continuatū ad præcedentia, & an fuerint immediatè dicta, vel facta. Ad primum dicendum, q̄ hic non poteſt eſſe aliqua propria continuatio ad præcedētia, quia continuatio eſt hiſtoriæ ad hiſtoriam, vel dictorum ad dicta: hiſtoriæ tamen ad dicta, vel è contrario, non eſt aliqua continuatio propria. Ea tamen quæ ſupra habita ſunt erāt hiſtorica, quæ uerò habentur hic ſunt dicta laudis, ideo non eſt continuatio eorū. Conſtat tamen, quòd ipſe Pſalmus factus eſt poſt omnia bella præcedentia, quoniam hic in litera dicitur, quòd verba dicta ſunt in die, qua liberauit dominus Dauid de manu omnium inimicorum ſuorum. Ad ſecundum cùm dicitur, an fuerūt facta immediatè iſta poſt præcedentia, Dicendum, quòd non apparet, an immediatè, vel aliquanto tempore interpoſito iſta dicta fuerint: videtur tamen dicendum, q̄ aliquanto tempore poſt præcedentia dicta ſunt hæc: nam Dauid dixit hæc poſtquam ceſſauit ab omnibus bellis, ipſe tamen neſciebat, quando à bellis ceſſauerat omnino, quia uno bello ſopito, alia rurſus naſcebantur, ſed credendum eſt, q̄ in ſenectute ſua poſtquam aliquanto tempore omnes hoſtes ceſſauiſſent, putans ſe non habiturum vlterius bellum, iſta dixerit. *Locutus eſt autem Dauid Domino*, ideſt, locutus eſt ad laudē Dei iſta, quæ ſequuntur: nam cùm Pſalmus iſte ſit factus de laude, totus ad Deum refertur: ſiue pro liberatione ſua, ſiue pro liberatione Iſrael. *Verba carminis huius.* Iſtud carmen eſt, quod in Pſalmis eſt, Pſal. 17. ſcilicet, Diligam te domine, & uocatur carmen, quia eſt factum lege metrica: omnia autem alia, quæ ſcripta ſunt in hoc libro procedūt ſtilo proſaico. Conſiderandum autem, q̄ Dauid fuit excellens in faciendo cantica, ſiue hoc fuerit ſolùm ſpiritu Dei, ſiue ex aliqua arte humana, vel ingenio. Vnde uocatur Dauid pſaltes egregius in Iſrael, ideſt, cantor excellens. ſequen. cap. Dicit autem Ioſephus 7. Antiquitatum, quòd Dauid expeditus à præliis tanquam pace altiſſima frueretur, cantica in Deum, hymnoſq; vario metro compoſuit: alios quidem trimetros, & alios quinquametros diuerſaq; faciens organa, docuit, vt Leuitæ ſecundùm ea domino hymnos dicerent per ſabbathorum diem. Et ponit differentiam inter Pſalterium, & Nablum dicens, q̄ Pſalterium eſt organorum ſpecies canora, citharaquidem eſt decem chordis coaptata, & hæc tamen cum plectro percutitur. Nablum autem duodecim ſonos habens digitis tangitur, erant etiam cymbala ærea lata: Dauid autem quando canebat Pſalmum iſtum reddebat ſonitum in Pſalterio, ideo uocabatur Pſalmus à Pſalterio, vel à pſallendo. *In die qua liberauit eum dominus de manu omnium inimicorum ſuorum*, ideſt, in die qua finiuit eum liberare de manu inimicorū ſuorum. Non eſt enim intelligendum, quòd eadem die fuerit liberatus ab omnibus, ſed in diuerſis temporibus, ſcilicet, per totum proceſſum vitæ: nam à pueritia ſua fuit ſemper in laboribus, ſicut ipſe dixit. Pſalm. 87. Pauper ſum ego, & in laboribus à iuuentute mea: ſed dicitur hic dies pro illo die, in quo finiti ſunt omnes labores Dauid, & pericula: ſimile habetur Nu. 7. ſcilicet: Factum eſt in die, quo compleuit Moyſes tabernaculum, & erexit, & vnxit, & ſanctificauit illud, obtulerunt principes Iſrael per ſingulas tribus, & tamen manifeſtum eſt, quòd non fuit ſanctuarium cōpletum, erectum, vnctum, & ſanctificatū eodem die, ſed multis diebus. Etiam non obtulerunt omnes principes Iſrael munera eodē die, ſed per duodecim dies, vt patet eod. cap. *Et de manu Saul*, ideſt, etiam liberatus eſt de manu Saul, qui perſecutus eſt eū acerrimè uſque ad 27. ter cæteros, vt patet præceden. lib. a. c. 18. Erat autem Saul vnus de inimicis Dauid, & poterat intelligi nomine aliorum hoſtiū: quia tamen iſte fuit præcipuus, & qui magis poterat ei nocere, eo quòd erat dominus eius, & manebat Dauid in terra illius. *Et ait, Dominus petra mea.* Hic incipit canticum, in quo ponitur narratio de præterito. Et diuiditur in duo, quia primò ponitur cantici narratio: ſecundò intenta concluſio, ibi. *Viuit dominus.* Fuit autem factum iſtud canticum pro liberatione Dauid à perſecutionibus, ideo primo ponitur liberantis efficacia: ſecundò liberationis materia, ibi. *Saluator meus.* Tertiò liberationis modus, vel forma ibi, *Miſit de excelſo.* Quòd iſtud capitulum totum nihil continet, niſi illud quod habetur in Pſal. 17. ſcilicet, Diligam te, ſunt tamen mutata aliqua hic quantum ad literam, quia non habentur ſicut ibi, & hoc ſiue in Hebræo ſiue in Latino, ſicut patet cuilibet intuenti hic, & ibi, ſententia tamē non differt. Circa primum dicitur, *Dominus petra mea*, ideſt, Deus eſt fundamentum meum ſolidum, ſicut petra, quod nūquam deficit in aliquibus aduerſitatibus. Sic enim dixit beata Agatha: mens mea ſupra petram ſolidata, & in ipſa fundata. Et uocatur petra ipſe Chriſtus. Sic enim patet infra ad Corint. 10. ſcilicet, Petra autem erat Chriſtus. In Hebræo habetur, *Dominus rupes mea.* Sed eadem ſententia eſt, petra tamen ſignificat maiorem firmitudinem, quā rupes. *Robur meum*, ideſt, dominus eſt caſtrum meum, ſcilicet, confortando me ad pugnandum contra hoſtes, vel ad reſiſtendum illis. In Hebræo habetur, *Caſtrum meum*, ideſt, dominus eſt caſtrum meum, ſcilicet, quia ſicut homines in tribulationibus confugiūt ad

ad caſtra, vt ibi tutè maneant, ita Dauid confugiebat ad Deum, confidens quòd in ipſo ſecurus maneret. *Et Saluator meus*, ſcilicet, liberans me ab omnibus aduerſitatibus, ſaluare eſt enim cùm homo impotens ſe eruere, à Deo eruitur. *Deus meus fortis meus*, ideſt, Deus meus eſt, qui eſt fortis meus, ideſt, fortis ad vtilitatem meam, ſcilicet, quia oſtendit fortitudinem ſuam liberando me, & iſtud eſt, quando Dauid liberabatur ab aliquo periculo, de quo aliàs non poterat liberari, niſi Deus oſtenderet miraculum, tunc apparebat fortitudo Dei: ſic fuit quando circundabat eum Saul ad modum coronæ apud petram diuidentem. præc. li. c. 23. *Et ſperabo in eum*, ſcilicet, ſperabo in futurum in eum, quia liberauit me in præterito, ideo certitudo ſpei concipitur ex experientia. Vel dicendum quòd mutatur hic tempus, ſcilicet, ſperabo pro ſperaui, ideſt, in temporibus illis, quibus pericula vrgebant me, ſperaui in eum, & ſaluatus ſum. *Scutum meum*, ideſt, Deus eſt ſcutum meum, quia ſicut ſcutum opponitur ictibus aduerſariorum, & in eo ſuſcipiuntur ne ad nos perueniant, ſic & Deus ponebat ſe medium inter Dauid, & aduerſarios ſuos, ne pertingerent ad eum. Sic dicitur Pſal. 36. Apud dominum greſſus hominis dirigetur, & viam eius volet; cùm ceciderit non collidetur, quia dominus ſupponit manum ſuam, ideſt, dominus ponit manum ſuam ſub eo, ne tangat terram, & lædatur. Sic etiam Pſal. 90. Angelis ſuis mandauit de te, vt cuſtodiant te in omnibus vijs tuis, in manibus portabunt te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum, ideſt, eleuabunt te in manibus, ne aliquando offendatis in lapidibus. *Et cornu ſaluatis meæ*, ideſt, gloria ſalutis meæ. iſtud vocabulum eſt frequentatum in ſcriptura ad metaphoras, & ſignat gloriam, vel poteſtatem. Habuit autem originem ex hoc quia Moyſes habuit cornua, nam Exod. 34. dicitur quòd cornuta erat facies eius propter conſortium ſermonis Domini, & populus non audebat accedere ad eum: eratque iſta gloria magna Moyſi, ideo tota ſcriptura accepit inde modum faciendi metaphoras, ſcilicet, quòd cornua accipiantur pro gloria, vel poteſtate: & ſic dicitur omnia cornua peccatorum confringam, & exaltabuntur cornua iuſti, ideſt, gloria peccatorum deprimetur, & exaltabitur gloria iuſtorum. Sic etiam Luc. 1. dicitur, Et erexit cornu ſalutis nobis, ideſt, eleuauit gloriam, vel poteſtatem ſalutis noſtræ. Hic tamen magis accipitur pro gloria, vel fama: & tunc dicitur cornu ſalutis quando ſit aliqua ſalus, quæ eſt valde famoſa, ſicut Deus liberauit Iſraelitas in mari rubro, & iſta liberatio fuit famoſa apud omnes gentes. Exod. 15. & Ioſue 2. *Eleuator meus*, ideſt, eleuans me de anguſtijs, quia in anguſtia eſt homo depreſſus, in proſperitatibus autem extollitur, vel dicitur eleuator meus, ſcilicet, de paruo ſtatu in magnum. Nam Dauid erat paſtor ouium, & Deus eleuauit eum ad ſtatum regium. Pſal. 77. & elegit Dauid ſeruum ſuum, abſtulit eum de gregibus ouium, & de poſt ferentes accepit eum paſcere Iacob ſeruum ſuum, & Iſrael hæreditatem ſuam, ideſt, quòd ſicut pauerat prius greges, vt opilio: nunc paſceret homines, vt rex. Sic enim dixit Chriſtus Petro & Andreæ: Venite poſt me, & faciam vos fieri piſcatores hominum, ſcilicet, ſicut prius piſcqueratis piſces, ita & nunc homines capiatis. Matt. 4. In Hebræo habetur. *Defenſor meus*, ad idem redit, & incidit in primam ſententiam. *Et refugium meum*, i. locus, ad quē fugio. Eſt. n. refugium id, ad quod fugimus in aduerſitatibus, ſicut caſtra, vel loca fortia aut priuilegiata: ſic enim Deus erat ipſi Dauid, quia quando erat in aduerſitatibus cōfugiebat ad eum, & habebat recreationem. Hic potiſſimū ſecundum, ſcilicet, liberationis materia. *Saluator meus.* Scilicet: Liberans me in aduerſitatibus ſicut ſupra expoſitum eſt, ſicut ſæpe fit in canticis. *De iniquitate mea liberabis me.* Ideſt, liberabis me ne incidam in iniquitatem, in quam prius incideram. Et hic petit Dauid liberationem de malo ſpirituali, ſcilicet, de iniquitatibus, in quas aliquando inciderat, & timebat iterum incidere in illas: ideo petebat liberationem: nam nullus poteſt à peccato liberari, vel à tentationibus, niſi per Deum: ſic patet Ioannis. 15. ſcilicet: Sine me nihil poteſtis facere, ideſt nō poteſtis facere bonum, nec declinare à malo niſi hoc ego dedero vobis. De hoc Apoſtolus ad Roma. 7. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? ideſt, de paſſione ad libidinem, quæ eſt ferociſſima, vt mors. Et ſequitur ibi, Gratia Dei per Ieſum Chriſtū Dominū noſtrum, ſcilicet ipſe liberabit me: ſic etiam Sapientiæ. 8. dicitur. veni ad corpus incoinquinatum, & ſciui quoniam aliter non poſſum eſſe continens, niſi Deus det. Aliter poteſt intelligi, quòd ſit hic mutatio temporis, ſcilicet, de iniquitate, vel peccato Bethſabee. Nam Dauid offenderat dominū cognoſcendo Bethſabee, & iubendo occidi virum eius. Deus autem liberauit eum ab hac iniquitate, tam ad culpam, quam ad pœnam: nam quantum ad culpam dedit ei compunctionem, vt doleret, & dixit: Peccaui. Et tunc dominus abſtulit peccatum illius, ſupra 12. Quantum ad pœnam etiam iam erat liberatus, quia Deus infixerat ei pœnam in morte filiorum ſuorum, & deturpatione concubinarum, ideo non manebat iam aliquid tolerandū. Et dicitur: liberaſti me ab iniquitate mea; quaſi eſſet vnica iniquitas Dauid, & hoc verum videtur, quia non fecerat Dauid aliquod peccatum notabile vſque nunc, niſi occidere Vriam, & cognoſcere Bethſabee. Nam de hoc ſolo increpat eum ſcriptura ſequ. lib. cap. 15. *Laudabilem inuocabo dominum*, Ideſt, ego inuocabo dominum, qui eſt laudabilis, ſcilicet, quando fuero in aduerſitatibus inuocabo eum: quia ipſe laudabilis eſt, ideſt, dignus laudari, & inuocari. In Pſalmo dicitur. Laudans inuocabo dominum. Et ab inimicis meis ſaluus ero. Scilicet: Qū ego vocauero Deum in aduerſitatibus, ſaluus ero ab inimicis meis, quia dominus ſaluabit me inuocantem. *Quia circumdederunt me contritiones mortis.* Reddit enim actiones gratiarum Dauid in Pſalmo iſto pro liberationibus in aduerſitatibus, & quia præcipue inter aduerſitates Dauid fuit perſecutio Saulis, reddit hic gratias pro liberatione à quadam perſecutione tempore Saulis, & eſt iſta, quam ſuſtinuit in deſerto Maon, quando Saul, & viri ſui cingebant Dauid in modum coronæ, & non erat locus effugiendi, ſed deſperabat Dauid ſe poſſe euadere. præceden. lib. ca. 23. Et dicitur: circumdederunt me contritiones mortis, ideſt, circumdederunt me Saul, & viri ſui, qui volebant me cōterere ad mortem, vel eram iam tanquam in limine mortis, & dicitur circūdederunt, quia ex omni parte vallabant eum, nec poterat fugere. *Et torrentes Belial terruerunt me*, i. Saul, & viri ſui, qui erant torrentes propter impetuoſitatem irruendi, circumdederunt me, vel terruerunt me, ſcilicet, quia iam deſperabam poſſe euadere. præceden. lib. cap. 23. Vocantur autem torrentes Behal, i. iniquitatis, quia ex iniquitate perſequebatur Saul Dauid. Serui quoque ſui ex iniquitate mouebantur, vt complacerent Sauli. Vel dicitur Belial, ideſt, indomitus. Iudi. 19. & hoc quia Saul erat indomitus iugo rationis, nam non mouebatur à ratione ad hoc faciendum, ſed à paſſione. In Pſalmo autem dicitur: circūdederunt me dolores mortis, & torrentes iniquitatis conturbauerunt me. Et ſic patet quòd ponatur Belial pro iniquitate. *Funes inferni circumdederunt me.* Eadem ſententia eſt repetita per alia verba. Vocantur enim Saul & viri ſui funes inquantum circūdabant Dauid

Pſal. 17.

Universidad de Deusto
Biblioteca

in modum coronæ . Dicuntur autem funes inferni, quia volebant eum ducere ad infernum, ideſt, ad ſepulchrum. Nam Seol,quod hic ponitur in Hebræo: eſt æquiuocum ad ſepulchrum, & gehennam, & eſt ſenſus quòd circundabant eum ad occidendum. *Et præuenerunt me laquei mortis*,ideſt,venerunt ante me laquei inducentes me ad mortem, ſcilicet, quia antequam uenirent funes inferni,ideſt,Saul, & uiri ſui,venerunt laquei mortis,ſcilicet,Ziphei.Iſti enim iuerant ad Saulem dicentes, quòd traderent Dauid in manus eius,& quòd veniret cum eis ad locum,in quo latebat Dauid. Dixit autem Saul quòd præcederent Ziphei, & diligenter inquirerent,ubi eſſet Dauid ne fugeret, & tunc præceſſerunt Ziphei ad certificandum locum: & ſecutus eſt Saul poſt eos. præceden.lib.capit.23. In Pſal.dicitur : Dolores inferi circumdederunt me, & præoccupauerunt me laquei mortis. *Et in tribulatione mea vocabo dominum*. Hic eſt mutatio temporis, nam deberet dici inuocaui dominum, ſed ſcriptura mutat tempora,& eſt ſenſus, quòd cùm Dauid tribularetur tunc nimis,& deſperaret ſe poſſe fugere adiutorio humano,clamauit ad dominum inuocando. *Et ad Deum meum clamabo*, ideſt, clamaui. Eſt enim mutatio temporis ſicut ſupra dictum eſt: ideo in Pſalmo ponitur iſtud apertius in præterito,ſcilicet,in tribulatione mea inuocaui dominum, & ad Deum meum clamaui. *Et exaudiuit de templo ſuo vocem meam*. In hoc apparet quòd mutentur tempora alioquin diceretur hic exaudiet me.Nam non poterat iam exauditus eſſe, qui nõdum clamauerat : ſed dicitur,quòd exauditus eſt : ergõ oportet quòd intelligatur quòd iam clamauerat, & ſic uerba de futuro in præcedenti uerſu debent intelligi,vt de præterito.*Et clamor meus veniet in aures eius*, ideſt, clamor meus tunc uenit in aures eius, ſcilicet, quia exaudiuit me, & eſt mutatio temporis, ſicut in præcedenti . Hoc patet in Pſalmo, cùm dicitur: Et exaudiuit de templo ſancto ſuo uocem meam, & clamor meus in cõſpectu eius introiuit in aures eius. In Hebræo habetur.*Exaudiuit de atrio ſuo*.Vbi nos dicimus de templo,ſed idem eſt. *Commota eſt*. Poſtquam poſuit Dauid gratiarum actionem pro liberatione ſua de perſecutione Saulis, hic ponitur gratiarũ actio pro liberatione de terra Aegypti : & agitur de hoc ab iſto loco vſque ad illum verſum:miſit de excelſo.Ratio autem huius eſt , quia licèt liberatio de Aegypto nihil attineret ad liberationem Dauid de manu Saulis: tamen dicunt Hebræi, quòd modus ſcribentium cantica eſt,quòd ponant iſtam liberationem tãquam vniuerſalem populi cum particularibus liberationibus ſuis, vel beneficijs à Deo receptis : & ſic poſuit hic Dauid: uel dicendum quòd non ponitur hic ad reddendum gratias de illa , ſed ſolùm ad laudandum Deum : vt oſtendatur magnitudo Dei liberando Iſraelitas per tanta ſigna,& tam horrenda. Sic enim eſt modus facientium cantica laudis, quòd nunc tranſeant de una materia ad aliam, vt habeant locum copioſum laudandi.Et dicitur. *Commota eſt,& contremuit terra*,Scilicet: Terra Aegypti. nam tempore plagarũ inflictarum homines periculo cum timore commouebantur, & tunc dicitur terram commoueri, quando homines commouẽtur. Vnde multi de Aegyptijs timentes Aegyptum ſubuertendam receſſerunt de Aegypto ad alias regiones, & fundauerunt nouas ſedes.Sic enim fuit de Ceerope primo rege Athenienſium,nam ipſe originẽ Aegyptius erat,ſed uidẽs mala,quæ fiebant in Aegypto,timẽs receſſit in Greciam, & ciuitatem Athenarum condidit, ut tangit Hiſtoria ſcholaſtica,& Lucas Tudenſis in Chronicis,ſed dum homines mutant ſedes,dicitur terra moueri. Vel aliter intelligitur quòd in Aegypto fuerunt tunc magna fulgura , & tonitrua . Exod.9. per quæ terra ipſorum moueri uiſa eſt . *Et fundamenta montium concuſſa ſunt*,ideſt,tanta fuit turbatio Aegyptiorum,& magnitudo tonitruorum, quòd uidebantur ipſa'fundamenta montium commoueri.Eſt enim iſte modus hiperbolicus loquendi, ſicut cùm dicitur.

Aſtra ferit clangor, reſonant ad ſydera voces.

In Hebræo dicitur : *Fundamentum cęlorum*. Vbi nos dicimus fundamenta montium, ſed litera noſtra mutauit , eo quòd ſatis apparet, quòd non intelligatur de cœlis,ſed de montibus , quia cœli non habent fundamenta,quæ moueri poſſint . Vel aliter poteſt dici q̃ fundamentum cœlorum , & fundamentum montiũ eſt idem, ſ.partes occultiſſimæ terræ,quia cœlum extimatur tanquam fundatum ſuper alia elementa , & alia elementa ſuper terram , & ipſa ſuper infimas, & occultiſſimas partes ſuas.Iſte autem ſunt fundamenta montium,ideo ſuper fundamenta montium cœli, qui ſunt partes extremæ orbis,fundati ſunt . Iſte erat modus concipiendi Hebræorum. Sic patet præcedẽ. lib.cap.2.ſcilicet , Domini enim ſunt cardines terræ, & poſuit ſuper eos orbem . *Et conquaſſata*,ideſt,fundamenta montium fuerunt conquaſſata.Eſt enim conquaſſare,ideſt,frangere vel mouere . In Hebræo non habetur conquaſſata,ſed ſolùm concuſſa ſunt.In Pſal. mo dr̃: Fundamenta montium conturbata ſunt , & commota ſunt. *Quoniam iratus eſt eis*, ideſt, quia Deus iratus eſt contra illa, dicitur autem Deus iraſci contra aliquam rẽ,quando eam tractat ſicut iratus, licèt ipſe nunquam aut iratus, aut placatus ſit: irati autẽ ſolent omnia cum quodam impetu , & turbulentia tractare: Deus autem in Aegypto tempore inflictionis plagarum conturbabat omnia cum quodam magno impetu,& rigore:ideo dicebatur iratus hominibus,& terræ,& montibus.In Hebræo non habetur iratus eſt eis, ſed ſolùm iratus eſt,& tamẽ ex diuerſa habitudine poteſt hoc idem ſignificari.*Aſcendit fumus de naribus eius*, ideſt de naribus Dei euaporauit quidam fumus iracũdiæ. Hic enim continuatur metaphora,& attribuitur Deo id quod eſt hominis.Nam ſicut homines quando irati ſunt,emittũt quaſdam fumoſitates per nares, ita Deus,cùm fingatur iratus,dicitur aſcendere fumus de naribus eius .

Quare ira dicatur aſcendere ad nares. Quæſt. II.

QVAERETVR, quare dicitur ira aſcendere ad nares : nam iſte modus frequentatus eſt in ſcriptura. Sic enim patet Iſai.2. ſcilicet ceſſate ab homine cuius ſpiritus in naribus eius,i: qui habet iram in naribus.Reſpondendum, quòd ira fit ex quadam commotione interiori , & ſuccenditur ſanguis circa cor,& ferueſcit , ex qua ebullitione cauſantur quidam fumi ſicci, qui ſunt propriè materia iræ, & ſunt aliquid corporale,illi autem præ ſubtilitate ſua,& calore iræ eleuantur ad cerebrum , & tũc interdum contingit calore ipſorum partes quaſdam humidas congelatas exiſtentes in cerebro , quæ ſunt materia lachrymarum liquefieri,& fluere , & cum eis ſimul fluunt fumoſitates iræ, quæ aſcenderant ad cerebrum.Vnde experimur,quòd ſi quis iratus valde incipiat aliquantulum flere, totus impetus irę eius extenuatur, & exinanitur, nec manet aliquid ferocitatis poſt huiuſmodi fletum. Hoc aũt experimur in ira mulierum, & paruulorum.Nam quanꝺ interdum mulieres concitentur in iram ſequitur in eis fletus, & tunc laxatur impetus iræ,& iam non mouentur truculenter ad deſideriũ vindictæ, ſicut prius, ſed ceſſant iam illã expetere. Sic etiam eſt cautela in quibuſdam hominibus, q̃ cùm uelint alijs conſeruare iram : non flent poſt-

Terra commota quando dicatur.

poſtquam irã conceperint,vt poſſint retribuere , alioquin ſi fleant,iam non deſiderant moueri ad retributionem,nec eſt in eis ille impetus fortis,quem ira cauſare ſolet. In viris autem non eſt iſte modus, vt communiter euacuandi iram , quia cerebrum virorum , potiſſimè colericorum , & melancolicorum eſt ſiccum,ideo non poteſt per aſcenſionem fumorum iræ diſtillare lachrymas : ideo fumus iræ non euacuatur cum lachrymis , ſed manet ſemper in conditione fumi, & quia ille fumus eſt à calore iræ, eſt nimis calidus, vnde per ſpiracula venientia à cerebro ſpiratur , ſcilicet,per nares, ideo cùm quis iratus eſt, niſi velit ſe coercere, aut fleat, neceſſe eſt fumoſitates quaſdam euacuari per nares,quæ valde calidæ ſunt,& illi uocantur fumi iræ. De hoc ait Homer. in Iliade, & habetur per Ari. 3.Ethic. vbi loquitur de fortitudine , quæ eſt per iram,ſcilicet. Impetuoſiſſimus furor ad pericula , vnde & Homerus,virtutem immitte furori, & uirtutem, & furorem elige , & auſteram virtutem per ſingulas nares ebulliuit ſanguis. In quo propriè patet cõditio iræ,ſcilicet,quòd ſanguis ebulliens,ideſt,feruens emittit per ſingulas nares,ideſt,per utrunque foramẽ narium, auſteram virtutem, ideſt,fumoſitatem iræ. Quod autem illa fumoſitas ſit iræ , apparet, quia ſiue lachrymetur iratus, ſiue fumoſitates illas emittat uolens oſtendere iram ſuam, poſt modicum ceſſat, & quieſcit , & hoc eſt , quia tota materia iræ euacuata eſt: ſi tamen aliquis iratus velit ſe cohibere , nec plorans,nec per fumoſitates iram oſtendens, neceſſe eſt, quòd intra ſe torqueatur, & multo tempore maneat ira quouſque pauliſper digeratur, & toto iſto tempore irati male ſe habent ad ſeipſos,ſcilicet, quia graues ſibi ſunt, ſic patet Ethic.4. cap.de manſuetudine, vbi ponuntur tres ſpecies iracundorũ, vbi diſtinguit Ari. acrocolos, amaros, & difficiles. Acrocoli enim ſunt, qui leuiter iraſcuntur, & cum quodam impetu,& tamen immediatè ceſſant: & hoc quia manifeſti ſunt, ſcilicet, ira ſua oſtenditur alijs in verbis, vel in opere , ideo tunc neceſſe eſt quieſcere. De amaris autem dicit, quòd ſunt difficile ſolubiles ab ira, & multo tempore iraſcuntur: graue autem habent propter nõ manifeſtum eſſe, nec ſuadebit ipſis aliquis . In ipſo enim digeri iram tempore indiget . Sunt autem tales ſibi ipſis moleſtiſſimi , & maximè amicis . De difficilibus autem idem dicit, & ſic manifeſtatio iræ facit quietationem . Apparet igitur quare, & quomodo ira per fumos exhaletur , & dicatur eſſe ira in naribus , vnde ab hoc modus vulgaris loquendi de ira ſumptus eſt . *Et ignis de ore eius vorauit*. Iſtud ponitur ad ſignificandum magnitudinem iræ,ſcilicet, quia non ſolùm per nares emittebatur furor, ſed etiam per os. Et dicitur quòd ignis de ore eius vorauit, ideſt, ignis egrediens de ore eius vorauit inimicos. Vocantur autem illi fumi ignis propter calorem iræ . *Carbones incenſi ſunt ab eo*, ideſt, tantus erat calor ſpiratus de ore eius, q̃ carbones incendebantur. Omnia ponuntur ad ſignificandam iræ incenſionem . In Pſalmo dicitur , aſcendit fumus in ira eius, & ignis à facie eius exarſit. & illud clarius eſt quàm iſtud: ſed idem ſignat. *Et inclinauit cœlos , & deſcendit* . Iſta eſt liberatio ab aduerſitate Aegyptiorum,& ad hanc dicitur Deus inclinaſſe cœlos, & deſcendiſſe, quia fingitur Deus tanquam quidam rex excellens ſedens in ſolio cęli,& ad hoc quòd aliquid ęgat in terra adiuuando quoſdam , & impugnando alios , quòd neceſſe ſit ipſum deſcendere de cęlo, & venire ad nos,& vt ipſe ſemper maneat in ſolio ſuo excellenti, dicitur inclinare cœlos , & deſcendere,quaſi ſedes ſua ſimul cum eo veniat. Similis modus loquendi eſt ſæpe in ſcriptura. Sic patet Gen. 11. quam dixit Deus contra ædificantes turrim Babilonis:

Venite deſcendamus , & confundamus linguam eorum. Et iterum dicitur,deſcendit dominus,vt videret ciuitatem,& turrim,quam ædificabant filij hominũ. Sic etiam Gen. 18. dicitur: deſcendam, & videbo utrum clamorem, qui uenit ad me, opere compleuerint. *Et caligo ſub pedibus eius*. Iſtud ponitur ad ſignificandum modũ apparendi Dei, & deſcendendi : nam vt non videatur ponit nubem caliginoſam ſub pedibus. Sic patet Exo.19.ſcilicet,quia nubes tegebat mõtem,eo q̃ dominus deſcenderat ſuper illum in nube. & Exo.24.dicitur quòd viderunt Deum Iſrael,& ſub pedibus eius quaſi opus lapidis ſaphirini , & quaſi cęlum cùm ſerenum eſt. Et cùm hic dicatur Deus deſcendere ad liberandum, ponitur modus deſcendendi,ſcilicet,quòd ſit caligo ſub pedibus eius. Nicolaus autem, & Ra.Sa. aliter exponunt,ſcilicet,quòd intelligatur de nube, quæ præcedebat Iſraelitas per deſertum : nam quando Aegyptij perſecuti ſunt Iſraelitas ſuper mare rubrum, Angelus, qui portabat nubem , & præcedebat in ea,fecit eam tranſire ad poſteriorem partem caſtrorum , & erat inter Iſraelitas & Aegyptios. Ex parte quidem Iſraelitarum erat illuminans , ex parte autem Aegyptiorum erat tenebroſa , ita ut Aegyptij per totam noctem non auderent pertingere ad Iſraelitas. Exo.14.In illa autem nube erat Angelus, & quia erat obſcura dicebatur eſſe caligo ſub pedibus Dei. Et etiam iſta expoſitio conueniens eſt. In Hebræo habetur, *Denſitas ſub pedibus eius*. Sed idem eſt, quia caligo eſt quædam denſitas vaporum groſſorum, ideo tantam obſcuritatem reddunt . *Et aſcendit ſuper Cherubim*. Iſta eſt metaphora, & ſignificatur in hoc velocitas aduentus Dei ad liberandum. Et ſicut homines , qui cito peruenire volunt ad aliquem locum aſcendunt ſuper equos velociſſimos, ita Deus cùm venire deberet,aſcendebat ſuper Cherubim, eo quòd Cherubim ſunt velociſſimi in motu : ſic enim ponuntur Cherubim tanquam ſedes Dei , ſicut erat in arca. Exod.25. ſic etiam Pſalm.79. Qui ſedes ſuper Cherubim,manifeſtare coram Beniamin , & tamen ſecundùm veritatem, Deus non aſcendit ſuper Cherubim nec ſuper Seraphim,vt ueniat ad nos,eo quòd Deus omnia replet, & cùm ubique ſit,ad nullum locum ire poteſt. Sic patet Iere.23. cap. Putas ne Deus è vicino ego ſum, & non Deus de longe? quaſi dicat, ego ſum vicinus, & coniunctus cuique rei , eo quòd vbique ſum. Et ſubditur,ſi occultabitur vir in abſconditis, & ego non videbo eum, nunquid non cœlum, & terram ego impleo? Item Deus eſt incorporeus , ideo non poteſt moueri de loco ad locum per medium, ſed nunc erit hic, & in inſtanti erit alibi ſi moueri deberet,equus tamen non datur niſi ei, qui tranſire debet per medium. Item dato,quòd Deus moueretur per totum medium non aſcenderet ſuper Cherubim, quia nõ eſt grauis,vt ſupportari ab alio egeat , ſicut homines portantur in iumentis. Item etiam ipſi Cherubim non poſſunt moueri diſcurrendo per mediũ, eo quòd ſpiritus ſimplices , & indiuiſibiles ſunt. Item dato, q̃ Deus poſſet propriè moueri, non equitaret ſuper Cherubim ad velociter veniendum , quia Deus velocior eſſet quocunque Cherubim, & Seraphim, ſed ponuntur iſta per quandam metaphoram largam exiſtimando Deum tanquam quendam dominum magnum ſedentem in throno more humano. Hebræi autem neſcientes diſtinguere quid in ſcriptura ſecundùm literam,& quid ſecũdùm metaphoram dicatur,habent occaſionem ex ſimilibus aſſerendi de Deo quædam abſurda, & turpia, quæ habentur in ſuo Thalmud, & ipſi putant eſſe uera. *Et volauit* , ſcilicet, propter velocitatem motus, quia volatus eſt motus velox. *Et lapſus eſt ſuper pennas venti*, ideſt, tranſiuit

Deus quare dicatur aſcẽdere ſuper Cherubim.

Universidad de Deusto
Biblioteca

fuit vel cucurrit ſuper alas venti. Hoc dicitur propter velocitatem motus Cherubim, qui tranſit velocius q̃ ventus. Et poteſt intelligi dupliciter ſuper alas ventorum, vno modo quòd volabat ſuper alas, ideſt, quòd ferebatur in alis ventorum, alio modo volauit ſuper pennas ventorum, ideſt, plus quam alæ ventorum, quaſi dicat, licèt venti ſint veloces, tamen velocius tranſit Deus aſcendens ſuper Cherubim. In Hebræo habetur, *Apparuit ſuper alas venti.* & ad idem redit, ſed conuenientius dicitur volauit, vel lapſus eſt quàm apparuit, eo quòd Deus etiam ſecundùm metaphoras iſtas non videtur in motu, ſed habet ſub pedibus ſuis caliginem, vt patet ſupra: hoc apparet magis in Pſalmo, cùm dicitur: Et aſcendit ſuper Cherubim & volauit, volauit ſuper pennas ventorum: & ſic cùm ponatur hic volauit, & lapſus eſt: ponitur ibi bis volauit, quia idem ſignat. *Poſuit tenebras in circuitu ſuo latibulum.* Ponitur ad ſignandum, quòd quamquam Deus volaret ſuper Cherubim in aere, tamen non videbatur, eo quòd ponebat tenebras in circuitu ſuo tanquam latibulum. Hoc autem intelligitur de nube illa, quæ erat inter Aegyptios, & Iſraelitas, vt ſupra dictum eſt.

Quare Dauid obſeruat metaphoram in loquendo de Deo.
Quæſt. III.

QVAERETVR, quare Dauid obſeruat iſtã metaphoram, ſcilicet, q̃ Deus quando volat, ponat tenebras tanquam latibulum ſuum. Reſpondendum, quòd hoc facit Dauid, quia per omnia vult obſeruare modum loquendi legis. Moyſes autem, qui fuit introductor legis, & primus inducens iſtos modos loquendi Hebraicos, dixit de Deo quòd apparebat intra nubem caliginoſam, vel in medio ignis, vt patet Exod. 24. & Deuter. 5. vnde ipſe dixit: Nullam imaginẽ vidiſtis in die, qua locutus eſt dominus in Horeb de medio ignis. Deuteron. 4. quaſi dicat, nullam imaginem vidiſtis, eo quòd Deus latebat intra caliginem, & vos illum non vidiſtis: ita ergo Dauid cùm diceret de motu Dei volando, ſi non ſubiunxiſſet, quòd Deus occultabatur volando, crederetur, quòd apparebat per aerem volãs, ideo dixit quòd poſuit tenebras latibulum ſuum. Sed non erat neceſſarium, quòd Dauid poneret hic latibulum Dei volando, ſicut Moyſes poſuit latibulum Dei loquendo: nam dato quòd Deus verè moueretur, vel tranſiret eo modo, quo tranſeunt angeli, non egeret latibulo, quia tranſire non erat aliquis actus, pro quo egeret corpore aſſumpto. Latibulum tamen non ponitur niſi pro corpore aſſumpto occultando, cùm tamen angeli loquebantur in perſona Dei in monte Synai dando legem, neceſſe erat, quòd formarent corpora, in quibus poſſent voces cauſare, vt declaratum eſt Exo. 25. & quia illa corpora viderentur, quod eſſet magnũ ſcandalum Iudæis, quia putarent Deum eſſe corporeum, & facerent ſibi imaginem, fuit ibi latibulum caliginis, & nubis: vt patet Deuter. 4. ſcilicet, non vidiſtis aliquam ſimilitudinem in die, qua locutus eſt Dominus in Horeb de medio ignis, ne forte decepti faciatis vobis ſculptam ſimilitudinem, aut imaginem maſculi, vel fœminæ. Patet ergo quòd in modo loquendi Moyſi fuit neceſſe poni latibulum Dei loquentis, & tamen non in modo loquẽdi Dauid: ideo verba Moyſi accipienda ſunt ſecundùm literam, & verba Dauid ſecundùm metaphoram. *Cribrans aquas de nubibus cælorum*, ideſt, emiſit aquas de nubibus cælorum cribrando eas. Dicitur hoc ad ſimilitudinem cribri, quia ſi aquæ fundãtur in eo non poſſunt effluere ſimul quaſi nullo impediente, ſed effluunt guttatim, vel per varias ſtillas propter foramina cribri, per quæ aqua fluit:

ita quandocunque de nubibus aqua fluit, quia non venit illa tota ſub eadem mole ſicut aqua fluminis, vel torrentis, quæ tota coniuncta eſt, ſed guttatim per ſtillicidia fluit, dicitur eſſe aqua cribrata, & ſic quandocunque pluit cribratur aqua de nubibus. Ponitur autẽ hoc ad ſignandum maiorem obſcuritatem nubis, quia quanto nubes grauior eſt propter pluuialem humorem quem continet, tanto eſt obſcurior: & in talibus nubibus Deus latet, quia nihil uideri poteſt. In Hebræo habetur. *Spiſſitudo aquarum de nubibus cælorum*, ideſt, aquæ fluunt ſpiſſæ de nubibus cælorum, ſcilicet, propter groſſitiem nubium, & tamen Ra. Dauid Kimhi, & Ra. Sa. exponunt cribrans aquas, ſicut litera noſtra ponit, quia illa eſt propria ſignificatio. In Pſalmo habetur: Tenebroſa aqua in nubibus aeris, & ad idem redit, ſcilicet, quia illa aqua tenebroſa poſtea cribratur deſcendens de nube. Nam quando aqua tenebroſa eſt in nubibus, ſunt nubes ualde graues pluuiali humore, ideo neceſſe eſt, quòd tunc fluat aqua. *Præfulgore in conſpectu eius*, ideſt, in conſpectu Dei apparuerunt nubes valde fulgidæ. Aliqui putant quòd præfulgore ſint duæ dictiones, ſcilicet, præpoſitio & ablatiuus, tamen vna dictio eſt, & uocatur aliquis præfulgorus, ideſt, ualde fulgidus, ſicut dicitur præclarus, ideſt, ualde clarus. In Pſalmo habetur iſta ſententia clarior, ſcilicet, Præfulgore in conſpectu eius nubes tranſierunt. Dicuntur autem nubes fulgidæ, quod eſt contra ſuperiora, cùm dicebatur, q̃ Deus latebat in nubibus caliginoſis: ſed uocantur præfulgore, non quòd in ſe nubes fulgidæ eſſent, ſed quòd præ multitudine fulgurum emiſſorum nubes apparebant fulgidæ in ſuperficie, licèt interius obſcurę eſſent. *Succenſi ſunt carbones ignis*, ideſt, Deus miſit fulgura in multitudine, ita ut tota terra uideretur ardere, & ſuccendi carbones. Hoc autem clarius dicitur in Pſalmo, ſcilicet, Præfulgore in conſpectu eius nubes tranſierunt grando, & carbones ignis. Iſtud autem poteſt intelligi de duobus. Vno modo de illa plaga, quæ inflicta eſt Aegyptijs, quando dominus miſit grandinem multã ſuper terram Aegypti, qualis nunquam fuit ab initio, & tunc grando, & ignis mixta pariter ferebantur. Exod. 9. Vel poteſt ſecundò intelligi de plaga inflicta ſuper mare, cùm eſſent Aegyptij intra mare, dominus miſit ſuper eos tonitrua magna, & fulgura: ita ut uiderentur ardere, & ſubuertebantur currus eorum præ terrẽmotu. Sic patet Exod. 14. ſcilicet, iamque aduenerat uigilia matutina, & ecce reſpiciens dominus ſuper caſtra Aegyptiorum per columnam ignis, & nubis interfecit exercitum eorum, & ſubuertit rotas curruum, ferebanturque in profundum. & hoc ſignificat expreſſius litera ſequens, ſcilicet, *Tonabit de cælis Dominus*, ideſt, emittet tonitrua magna. Quod referendum eſt ad utrũque caſum de ſupra poſitis, & eſt hic mutatio temporis: nam deberet dici tonuit, & dicitur tonabit: quod patet in Pſalmo, cùm dicitur: Et intonuit de cœlo Dominus. *Et excelſus dabit vocem ſuam*. Repetitio eſt eiuſdem ſententiæ: nam tonitrua, quæ Deus dat, dicuntur uoces Dei. Sic patet præced. lib. c. 12. cùm dixit Samuel Iſraelitis, nunquid non meſſis tritici eſt hodie? inuocabo dominum, & dabit uoces, & pluuias. Et iterum ibi, & clamauit Samuel ad Dominum, & dedit Dominus uoces, & pluuias, & uocantur uoces, ideſt, tonitrua, quæ audita ſunt tunc in miraculum. In Pſalmo dicitur: Et altiſſimus dedit uocem ſuam. nam ibi omnia ponuntur per modum præteriti. Patet etiam hoc in Hebræo, nam dicitur tonuit, ubi nos dicimus tonabit. *Miſit ſagittas, & diſſipauit eos.* Refertur hoc ad tonitrua, quæ Deus mittebat in modum ſagittarum, & perueniebant uſq; ad homines, contremiſcentesq; cogebãtur cadere in terrã. *Fulgura & conſumpſit eos*, ideſt, etiam miſit fulgura, & conſumpſerunt Aegyptios: quod poteſt intelligi de vtroque modo ſuprapoſito: tanta fuerunt fulgura, & grandines, quòd homines, & iumenta inuenti in agris perierunt. Exo. 9, Vel intelligitur de fulguribus miſſis, quando erant Aegyptij in mari rubro, & iſtud eſt verius, & iſta fulgura occiderunt exercitum Aegyptiorum. Exo. 14. *Et apparuerunt effuſiones maris.* Ideſt, apparuit diuiſio maris rubri in iſta liberatione: nam diuiſum eſt mare, & per hoc effuſę ſunt aquę ad vtranque partẽ, & ſteterunt quaſi murus donec tranſiret Iſrael. Exo. 14. In Pſal. habetur: Et apparuerunt fontes aquarum, ſed clarius habet litera iſta. Vel aliter poteſt intelligi, quòd in hoc accipiatur reuelatio fundi maris. Et dicitur, apparuerunt effuſiones maris, ideſt, loca profundiſſima in mari: de quibus effunduntur aquę: & iſta ſententia habetur in Pſalm. Scilicet, apparuerunt fontes aquarum, ideſt, loca profunda maris, de quibus aquę egrediuntur quaſi de fontibus: & huic concordat litera ſequens, ſcilicet, & reuelata ſunt fundamenta orbis, quia ibi viſa ſunt occulta maris, quæ nullus hominum vnquam viderat. Et vocantur fundamenta orbis, quia orbis iudicatur fundatus ſuper partes profundiores, quæ vadunt verſus centrum, & quia mare erat profundum, & ibi apparuit fundum eius, dicebatur illud fundum fundamentum orbis. *Ab increpatione Domini.* Ideſt, factũ eſt propter increpationem Dei. Dicitur enim aliquis increpare alium, quando durè ei loquitur, & mouetur contra ipſum: ita Deus dicebatur increpare mare rubrum, quia habebat ſe erga illud durius quàm vnquã de habuerat, quia nunquam diuiſerat illud ſicut nũc. *Ab inſpiratione ſpiritus furoris eius.* Repetitio ſententiæ eſt, quia increpatio, & inſpiratio furoris idem eſt: vocatur autem inſpiratio, ideſt, flatus. Iſtud enim fit in iratis, qui emittunt per nares fumos iræ: vt dictum eſt: & illa emiſſio eſt impetuoſior, quàm in aliis hominibus, & vocatur inſpiratio ſpiritus, ideſt, emiſſio anhelitus furoris eius, ideſt, iſte anhelitus cauſatur à furore. In omnibus autem hominibus eſt inſpiratio, & reſpiratio ſpiritus. differunt tamen irati à cæteris, quia ſpirant aliter propter ferocitatem fumorum iræ. Et eſt ſenſus, quòd Deus tantum erat iratus contra Aegyptios, & emittebat ſpirationem furoris, quòd diuidebat mare, & faciebat alia terribilia contra communẽ conſuetudinem, ſicut faciunt homines irati aliquid, quod aliàs facere non ſolebant. Vel poteſt intelligi de flatu miſſo ſuper mare rubrum. Nam dicitur Exo. 14. quòd Deus miſit ventum ſuper mare, qui erat vẽtus vrens, & vehemens per totam noctem, & conuertit illud in ſiccum. Ventus tamen vocatur ſpiritus Domini tanquam ſit miſſus, vel efflatus ab ore eius, vt patet Gen. 1. vbi nos dicimus, Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas. In Hebræo dicitur: ſpiritus Domini flabat ſuper aquas, ſcilicet, ventus miſſus a Deo.

Miſit de excelſo. Hic ponitur tertium, ſcilicet, liberationis modus, & forma: & quia iſta liberatio fuit virtute diuina: primò ponitur liberatio per modum euacuationis, ſecundò liberatio per modum inſecutionis, & deſtructionis, ibi. *In te enim curram.* Prima in duas, ſcilicet, in partem principalem, & incidentalem, ibi. *Cum ſancto ſanctus.* Circa primum dicitur. *Miſit de excelſo, & aſſumpſit me.* Hic redit Dauid ad liberationem ſuã, quam inceperat enarrare cùm perſequeretur eum Saul apud Petram diuidentem. Nam ſicut ſupra dictum eſt, iſti qui loquuntur per modum laudis, faciũt frequentes tranſitiones, & aliquando ommittunt aliquid ad quod poſtea redeunt, & dicitur: miſit de cœlo, ideſt, dominus miſit nuncium ſuum de cælo. Intelligitur enim de illo nuncio, qui venit ad Saulem: nam cùm Saul teneret Dauid vallatum in modum coronæ apud petram diuidentem, & iam non ſupereſſet niſi vt caperet eum, venit quidam nuncius ad Saulem dicens: feſtina quia Philiſthini infunderũt ſe ſuper totam terram, & tunc Saul ceſſauit perſequi Dauid vadens contra Philiſthinos, præceden. lib. cap. 23. Ille autem nuncius creditur à quibuſdam fuiſſe Angelus Dei: & huic conſonat litera, ſcilicet, miſit de excelſo, & aſſumpſit me, ideſt, miſit Deus Angelum ſuum de cęlo tanquam nuncium ad Saulem, & tũc aſſumpſit me, ideſt, liberauit. In Pſalmo dicitur, miſit de ſummo, ſed idem eſt ſummum, & excelſum. In Hebræo dicitur, *Mittet de excelſo, & aſſumet me.* Eadem ſententia eſt, ſed eſt mutatio temporis ſicut apparet ſæpe ex dictis: *Et extraxit me de aquis multis*, ideſt, extraxit me de medio Saulis, & uirorum ſuorum: nam illi uocantur aquæ, eo quòd aquæ multæ populi multi ſunt, vt patet Apocal. 17. & extra de celebrat. miſſa. c. cum Marthę, & iſte eſt modus accipiendi in metaphoris. Erant autem viri Saulis multi, quia perſequebatur Dauid cũ tribus millibus virorum, vt patet præceden. lib. cap. 26. extraxit autem Deus Dauid de medio illorum, quia erat circundatus, & fecit illos recedere, manſitque ipſe liber. *Liberauit me ab inimico meo potentiſſimo*, ideſt, liberauit me de manu Saulis, qui erat inimicus meus, & erat potentiſſimus, quia erat rex. Dauid autem erat tunc vir ſimplex, & fugiebat à facie eius, vt patet præceden. lib. c. 18. vſque ad 27. vel ponitur ſingulare pro plurali, ſcilicet, inimico meo potentiſſimo, ideſt, inimicis meis potentiſſimis, quia multi erãt inimici eius, & omnes erant potentiores eo pro tempore. Et iſte ſenſus habetur in Pſalmo, ſcilicet, Eripuit me de inimicis meis fortiſſimis. *Et ab his, qui oderant me.* Iſtud poteſt dupliciter intelligi. Si enim accipiatur ſupra ſingulare pro plurali, dicetur quòd hic eſt repetitio ſententiæ, & quòd erant ijdem inimici potentiſſimi Dauid, & illi, qui oderant eum. Si autem accipiarur inimicus potentiſſimus pro Saule: erit ſenſus quòd alij erant, qui oderant Dauid, ſcilicet, Iebuſæi. Sic patet ſupra quinto, ſcilicet, Niſi abſtuleris claudos, & cæcos odientes animam Dauid. Idem patet primo Paralip. 11. Etiam Ziphei oderant Dauid, quia perſequebãtur eum inſidioſè, vt traderent Sauli. præced. lib. cap. 23. & 26. Abſalom etiam, & Achitophel oderãt Dauid, ſupra 17. & ab omnibus his liberatus eſt. *Qui robuſtiores me erant*, ideſt, iſti hoſtes mei erant robuſtiores, quã ego. De Saule patet, quia ipſe erat rex, & Dauid erat ſeruus eius. De Zipheis patet: nam potentiores erant, eo quòd fauebat eis Saul. De Abſalone, & Achitophel patet, quia totus Iſrael erat cum Abſalone, & cum Dauid ſoli ſerui ſui: vnde ipſe fugit plorans ſupra 15. & 16. In hoc Dauid confitetur ſe liberatum virtute diuina, quia ipſe hoſtibus impar erat, quaſi dicat, quia hoſtes erant potentiores me, tu liberaſti me. Nam ſi non fuiſſent potentiores, nõ oportebat, quòd tu me ſpecialiter liberaſſes, quia ego pugnaſſem contra eos. In Pſalm. dicitur: quoniam confortati ſunt ſuper me, ideſt, confortati ſunt robore plus quàm ego: ſed eadem ſententia eſt. *Præuenerunt me in die afflictionis.* Ideſt, venerunt ante quam ego, ſcilicet, quia ipſi inceperunt me perſequi, dum ego nihil opinarer. Et intelligitur de Saule, qui miſit Ziphęos ad circundandum Dauid, dum ipſe eſſet quaſi ſecurus in deſerto Maon. præceden. lib. ca. 23. ſic etiam Abſalom præoccupauit, vel præuenit Dauid, quia dũ eſſet ſecurus Dauid in Ieruſalem, faciebat contra ipſum coniurationem Abſalom, & ſubito dictum eſt Dauid, Toto corde vniuerſus Iſrael ſequitur Abſalõ: & tunc Dauid inopinatus, & imparatus fugit de Ieruſalem nudis pedibus, ſupra 15. erat autem ille dies tribulationis, quia tunc erat Dauid in anguſtia magna.

Et fa-

Et factus est Dominus firmamentum meum, ideſt, cũ eſſem in tribulatione magna, & non viderem mihi aliquem ſubſidium, dominus fuit firmamentum meum, ideſt, firmiter me protexit. In Pſalmo dicitur: factus eſt protector meus, ſed idem eſt. In Hebræo dicitur: *Aggreſſi ſunt me in die affuctionis*'. Vbi nos dicimus, præuenerũt me, ſed idem eſt, quia qui aggreditur alium, præuenit eum. *Et eduxit me in latitudinem*, ideſt, dedit mihi locum latum, quaſi dicat, dum Saul cingeret me in modum coronæ, ego eram in loco ſtricto non potens effugere: ſed cùm venit nuncius ad Saulem, ego eductus ſum in latitudinem, quia ipſo recedente, ego manſi ſine hoſtibus: vel poteſt hoc intelligi de qualibet tribulatione, nam dum homo eſt in tribulatione eſt coangũſtatus non potens hinc, aut inde liberari: ſed cùm Deus liberat hominem, tunc eſt in latitudine, quia non comprimitur ex aliqua parte. *Liberauit me, quia placuit ei*, ideſt, liberauit me propter ſolam bonitatem ſuam, quia licèt ego nihil egiſſem boni, ex quo iſtud mererer, Deus voluit me liberare. In Pſalmo dicitur: ſaluum me fecit, quoniam voluit me, eadem ſententia eſt. In Hebræo habetur. *Liberabit*. Sed eſt mutatio temporis, quia manifeſtum eſt, quòd hic agitur de re præterita. *Retribuet mihi Dominus ſecundùm iuſtitiam meam*, ideſt, retribuet mihi bonũ, quia iuſtus ſum. *Et ſecundùm munditiam manuum mearum reddet mihi*. Eadem ſententia eſt, & refertur iſtud ad Saulem, ſcilicet, quia potuit Dauid occidere eum dum eſſet in ſpelunca purgans aluum, & noluit, vt patet præceden. lib. 24. ca. vnde Saul videns tunc benignitatem Dauid laudauit eum, dicens: iuſtior tu es quàm ego, tu enim tribuiſti mihi bona, ego autem reddidi tibi mala, quis enim cùm inuenerit inimicum ſuum, dimittit eum in via bona? ſed dominus reddat tibi uiciſſitudinem hanc pro eo quod hodie operatus es in me. De Abſalom quoque idem fuit, quia poterat Dauid eum occidere, cũ eſſet acerrimus hoſtis eius, ſed noluit quin potius vetuit euntibus ad bellum occidere eum, dicens: ſeruate mihi puerum Abſalom, ſupra 18. pro his autem merebatur ualde Dauid, quia iſta quantum ad aliquid erant opera ſupererrogationis, & in hoc conſideratur iuſtitia Dauid quantum ad rectitudinem uoluntatis, inquantum noluit occidere Saulem, nec Abſalom hoſtes ſuos. Munditia autem manuum dicitur inquantum non occidit eos reaIiter, quia tunc manus efficiuntur immundę, eo quòd ſunt miniſtræ alicuius iniquitatis.

F

I

An Dauid ex meritis ſuis vel ex ſola Dei benignitate liberatus fuerit. Queſt. IIII.

QVAERETVR quomodo Dauid dixit iſtud, quia uidetur includere contradictionem. Nã ſupra dixit: liberauit me, quia placuit ei, in quo ſignificatur, quòd ex ſola benignitate Dei Dauid liberatus eſt: hic autem dicitur: retribuet mihi ſecundùm iuſtitiam meam, in quo innuit, quòd ex meritis ſuis dantur ſibi ea, quæ recipit. Reſpondendum, non eſſe contradictionem, quia iſta referuntur ad diuerſa tempora: nam Dauid antequam liberaretur de manu Saulis ad petram diuidentem, nihil boni ſpeciaIiter egiſſe ſe putabat propter quod liberaretur, ideo putauit quòd ſola Dei benignitate liberabatur: poſtea autem egit aliqua bona, propter quæ debebat recipere præmium, ſcilicet, quia noluit occidere Saulem quamquam potuerit. Simile habetur ſupra 15. nam ibi fugiebat Dauid a facie Abſalonis ſciens ſe peccaſſe. Poſtea uerò cùm malediceret ei Semei, toleraUit patienter, & putauit, quòd ex hoc mereretur, unde dixit ad Abiſai: dimittite eum, vt maledicat, ſi fortè reſpiciat Dominus afflictionem meam, & reddat mihi bonum pro maledictione hac hodierna. Non eſt ergo hic contradictio aliqua. *Quia cuſtodiui vias Domini*, ſcilicet, legem ſuam: quia ſicut via eſt per quam homo ambulat, ita lex domini eſt, per quam homo debet ambulare: ſic enim dixit Dominus. Hæc eſt via ambulate in ea, nec ad dexteram, nec ad ſiniſtram declinetis. Iſai. 42. Et accipitur ibi via pro lege. *Et non egi impiè à Deo meo*, ideſt, non egi aliquam impietatem recedendo à Deo meo, iſta eſt enim cauſa propter quã Dauid dicebat quòd retribueret ei Deus ſecundùm iuſtitiam ſuam, ſcilicet, quia non receſſerat de via domini. *Omnia enim iudicia eius in conſpectu meo*, ideſt, ego ſemper conſidero iudicia domini. Vocantur autem iudicia præcepta iudicialia: nam triplicia erant præcepta in lege, ſcilicet, moralia, cæremonialia, & iudicialia, accepit autem hic Dauid iudicialia, quia poſtea ſubiungitur de alijs præceptis: & dixit Dauid, quòd iudicia Dei erant in conſpectu eius, ſcilicet, quia conſiderabat ſemper in eis, ſicut habetur Pſal. 1. Sed in lege Domini fuit voluntas eius, & in lege eius meditabitur die ac nocte. *Et præcepta eius non ammoui a me*. Intelliguntur per præcepta tam moralia, quàm cæremonialia, quia nullum genus præceptorum Dauid transgrediebatur. In Hebræo habetur. *Et præcepta eius non ammoui ab ea*, ideſt, non ammoui a lege, & exponit Ra. Dauid Kimhi, ideſt, non obſeruaui quædam præcepta ommittendo alia, vel tollendo illa de lege, ſed omnia præcepta integre cuſtodiui. In Pſal. dicitur: & iuſtitias eius non repuli a me, & idem eſt, quia iuſtitia domini continetur in præceptis ſuis, & qui illa obſeruat non repellit iuſtitias domini.

G

H

Quomodo Dauid negauit ſe peccaſſe cùm multa mala egerit. Quæſt. V.

QVAERETVR, quomodo dixit Dauid, nõ egi impie à Deo meo, & omnia iudicia eius in conſpectu meo ſemper, & præcepta eius non ammoui a me, quia manifeſtum eſt, quòd ipſe grauiter peccauit cognoſcendo Bethſabee, & occidendo Vriam, & ipſe confeſſus eſt ſe peccaſſe, vt ſupra 12. & hic etiam dixit, de iniquitate mea liberabis me. Aliquis reſpondebit, quòd Dauid non peccauerat quando iſta dixit, ſed poſtea peccauit; ideo potuit dicere hoc conuenienter. Sed non ſtat, quia Dauid dixit verba Pſalmi huius poſtquam liberauerat eum dominus ab omnibus inimicis ſuis, & à Saule, vt patet in litera in principio cap. ergo non dixit hæc antequam peccaſſet, quia poſtquam peccauit in Bethſabee, & Vria, habuit hoſtes à quibus Deus eum liberauit. Dicendum ergo, quòd Dauid non negat ſimpliciter ſe peccaſſe, ſed ſolùm refertur hoc ad modum ſe habendi cum hoſtibus ſuis, ſcilicet, quia contra illos nũquam Dauid iniquè egit, nec omiſit aliqua mandata Dei: ſed potius habuit ſe miſericorditer cũ illis, quia poterat occidere Saulem, & noluit, & ſic de Abſalone, ſic etiam de Semei, qui maledicebat ei, volebatq; eum occidere Abiſai, ſed Dauid prohibuit, dicens: dimitte eum, vt maledicat mihi, ſupra 16. Quòd autẽ ſit intelligenda in hoc ſenſu litera, patet ex præcedenti, cùm dictum eſt: retribuat mihi dominus ſecundũ iuſtitiam meam, & ſecundùm munditiam manuum mearum reddet mihi, ſcilicet, ſicut me habui mundè non inquinando manus meas occidendo Saulem, vel Abſalonem, ita dominus mihi retribuet: & tunc ſequitur litera, & non impie geſſi à Deo meo, ideſt, inquantum me habui cum hoſtibus meis nihil impiè geſſi contra illos, & ſic debet intelligi tota alia litera. Quòd autem Dauid non neget ſimpliciter ſe peccaſſe,

K

ſe, patet ex ſequen. litera, ſcilicet, & cuſtodiam me ab iniquitate mea, ſi tamen negaret ſe peccaſſe, non diceret, quòd cuſtodiret ſe ab iniquitate ſua. *Et ero perfectus cum eo*, ideſt, ex hinc iam non peccabo, ſed ero perfectus, ſcilicet, totaliter mundus nullam habens maculam. Sic habetur in Pſal. ſcilicet, & ero immaculatus cùm eo. *Et cuſtodiam me ab iniquitate mea*, ideſt, diligenter obſeruabo, ne iam in talem iniquitatem incidam, in qualem prius incidi. Hic intelligitur de adulterio Bethſabee, & homicidio Vriæ, quia iſtud erat ſpecialiter peccatum Dauid, eo quòd uſq; nunc non fecerat aliquod peccatum notabile, niſi illud de quo ſcriptura eum redarguit. Si autem dicatur, quòd aliquando mentitus eſt, uel fecit ſimilia, quæ non excuſantur. Dicendum quòd illa erant peccata leuia, de quibus non facit mentionem ſcriptura. *Et reſtituet mihi Dominus ſecundùm iuſtitiam meam*. Iſta eſt repetitio eiuſdem per eadem uerba, quod ſæpe fit in carminibus ſicut hic, & intelligitur de Saule, & Abſalone, ſcilicet, quòd Dauid ſeruauit ad eos animum iuſtum nolens illos occidere. *Et ſecundùm munditiam manuum mearum*, ſcilicet, manus meæ mundæ ſunt, quia non effudi ſanguinem Saulis ad me uindicandum. præce. lib. cap. 24. Nec effudi ſanguinem Nabal ad ultionem cùm irriſiſſet me. eodem lib. cap. 25. Nec etiam occidi Semei propter iniurias, quas mihi inferebat, ſupra 16. Nec uolui occidere Abſalonem hoſtem meum, ſupra 18. *In conſpectu oculorum eius*, ideſt, munditia mea apparet coram Deo, & ipſe uidet illam. *Cum ſancto*. Hic ponitur pars incidentalis, in qua oſtenditur Dei miſericordia erga bonos. Nam ſicut Dauid oſtenderat, quòd Deus ſe habuiſſet clemẽter ad eum, ita oſtendit, quòd ad omnes uiros bonos clementer ſe habeat, & dicitur. *Cum ſancto ſanctus eris*. Iſta litera dupliciter intelligi poteſt. Vno modo quòd Dauid ponat hoc per modum doctrinæ ad quemlibet hominem, ſcilicet, quòd debeat ſe habere cum quolibet taliter, qualis ille eſt, ſcilicet, ſi ſanctus eſt, uiuat cum eo, ut cum ſancto, ſi autem eſt peruerſus, habeat ſe ad illum, ut ad peruerſum, & ſic de alijs uarietatibus. Iſta doctrina ponitur ab Auguſtino in epiſtola ad Ianuarium, & habetur in decretis. diſtin. 12. cap. illa autem. cùm dicitur: quod enim nec contra fidem, nec contra bonos mores eſſe conuincit, indifferenter habendum eſt, & pro eorum, inter quos viuitur, ſocietate ſeruandum: mater mea Mediolanum me ſecuta eſt, inuenit Eccleſiam ſabbatho non ieiunantem, cęperat fluctuare, tunc ego conſului de hac re beatiſſimæ memoriæ Ambroſium Epiſcopum, at ille ait, cùm Romam venio ieiuno ſabbathum, cùm Mediolani ſum non ieiuno, ſic & tu ad quam fortè Eccleſiam veneris eius morem ſerua, ſi cuiquam non vis eſſe ſcãdalum, nec quemquam tibi, & tunc exponetur ſic. *Cum ſancto ſanctus eris*, ideſt, quando fueris cum viro ſancto, vives cum eo vt cũ ſancto. *Et cum robuſto perfectus eris*, ideſt, quando fueris cum homine robuſto fac vt perfectus, ideſt, ſicut perfectus in robore. *Et cum electo electus eris*, ideſt, quando fueris cum viro electo operare perfecte, ſicut vir electus. *Et cum peruerſo peruerteris*, ideſt, quando fueris cum viro malo operare ad eum, ſicut ad malum, licèt tu non opereris malum. Rab. Dauid Kimhi dicit quòd ſi peruerſus voluerit tibi aliquid malum inferre, peruertere tu, ideſt, fac ei malũ quod tibi volebat facere. Iſte modus exponendi literam in ſe bonus non eſt, & non conſonat doctrinæ Apoſtoli dicentis, Omnibus omnia factus ſum, vt omnes Chriſto lucrifacerem, ideſt, communicaui cum omnibus eo modo, quo illi communicabant, & tamen non applicatur iſta expoſitio ad literam, quia tota iſta litera à principio vſque ad finem erat laudatiua Dei, nunc autem ſic exponendo, eſt litera doctrinalis. Item nõ ſtat, quia in tota iſta litera Dauid dirigit verba ſua in Deũ. Intelligendo autem ſic, referentur verba ad proximum: ideo exponenda eſt aliter, ita vt referantur omnia ad Deum, ſcilicet. *Cum ſancto ſanctus eris*. Ideſt, homo ſanctus reputabit te ſanctum, quia verè ſanctus es. Vel cum ſancto ſanctus eris, ideſt, tu infundes ei ſanctitatem, quia omne bonum, & perfectio noſtra à Deo eſt. *Et cum robuſto perfectus*. Ideſt, cum homine robuſto: ideſt habente robur ad operandum virtuoſe eris perfectus, ideſt reputabit te perfectum, & intelliget robur ſuum à te eſſe. iuxta illud Iſai. 40. Scilicet, Qui autem ſperant in domino mutabunt fortitudinem: aſſument pennas, vt aquilæ: current, & non laborabunt: ambulabunt, & non deficient. *Et cum electo electus eris*. Ideſt, vir electus, & bonus reputabit te electum, ideſt, non habentem aliquam imperfectionẽ, ſed potius reputabit te electorem ſuum, ſcilicet, quia ex hoc ſolo habet, quòd ſit electus, quia tu elegiſti eum, iuxta illud: Beatus quem elegiſti, & aſſumpſiſti, & habitabit in atriis tuis. *Et cum peruerſis peruerteris*. Ideſt, cum viro malo tu eris malus, ſcilicet, reddendo ei malum quod meretur: vel eris peruerſus cum eo, ſcilicet, reputabit te peruerſum, quia homines iniqui reputant Deum eſſe iniuſtum, quãdo punit eos: & tamen ipſe iuſtè punit illos. In Hebræo habetur. *Cum potente complecto*, Vbi nos habemus cum robuſto, & eadem ſententia eſt. Magis tamen conuenit litera hebraica, quia hic ponuntur nomina ſimilium ſignificatorũ, ſicut cùm dicitur, cum ſancto ſanctus eris, ideo debet poni hic nomen ſignificans perfectionem: cum immediatè ſequatur perfectus eris. *Et populum pauperem ſaluum facies*. Ideſt, tu ſaluabis homines pauperes. In hoc patet benignitas Dei erga pauperes: quia cùm ipſi non poſſunt ſe defendere, Deus defendit illos. ſic patet Exo. 22. Scilicet, Aduenam non contriſtabis, nec afflliges eum: viduæ, & pupillo non nocebitis, ſi læſeritis eos vociferabuntur ad me, & ego exaudiam clamorem eorum, & indignabitur furor meus, percutiamque vos gladio, & erunt vxores veſtræ viduæ, & filij veſtri pupilli. ſic etiam Deuter, 10. dicitur. Deus perſonam non accipit nec munera, facit iudicium pupillo, & aduenæ: amat peregrinum, & dat ei victum atque veſtitum. In Pſalmo habetur. *Tu populum humilem ſaluum facies*. Sed idem eſt, quia vocatur populus humilis, ideſt, humiliatus, vel depreſſus, qui modica poteſt, & pauca poſſidet. *Oculisque tuis exceſſos humiliabis*. Ideſt, per ſolum aſpectum oculorum humilias, vel deprimis ſuperbos. ſimile habetur Iſai. 11. Scilicet, Et ſpiritu labiorum ſuorum interficiet impium, ideſt, ſolo ſermone occidet hominem malum. Ita etiam ſolo viſu deprimet ſuperbos. In Pſalmo habetur, & oculos ſuperborum humiliabis. Quod ad aliam ſententiam pertinet: quia hic oculi referuntur ad Deum, ibi autẽ ad ſuperbos. *Quia tu lucerna mea Domine*, Ideſt, tu es lucerna illuminãs me. hoc autem dicitur à duplici proprietate. Prima eſt: quia lucerna dicitur lumen in teſta poſitum, vel in alia re corporali, & lumen quaſi ſpirituale, ita Deus poſuit intra corpus noſtrum lumẽ intellectus, quod omnia illuminat. Sic dicitur Pſal. 4. ſignatum eſt ſuper nos lumen vultus tui, ideſt, intellectus, & Deus eſt lucerna hominis dando ei hoc lumẽ. Aliter poteſt intelligi, quòd gratia quam Deus infundit illuminet animam noſtram, ſine qua deformis eſt imago Dei in anima noſtra, adueniente autem gratia fulget imago animæ noſtræ, & tunc proprie eſt deiformis. Deus autem dabat iſtam gratiam Dauid, ideo vocabatur lucerna eius. *Et tu Domine illuminabis tenebras meas*. Poteſt accipi ſicut ſupra dicebatur de lucerna, quia lucerna, & tenebra oppoũntur, & dicitur illumi-

A

B

C

D

E

Illuminare tenebras quomodo intelligitur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

illuminabis tenebras meas, ſcilicet, dando mihi cognitionem, & ponendo intellectum in me, quia ſine intellectu omnes res ſunt naturaliter tenebroſæ. Vel aliter illuminabis tenebras meas, ſcilicet, per gratiam, nã peccata dicuntur tenebræ; & tolluntur per gratiam ſuperuenientem. Iſta autem à Deo ſolo, ideo ipſe illuminans tenebras noſtras. Vel aliter vocantur tenebræ opera facta in charitate, quæ poſtea per vitiũ ſequens mortificantur, & efficiuntur tenebroſa: cùm verò ad charitatem quis redit, opera illa viuificantur, & dicuntur illuminari. Propriè tamen Dauid vocauit Deum lucernam ſuam, quia illuminat eum dirigendo in omnibus agendis, & incideret Dauid in multas ignorantias, niſi Deus illuſtraret intellectum eius reuelando ei quid agere deberet: ſic factum eſt, quando Dauid manebat in præſidio terræ Moab. Nam Deus dixit ei p prophetam Gad, quòd recederet inde. præce. lib. c. 22.

In te enim. Hic ponitur liberatio Dei facta Dauid per modum inſecutionis, & deſtructionis, ſcilicet, quia nõ ſolùm Deus liberabat Dauid ab hoſtibus perſequentibus eum, ſed etiam dabat ei vires ad impugnandum hoſtes, ſcilicet. *In te enim curram accinctus.* Ideſt, ſperans in te: vel inuocato nomine tuo ego curram accinctus, ideſt, diſpoſitus ad bellum, ſcilicet, quando ego inuocauero nomen tuum confidenter curram nihil mali timendo in bellis. Sic dicitur Pſal. 26. Dñs protector vitæ meæ à quo trepidabo? Si cõſiſtant aduerſum me caſtra, non timebit cor meũ: ſi exurgat aduerſum me prælium, in hoc ego ſperabo. In Pſal. dicitur quia in te eripiar à tẽtatione mea, ideſt, inuocato te eripiar à tentatione, ideſt, à bello, quod mihi fit propter tentationem, ideſt, vt tenter. *In Deo meo tranſgrediar murum.* Ideſt, inuocato Deo meo ego tranſgrediar murum hoſtilem, & non timebo irrumpere in hoſtes. *Deus immaculata via eius.* Ideſt, via Dei eſt ſine macula, quia non reperitur in ea aliquid reprehenſibile. Aliqui accipiunt viam pro lege: & dicunt quòd illa eſt immaculata, ideſt, non permittens aliquod malum: ſicut leges humanæ, quæ multa mala permittunt. Et ſi obijciatur de vſura, & libello repudij, quæ permittebantur in lege. Reſpondent, quòd iſta permittebantur propter aliquid bonum, ſcilicet, ne occiderentur vxores, & ne Hebræi grauarent fratres ſuos vſuris ſi non permitterentur dare alienis ad vſuram. Deuter. 24. Sed iſtud valde alienum eſt, ideo dicendum, quòd vocatur via Dei operatio, vel modus viuendi eius, ſicut dicitur: nõ eſt hominis via eius, nec viri, vt dirigat greſſus ſuos, ideſt, non eſt in poteſtate ſua qualiter ſibi eueniat.

Lex Domini quare dicatur immaculata.

Ita de Deo vocatur via eius modus viuendi, & iſta eſt immaculata, quia in operatione Dei nihil reprehenſibile reperitur, ſed iuſtè, & miſericorditer ſe habet ad omnes. *Eloquium Domini igne examinatum.* Scilicet, Non ſolùm via Domini, ideſt, operatio ſua eſt impolluta, ſed etiam verbum ſuum eſt purum nihil continens falſitatis, aut iniquitatis: ſicut argentum, quod examinatum eſt in igne, non continet iam aliquid impuritatis. *Scutum eſt omnium ſperantium in ſe.* Ideſt, ipſe protegit à malo omnes ſperantes in ſe, quia ſi quis verè confidit in Domino: in omnibus proſperabitur. Iuxta illud: Iacta in Domino curam tuam: & ipſe te enutriet, & non dabit fluctuationẽ iuſto. *Quis eſt Deus præter Dominum?* Quaſi dicat, nullus eſt Deus pter ipſum. *Aut quis fortis præter Deum noſtrum.* Ideſt, nullus eſt verè fortis præter eum, quia omnes alij patiũtur defectus, & non poſſunt excludere à ſe omnia mala. Iſtud poſuit Dauid ad confirmationem precedentiũ, quia dixit ſup. q̃ Deus eſt ſcutum ſperantium in ſe: hic oſtendit illud eſſe veriſimile. ſ. quia Deus hebræorũ eſt vere Deus. & ipſe ſolus eſt verè potens, ideo poteſt defendere ſperãtes in ſe ab omni malo. In Hebræo exponit

Ra. Dauid Kimhi iſtud ſecundùm literam caldaicè de tempore Meſſiæ, quando omnes gentes conuertẽtur ad Deum Iudeorum, & dicẽt: nullus eſt Deus præter Deum noſtrum. In Hebræo habetur. *In te curram cum turba.* Vbi nos dicimus. In te curram accinctus: ſed iſtud fit propter æquiuocationem nominis: magis tamen litera noſtra conuenit. Item in Hebræo nõ habetur: Igne examinatum: ſed ſolùm examinatum, eo quòd dictio ibi poſita intrinſecè includit ignem. *Deus, qui accinxit me fortitudine.* Ideſt, Deus cinxit mihi fortitudinem, ſcilicet, ipſe poſuit eam, quia ego non habebam: hoc autem dicitur, quia Deus dabat robur Dauid ad aggrediendum aliqua magna, quæ aliàs nõ aggrederetur. In Hebræo habetur. *Deus fortis meus fortitudinis*, ideſt, Deus eſt fortis meus, & eſt qui dat mihi fortitudinem. *Et complanauit perfectam viam meam.* Ideſt, fecit viam meam planam. ſ. q̃n perſequebar hoſtes faciebat mihi viam planam, ita vt nihil me impediret: iſtud dicitur per metaphoram, quia ſic complanatio viæ tollit impedimenta currendi, ita ſignatur, quòd in omnibus operibus Dauid Deus tollebat impedimẽta, vt faciliter expediret, quæ vellet. In Hebræo habetur, liberam fecit viam meam, ſcilicet, non habẽtem impedimentum, & idem eſt. *Coæquans pedes meos cernis.* Significatur velocitas currendi contra hoſtes. i. Deus coæquauit pedes meos ceruis. i. fecit eos æquales in velocitate pedibus ceruorum, & ſic dicitur in Pſal. Qui fecit pedes meos tanquã ceruorũ: ſed eſt hyperbole: quia non erant pedes Dauid ita veloces, ſicut ceruorum: ſed Deus dederat ei velocitatem quandã. *Et ſuper excelſa mea ſtatuens me.* Ideſt, Deus dat mihi velocitatem ad hoc, quòd aſcendam ſuper excelſa, & ibi eripiar: vel dicitur, Deus conſtituit me ſuper excelſa mea, ideſt, in iſta magnitudine ſtatus, quia cùm ego eſſem paſtor non proueniebat mihi ex progenie, q̃ eſſem rex: nec poteram hoc amicorũ fauore aſſequi, ſed ſolus Deus conſtituit me ſuper excelſã meã, ideſt, ſuper celſitudinem regalem, quam teneo. *Docens manus meas ad prelium*, Ideſt, Deus docuit me ad pugnandum, quia ego eram paſtor, & inexpertus belli: ſicut patet preceden. lib. c. 17. cùm Dauid pugnaturus eſſet contra Goliath, indutus eſt armis Saulis, & cepit tentare ſi armatus poſſet incedere: non enim habebat conſuetudinem: dixitque ad Saulem, non poſſum ſic incedere, quia nec vſum habeo. Deus tamen docuit eum poſtea ad bellum, ſicut ipſe dixit Pſal. 143. Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum. *Et componens quaſi arcum æreum brachia mea.* Ideſt, Deus poſuit brachia mea fortia, ſicut eſt arcus æreus. ad bellum enim conuenienter agendum requiruntur duo. ſ. doctrina bellica: nam multi propter imperitiam bellorum pereunt: ſecundum eſt robur ad pugnandum durè, & tolerandos labores, iſta duo dicit Dauid ſibi fuiſſe data à Deo. Primum innuitur. ſ. docens manus meas ad prælium. Secundum cũ dicitur, & componens quaſi arcũ æreũ. In Hebræo dicitur. *Fregit arcum æreum brachia mea.* Et eſt barbaricus modus loquendi: quia deberet dici: fregerunt arcum æreũ brachia mea. Exponit Ra. Sa. dicẽs q̃ Dauid habebat multos arcus æreos graues in domo ſua, & veniebant ad eum interdum reges Philiſthinorum, & videntes arcus dicebant inter ſe: nullus hominum eſt, qui iſtos armare queat, vel ſufficienter curuare: ſed Dauid habet illos ad terrendum nos: & tunc Dauid coram illis armabat arcus æreos, & frangebat. Sed litera noſtra conuenientior eſt. ſ. q̃ Deus fregit brachia Dauid, ideſt, diſpoſuit illa, vel aſſueſcit, vt eſſent ſicut arcus æreus. *Dediſti mihi clypeum ſalutis meę.* Ideſt, dediſti mihi defenſionem ad me ſaluandum. Sic dicitur in Pſal. Scilicet, & dediſti mihi protectionem

tectionem ſalutis tuæ. *Et manſuetudo mea multiplicauit me.* Ideſt, propter manſuetudinem meam ego fui multiplicatus in bonis. Deus enim reſpicit manſuetudinẽ, & humilitatem virorum, & exaltat eos propter hoc: quia qui ſe humiliat exaltabitur, & qui ſe exaltat humiliabitur. Luc. 14. Etiam mãſuetudo eſt q̃dam qualitas reddens hominem diſpoſitum ad communicationẽ cum quibuſcunq; : ſicut litigioſum eſſe, & diſcolum, & ſeuerum facit hoẽm incommunicabilẽ, vnde dicit Ariſt. 8. Eth. q̃ dato, q̃ aliqui benefaciant alijs, & ſubueniãt eis in oĩbus aduerſitatib⁹, ſi ſeueri, & diſcoli ſunt, nullus vellet cõicare cum eis, nec acceptabuntur in amicos. Dauid autẽ erat manſuetus valde, & propter hoc multiplicabantur amici eius, & deſiderantes ſeruire ei. *Dilatabis greſſus meos ſubtus me.* Ideſt, extendes paſſus meos. Iſta ſententia conſonat ſupra poſitæ, ſcilicet, coæquans pedes meos ceruis quantum ad velocitatem: & quia illi, qui habent paruos paſſus, non poſſunt eſſe nimis veloces, dicitur, quòd Deus extendat greſſus eius, ſcilicet, faciendo diſtare pedes ſuos, capiendo multam terram in medio: vel ſignificatur robur in pedibus, quia illi, qui debiles ſunt laſſantur, & poſtea non poſſunt extendere pedes, & huic conſonat litera ſequens, ſcilicet. *Et non deficient tali mei.* Ideſt, non deficient robore. In hominibus enim infirmis tali deficiunt, ideſt, plantæ pedum, quia poſtquam aliquantulum ambulauerint, patiuntur in eis dolorem, & tunc ſunt indiſpoſiti ad ambulandum. In Dauid autem non ſequebatur iſte dolor, quia non deficiebant tali eius, ideo erat ſemper potens ambulare velociter. Vel dicitur, dilatabis greſſus meos, ſcilicet, quia quando ſunt pedes coniuncti eſt homo diſpoſitus ad cadendum: & quando ſunt diſtantes, homo fortius ſtat: vnde in hoc ſignificat, q̃ Deus fecit eum fortiter ſtare, ne caderet. Debent intelligi iſta de præterito, quamquam dicantur de futuro, quia omnia iſta fecit Deus Dauid, quando erat in periculis, & tamen iam liberatus erat ab illis. In Pſalm. habetur vnus verſus, qui ſuperabũdat ad iſtum locum, ſcilicet, & diſciplina tua correxit me in fine: & diſciplina tua ipſa me docebit: & hoc quia cùm aliqua res narretur in diuerſis locis ſcripturæ, nunquam eſt penitus eadem, ſed quantum ad aliquid differt, vnde & hic ponuntur aliqua verba, quæ non ponuntur in Pſalmo, & aliqua ibi, quæ non habentur hic. *Perſequar inimicos meos, & conteram.* Intelligitur de præterito, ſcilicet, perſecutus ſum inimicos meos, & contriui illos tempore, quo verſabar in bellis. Nunc autem Dauid erat extra omnes angustias, & putabat ſe iam nunquam bellaturum, ideo non intelligebat de futuris. In Pſalmo non habetur. Et conteram illos, ſed comprahendam illos. Idem tamen eſt, quia poſtquam comprehendebat eos, conterebat. *Et non reuertar donec conſumam eos.* Intelligitur etiam de præterito, ſcilicet, non reuerſus ſum donec conſumpſi eos, ſcilicet, quia poſtquam Dauid incipiebat pugnare contra aliquam gentem, non deſinebat, quouſque illam deleret, vel ſubijceret ſibi: ſicut patet in bello cõtra Philiſthinos, Moabitas, Idumæos, Syros: nam. fecit eos ſibi tributarios ſupra octauo, ſic etiam fuit in bello contra Ammonitas, quia tandiu pugnauit quouſque eos ſubijciens ſibi tormentis afficeret, ſupra 10. & 12. Quod autem dicitur hic de inimicis, non intelligitur de Saule, & Abſalone, qui fuerunt inimici Dauid, quia iſtos non perſecutus eſt Dauid, ſed potius fugiebat ab eis, ſed intelligitur de Gentilibus, ſcilicet, Philiſthinis, Moabitis, Ammonitis, Idumæis, & Syris, cæteriſque gentibus, contra quas pugnauit Dauid. In Pſalm. dicitur, Et non conuertar donec deficiant, ſed idem eſt. *Et confringam, vt non conſurgant.* i. confringam eos taliter q̃ non poſſint cõſurgere

deinde contra me. Iſtam cautelam ſeruabat Dauid q̃ cum pugnaret contra aliquam gentem: aut totaliter eam delebat, aut tantum affligebat diminuendo eam, q̃ non poſſet poſtea inſurgere ꝯ eum, ſic fecit ꝯ Idumæos, Moabitas, & Ammonitas, & Syros. ſ. 8. *Cadent ſub pedibus meis.* i. non poterunt reſiſtere mihi, ſed cadent ante me. Intelliguntur autem hæc de præterito ſicut ſupra dictum eſt. ſ. confregi eos, & non conſurrexerunt, & ceciderunt ſub pedibus meis. *Accinxiſti me fortitudine ad prælium.* Ideſt, dediſti mihi fortitudinem, vt poſſem pugnare, accipitur hic fortitudo pro robore, quo aliquis pugnare poteſt, vel accipitur pro virtute morali: ſecundùm quam homo ſe exp ̃nit terribilibus, & eſt proprie circa bellum, vt patet. 3. Ethic. In Pſalmo dicitur, Et precinxiſti me virtute ad bellum, & idem eſt, quia fortitudo vocatur virtus excellenter, ſic patet Sapi. 8. vbi ponũtur quatuor virtutes cardinales, & omnes nominantur nominibus proprijs ꝑter fortitudinem, quæ vocatur virtus abſolutè. ſ. ſobrietatem, & ſapientiam docet, & iuſtitiam, & virtutem: quibus nihil vtilius eſt in vita hominibus. *Incuruaſti reſiſtentes mihi ſub me.* Ideſt, feciſti cadere inſurgentes mihi ſubtus me. In quo Dauid confitetur q̃ omnia bella, quæ faciebat erãt in virtute Dei. In Pſalmo habetur, Et ſupplantaſti inſurgentes in me ſubtus me, & idem eſt, q̃ ſupplantare eſt per plantam tenere, & in terram deijcere, & hoc ſignificat incuruare. *Inimicos meos dediſti mihi dorſum.* Ideſt, feciſti quòd inimici mei darent mihi dorſum, ſcilicet, fugiendo à me, & terga vertendo; & tunc ego percuterem eos in dorſo. *Et odientes me diſperdam eos.* Ideſt, ego diſperdam vel deſtruam odientes me, & eſt eadem ſententia, ſcilicet, quia poſtquam hoſtes verterent terga Dauid, ipſe poterat eos faciliter diſperdere, intelligitur hoc de preterito, quia iam omnia hęc facta erant, ſic patet in Pſalm. ſ. & odientes me diſperdidiſti. *Clamabunt & non erit qui ſaluet.* Ideſt, quando perſecutus fuero iſtos hoſtes clamabunt petentes auxilium, & non erit qui ſaluet, ſcilicet, quia orabant iſti ſalutem à Dijs ſuis, & illi non poterant eos ſaluare, quia non erant Dij, ſed ſimulacra. *Et ad Dominum & non exaudiet eos.* Ideſt, aliquando gentiles videntes, q̃ non poterant habere auxilium à Dijs ſuis contra Dauid, petebant auxilium à Deo Hebræorum, & tamen ille non exaudiebat eos, quia non erant ſerui ſui. Aliqs dicet, q̃ non poteſt hoc intelligi de gentilibus, quia illi non inuocabant Deum, eo q̃ nõ cognoſcebant eũ tanquam Deum, vel ſaltem nõ tenebant eũ in Deum ſuum. Sed falſum eſt, quia Philiſthini habentes aream Dei apud ſe percuſſi ſunt plagis magnis, & inquirentes remedium, nec inuenire valentes obtulerunt munera Deo Hebræorum, & honorauerunt arcam, vt Deus remitteret eis pœnam. præced. lib. c. 5. & 6. & remiſit illam. Item patet hoc melius in Antiocho Epiphane, qui volebat deſtruere vrbem Ieruſalẽ, & Deus incuſſit illi plagam inſanabilem, & non habens aliunde remedium faciebat vota magna Deo, vt eum ſanaret: ſed ſanitatem non meruit, vt patet. 2. Machab. c. 9. Ita ergo hic aliquando gentiles orarent dominum, vt liberaret eos de manu Dauid, & ipſe non exaudiret. Intelligenda ſunt hæc de præterito, vt patet in Pſal. Clamauerunt, nec erat qui ſaluum faceret, ad Dominum, nec exaudiuit eos. *Delebo eos, vt puluerem terræ.* Ideſt, delebo hoſtes meos ſicut puluerem: quod dupliciter intelligitur. Vno modo quòd ſicut puluis ſub pedibus noſtris calcatur, & ſine aliquo labore noſtro deletur: ita Dauid conculcauit hoſtes ſuos reducendo eos vſque ad terram, & hoc ſine magna difficultate habens adiutorium de cœlo. Secundò intelligitur, quòd ſicut puluis diuiditur in partes minutiſſimas: ita Dauid conterebat hoſtes ſuos vſque ad partes minutas.

Quos non exaudiuit Deus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

nutas. Et iste sensus est conuenientior, vt patet ex sequenti litera, scilicet. *Quasi lutum platearum comminuam eos.* Scilicet, reddam eos ita minutos sicut lutum platearum, quod multis calcantibus atteritur: patet etiã magis in Psalm. quia, vbi dicitur hic, delebo eos vt puluerem terræ: dicitur ibi: Comminuam eos, vt puluerem ante faciem venti: puluis tamen ante faciem venti dispergitur in partes minutissimas. *Atque compingam.* In Hebræo habetur, *Dispergam.* Et istud procedit ex equiuocatione, quia verbum ibi positum significat complanare, vel dispergere. Primum accepit litera nostra, dicens: compingam. Nam compingere est cùm accipitur massã luti, & extenditur per parietem: & in ista significatione accipitur aliquando in Hebræo: vt cùm dicitur, quòd laminæ aureæ extendendæ erant super tabulas tabernaculi. Exo. 26, & 36. nam ibi ponitur istud verbum: litera autem nostra accepit conuenientissimè hic, compingam, & non dispergam, quia dicebatur de luto: ipsum autem lutum magis est ad extendendum, & compingendum quàm ad dispergendum propter suam humiditatem, & tenacitatem: si autem diceretur de puluere dixisset: dispergam. Intelligi debet hoc de præterito, scilicet, deleui eos, vt puluerem, & comminui eos ex causa iam dicta. *Saluabis me à contradictionibus populi mei.* Idest, quandocunque populus meus inceperit contradicere mihi, vt expellat me de regno: tunc saluabis me. Debet intelligi hoc de præterito, & sic exponunt Hebræi, scilicet, quòd aliquando Israelitæ contradixerunt Dauid, sicut quando Saul volebat eum occidere, etiam Israelitæ repugnauerunt, scilicet, Ziphei qui insidiabantur Dauid vt traderent eum Sauli, præcede. lib. cap. 23. & 26. Absalom quoque, & Achitophel & totus Israel insurrexerunt semel contra Dauid, supra 15. vsque ad 18. & tamen Deus liberauit Dauid de his contradictionibus. *Et constitues me in caput gentium.* Idest, seruasti semper me in caput gentium, ideſt, in statu regali. q.d. licèt populus meus contradiceret mihi ad tollendum regnum: tamen tu semper seruauisti me, vt manerem in capite gentium, & nunquam posset auferri mihi regnum. *Populus, quem ignoro seruiet mihi.* Istud ponit Dauid ad laudem Dei, quia non solùm Iudæi erant sibi subiecti, qui erant de stirpe sua, sed etiam gentiles, quos non cognoscebat per communicationem, vel cognationem seruierunt ei: sicut fuerunt Moabitæ: Idumæi, & Syri, & aliæ gentes, qui seruierunt Dauid sub tributo, vt patet supra 8. & debet intelligi de præterito, vt patet ex exemplis, etiam quia dicitur in Psalm. Populus quem non cognoui seruiuit mihi. *Et auditu auris obediet mihi,* Scilicet, immediatè vt audiebat verba mea obediebat mihi, & hoc ad significandum magnã promptitudinem seruiendi. *Filij alieni defluxerunt.* Idest, illi, qui erant filij mei, & tamen alienati sunt à me, defluxerunt. i. recesserunt à me. Intelligitur de Absalone, qui erat filius Dauid, & repugnauit ei alienando se ab illo tanquam hostis. Item omnes Israelitæ erant filij Dauid inquantum ipse erat rex, & reges vocantur patres, vel pastores populorum, sicut Homerus in Iliade vocauit Agamemnonem patrem, & pastorem populorum, qui erat princeps omnium Græcorum euntium in expeditione contra Troiam. Aristo. etiam 8. Ethi. dicit principatum regalem esse paternum, & inducit istud exemplum de Agamemnone. Israelitæ tamen defluxerunt à Dauid, & alienati sunt ab eo, conjurantes cum Absalone contra Dauid supra 15. cap. *Filij alieni resistent,* i. filij mei, qui alienati sunt à me restiterunt mihi, scilicet, Absalom, & omnes Israelitæ, & intelligit de præterito, sicut supra dicitur defluxerunt. Nam necesse est, quòd ista duo verba pertineant ad idem tempus cùm faciant eandem sententiam. *Et contrahentur in angustijs suis.* i. coangustabuntur in tribulationibus suis. s. quia erunt in perplexitate, & nescient quid faciant. Aliqui Hebræi dicunt, q̃ litera Hebraica signat contrahentur in clausuris suis, & tunc intelligitur de Seba, qui alienatus est à Dauid, & fecit ab eo recedere totum Israel, dicens: non est nobis pars in domo Dauid. ℣. 20. Et iste coangustatus est in clausuris suis, i. in vrbe Abela, in qua clausus est, & occisus, ec. & intelligendum est hoc de præterito, vt supra, scilicet, contracti sunt in angustijs suis. In Psalm. dicitur. Filij alieni mẽtiti sunt mihi, filij alieni inueterati sunt, & claudicauerunt à semitis suis: sed ad idem pertinet, quamquam sint: cùm autem dicitur defluxerunt, dicitur in Psalmo, inueterati sunt, quia illa, quæ inueterantur defluunt, & destruuntur, & cùm dicitur hic, in angustijs suis, dicitur in Psal. claudicauerunt à semitis suis, quia contrahi in angustijs est diuertere à loco publico, & istud est claudicare à semitis, & retrudi in aliquo loco angusto. *Viuit Dominus.* Hic ponitur intenta conclusio, scilicet, magnificatio nominis Dei, quia omnia, quæ dicta sunt in isto cantico, ad laudem Dei pertinent. Et dicitur, *Viuit Dominus.* Idest, Deus viuit in æternum, & non accipitur viuit dominus per modum iuramenti. Sic accipitur Iere. 4. scilicet. Iurabũt, viuit dominus: sed solùm est quædam assertio de Deo, scilicet, viuit dominus. i. vita Dei est indeficiens. *Et benedictus Deus meus.* Idest, Deus est in æternum benedictus, quia licèt nos non benedicamus ei semper, tamen ipse semper bonus est, & per hoc est benedictus. Item dato q̃ nos non benedicamus semper Deo, tamen sancti Angeli semper benedicunt Deo nocte & die non cessantes, vt patet Apocal. 4. ſ. & requiem non habebant die ac nocte dicentia: Sanctus, Sanctus, Sanctus dominus omnipotens. Idem patet Ezech. 1. & 10. Item dato, q̃ nos non semper benedicamus hic Deo, quia aliquando nullus nostrum hic erit, tñ dẽmentes hic viuere, ad alium ſeculum trãsferemur, vbi semper benedicemus Deo. *Et exaltabitur Deus fortis salutis meæ.* Idest, laudibus nostris Deus exaltabitur, quia laus est sermo indicans magnitudinem. Et sic quãdocunq; Deum laudamus, enunciamus de ipso aliquid magnum, & in hoc ipse exaltatur, non quidem ipse in se: quia totam perfectionem suam simul habet, nec potest per tempus aliquid maius acquirere, sed exaltatur Deus in opinione nostra, quia nos quando nõ autumus de Deo aliquas perfectiones non arbitramur eum tanq̃ aliquid magnum. Postq̃ verò audierimus miracula, & quæcunq; magnalia opera, quæ ipse fecit, arbitramur eum in maiori reuerentia, & ad illud proficiunt laudes nostræ de Deo: vnde laudes nostræ dæ acceptabiles sunt Deo si recto animo proferantur, eo q̃ per eas notescit cordibus nostris, & ideo ipse approbauit nimis laudes, quas de ipso facimus, Psalmo 49. scilicet, Immola Deo sacrificium laudis, & redde altissimo vota tua: & iterum ibidem, sacrificium laudis honorificabit me. q.d. istud me magis honorificat, quàm omnia alia. Et dicitur: Deus fortis saluatis meæ, ideſt, Deus fortis ad conseruandum salutem meam. In Hebræo dicitur. *Deus meus fortis meus.* Et idem est, quia fortis meus vocatur, ideſt, fortis pro me, ſ. ad conseruandum salutem meam. *Deus qui das vindictas mihi.* Laudat hic Dauid Deum innuens, q̃ ex victoriæ quas ipse habebat de hostibus, erant virtute Dei. *Et deijcis populos sub me.* Eadem sententia est, nã ponere populos hostiles sub ptãte Dauid, vel dare ei victoriam de illis: idem est. *Qui educis me ab inimicis meis.* Idest, liberas me à potestate inimicorum meorum. In Psal. dicitur: Liberator meus de inimicis meis iracundis, ideſt, de inimicis meis, qui valde erant irati cõtra me, & conabantur me delere. Intelligendum est autem hoc de præterito, quia iam liberatus erat Dauid ab omnibus his, vt patet in principio cap. & patet etiam in Hebræo: nam vbi nos dicimus educis, dicitur in Hebræo eduxit, quod est de præterito. *Et à resistentibus mihi eleuas me.* Idest, eleuasti me à resistentibus mihi, scilicet, eleuasti me plus quàm illos: nam licèt aliqui repugnarent Dauid, postea reducebantur in seruitutem eius, & manebat ipse dominus eleuatus super eos: vel dicitur eleuas me, ideſt, educis me de medio illorum, vt non possint mihi nocere. *A viro iniquo liberabis me.* Idest, liberasti me à viro iniquo, scilicet, à Saule, qui erat iniquus. Nam ex mala intentione persequebatur me. Vel potest accipi singulare pro plurali, scilicet, à viro iniquo, ideſt, ab omnibus viris iniquis, & intelligitur de præterito sicut omnia alia. *Propterea confitebor tibi domine in gentibus.* Ideſt, propter omnia ista beneficia mihi collata confitebor tibi, idest, laudabo te in gentibus, ideſt, inter omnes gentes, scilicet, publicè, & coram quibuscunque fuero laudabo te. Aliter possunt accipi gentes pro Gentilibus, & tunc dicitur: confitebor tibi in gentibus, ideſt, etiam coram Gentilibus, quasi dicat, non solùm confitebor magnitudinem tuã, & beneficia mihi collata coram Iudæis, sed etiam coram Gentilibus, vt inter omnes magnificetur nomen tuum. Aliter intelligit Nico. scilicet, Confitebor tibi in gentibus, ideſt, in Gentilibus conuersis ad Christum, quia ad illos peruenerunt Psalmi, & illi Deum laudant, vel cognoscunt quomodo laudauit dominum in his Psalmis Dauid: sed præcedentes sensus sunt meliores. *Et nomini tuo cantabo.* Eadem sententia est, scilicet, cantabo ad honorem nominis tui. *Magnificans salutes regis sui.* Ideſt, Deus est magnificans salutem regis sui, scilicet, regis Dauid, quem ipse constituit in regem. præced. lib. cap. 16. & ob hoc vocabatur specialiter rex eius: hic est mutatio personæ. Nam deberet dici magnificans salutes regis tui, cum supra fiat sermo in secunda persona, & dicitur regis sui in tertia, & hoc fit multotiens in Psalm. vt patet Psal. 3. scilicet, Domini est salus, & super populum tuum benedictio tua, & tamen deberet dici super populum suum benedictio sua. Dicitur autem magnificans salutes regis, ideſt, faciens magnas saluationes eius. Nam quandocunque liberabat Deus Dauid à morte, vel periculo, faciebat salutem Dauid, & quia interdum liberabat Deus Dauid de magnis periculis, dicebatur magnificare salutes eius, ideſt, facere magnam salutem, sic patet præced. lib. cap. 14. cùm dixit populus ad Saulem, Ergo ne morietur Ionathas, qui fecit salutem hanc magnam in Israel, scilicet, occidendo tot Philisthinos, & liberando Israel à tanto periculo. *Et faciens misericordiam Christo suo Dauid & semini eius in sempiternum.* Ideſt, Deus facit misericordiam Dauid & semini eius, scilicet, dando sibi regnum, & filijs suis. Nam promisit ei quòd vsque in æternum filij sui possiderent regnum, supra 7. & possederunt illud vsq; ad Babylonicam captiuitatem. Postea etiam aliqualiter habuerunt illud vsque ad Christum, & tunc Herodes erat rex, qui erat alienigena, scilicet, Idumæus. Quomodo tamen verum sit quòd filij Dauid habuerunt regnum vsque in æternum, declaratum est supra 7. vocatur autem Dauid Christus Domini, ideſt, rex Dei, quia Christus idem est quòd vnctus: reges autem vngebantur mandato Dei, sic fuit de Dauid præced. lib. cap. 16.

Superiores vt patres esse oportet.

CAP. XXIII.

HAEC autem sunt verba nouissima, quę dixit Dauid filius Isai: Dixit vir cui constitutum est de Christo Dei Iacob: egregius psaltes Israel. Spiritus Domini locutus est per me, & sermo eius per linguam meam, dixit. 26. di. c. qui Ecclesiastici. §. ecce.

POSITA fuit in præcedentibus gratiarum actio de præterito, hic autem ponitur vaticinatio de futuro. Et diuiditur in duo. Primò ponitur ipsum vaticinium, secundò ponitur cathalogus fortium ibi. *Hæc nomina fortium.* Prima diuiditur in duas, quia primò ponitur prophetia Dauid de præmiatione bonorum: secundò de punitione malorum, ibi. *Præuaricatores autem.* Prima in duas; primò ponitur excellentia prophetiæ Dauid verbo, secundò excellentia prophetiæ in exemplo, ibi. *Sicut lux auroræ.* Considerandum autem quòd excellentia prophetiæ consistit in duobus, ſ. vel ex perfectione materiæ reuelatę, secũdo modo ex conditione modi reuelandi, & ista duo sunt in prophetia Dauid. Secũdum ibi. *Spiritus Domini.* Habet autem cognitio quæcumq; naturaliter perfectionem ex obiecto, sicut scientiæ differunt, & perficiuntur per obiectum. 3. de Anima, ita ergo prophetia cũ sit quædam cognitio supernaturaliter homini cõmunicatã. In veteri autem testamento nihil excellẽtius fuit mysterio incarnationis Christi, ideo prophetæ, quibus reuelabatur, ex hoc consequebantur quandã dignitatẽ. Habuit autem Dauid in hoc duplicem dignitatẽ. ſ. quia reuelata fuit ei certitudo incarnationis, & quia reuelatum est q̃ de genere suo futurus erat Messias, & q̃ in huius virtute ipse liberatus fuerat ab omnibus malis. Excellentia prophetiæ in duobus consistit.

An ordo sit continuus narrationis. Quæst. I.

QVAERETVR circa primum, an ea, quæ habentur hic, fuerint facta post præcedentia, & an fuerint immediatè facta, vel aliquanto tpe post. Respondendum q̃ hic ponũt duo, ſ. quædam vaticinatio de futuro, & quidã cathalogus virorum fortium. Quantum ad ſm non põt assignari aliquis ordo anticipationis, vel recapitulationis ad præcedentia, quia ille cathalogus fortium nõ fuit aliquid dictum, vel factum tempore Dauid, sed fuit quædam compilatio facta à scriptore libri huius, ordo tamẽ in scripturis est per hoc q̃ res vna fuit ante aliam dicta, vel facta. Poterat ergo poni iste cathalogus fortium in quacunque parte Historię Dauid, quia non habet maiorem cõsecutionem ad vnam partem, quã ad aliam. Fuit tamen cõueniens poni hic, quia hucusq; dictum est de bellis Dauid, & quia in illis habuit istos viros tãquam adiutores, & ministros belli, expletis bellis ponitur cathalogus principalium bellatorum. Quantum ad primum de vaticinio futurorum, satis debet dici, quòd istud fuit post præcedẽtia, quia hic dicitur, q̃ ista sunt verba nouissima, sed tamen in precedenti posita sunt aliqua verba Dauid, ideo necesse est, q̃ ista fuerint post illa: alioquin non essent ista nouissima. Cùm autem quæritur, an ista fuerint facta immediatè post illa. Dicendum quantum ad cathalogum fortium, q̃ ille non fuit dictus, nec factus ante præcedentia, vel An fuerint facta immediatè post prędicta.

Universidad de Deusto
Biblioteca

post,sicut supra declaratum est,& consequenter non habet locum quæstio.s.an fuerit immediatè, vel aliquanto tempore post dictus.De vaticinio autem futurorum dicendum, quòd quamquã fuerit post ea,quæ habentur præced. c. non constat,an fuerit immediatè vel aliquanto tempore post istud factum,non poterat tamen esse longè post,quia verba præced. c.dicta fuerunt postquam cessauit Dauid ab omnibus bellis, vt patet præced.c.scilicet,locutus est Dauid verba carminis huius in die,qua liberauit eum dominus de manu omnium inimicorum suorum, & tamen postquam Dauid cessauit ab omnibus bellis,non vixit magno tẽpore.Nam etiam bellum Absalom contra Dauid fuit pauco tempore ante mortem eius, vt declaratum est supra 17. & 18. ergo à fortiori ista verba essent pauco tempore ante mortem Dauid.

Quare ista verba non ponuntur post omnia pertinentia ad Dauid. Quæst. II.

QVAERETVR vlterius, cùm hic dicatur,ꝙ ista verba fuerunt verba nouissima Dauid,cur non ponuntur post omnia, quæ pertinent ad Dauid.s.post.c.sequens,& post duo capitula sequentis libri,quæ pertinent ad Dauid. Rñdẽdum secundùm quosdam,ꝙ interdum scriptura non multũ curat de ordine,& sic licèt istud.c.deberet esse post omnia,non curauit scriptura.Sed istud non stat,ꝓpter duo, primò quia volunt dare remedium extraordinarium, cùm habeant remedium ordinarium.s.dant solutionem generalem cũ habeant specialem, & tamen repræhenduntur qui volunt applicare eandẽ solutionem oĩbus argumẽtis, sicut qui eandem medicinam oĩbus morbis applicãt,vt patet in decretis. 29.di.s.qũo beatus Ioannes in Apocal. septem scribẽs Ecclesijs in vnaquaq; earum,vel specialia vitia reprehendit,vel virtutes probat: ita Paulus Apostolus per singulas Ecclesias vulneribus medetur illatis, nec ad instar imperiti medici, qui vno collyrio omnium oculos vult curare. Et glo.super ipsum locum dicit argumentum contra illos, qui tales in omnibus contrarijs ponunt solutiones,s.aliud ſm leges,& aliud secundùm canones,& illud nouum,istud vetus.Secundò peccant isti,quia falsum dicunt: nam non est verum, ꝙ ea,quæ habentur hic debeant poni in fine totius historiæ Dauid.Sed dicendum ꝙ ista non debent poni post omnia facta Dauid, quia non sunt ista facta, sed dicta, ea autem, quæ habentur seq.c. sunt facta,ideo bene stant aliqua facta post vltima verba, secus tamen si ista essent vltima facta, Sed adhuc dicetur, ꝙ non sunt ista vltima verba Dauid, quia seq. c. locutus est, & in duobus capitulis sequentis libri,vt patet ex litera. Dicẽdum,quòd istud intelligitur de verbis,quæ dixit Dauid spiritu prophetico,Nam ea,quæ habentur hic,dicta sunt spiritu ptophetico,vt patet in litera.s.spiritus Domini locutus est per me.Ea autem,quæ locutus est Dauid sequentibus capitulis, non locutus est spiritu prophetico,sed communi locutione, ideo ista vocantur vltima: ante hoc autem multa dixerat spiritu prophetico, scilicet,omnes Psalm,quos composuit. *Hæc autem sunt verba nouissima*. Scilicet, nouissima verba Dauid, & intelligitur hoc vsque ad illum locum. *Hęc nomina fortium*. Quia ibi iam non extenduntur verba Dauid.

Verba prędicta quare vocantur nouissima. Quæst. III.

QVAERETVR, quare vocantur ista uerba nouissima. Aliquis dicet, quòd non fuit Dauid aliquid locutus post hæc. Sed falsum est, quia sequen. c. & in primis duobus capitulis sequentis libri locutus est. Aliter dicendum secundùm Rab. Dauid Kimhi, quòd sunt uerba nouissima, ideſt,quæ nouissimè locutus est spiritu prophetico: nam post hæc licèt aliqua dixerit, non fuerunt spiritu prophetico dicta: etiam dicit, quòd post hoc nunquam fuit spiritus prophetiæ in Dauid, vel quòd recessit ab eo. Non est tamen intelligẽdum, quòd recesserit aliquid à Dauid, quia spiritus propheticus non est aliquid immanens,sed illustratio raptim transiens,sed dicitur recessisse.i.quia nunc fuit in eo, & postea nunquã fedit in ipso. Aliter respondet litera chaldaica,scilicet,quòd sunt verba nouissima,ideſt,verba de Messia prolata,& tempora Messiæ vocantur vltima tempora in scriptura,& sic prophetiæ de Messia dicũtur vltimæ prophetiæ.De hoc Gen.49.cùm dixit Iacob filijs suis,Congregamini vt annunciem vobis, quæ ventura sunt in nouissimis diebus. Sic etiam Isai.2.dicitur,erit in nouissimis diebus præparatus mons domus Domini. Idem Micheæ.4.Et ibi agitur de temporibus Messiæ.Aliter solunt Nicolaus, scilicet, quòd ista dicantur verba vltima.i.maxime memoriæ commendanda, quia quod vltimũ est maximè retinetur, sic dicit Gregorius Hemil. 19. Idcirco dominus tunc discipulos increpauit, cum corporaliter illos reliquit, vt verbum qđ recedẽs diceret, arctius in corde audientium impressum maneret.Sed solutio Rab.Dauid Kimhi melior est,& patet, quia solutio literæ chaldaicæ non multum stat: nam dies Messiæ non uocantur dies vltimi, eo quòd sunt dies Messiæ, sed eo quòd erant multum distantes ab illo tempore, quo prophetæ enunciabant de illis. Item patet Genes. 49. quòd non uocentur dies Messiæ dies vltimi,tanquam ipsis conueniat hoc specialiter,quia ibi dicitur,vt annunciem vobis, quæ ventura sunt in nouissimis diebus: & tamen sub nomine benedictionum dicti sunt euentus futuri Israelitarum: quorum plurimi inceperunt immediatè post introitum in terram Chanaam: nam ibi dicitur, in quibus partibus ipse tribus habituræ erant sortes, & illud fuit immediatè post introitum in terram Chanaam,& tamen vocantur dies illi nouissimi, quia multum distabant à tempore, quo ista dicebat Iacob: sic etiam patet, quia beatus Ioannes Canonica prima, capitulo secundo,dicit, Filioli nouissima hora est: iam tamen transierat aduentus Messiæ. Solutio etiam Nicolai non multum conuenit, quia alia verba dixit Dauid quæ erant ita memoriæ commendanda sicut ista, ut patet ex discursu Psalmorum, in quibus sæpe agit de Messia. Solutio autem Rabbi Dauid Kimhi, non habet repræhensionem. *Dixit Dauid filius Isai*. Scilicet, ista quæ sequuntur. Patet Dauid vocatur aliquando Isai,& aliquando Iesse. De Isai patet præceden. lib. cap. 16. & 17. &. supra 20. & hic. De Iesse patet Isa.11. scilicet, Egredietur virga de radice Iesse, & Matth. 10. scilicet, Iesse autem genuit Dauid, sed in libris veteris testamenti quasi semp Isai vocatur. In Hebræo habetur. *Dictum Dauid filij Isai*. ideſt, est, istud est dictum eius, sed idem est. *Dixit vir*, ideſt, dixit Dauid, est repetitio sententiæ, quam interdum prophetæ faciunt in principijs locutionum, sic patet Num. 24. cùm incepit loqui Balaam, & dicitur: dixit Bálaam filius Beor: dixit homo cuius obturatus est oculus: dixit auditor sermonum Dei, & omnia ista significant solùm, dixit Balaam. In Hebræo habetur. *Dictum viri*,ideſt, dixit vir,sed idem est. *Cui constituatum est de Christo Dei Iacob*.i.cui facta est promissio certa de Christo, ideſt, de Mesia, qui est Dei Iacob, ideſt, qui missus est, & tunc mittendus erat à Deo Iacob: vel vocatur Christus Dei Iacob.i.Mesias Dei,quem cum magno desiderio expectabat Iacob. In hoc significat Dauid, quòd sibi facta erat promissio de Christo nascituro de semine suo, & verum est:quia ei, & Abrahæ facta est promissio de Christo: ideo in principio genealogiæ Christi ambo ponuntur simul, scilicet, liber generationis Iesu Christi filij Dauid filij Abraham.Et secundùm Hieronymum in expositione eiusdem Euangelij causa fuit, quia promissio facta est vtrique.In Hebræo habetur. *Viri, qui eleuatus est in altum vnctus à Domino Israel*. Ideſt, istud est dictum viri, qui eleuatus est in altum,scilicet,lumine prophetico. Nam per illum propheta eleuatur super cognitionem naturalem, quia peruenit ad intelligibilia capienda,quæ aliàs naturaliter capere non posset, & dicitur vnctus à Domino Israel, ideſt, qui vnctus fuit in regem à Domino Israel. nam Dauid vnctus est iussu Dei,præceden. lib. cap.decimosexto, & est sensus totius literę,scilicet, istud est dictum Dauid prophetæ. Litera autem nostra accepit sensum literę Hebraicę per Amphibologiam: accipiens constitutum est pro eleuatus est: & Christum, qui est in recto conuertit in obliquum, dicens de Christo Domini. *Egregius psaltes in Israel*. Ideſt, Dauid erat optimus cantor, & psalmographus inter omnes Israelitas: & ob hoc dicit Ra.Sa.quòd sola cantica Dauid dicebantur à Leuitis in templo. sed hoc falsum est,quia cùm introducta fuit arca in locum suum in domo Dauid: Leuitę, scilicet,Asaph,& fratres eius cantauerunt Psalmum,scilicet,Confitemini domino,qui est Psalmus 104.& tamen Asaphillum cantauit:& ipse fecit illum: vt patet 1.Paralip.16.Vnde Psalmus intitulatur Asaph,& non Dauid.Sic etiam multi alij Psalmi.Nam Asaph,Emã, & Iditun fuerunt principes cantorum; & isti prophetabant in Psalmis, & erant doctores: vt patet primo Paralipom.vigesimoquinto: est tamen verum quòd Psalmi Dauid sunt plus frequentati in cantu Leuitarum: eo quòd plures psalmos fecerat Dauid quàm fecerunt Leuitæ:vt patet ex eorum titulis secundùm quòd scribuntur in psalterio in principiis psalmorum. *Spiritus Domini locutus est per me*. Hic ponitur excellentia prophetię ex modo reuelationis. Pro quo considerandum quòd Nicolaus dicit duplicem esse reuelationem propheticam,quę fit per illustrationem intellectus:quædam enim fit intellectu illustrato supernaturaliter ad aliquid cognoscendum: & vltra hoc impressa quadam imagine in phantasia, super cuam intellectus se conuertat, & intelligat id, quod Deus reuelare vult: & sic est modus intellectionis nostræ. Nam nos non intelligimus nisi conuerso intellectu super phantasmata, vt patet tertio de anima,scilicet. Oportet intelligentem phantasmata speculari, & isto modo dicit,quòd facta est reuelatio Ieremię de destructione Ierusalem per Chaldæos:nam dixit ei Deꝰ: Quid tu vides Ieremia? & respõdit: virgam vigilantẽ ego video.Et iterum ait: quid tu vides? & respondit: ollam succensam ego video, & ebullitiones eius ab Aquilone: vt patet Iere. primo.Alius modus reuelationis spiritualis est quandocunque solus intellectus ipsa illustratio intellectus est sufficiens causa ad intelligendum: & dicit, quòd iste modus cognitionis est perfectior,quàm primus,sicut apparet in cognitione conclusionis geometricæ, nam aliqui sunt qui intelligunt conclusiones geometricas solùm si sibi dicantur: etiam si non fiat aliqua descriptio linearum, & figurarum ad exemplificandum. Alij autem sunt, qui non intelligẽt hæc nisi fiant descriptiones figurarum quas videant,& sicut illi,qui nullis descriptionibus indigent ad intelligendum habent perfectiorem actum intelligendi quàm illi, qui non intelligunt sine descriptionibus, ita actus intelligendi propheticus, qui sine

aliquo impresso in phantasia sufficit ad ipsum quod intelligi debet supernaturaliter, est perfectior actu intelligendi,qui simul requirit phantasmata:nam phantasmata supplent aliquid, quod deest ipso actui intelligendi: & nunc dicit, quòd in Dauid fuit iste modus intelligendi, sine imagine, & in hoc erat valde excellens inter prophetas. & dicitur. *Spiritus Domini locutus est per me*. Ideſt, Spiritus domini solus immutauit intellectum Dauid,non assistente aliquo phantasmate. In Hebræo dicitur. *Locutus est in me*. Et idem est, maximè quia litera Hebraica secundùm æquiuocationẽ potest trahi,& trahitur interdum ab ipsis Iudæis ad significandum in me, vel per me. *Et sermo eius per linguam meam*. Ideſt, sermo eius transiuit per linguam meam. In quo dicit Nicolaus, quòd signatur, quòd Deus non solùm direxit intellectum Dauid,sed etiam linguam suam ad loquendum,quia omnia,quę loquebatur erant prophetiæ. *Dixit, Deus Israel mihi locutus est*. Ista est repetitio sententiæ, quæ fit sæpe in his verbis propheticis sicut dicebatur supra,scilicet,dixit Dauid filius Isai, dixit vir &c. *Fortis Israel*. Vocatur Deus fortis Israel,ideſt,fortis ad liberationem Israel, vel qui ostendit fortitudinem suam in liberatione Israel, scilicet, quia per signa magna, & portenta eduxit Israelitas de Aegypto, vt patet Exod. 7. vsque ad 12. & iste modus loquendi est multum frequentatus,potissimè in Psalmis, vt patet præced. cap.& etiam in alijs locis, vt patet Genes.49. scilicet, Dissoluta sunt vincula brachiorum eius per manum fortis Iacob, ideſt, per manum Dei,qui est fortis ipsius Iacob. *Dominator omnium iustus*. Ideſt, iste Deus est dominator,quia non solùm habet proprietatem omnium rerum per quã dominus est earum, sed etiam actualiter dominatur, & tamen iustus est: hoc dicitur ad significandum rectitudinem Dei: nam vt communiter domini inter hoĩes plura agunt voluntate quàm lege, & plura passione ꝙ ratione, & quanto fuerit Dominus maior,tãto magis sequitur voluntatem,velut nõ subiectus legibus,ideo isti vt cõiter faciunt iniustitias multas:Deus autem ꝙꝙ vis dominus sit,tñ iustissimus est,nec condemnat iustum cum impio,vel è conuerso,sicut dixit Abraham Ge.18.s.Absit à te vt hanc rem facias,& occidas iustũ cum impio:fiatq; iustus sicut impius,non est tuũ hoc, qui iudicas omnem terram. *Dominator in timore Dei*. Scilicet, ꝙꝙ Deus sit dominator omnium,tamen spãliter est dominator illorum,qui timẽt eũ, quia ipse spãliter attendit ad illos,qui timent eum.In Hebræo habetur. *Potens in homine*. Vbi dicit litera nostra. s. dominator oĩum, sed idem est. *Sicut lux auroræ Oriente Sole*. Hic introducuntur exempla.s.de visione intellectuali sine imagine, & ad hoc dicitur de sole viso cum nube, vel sine nube.Pro quo sciendum,quòd Nico. dicit solem posse videri dupliciter,scilicet,vel inquantũ est obumbratus nubibus, vel inquantum est fulgens sine nube. Primus modus est imperfectior ad visionem, quia quilibet oculus etiam si sit infirmus,potest solem obumbratũ conspicere. Secundus modus est perfectior, quia non potest quilibet oculus sic videre solem, sed solùm ille,qui est fortis: vnde oculi valde debiles non solùm non possunt videre lumem solis directè, sed etiã non possunt qualitercumq; respicere lumen diei, sicut patet de noctua secundo Metaphi.Dauid autem cognoscebat Deum spiritu prophetico, sicut qui videt solem non obumbratum,quia illa est perfecta cognitio,& sic est sensus,quòd sicut lux auroræ Oriente Sole mane absq; nubibus rutilat, sic erat modus prophetiæ Dauid,scilicet,quia cognoscebat veritatem supernaturalem fulgentem in intellectu suo sine aliquo phantasmate. *Et sicut pluuijs germinat herba de terra*. Hic secundũ Nico. inducitur exemplũ de reuelatione facta

Universidad de Deusto
Biblioteca

facta Dauid de Christo nascituro de semine suo in-
quantum est hoc ex diuina liberalitate,& sine merito
suo:& est sensus,sicut terra de se arida est,& non ger-
minat nisi superfundatur aqua, & sic impinguetur:
ita virgo Domina nostra,quæ vocatur terra,de qua di-
citur; Et terra nostra dabit fructum suum. Psalm.84.
non potuit concipere Saluatorem sine speciali gratia
influxionis Dei, sic patet Isai. 45. scilicet, Rorate cœli
desuper, & nubes pluuant iustum, aperiatur terra, &
germinet Saluatorem. *Nec tanta est domus mea apud Do-
minum, vt pactum æternum iniret mecum.* Idest, non sum
ego tanti meriti, nec tota domus mea,vt Deus iniret
pactum mecum, & intelligit Nico. de Christo nasci-
turo, quia Deus promiserat hoc Dauid. *Firmum in*
Pactum vel firmamẽtũ quid esset. *omnibus atque munitum.* Idest, istud pactum est firmum
per omnia, scilicet, quia nequaquam deficiet, sed vo-
catur pactum æternum, quia erat de Christo nasciturо, cuius regnum erat æternum. Rab. Salom. dicit,
quòd pactum vel firmamentum erat lex, quam Da- G
uid habebat in domo sua, & custodiebatur ab omni-
bus domesticis suis. Sed hoc nihil est, quia non fece-
rat pactum Deus specialiter cum Dauid de seruanda
lege,quamquam verum est,quòd in pacto inito inter-
nenit,quòd filij Dauid seruarent legem, vt patet supra
7,hoc tamen non est pactum de quo loquitur Dauid:
quia quòd filij Dauid tenerentur obseruare legẽ,non
erat aliqua gratia ipsi Dauid, & tamen Dauid allegat
hic istud pactum tanquam gratiam sibi factam, cùm
ait:nec est tanta domus mea apud dominum,vt pactũ
æternum iniret mecum:ergo debet intelligi de aliquo
alio pacto, scilicet, de pacto regni possidendi semper:
vel de Messia nascituro de semine eius. In Hebræo
habetur. *Non cum caligine, vel spissitudine.* Vbi litera no- H
stra dicit absque nubibus:& idem est, quia nubes spis-
sæ sunt,vel caliginosę:& ista dictio ponitur in Hebræo
præcedenti,c. vbicunque nos habemus caliginem. In
Hebræo habetur,*Sicut splendor pluuiæ germinis terræ.* Vbi
nos dicimus, sicut pluuijs germinat herba terræ, &
Hierony.transportauit istam sententiam, eo q̃ visum
est sibi rationabilius sic intelligi, quasi nihil significa-
ret esse splendorem pluuiæ germinis terræ. Mihi ta-
men non repugnando tãto viro rationabilius videtur
dictum sicut habetur in Hebræo, scilicet, sicut splen-
dor pluuiæ germinis terræ,idest,quòd id,de quo dici-
tur sit tanquam splendor pluuiæ in germine, idest, in
herbis terræ, quia splendor ille est magnus, vt postea
dicetur applicando literam aliter.In Hebræo habetur. I
Non est sic domus mea. Vbi nos dicimus: non est tanta
domus mea: sed idem est, scilicet, non est sic domus
mea, idest, non est tam bene disposita, vt Deus debe-
ret pactum mecum inire. Et idem est, non est tanta
domus mea, idest, non est tanti meriti. In Hebræo
habetur. *Nam pactum æternum iniit mecum.* Vbi nos di-
cimus, vt pactum iniret, sed idem est: litera tamen
nostra expressius ista dicit. In Hebræo dicitur. *Ordi-*
nata in omnibus, & custodita. Et potest referri ad do-
mum Dauid, scilicet, Deus fecit, quòd domus mea
esset in omnibus ordinata, & custodita. Vel potest
poni in neutro, vt dicatur ordinatum in omnibus, &
custoditum, & refertur ad pactum, scilicet,quia illud
est in omnibus custoditum, & ordinatum,& istũ sen-
sum tenet litera nostra dicens: firmum in omnibus
atque munitum, scilicet, pactum ipsum est firmum,
quia non dissoluetur,sed idem est.*Cuncta enim salus mea.* K
Ista litera tota vsque. *Præuaricatores autem.* Legitur
à Nicolao per modum suppletionis, & dicit quòd est
modus loquendi decurtatus,qui frequẽtatus est apud
Hebræos, & hic fit ex excessu deuotionis Dauid,quã-
do ista dicebat, Vnde dicit. *Cuncta enim salus mea.* Sci-
licet, dependet à Deo. *Et omnis voluntas.* Scilicet,
F tota voluntas mea tendit in Deum. *Nec quicquam ex*
ea, quòd non germinet. Idest, nihil est de actibus meis,
quòd non fiat deliberatè, & quòd non ordinetur in
Deum. Iuxta illud primæ ad Corinth. 10. siue ergo
manducatis, siue bibitis, vel aliud quid facitis: omnia
in gloriam Dei facite. In Hebræo dicitur. *Quia non fa-*
ciet germinare. Sed idem est, debet tamen subintelligi,
scilicet,quia non faciet germinare,idest,nihil est quòd
non faciat germinare de voluntate mea. *Præuaricato-*
res autem. Hic ponitur pœna malorum, postquam
positum est præmium bonorum, & primò ponitur
hic de pœna temporali secundùm Nico.& postea con
cluditur de æterna, & dicitur.*Præuaricatores autem quasi*
spinæ euellentur vniuersi. Dicit quòd intelligitur hoc
de Iudæis malis,qui tempore Christi fuerunt præua-
ricatores non recipiendo doctrinam eius: & isti euel-
lentur sicut spinæ, scilicet, sicut spinæ inutiles sunt, &
eijciuntur de terra: ita isti fuerunt eiecti per Titum,&
Vespasianum: nam expulsi fuerunt de terra sua nun- G
quam redituri ad illam. *Quæ non tolluntur manibus.* Id
est,istæ spinæ non capiuntur manibus,quia durę sunt,
& dicit quòd intelligitur de Iudęis,qui noluerunt mã-
suetè recipere doctrinam Christi, & discipulorum:
ideo venit super eos dura correctio Romanorum.
Et si quis tangere voluerit eas, armabitur ferro, & ligno lan-
ceato. Dicit hoc fuisse in Romanis, qui venientes ad
expellendum Iudæos de terra: venerunt cum magno
exercitu:& fecerunt bella fortissima, vt declarat Iose-
phus in libris de Bello Iudaico, & sic erant armati fer-
ro, & lanceis. *Igneque succensę comburentur.* Idest,vrbs
Ierusalem fuit combusta per Romanos,& etiam mul
ti de Iudæis. *Vsque ad nihilum.* Idest, comburentur
mali,ita vt nihil maneat de eis. Et dicit Nico. quòd in H
hoc significatur pœna æterna, in qua nullus erit de
malis, qui non comburatur. In Hebræo habetur.
Belial. Vbi nos dicimus præuaricatores, & est singu-
lariter dictum: sed interdum etiam ponitur pro plu-
rali: sicut ipsi Iudæi concedunt:immo ipsi exponunt
Belial pro malis viris, sicut litera nostra. In Hebræo
habetur. *Et vir tanget in ipsis erit plenus ferro, & hasta*
lanceæ in manu sua. Et idem est quod litera nostra, sci-
licet,quòd quicumque vir voluerit tangere spinas erit
plenus ferro, idest, armabitur ferro, & erit hasta lan-
ceæ in manu sua, idest, armabitur ligno lanceato.
Sciendum, quòd litera ista fuit exposita supra secun-
dùm Nicolaum: & quia in quibusdam non multum
videtur applicari sensus suus literæ, oportet aliter ex-
poni. Pro quo sciendum quòd Ra. Dauid Kimhi in
tota ista litera,ex illo loco, sicut lux auroræ,tangit vi-
cam sententiam, scilicet, comparationem bonorum,
& malorum,scilicet,quòd boni sunt sicut lux auroę,
& sicut splendor in herbis: mali autem sunt sicut spi-
næ duræ,quę non possunt securè tangi manibus,ideo
debent succindi ferro, & sic mali,qui repugnãt nimis
correctioni non possunt manibus corrigi,i.leuiter,sed
debent eijci de terra ferro,& debent comburi. Ista sen-
tentia quamquam non totaliter applicetur literæ: ta-
men non multum deuiat. Aliter autem exponit lite-
ram istam Ionathas in Chaldæo, & ponit etiam vnam
sententiam in tota litera.s.q̃ boni sunt sicut sol fulgen
tes in aurora:& mali sunt sicut spinę,quæ in principio
sunt teneræ sicut herba,& nullus vult eas scindere,cũ
tũc possent scindi sine periculo,sed miseretur earum:
postea autem quando fuerint magnæ, nullus potest
eas tollere nisi ferro: & dicit quòd succendentur illi
mali,qui sunt sicut spinæ igne æterno in die,qua Dns
iudicabit seculum, & etiam iste non multum deuiat
à veritate sententiæ. Nos tamen nunc aliter exponã-
mus applicando singulas partes literæ: licèt omitte-
mus varietatẽ lr̃æ nr̃æ, & Hebraicæ, qa iam posuimus
eam supra etiam omittemus multa alia,in quibus nõ
consistit differentia expositionis huius, & expositio-
nis Nico.& incipit. *Hæc sunt verba nouissima.* Idest, vlti-
maq; dixit Dauid per spiritũ sanctum,ideo dicit Hist.
scho.quòd iste potest uocari ultimus Psalmus,& non
est annumeratus alijs. *Dixit vir.* In tota ista litera vsque
ad finem intendit Dauid unam sententiam,scilicet,q̃
non est sic de eo, sicut de uiris malis, sed Deus locu-
tus est per ipsum, & dixit quòd domus sua esset sicut
sol fulgens sine nubibus, mali autem non sic: sed tan-
quam spinæ, quæ pręscinduntur ferro, & cremantur:
multoriens autem ponuntur tales comparationes in
scriptura de bonis ad malos, scilicet, quòd boni pro-
sperentur, & mali deficiant,ut patet Psal. 1.cũ dicitur
de uiro beato:& erit tanquam lignum,qđ plantatum
est secus decursus aquarum, quod fructum suũ dabit
in tempore suo, & folium eius non defluet,& omnia
quęcumq; faciet semper prosperabuntur.Et sequitur
de malis, non sic impij, non sic, sed tanquam puluis,
quem proijcit ventus à facie terræ. *Dixit vir,cui consti-*
tutum est de Christo Dei Iacob. Idest,dixit ista,quę sequun-
tur ille vir, cui data est certitudo de Christo Dei Ia-
cob, idest,de Messia,quem promisit Deus Iacob. Se-
cũdum literam Hebraicam,ut dictum est;deberemus
dicere: dixit uir, qui eleuatus est in altum, & unctus à
Deo Israel: sed facilè est conuertere literam Hebrai-
cam ad sensum nostrum. Est autem sensus literę He-
braicę, quòd istud dixit Dauid qui eleuatus fuit in al-
tum,scilicet,in statum regium cùm prius esset pastor:
& fuit unctus in regẽ à Deo Israel. Sed siue accipiatur
secundùm literam nostram,siue secundùm Hebraicã
in toto isto uersu usq; ibi:spiritus Domini,non est alia
sententia,nisi q̃ exprimitur, quis est iste,qui dixit hęc:
& dicitur q̃ iste est Dauid filius Isai,qui eleuatus est,&
constitutus rex à Deo Israel,& est cantor egregius.Se-
cundùm literam nostram est sensus, q̃ iste est Dauid,
qui habuit constitutionem.i.certitudinem de Messia,
de quo ei Deus reuelauit,& est cantor egregius,& sic
non ponitur ibi de reuelatione Messiæ tanquam ista
prophetia principaliter intendat de reuelatione Mes-
się,sed solùm ponitur istud tanquam titulus, ga sicut
quando uiri constituti in dignitatibus uel officiis dant
aliqua mandata in scriptis, ponunt in principio man- D
dati omnia nomina dignitatum, uel officiorum suo-
rum, ita & in prophetis antequam ponatur id quod
propheta dixit,ponitur titulus eius.s.de qua origine,
uel de quo loco sit, uel in qua dignitate: sic patet in
principijs omnium prophetarum ferè tam maiorum,
quam minorum:quia incipiunt sic,Verba talis,uel ta
lis prophetę,qui fuit de tali origine,uel de tali loco,&
hoc patet ex principijs ipsorum.Ita hic antequam po-
natur quid dixerit Dauid, ponitur quis ipse fuerit, &
quędam excellentia prophetię eius, scilicet,q̃ reuela-
tum fuerit ei de Messia, qđ erat magnæ perfectionis
reuelari alicui prophetæ. Ista duo.s.quis fuerit,& mo-
dus reuelationis tanguntur Num.24.in prophetia Ba-
laam, & ponuntur antequã ponantur de uerbis eius, E
scilicet, Dixit Balaã filius Beor,dixit homo cuius ob-
turatus est oculus, dixit auditor sermonum Dei, qui
uisionem omnipotentis intuitus est, qui cadit, & sic
aperiuntur oculi eius.Hæc omnia pertinent ad titulũ,
& tunc sequuntur uerba prophetæ,scilicet,quam &c.
& in illo titulo exprimitur persona inquantũ dicitur,
dixit Balaam,& origo inquantum dicitur,filius Beor,
& prophetia,& modus prophetiæ.s.dixit homo cuius
obturatus est oculus, dixit auditor sermonũ Dei, qui
cadit,& sic aperiuntur oculi eius:Hæc omnia signant
modos speciales prophetiæ Balaam, quos declarauit
mus Nu.24.ista tria ponuntur hic,scilicet,dixit Dauid,
quantum ad personam. Filius Isai quãtum originem.

A Dixit uir, cui constitutum est de Christo, & egregius
psaltes Israel,quantum ad prophetiam,& dignitatem
prophetiæ. *Spiritus domini locutus est per me.* In hoc signi
ficat q̃ istud quod dixit fuit per spiritum propheticũ.
Et sermo eius per linguã meam. i.sermo Dei expressus finit
per linguam meam. Repetitio sentẽtiæ est,quia idem
est, q̃ spiritus Dei loquatur per aliquem, & q̃ sermo
Dei proferatur per linguam eius. Vocatur autẽ sermo
Dei, quia id qđ loquuntur prophetæ non est verbum
eorum,sed Dei:eo q̃ Deus imprimit eis illam intelle-
ctionem,quia ipse est sicut intellectus agens,& pphe-
tæ sunt sicut intellectus passibilis solùm recipiendo,
ideo non sunt ipsi,qui loquuntur,sed magis Deus est,
qui loquitur. Iuxta illud, Nõ estis vos,qui loquimini,
B sed spiritus patris vestri,qui loquitur in vobis. Mat.10.
& Luc.21.qđ æqualiter Apostolis,& prophetis cõuenit. Nec est hic accipiendum quod Nico. inducebat,
s.q̃ innuatur hic dria prophetiæ Dauid ab alijs pphe-
tis.s.quia videbat per solum intellectũ sine imagine,
quia manifestè apparet q̃ litera solùm vult significa-
re,q̃ Dauid loquebatur per Deum, & nõ à seipso. Itẽ
quia de oĩbus prophetis est generale, q̃ spiritus Dñi
loquitur per eos, sic.n.patet de Micha, cui locutus est
spiritus Dñi,q̃q̃ dicat se uidisse quasdam imagines fu-
gientis Israel,de quo seq.lib.c. vlt. *Deus Israel mihi locu-*
tus est. Repetitio sententiæ est,& idem signat,q̃ spiri-
tus Dñi locutus est per me. *Fortis Israel dominator om-*
nium, iustus dominator in timore Dei. Ista omnia ponũtur
C ad designandum perfectiones quasdam Dei,& expo-
nantur sicut. s. exposita sunt. *Sicut lux aurorę.* Hic inci-
piunt verba prophetiæ,quia omnia præcedentia perti-
nẽt ad titulum eius,vt s declaratum est,& hic ponitur
sententia de domo Dauid.s.q̃ Deus conseruaret do-
mum Dauid.i.progeniem eius semper in magna ex-
cellentia,sicut est sol qñ in aurora surgit si nulla nubes
sit,quia tunc est ualde gratus mũdo discussis tenebris
noctis. *Oriente sole mane absque nubibus rutilat.* Idest,sicut
sol si non impeditur nebulis fulget ualde,ita prosperi
tas domus Dauid esset sine aduersitate obscurante,&
sic futurum erat, si nunquam peccassent filij Dauid,
quia fuisset prosperitas domus eius sine perturbatio-
ne. Quòd autem domus Dauid comparetur soli appa
ret Psalm. 88. Semel iuraui in sancto meo, si Dauid
mentiar, & semen eius in æternum manebit, & thro-
nus eius sicut sol in conspectu meo, & sicut luna per-
fecta in æternum, & testis in cœlo fidelis. Et iterum.
Et ponam in seculum sœculi semen eius,& thronum
eius sicut dies cœli. Simile patet Psalm. 72. vbi com-
paratur domus Dauid Soli, & Lunæ. *Et sicut pluuijs*
germinat herba de terra. Secundùm istam literam, quæ
differt à litera Hebraica est sensus, quòd dom⁹ Dauid
germinaret, idest, crescret quotidie in prosperitate,
sicut germinat herba de terra infusis pluuijs. Litera
tamen Hebraica habet aliter, scilicet. *Sicut splendor*
pluuiæ germinis, vel herbæ terrę. Ista litera est conue-
nientior, quia litera nostra detruncat literam Hebrai-
cam: nam non ponit splendorem,qui ponitur in He-
bręo:etiam quòd secundùm literam nostram nõ con
tinuatur ista particula cum præcedenti,& fm literam
Hebraicam sic.Nam in utraq; dicitur de splẽdore, &
est sensus q̃ domus Dauid esset sicut lux auroræ Oriẽ
te Sole sine nubibus, & sicut splendor herbarum qñ
in eis est pluuia:hoc ponitur ad significandum specia-
lem fulgorem. Nam quando ros cecidit per noctem,
uel aliqua parua pluuia,& sunt guttæ grossæ penden-
tes in herbis: si oriatur sol super herbas, & non sit ali-
qua nebula impediens, causabitur magnus fulgor
in herbis propter guttas roris pendentes, & non cau-
saretur ille fulgor per modum scintillationis, & ra-
diositatis, si non essent ibi guttæ roris: sic patet

Universidad de Deusto
Biblioteca

quando sol oritur super aquam, quia ibi causatur quidam fulgor super aquam ex reuerberatione, & non causatur super terram. Simile fit oriente sole super speculum, vel super arma polita, vel super quæcumq; eramenta diligenter tersa, quia tunc fit magnus fulgor. Et sic dicebat Dauid, quòd domus sua non solũ esset sicut lux solis orientis sine nubibus, sed etiam qñ iste sol ortus sine nubibus oritur super herbas habentes guttas roris, quia tũc duplicatur splendor, & istud signat excellentem, & famosam prosperitatem dom⁹ suæ. Ex hoc apparet quòd non sit expositio Nicolai conueniens, quia diuidit sententiam huius literæ, quæ penitus est eadem: nam cùm dicitur sicut lux auroræ: exponit de modo prophetię Dauid, scilicet, q̃ erat per solum actum intelligendi clarum, & non erat cum aliquibus imaginibus, quæ sunt tanquam nubes, cum quibus oritur sol, & sequentem literam exponit de incarnatione Christi, scilicet, & sicut pluuijs germinat herba de terra, & tamen manifestum est, quòd totus iste est vnus contextus, & vnus versus. Etiam quia illa coniunctio copulatiua facit pertinere ad eandem sententiam. Item non stat, quia non applicatur satis ad literam sicut ipse vult, scilicet, quia sicut germinat herba de terra, ita Domina nostra genuit Saluatorem, quia quilibet videbit hoc friuolè dictum, & non coaptari præcedentibus, nec sequentibus, nec ipsi literę. *Nec est tanta domus mea apud Dominum.* Dixerat enim q̃ Deus promiserat ei, quòd domus sua fulgeret sicut sol super herbas roridas, hic ponit quòd hoc fit ex sola liberalitate Dei, scilicet, nõ est tanta domus mea apud Dominum, idest, non est tanti meriti. *Vt pactum æternum iniret mecum*, scilicet, quia ad hoc quòd aliquis iniat fœdus cum alio, oportet quòd sint æquales, quia in fœdere vtrinque fit promissio, & quantum ad hoc sunt æquales: ideo reputabat Dauid in valde magnam gratiam, quòd Deus voluisset inire fœdus cum illo, quia ipse nihil horum merebatur. Nic. exposuit istud de pacto incarnationis Christi, & hoc vt continuaret literam istam cum precedenti, sed nullo modo potest stare, quia dicitur in litera, quòd erat pactum æternũ. Sed manifestum est, quòd pactum de incarnatione Christi non vocatur æternum, nec potest vocari, quia æternum dicit durationem sine fine, vel saltem valde magnam secundùm modum loquendi scripturæ, & tamen incarnatio Christi fuit in instanti, ideo non dicit aliquam durationem, & sic non potest determinari per esse æternum, vel modicum durans. Sed Nicol. retorquet istud æternum dicens quòd vocatur pactũ de incarnatione Christi æternum, quia Christus regnaturus erat in ęternum. Isa. 9. sed istud est nimis alienum, quia dato quòd posset intelligi litera de incarnatione Christi, adhuc non vocaretur pactum æternum propter regnum Christi: quia ista duo nimis erant distincta, scilicet, quòd Christus incarnaretur, & quòd regnum eius esset æternum vel non: ideo ad hoc oportet esse diuersas prenunciationes, & sic non potest intelligi nisi de regno domus Dauid, quia Deus promisit, quòd illud esset æternum cùm posset durare pauco tempore, & ista erat magna gratia q̃ promitteretur regnum in æternum, & ob hoc Dauid specialiter expressit de pacto æterno gratias agens, quòd est æternum. Sic etiam fecit supra septimo, cùm ait: sed & hoc parum visum est in cõspectu tuo, nisi loquereris etiam de domo serui tui in longinquum. *Firmum in omnibus, atque munitum*, ideſt, istud pactum est totaliter firmum, & munitum, scilicet, quòd nunquam variabitur, sic enim dixerat Deus ipsi Dauid, quòd etiam si filij sui peccarent, non auferret regnum eis, supra 7. & quantum ad hoc erat simpliciter firmum, & munitũ in omnibus, ideſt, contra omnia, per quæ cassari posset, nam dato quòd Deus promisisset simpliciter q̃ filij Dauid regnarent in æternum, si peccarent, istud fœdus irritabatur, promisit tamen Deus quòd etiam si peccarent non auferretur regnum, ideo non erat aliquid per quod posset destrui istud pactum. *Cuncta enim salus mea, & omnis voluntas mea.* Istæ clausulæ ex modo scripturæ videntur decurtatę, quia non sunt hic verba aliqua, per quæ explicentur: ideo Nicol. subintelligit verba, scilicet, cuncta salus mea est à Domino, & omnis voluntas mea tendit in dominum. Istud tamen videtur esse alienum, ideo debet referri vtraque clausula ad id, quod sequitur, scilicet: *Nec quidquam ex eo, quod non germinet*, ideſt, omnis salus mea, & voluntas mea sic se habent quòd nihil est, quod non proficiat de illis, emittendo germen, & est sensus. Quodcunq; ego volo prosperatur, nec est aliqua operatio mea, quæ non tendat ad salutem. Istud est quòd non sit aliquid quod non germinet: & istud significabat, quòd Deus dirigere debebat Dauid in omnibus operationibus suis, & ille, qui à Deo dirigitur prosperatur. Sic patet Genes. 39. cùm dicitur: fuit Dominus cum eo, & erat vir in cunctis prosperè agens: habitabatque in domo domini Dei sui, qui optime nouerat Dominũ esse cum eo, & omnia quæ gereret ab eo dirigi in manu illius. Et quia Deus promiserat Dauid quòd prosperaret eum in omnibus, supra septimo, confidebat tantum in illo fœdere, quòd nihil credebat se voluisse, vel incepturum, quòd non proueniret ad prosperum finem, & istud erat quòd omnia, quę vellet Dauid germinarent. Et sic conuenit superiori sententiæ de pacto æterno. *Præuaricatores autem quasi spinæ euellentur vniuersi.* Hic dicitur de malis per comparationem ad domum Dauid, scilicet, quia Deus elegit Dauid, & fecit cum eo fœdus, ideo conseruabit eum in omnibus operationibus suis. In malis autem non est sic, quia Deus nõ prosperabit actus illorum, sed tribulabit eos, & euellentur de possessionibus suis, sicut euelluntur spinæ de terra, ne noceant. *Quę non tolluntur manibus.* Ista, quæ sequuntur, non pertinent ad conditionem euulsionis malorum, sed spinarum principaliter, licèt ad malos applicari possit, scilicet, spinæ non tolluntur manibus, quia sunt pungitiuæ valde, ita & mali quandò sunt indurati sicut spinæ, corriguntur à Deo dura punitione, quæ magis propriè vocatur pœna, vel exterminium quàm correctio. *Et si quis tangere voluerit eas, armabitur ferro*, ideſt, spinę quando sunt valde durę, non tolluntur manibus, licèt tollerentur, quando essent virides, & teneræ, sed quicumque vult tangere eas, armabitur ferro, scilicet, sarculo, vel falce ferrea, ideſt, quòd non succidantur manibus, sed ferro. *Et ligno lanceato*, ideſt, ligno facto ad modum lanceæ, scilicet, quòd lignum longum debet accipi ad modum lanceæ, & in illo erit falx vel sarculum ferreum, & nõ sufficit, quòd armemur ferro in manibus, quia si propinquæ nobis sunt spinæ, quamquam habeamus ferrum in manibus, lædemur in alijs partibus corporis: ideo necesse est esse ferrum in ligno lanceato, ideſt, longo ad modum lanceæ, ita quòd nullo modo ad nos pertingant spinæ. Istud autem non conuenit expositioni Nicolai, quia ipse volebat quòd intelligeretur de Romanis, qui venerunt armati contra Iudæos, quia manifestum est quòd lignum lanceatum non significat lanceam, vel aliquod genus armorum, sed hastile ad infigendum ei falcem, vel sarculum, ideo ad spinas refertur. *Igneque succensæ comburentur vsque ad nihilum*, ideſt, postquam fuerint succisæ istæ spinæ, comburentur vsquequo de illis nihil maneat; ita mali de hæreditatibus suis expellentur, & alij suscipiant eas, si verò destruentur, ita vt nõ maneant de eis nec radix. Istud autem intelligitur hic in præsenti, quia Deus interdum punit malos, ita vt nihil maneat de eis, sed magis hoc erit in futuro quando omnes mali claudentur in gehenna. *Hęc nomina.* Hic ponitur secundum principale huius cap. cathalogus fortium. Et diuiditur in duo, quia primò ponuntur nomina virorum magis notabilium. Secundò ponuntur nomina virorum magis communium, ibi. *Asael frater Ioab.*

Quomodo viri fortes se habeant, & quot fuerunt. Quæst. IIII.

QVAERETVR circa primum de ista habitudine virorum fortium, scilicet, quomodo se habeant. Respondendum quòd hic computantur triginta septem viri fortes, vt patet in fine capit. sed in istis ponuntur triginta in quodam ordine, quorum nomina expresse ponuntur infra ex illo loco: Asael frater Ioab, manent autem alij septẽ, de quorum computatione est dubium. Nicol. enim dicit, quòd fuerunt viri 39. scilicet, 30. qui ponuntur infra in litera, & duo alij ternarij, scilicet, Iesboam, Semmaa, Eleazar, & secundus ternarius, scilicet, Abisai, Sobochai, Ionatham filius Semmaa, & isti sunt triginta sex, est alius Banaias, qui non est in aliquo ternario, nec etiam computatur inter triginta, quia fuit admirabilis in robore, & narrantur magnifica de eo in litera. Et sic sunt triginta septem fuerunt autem alij duo, scilicet, Dauid, qui est princeps omnium fortiũ, & Ioab, qui etiam non computatur hic, & tamen fuit vnus de fortibus viris, & sic sunt triginta nouem. Considerãdum tamen pro enarratione istorum fortium, quòd habetur iste cathalogus hic, & 1. Paral. 11. ideo quædam ponuntur hic, quę subticentur ibi, & quædã subticentur hic, quæ ponuntur ibi secundùm conditionem scripturæ. Secundùm veritatem tamen fuerunt isti fortes triginta septem, quorũ triginta fuerunt qui expresè nominantur, vt patet infra in litera, deinde fuerunt duo ternarij, quos enumerauit Nicolaus, & sunt triginta sex, est etiam Banaias præter istos, vt aliqui volunt, vt patet ex litera, & sic sunt triginta septem, aliqui tamen ponunt Banaiam in secundo ternario, de quo infra dicetur, ponuntur enim in primo ternario viri fortissimi. In secundo autem ponuntur viri minus fortes, deinde ponuntur alij minus fortes in numero triginta.

Quare ponuntur hic nomina fortium. Quæst. V.

QVAERETVR vlterius, quare ponuntur hic ista nomina fortium expressa, cùm nihil attineant ad historiam. Respondendum, quòd in istis viris, de quibus hic dicitur, laudantur duo bona, vnum est ipsum robur corporis, quod quia naturaliter euenit licèt laudabile sit, non tamen valde, eo quòd præter actum humanum euenit. Est tamen aliqualiter laudabile, eo quòd est aliquid possibile applicari ad operationem virtutis, & istud sufficit ad hoc quòd sit laudabile, vt patet 1. Ethyc. circa finẽ. Secundum erat ipsa virilitas, vel animositas, secũdùm quam se exponebant periculis maximis, sicut fuit de illis tribus viris qui iuerunt per mediam aciem Philisthinorum ad portandum aquam de Bethlehem pro Dauid, vt patet infra in litera: ista autem animositas vocatur fortitudo, quæ est virtus moralis, & est valde laudabilis, ideo isti pro illa laudari debent. Item scriptura vult laudare istos, vt exemplo istorum inducat alios ad similia operandum, sic enim in Ecclesiastico laudantur omnes viri, qui fuerunt valde famosi in veteri testamento, vt patet Eccles. 44. & vsque ad finem libri, nam dicitur eo. ca. Laudemus viros gloriosos, & parentes nostros in generatione sua, multam gloriã fecit Dominus in magnificentia sua à seculo dominantes in potestatibus suis homines magni virtute, & prudentia sua præditi: sic enim isti viri fortissimi fecerunt opera magnæ virtutis in defensionem fidei contra infideles, ideo scriptura tradit eos nobis imitabiles laudando illos. Et ista est causa propter quam libri isti regum in ecclesia leguntur, vt exemplo istorum, qui pugnauerunt contra hostes, nos quoque contra hostes fidei, & potissimè contra vitia militemus. Sic etiã libri Machabęorum ad exemplum leguntur in Ecclesia, quia illi fuerunt fortissimi bellatores exponentes animas suas pro lege, & sanctuario Dei, vt patet 1. Machab. cap. 2. & isti etiam ad imitationem nobis traditi sunt, vt similiter pugnemus, ideo iustum fuit, vt isti viri fortissimi nominarentur hic, nam virtus laudata crescit. Et ista fuit causa quare inter Romanos viris fortibus pro patria notabiliter agentibus statuæ in foro quasi diis ponebantur, vt omnes desiderio honoris huius anhelarent ad fortiter agendum pro republica, & homines generosi cordis visis imaginibus valdè inclinabantur.

Cur li. Reg. in Ecclesia leguntur.

Quare isti viri fortes fuerunt distincti per ordinem, & non omnes simul positi fuerunt. Quæst. VI.

QVAERETVR vlterius, quare fuerunt isti viri fortissimi distincti per ordines tres, & non fuerunt omnes enarrati quasi sub vno cumulo. Respondendum, quòd sicut scriptura voluit laudare omnes istos, quia omnes erant fortes, ita voluit cuique secundùm meritum fortitudinis diuersam dare laudem. Sunt autem hic tres gradus in fortitudine: nam quidam erant fortes, alij fortiores, alij fortissimi. Fortes sunt triginta, & isti ponuntur in vno gradu, & nominantur omnes continuatim, infra in litera. Secundi sunt fortiores, & isti sunt in vno ternario, scilicet, Abisai: Ionatham filius Semma, & Sobochay. Tertij sunt fortissimi, scilicet, in secundo ternario, & sunt Iesboni, Eleazar, & Semma, vt patet in litera: si autem omnes fuissent quasi æquales, nominati fuissent omnes in eodem ordine.

Quare ponantur gesta sex fortium virorum, & non omnium. Quæst. VII.

QVAERETVR vlterius, quare non ponuntur gesta triginta virorum fortium, sicut ponuntur gesta sex virorum, & quare non ponuntur isti sex viri in vno ordine, cùm omnes fecerint gesta magnifica, quæ hic enarrantur. Ad primum dicendum, quòd triginta viri, qui ponuntur in eodem ordine, fortes quidem fuerunt, quia pugnabant acerrime contra hostes, erantque vultus eorum sicut facies leonum, & veloces sicut capreæ, quæ morantur in syluis, sicut dicitur de viris de tribu Gad, qui venerunt in auxilium Dauid. 1. Paralip. 12. Non tamẽ fecerant isti aliqua gesta specialia, quæ deberent distincte exprimi, sed laudati sunt tanquam viri fortes, quia in omnibus fortiter se habebant. De viris autem, qui sunt in duobus ternarijs exprimuntur gesta, quia illi non solùm fortiter se habebant in quolibet bello, sed etiam fecerunt aliqua specialia gesta, quæ distincte poterant exprimi. Ad secundum dicendum, quòd non ponuntur illi sex viri sub eodem ordine, quia sicut scriptura vult nominare omnes fortes laudando illos, & distinxit triginta viros fortes ab istis sex, eo quòd triginta non fecerunt aliquid valde excellens, & isti fecerunt aliqua magnalia. Ita cùm gesta istorum fuerint inæqualia, scriptura voluit laudare istos inęqualiter, & posuit

Universidad de Deusto
Biblioteca

posuit in diuersis ordinibus: nam quilibet illorum, qui ponuntur in primo ordine per se pugnauit contra vnum exercitum, vel quasi & fugauit illum: quilibet autem de existentibus in secundo ordine occidit vnũ gigantem, ideo oportet quòd differant isti duo ordines inter se. De primo primi ternarij, scilicet, Iesboam patet, quia ipse occidit octingentos viros vno impetu: vt patet in litera. Secundus, scilicet, Eleazar fugauit per se exercitum Philisthinorum per se fugientibus omnibus Israelitis, & postea redierunt Israelitæ ad capiendum prædam de bello, quod ille solus fecerat. Tertius in hoc ternario, scilicet, Semma solus pugnauit contra Philisthinos, & defendit quendam agrum ab eis, vt patet in litera. In secundo ternario viri existẽtes occiderunt singulos gigantes, nam Abisai, qui fuit G vnus de eis occidit gigantem Iesbibenob supra 21. secundus etiam, scilicet, Ionatham occidit alium gigantem habentem senos digitos, ideſt, 24. in manibus, & pedibus eo. cap. tertius autem, scilicet, Banaias secundùm quosdam, vel Sobochai secundùm alios occidit gigantem, nam Sobochai occidit Saph de genere Arapha, supra 21. si sit Banaias occidit etiam vnum gigantem infra in litera: distinguuntur ergo gesta istorum trium secundorum à gestis primorum, ideo est distinctus ordo: sic patet in litera cùm dicitur de Abisai, qui erat primus in secundo ordine, scilicet, ad tres primos non peruenit, ideſt, non fecit tam excellentia gesta sicut illi. Idem autem dicitur de Banaia, quòd ad tres primos non peruenit. *Sedens in cathedrà.* Hic incipit narratio trium virorum de primo ternario, & dicitur. *Sedens in cathedra sapientissimus.* Scilicet, Dauid sedebat in cathedra, & erat sapientissimus omnium, & iste computatur primus de tribus fortibus. Considerandum quòd in hoc est difficultas magna, quia aliqui dicunt, quòd primus de tribus fortissimis erat Dauid: alij autem volunt quòd erat Ioab, alij vero dicũt, quòd erat quidam alius, ideo diuersimodè exponunt literam istam. Primo modo dicitur sedens in cathedra, ideſt, Dauid, qui sedebat in cathedra, eo quòd erat rex, & nulli alij licebat sedere in cathedra. *Sapientissimus*, ideſt, ipse erat sapientissimus inter omnes istos fortes, de quibus hic. Et quamquam esset fortissimus, magis tamen laudatur de sapientia, quàm de viribus, I eo quòd sapientia melior est viribus, vt patet Prou. 6. Melior est sapientia quàm vires, simile patet Sapiẽ. 6. *Princeps inter tres*, ideſt, Dauid erat princeps inter tres fortissimos, & erat fortior alijs. *Ipse est quasi tenerrimus ligni vermiculus*, ideſt, Dauid erat sicut vermiculus, qui est in ligno, quasi dicat, ille mollissimus est, & tamen ipsum lignum forte terebrando perforat: & ob hoc teredo, vel terebella appellatur. Sic erat Dauid, qui in conuersatione erat mollissimus sicut vermiculus ligni omnibus tractabilis, & affabilis: & tamen in bello erat fortissimus, ita vt deijceret octingentos viros vno impetu, sic exponit Glosa ordinar. & Andreas, & Historia scholastica, & Nicolaus. Alij exponunt hoc de Ioab dicentes, quòd ipse erat princeps inter tres fortissimos, & erat dux belli: tamen non exprimitur hic nomen eius, & dicitur sedens in cathedra, quia sedebat inter viros domus consilii cum septuaginta iudicibus. *Sapientissimus*, ideſt, erat sapientissimus omnium, qui erant in domo consilij: deinde exponantur cetera, sicut dictum est. Alij exponunt de quodam alio, qui non nominatur hic, scilicet, de Iesboam, & ille erat sedens in cathedra, ideſt, excellentior omnibus. Ra. Sa. exponit hoc de Dauid dicens, quòd erat sedens in cathedra, scilicet, quia erat rex, vel erat sedens in domo consilij, & erat sapientissimus, scilicet, inter omnes iudices domus consilij, & erat princeps in tribus, scilicet, in pulchritudine, fortitudine, & sapientia: vt patet supra 16. cùm dixit quidam vir Saulis de Dauid, F vidi filium Isai scientem psallere, & fortissimum robore, & virum bellicosum, & prudentem in verbis, & virum pulchrum. Dicit etiam quòd Dauid erat sicut vermiculus ligni tenerrimus, eo quòd quando studebat in lege Dei erat ita tener sicut vermiculus, scilicet, recludendo se in vestibus vacantis studio sicut vermis tener inuoluitur ligno, & quando pugnabat erat fortis sicut lignum. Ra. Dauid Kimhi dicit quòd iste fortissimus fuit Adinohan & est vermiculus ligni: non quòd sit nomen appellatiuum vermiculus ligni, sed nomen illud quod ponitur in Hebræo pro vermiculo ligni dicit ipse esse nomen proprium illius viri, vel dicit quòd fuerit iste Ioab, qui erat sapientissimus inter iudices sedens in domo consilij, vt supra expositum est: vel dicit, quòd fuit Dauid, cui competebant hæc, sicut etiam fuit supra declaratum.

Primus vir fortis quis fuerit. Quæst. VII.

QVAERETVR, quæ sit conueniens expositio de isto primo viro forti, & quis ille esset. Respondendum est, quòd tota ista varietas expositionũ insurgit, quia hic & 1. Parali. 11. ponitur cathalogus istorum fortium, & subticentur aliqua hic, quæ ibi dicuntur, & è contrario: Et tamen sicut colligi potest ex his, quæ habentur hic, & ibi simul sumptis scietur quis sit iste vir primus in fortibus. H Plurimi autem volunt ipsum esse Dauid. Sed dicendum quòd non stat. Primò, quia dicitur in litera hæc sunt nomina fortium Dauid, ergo ipse Dauid non erat aliquis de viris fortibus istis, sed omnes erant serui sui. Item patet, quia enarrato isto primo de quo dubitatur, dicitur in litera, post hunc Eleazar filius patrui eius, ideſt, post illum primum virum fortem fuit Eleazar, & tamen 1. Paralipo. 11. dicitur, quòd Eleazar fuit post Iesboam, & quòd fuit filius patrui Iesboam, ergo non potest intelligi de Dauid, sed de Iesboam, qui esset primus inter fortes. Item patet ex eo. cap. cum ponitur cathalogus fortium Dauid dicitur, iste est numerus robustorum Dauid, Iesboam filius Achamoni, & deinde sequitur post eum Eleazar, ergo non erat iste Dauid, sed Iesboan. Causa autem huius erroris est litera nostra, quę noluit transferre hic sicut in Paral. Nam hic ponitur in Hebræo, quia nomen Iesboam, & Taquemuni: pro quibus litera nostra posuit sedens in cathedra sapientissimus, quia Iesboam interpretatur sedens in populo, vel in pulpito, & Taquemuni, interpretatur sapiens, & posuit litera nostra interpretationem nominum tanquam essent appellatiua, & tamen magis sunt propria. Quod patet, quia 1. Paralip. 11. ponuntur ista vt propria, & dicitur Iesboam filius Achamoni. Ita ergo debuisset litera nostra ponere hic Iesboam Achamoni, & esset planum sicut est in Paralip. Istam expositionem sequitur Iosephus 7. Antiquitatum volens quòd iste fortissimus non sit Dauid sed K quidam alius, & vocat eum Eusebium dicens: Eusebius filius Achimeæ, vbi nos dicimus Achamoni, qui aciem hostium frequenter irrumpens non cessauit donec nongentos occideret, post hunc Eleazar filius Dodi, qui cum rege fuerat in Sarpha, hic Israelitis formidantibus Palæsthinorum exercitum, & fugientibus solus restitit, & multos occidit, vt sanguine occisorũ gladius hæreret in dextera, Israelitæ verò videntes Palæsthinos in fugam versos descendentes de montibus persecuti sunt eos, & prouenit Israelitis famosa victoria. Tertius fuit Semeius filius Heli, qui cùm Hebræi fugerent exercitum Palæstinorum solus illum portauit, & alios prosternens alios in fugam vertit. Aliquis putauit quòd Iosephus non intelligat de Iesboam, de quo

quo nos dicimus cùm uocet eum Eusebium, & filiũ A Achimee. Dicẽdum quòd idem est de quo Iosephus loquitur, & de quo nos: sed Iosephus obseruauit vnũ specialiter, quia non solùm voluit transferre historiã Hebraicam in Latinum, sed etiam conuertit nomina Hebræa in formam Latinorum, hoc autem non obseruauit Hieron. & quia Iesboam est in forma Hebraica vocauit eum Eusebium, quod satis simile est in litteris, & in sono. Etiam vocatur ex eadem causa filius Achimee, cùm nos dicamus filius Achamoni, quia Achimee magis pertinet ad formam Latinam quàm Achamoni: sic etiam fuit in Semma qui tertius ponitur, & vocatur secundùm Iosephum Semmeius. Idem tenet Ra. dicens quòd iste primus fortis fuit Iesboam, dicens: tres fortes supra nominati, scilicet, Iesboam filius Achamoni, quem Iosephus Eusebium filium Achimee nominat, & Eleazar filius Achoi, quẽ Iosephus dicit filium Dodi, & Semeiaũ filium Agge, quem Semeium filium Heli vocat. Idem tenet Glos. ordin. super primum Paralip. cap. 11. dicens Iesboam secundum Iosephum vocatur Eusebius filius Achimee, & dicit: Alij volunt, quòd sit Dauid. Interpretatur autem Iesboam sedens in populo, Achamoni verò sapientissimus: vnde in libro Regum sedens in cathedra sapientissimus dicitur. Idem tenet Andreas. Non est ergo dubitandum, quin iste fuerit Iesboam, & non Dauid, nec Ioab, aut aliquis alius, & tunc debet litera exponi, scilicet. *Sedens in cathedra*, i. Iesboam, quia in Hebræo Iesboam signat sedentem in populo, C vel pulpito. *Sapientissimus*, ideſt, filius Achamoni: nam in Hebræo ponitur hic Taquemuni, siue Achamoni, quod idem est, & significat sapientissimum: vnde ista non est expositio literæ nostræ, sed reductio illius ad literam Hebraicam: quia cùm debuisset ponere nomina propria, posuit expositionem illorum, & fecit esse nomina communia. Si tamen aliquis vellet exponere literam nostram sicut iacet de Iesboam, diceret, quòd ipse sedebat in cathedra, ideſt, erat excellentissimus inter omnes fortes, & ob hoc ipse merebatur habere cathedram inter omnes fortes. Vocatur autem sapientissimus, quia forte esset sapiens inter alios, sed secundum veritatem non potest exponi, nisi vt antea expositum est. *Princeps inter tres*, ideſt, Iesboam est in primo ternario, & est princeps omnium istius ternarij. Idem tenet Rab. Dauid Kimhi dicens quòd idem est ille, qui occidit hic octingentos viros, & qui occidit trecentos. 1. Paralip. Sed ille vocatur ibi Iesboam, ergo etiam vult quòd iste, de quo hic dicitur, sit Iesboã. *Ipse est quasi tenerrimus ligni vermiculus.* Laus est Iesboã, scilicet, quòd erat affabilis, & mansuetus, & tractabilis omnibus, sicut est vermiculus ligni tener, & tamen erat fortissimus in bello, de hoc dicit Glosa ordinaria, & Andreas, & Historia scholastica. Vermiculus ligni tener, & modicus apparet, sed forte lignum terebrat, vnde à terendo teredonis nomen accepit. Sic ille in omnibus affabilis, humilis, & quietus, in certamine publico robustum se, & omnibus intolerabilem se hostibus exhibebat: hunc tamen principem fortium Hebræi suspicantur esse Dauid, de quo dicitur sedens in cathedra, & sic sapientia ostenditur in sedente, & humilitas in sapientissimo, quia vermis dicitur: fortitudo autem, quia octingentos occidit. *Qui octingentos occidit impetu vno*, scilicet, iste Iesboam occidit octingentos viros in vno bello. In Hebræo dicitur. *Ipse honorabat se in lancea super octingentos vulneratos*, ideſt, ipse operabatur fortissime in lancea, ita quòd reddebatur honorabilis ex hoc, & occidebat, vel vulnerabat octingentos lancea.

Iesboam an occiderit septingentos vno impetu. Quæst. IX.

QVAERETVR, quomodo iste occidebat octingentos vno impetu, nam videtur esse incredibile, & non verisimile. Respondet Nicol. quòd non occidit iste Iesboam octingentos manu sua vno impetu, sed quia propter eius probitatem fuerunt occisi omnes, scilicet, quia ipse dedit audaciam persequendi hostes dicitur occidisse omnes. Vel dicitur occidisse octingentos, quia fortè ipse persequebatur hostes, & ipsi fugientes lapsi sunt in aquam, vel in aliqua loca magni præcipitij, & ibi mortui sunt. Dicendum tamen quòd iste occidit octingẽtos vno impetu, ideſt, in vno bello, & non debet accipi vnus impetus pro vno ictu, quia in vno ictu non poterat occidere nisi vnum virum, sed in vno bello satis erat verisimile, quòd posset occidere octingentos cõtinuato bello. Nam de Eleazar dicitur, quòd ipse solus pugnauit contra Philisthinos quousque fugauit totum exercitum, & manus eius hærebat gladio ex sanguine interfectorum, ideo in tali bello satis verisimile erat, quòd ipse posset occidere octingentos: Iesboam tamen erat fortior, quàm Eleazar, ideo verisimilius erat de eo, quòd posset occidere octingentos quàm de Eleazar. Item patet quòd sit hoc verisimile, quia Samson, qui erat etiam vir fortis, pugnauit solus contra Philisthinos, & erat inermis habens solùm mãdibulam asini, & occidit mille viros, vt patet Iudi. 15. posset ergo Iesboam, qui erat vir fortissimus, & armatus esset, occidere octingentos viros. Idem patet per Iosephum septimo Antiquitatum dicẽtem primum omnium: Eusebius filius Achimee, qui aciem hostiũ frequenter irrupens non cessauit donec nongentos occideret, & sic non solùm semel hoc fecit: sed etiam sæpe Iosephus hoc vult factum.

Quot viros occidit Iesboam. Quæst. X.

QVAERETVR vlterius, quomodo dicitur hic, quòd occidit octingentos: nã 1. Paral. 11. D dicitur quòd occidit 300. Respondendum q Iesboam sæpe pugnauit contra hostes: & aliquando plures, & aliquando pauciores occidebat. Fuit autem vnum bellum, in quo occidit octingentos, & istud ponitur hic, fuit aliud in quo occidit trecentos solùm, & illud ponitur in Paralip. sic enim soluit Ra. Dauid Kimhi, & Nicolaus. Sed obijcietur adhuc, quia Iosephus dicit vbi supra quòd sepe Iesboam irrumpens exercitum non cessabat quousq; nongentos occideret. Dicendum quòd fortè posset hoc solui per corruptionem literæ, quia facile erat, quòd in Iosepho vbi scripti essent octingenti errore librariorum ponerentur nongenti, quia multa per errorem istorũ introducta sunt: sic soluit Augustinus varietatem numerorum annorum inter Bibliam Hebraicam, quam E nos habemus, & Bibliam septuaginta interpretum, in qua maiores numeri sunt quàm in nostra, dicens in 15. de Ciuitate Dei, quòd librarij non attendentes diligenter transcribere ea, quæ inueniunt, omnia præuaricantur. Sed aliter dicendum est, & melius: quia non est iste locus solus, in quo Iosephus deuiet in numeris à sacra scriptura, sed fere in omnibus locis, in quibus agitur de numero bellatorum, vel occisorum, vel de apparamentis bellicis semper ponit maiores numeros: sic enim Iudic. 4. vbi litera nostra posuit nongentos currus regis Asor, & ponit Iosephus tria millia curruum. Sic etiam præced. lib. c. 11. & 14. vbi ponitur numerus bellatorum ponit Iosephus maiorem numerum;

Universidad de Deusto
Biblioteca

rum, ita ergo hic posuit nongentos viros, quia fortè in aliquo bello occidit Iesboam nongentos. *Post hunc Eleazar.* Iste est secundus in numero fortium, qui non accedebat ad robur Iesboam, erat tamen vir valde fortis, nunquam tamen legitur de eo, quòd occiderit octingẽtos sicut occidit Iesboam, quamquam Hebræi quidam referunt illud ad Dauid dicentes, quòd ipse occidit octingentos, ideſt, quòd propter peccatũ suũ cum Bethsabee occisi sunt octingenti viri. Sed istud non stat, quia isti præsupponunt, quòd Dauid fuerit iste fortissimus: sed falsum est, quia erat Iesboam: vt supra declaratum est. Item dato quòd esset Dauid nõ poneretur hic de illis viris, qui occisi sunt propter peccatum eius, quia istud ponitur ad ostensionem fortitudinis & laudem, quòd tamen perierint octingenti pro peccato illius, non erat laus, sed vituperium: ideo non potest exponi, nisi sicut supra, scilicet, quòd Iesboam occidit illos octingentos. *Filius patrui eius ahohites,* ideſt, Eleazar erat filius patrui Iesboam, scilicet, quia ambo erant filij duorum fratrum, & erat Eleazar ahohites, ideſt, de vrbe Ahohi. Vnde vocatur Ahohites. 1. Paralip. 11. Sed Ahotes denominat locũ, vocatur autem Eleazar filius Dodi secundùm Iosephum. Pro quo sciendum quòd Dodi ponitur hic in Hebræo, & tamẽ potest esse Dodi nomen proprium, vel commune: nam Dodo significat patruum, & Dodi significat patruum eius, litera autem nostra accepit pro nomine communi dicens: filius patrui eius. Hebræi tamen accipiunt hic Dodi pro nomine proprio, ideo dicunt quòd erat Eleazar filius Dodi, & sic accepit Iosephus. Simile habetur Iudi. 10. vbi dicitur post hoc surrexit dux in Israel Tholam filius Phua patrui Abimelech. Et habetur in Hebræo Dodo, vbi dicitur ibi patrui, & Hebrei accipiunt quòd Dodo esset nomen patris Thola, sed in hoc non multum differt. *Inter tres fortes,* ideſt, iste erat vnus de tribus fortibus primi gradus 1. Paralip. 11. dicitur quòd iste fuit inter tres potentes, *Qui erant cum Dauid quando exprobrauerunt Philisthijm,* ideſt, iste Eleazar erat cum Dauid quando Philisthini exprobrauerunt Dauid, & viris suis dicentes, quòd essent viri timidi, & inutiles ad bellum. *Et congregati sunt illuc in prælio,* scilicet, venerunt contra Dauid in prælium ad locum, in quo erat Dauid: erat autem iste locus apud speluncam Odollam, in qua erat Dauid cùm venerunt ad eum isti tres viri fortissimi primi ternarij, & hoc apertius dicitur. 1. Paralip. 11. scilicet, iste fuit cum Dauid in Aphesdonim, quando Philisthini congregati sunt ad locum illum in prælium. Et postea dicitur, descenderunt autem tres de triginta principibus ad petram, in qua erat Dauid ad speluncam Odollam, quando Philisthini castrametati fuerant in valle Raphaim. *Cumque attendissent viri Israel ipse stetit & percussit Philisthæos,* scilicet, in isto bello non fuit Dauid nec fuerunt aliqui de fortibus eius, quia dicitur, quòd omnes, qui erant in bello fugerunt, & mansit solus Eleazar, & ipse percussit tunc Philisthinos, & fugauit totum exercitum. *Donec deficeret manus eius,* ideſt, donec deficeret viribus percutiendo Philisthinos præ lassitudine. *Et obrigescret cum gladio,* ideſt, manus infrigidabatur, & indurabatur cum gladio, istud intelligendum est propter sanguinem interfectorum, scilicet, quòd tot occiderat, quòd sanguis effusus maculauerat gladium, & manus eius erat plena sanguine iam infrigidato, & indurato, & faciebat sanguis ille, quòd manus colligaretur gladio tanquam per aliquod glutinum. Hebræi quidam exponunt quòd Eleazar pugnauit primò lancea, deinde applicuit manum suam ensi, quia vbi litera nostra dicit, & obrigescret cum gladio, dicitur in Hebræo, applicuit manum suam gladio. Sed hoc non stat, quia dicitur hic, donec deficeret manus eius, & tamen postquã deficeret, non applicaret eam gladio ad pugnandum, quia iam nullas vires haberet, sed accipitur ibi applicari, ideſt, cohærere, quia sanguis faciebat, quòd cohæreret manus gladio. *Fecitque Dominus salutem magnam in die illa,* ideſt, fecit magnam saluationem in Israel, scilicet, quia liberauit Israelitas de manu Philisthinorum per manum Eleazar, nam iam omnes Israelitæ fugerant, & Philisthini potuissent occidere eos, nisi iste vir fortissimus restitisset. *Et populus qui fugerat reuersus est ad cæsorum spolia detrahenda,* ideſt, prius fuerat multus populus Hebræorum cum isto Eleazaro, vt pugnaret contra Philisthinos, & tamen omnes fugerunt relicto solo Eleazar, qui pugnauit contra illos, & occidit multos, & populus, qui fugerat reuersus est ad detrahenda spolia occisorum ab Eleazar, & non curauit ibi persequi Philisthinos: de hoc dicit Iosephus septimo Antiquitatum, quòd iste Eleazar fuit filius Dodi, qui cum rege fuerat in Sarpha, hic Israelitis formidantibus Palesthinorum exercitum, & fugientibus, solus restitit, & multos occidit, ita vt sanguine occisorum gladius hæreret in dextera, Israelitę vero videntes Palæsthinos in fugam versos descendentes de montibus persecuti sunt eos, & prouenit Israelitis famosa victoria.

An Eleazar peccauerit solus pugnando contra vnum exercitum. Quæst. XI.

QVAERETVR de isto Eleazar, an peccauerit pugnando solus contra vnum exercitum Philisthinorum. Respondendum est, quòd cùm aliquis pugnat contra magnam multitudinem sicut fuit hic, aut pugnat aggrediendo, aut defendendo. Secundo modo nõ est peccatum, quòd quis pugnet cum vno exercitu, quia fortè necesse erit de illo, quòd occidatur ab hostibus fugiendo, vel viriliter se defendendo contra omnes hostes pugnet, & tunc cuicunque viro siue fortissimo, siue infirmo laudabilius est pugnare contra vnum exercitum quã fugere, quia cùm vtroque modo moriendum sit, melius est fortiter resistendo gloriosè mori, quàm turpiter fugiendo corruere, immo non solùm cùm quis putat se omnino occidendum ab hostibus, sed etiam si dubitet, an possit euadere melius est gloriosè resistere, & mori, quàm fugere arbitrando se occidendum. Secus autem est cùm quis credit, quòd poterit sine aliquo periculo euadere, si fugiat, & quòd expectando totum exercitum necesse est istum mori, vel saltã est maior præsumptio de morte quàm de vita, non est generaliter licitum expectare, licèt quibusdam specialiter hoc liceat, scilicet, quibus liceat aggredi, vt infra dicetur. Sic autem fortè fuit de Eleazar, quia ipse iuit ad bellum contra Philisthinos cum reliquo populo Israelitarum, & fortè si fuisset solus non iuisset illuc. Deinde cęteri fugerunt ante ipsum de bello, ut de ipse non poterat iam fugere, quin hostes persequerentur eum, & occiderent: ideo valde melius fuit, q̃ expectaret hostes, & pugnaret quàm quòd fugeret. Sic etiam fecit Samson, nam ipse erat ligatus, & irruebat cum eis, occiditque mille viros. Iudi. 15. si autem fugisset, pugnauissent contra eum Philisthini, & occidissent. Item quando aliquis vir est valde fortis, & fiducialis, dato quòd ueniat contra eum magna multitudo, & ipse dubitet de vita sua pugnando, si tamen pugna sua sit honesta, potest licitè stare contra hostes; sic enim fuit de Iuda Machabęo, qui cùm haberet tunc de paucos viros, cõuenerunt contra eum magni exercitus, ita vt videretur nullo modo posse pugnare contra illos: vnde viri sui dissuadebant ei hoc, dicentes: Si fugamus, non poterimus pugnare, sed liberemus animas nostras modo, & reuertamur ad fratres nostros, & tunc pugnabimus aduersus eos, nos autem pauci sumus. Et ait Iudas: absit istam rem facere vt fugiamus ab eis, & si appropiauit tempus nostrum, moriamur in virtute propter fratres nostros, & non inferamus crimen gloriæ nostræ 1. Machab. 9. Si autem loquamur de aggressione, scilicet, quòd aliquis non habens causam pugnandi, vel saltem non compulsus se defendere aggrediatur magnum exercitum, videtur esse audacia, quia tale terribile est supra vires vnius hominis, quòd se exponat contra vnum exercitum, ideo dicendum quòd sicut fugere plus quàm oportet, vel dimittere arma in bello, est timiditas, & valde vituperabile, vt patet 3. & 5. Ethicorum: ita aggredi aliquod terribile plus quàm oportet, est vituperabile, & est audacia, quia istud est contemnere vitam humanam sine aliquo fine honesto, vt patet 3. Ethico. istud autem verum est in viris communibus. Sunt tamen aliqui viri fortissimi, quorum vires sunt excellentiores viribus multorum hominum, & animositas eorum magna, & isti nouerunt per experientiam, quòd facile sit eis pugnare contra multos viros, & tunc si isti confidunt se posse superare, potissimè si est causa valde honesta, licet eis pugnare contra multos homines simul aggrediendo. Sic enim fuit de Samsone, qui erat excellenter fortis super alios homines, & ipse egressus ad quandam ciuitatem Philisthinorum pugnauit solus contra multos, & occidit triginta de illis, quorum tunicas desiderauerat, & accepit. Ita iste Eleazar erat vir fortissimus, & expertus in bellis: vnde confidebat q̃ ipse solus posset pugnare contra totam istam multitudinem, ideo dato quòd aggrederetur eam non peteret, ipse tamen non pugnauit contra omnes istos Philisthinos per modum aggressoris, sed per modum se defendentis, quia totus populus fugerat de bello, & ipse manserat, se defendens & impugnans hostes. *Et post hunc Semma.* Iste fuit tertius de viris fortibus in primo ternario, qui non accessit ad duos priores, & de isto nihil exprimitur in Paralip. quia ut dictum est aliqua dicuntur hic quæ subticentur ibi, & aliqua exprimuntur ibi quæ non habentur hic. *Filius Age de Arari,* ideſt, iste erat filius viri, qui uocabatur Age: & erat de urbe Arari, sic etiam quidam alius de fortibus Dauid vocatur Ararites, ut patet infra. *Et congregati sunt Philisthijm in statione,* ideſt, conuenerunt facientes aciem. statio enim uocatur acies à stando, quia castra locantur in aliquo loco, & ibi stat exercitus. *Erat quippe ibi ager plenus lente,* ideſt, in loco ubi conuenerat exercitus Philisthinorum erat quidam ager habens lentes. Et fit mentio de isto agro, quia forte uolebant Philisthini comburere istum agrum, & Semma defendit ne cremaretur, ut patet infra.

An ager plenus esset lente solùm. Quæst. XII.

QVAERETVR, quomodo dicitur hic, q̃ erat ager plenus lente, quia 1. Paralip. 11. dicitur quòd erat ager plenus hordeo. Respondet ad hoc Rab. Da. Canhi, quòd ager ille habebat in una parte lentes, & in alia parte hordeum, & hic scriptura nominauit lentes, & in Paralip. nominauit hordeum. Vel aliter potest dici quòd erãt ibi duo agri coniuncti, unus plenus hordeo, & alius plenus lente. Vtrumque autem defendit Semma à potestate Philisthinorum. Sed adhuc potest dici aliter, scilicet, quòd non agitur hic, & ibi de eodem agro, quia hic dicitur de agro, in quo pugnauit Semma contra Philisthinos, & ibi dicitur de agro, in quo erat Eleazar, quando pugnauit contra Philisthinos. Quod patet, quia ibi dicitur solùm de Eleazar, & Iesboam, & nihil de Semma, ideo referẽdum est ad agrum, in quo erat Eleazar, & non Semma. Et dicitur, iste fuit cum Dauid, quando Philisthini congregati sunt ad illum locum in prælium, & erat ager regionis illius plenus hordeo, fugeratque populus à facie Philisthinorum, hic sterit in medio agri, & defendit eum: & sic ponuntur omnia ista sub eodem contextu, & tamẽ pars istorum ponitur hic, scilicet, quòd iste Eleazar erat cũ Dauid, quando exprobrauerunt Philisthijm, & congregati sunt illuc in prælium, ergo totum refertur ad Eleazar, & sic alius ager erat, de quo ibi dicitur quàm de quo hic. *Stetit ille in medio agri,* scilicet, venientibus Philisthinis ad destruendum agrum. Semma stetit in medio agri ne Philisthini possent ingredi ad uastandum illum. *Et tuitus est eum,* ideſt, defendit agrum ne Philisthini introirent, quia uolebant comburere agrũ: nam totam regionem modo hostili uastabant. *Percussitque Philisthæos,* scilicet, ipse solus percussit Philisthæos, nam reliquus populus fugerat. *Et fecit dominus salutem magnam,* ideſt, per manum illius Dominus saluauit Israelitas, quia Philisthini vastabant agros illorum & Semma defendit illos. Etiam defendit Israelitas ne Philisthini occiderent eos. Iste fecit simile bel lum ei quod fecit Eleazar supra, scilicet, quia solus Philisthinos sustinuit & pugnauit contra illos. De hoc Iosephus septimo Antiquitatũ ait, Tertius fuit Semmeius filius Heli, qui cum Hebræi fugerent, exercitũ Palæsthinorum solus portauit, alios prosternens, & alios in fugam vertens. Non tamen peruenit iste ad fortitudinem Eleazar, & Iesboam. *Necnon ante descenderant tres, qui erant principes.* Hic fit mentio de tribus viris fortibus secundi ternarij: & dicitur, quòd isti venerunt ad Dauid antequam fieret istud quod dictum est de Semma. Ex quo patet, quòd erant duo ternarij virorum fortissimorum, & isti secundi non peruenerant in robore ad tres primos.

Tres prędicti viri quando venerunt ad Dauid. Quæst. XIII.

QVAERETVR quomodo dicitur quòd isti tres erant principes, & venerunt ad Dauid ante prędicta. Respondendum quòd Dauid erat profugus à facie Saulis, & vagabatur per diuersas partes terræ Israel, & cùm fuisset in spelunca Odollam conuenerunt ad eũ viri multi, scilicet, quasi cccc. vt patet præceden. lib. cap. 22. & deinde quotidie conueniebant ad eum viri multi de omnibus tribubus: vt patet 1. Paralip. 11. & 12. & ibi ponitur, qui venerunt à principio, & qui postea, & dicitur quòd isti tres viri, qui erant in secundo ternario venerunt antequam fieret id quod habetur de Semma.

Tres viri qui erant in secundo ternario qui essent. Quæst. XIIII.

QVAERETVR ulterius, qui erant isti tres viri in secundo ternario. Respondendum est q̃ vnus istorum erat Abisai frater Ioab, vt patet infra in litera, & de isto non dubitatur. De alijs autem duobus dubitatur. Quidam enim volunt quòd fuerit secundus Banaias, qui ponitur etiam in litera. Sed dicendum est, quòd quomodocunque nos velimus accipere, non est in litera numerus istorum trium fortium hic nec primo Paralip. 11. ideo oportet suppleri aliunde, & quidam volunt quòd sumantur

Universidad de Deusto
Biblioteca

tur duo de illis viris, qui habentur supra 27. nam ibi ponuntur quatuor viri, quorum quilibet occidit vnum gigantem, & non exprimuntur hic, quòd iam fuerunt ibi expressi, & etiam quid fecerint. Patet etiam ratio, quia Abisai erat primus illorum, & cùm ipse ponatur hic, intelligitur, de alijs, qui subticentur, quòd fuerint sui socij, qui ibi simul expressi sunt. Et erit vnus illorũ Sobochai, qui occidit vnum gigantem, & alius erit Ionatham filius Samma fratris Dauid, qui fuit occidens gigantem vigintiquatuor digitorum. Alij volũt, quòd iste esset Banaias: & ratio huius est, quia in litera exprimitur de illo postquam expressum fuerit de Abisai, qui est primus in secundo ternario. Item quia dicitur de Banaia, quòd ad tres primos non peruenit: si tamen non esset ipse de tribus secundis. frustra diceretur, quòd non peruenit ad tres primos, quia eadem ratione diceretur hoc de omnibus triginta, qui infra ponuntur, sed non dicitur hoc de illis, nec de aliquo illorum. Item cùm dicitur quòd Banaias ad tres primos non peruenit, in quo signatur, quòd non erat de illis: ita diceretur, quòd ad tres secundos non peruenit si non esset de illis, & tamen dicitur hoc de primis, & non de secundis, ergo videtur quòd non erat in genere primorum, sed in secundis erat. Dicendum autem quòd Andreas, & Nicolaus, & communiter omnes tenent, quòd Banaias non fuerit de istis tribus: nec etiam de triginta, & poterat teneri vtrumq; quasi indifferenter. Videtur tamen rationabilius, quòd Banaias fuerit de istis tribus, quia aliàs superflue poneretur in litera, cùm non esset de primis, nec de secundis, nec de triginta, & tunc dicetur, quòd assumetur vnus de viris supra nominatis cum Abisai, scilicet, de Ionatham, & de Sobochai ad hoc quòd sit tertius, & alius assumetur ad hoc, quòd sit septimus cum istis duobus ternarijs, & cum triginta viris, qui infra computantur, vt compleant triginta septem fortes, quorum summa est infra.

Tres prædicti quomodo vocentur principes inter triginta, cum non videantur computati inter eos.
Quæst. XV.

QVAERETVR vlterius, quomodo vocantur isti tres principes inter triginta, quia illi nõ erant de triginta viris computatis infra. Quod patet, quia aliàs non possent peruenire isti viri fortes ad triginta septem. Item quia dicitur hic infra quòd Abisai erat princeps de tribus: ergo non erat de triginta. Respondendum quòd isti non vocantur principes de triginta, ita quòd essent de numero illorum, sed vocantur de triginta, ideſt, quia respectu illorum erant principes, scilicet, quia erant excellentiores illis: sic etiam dicitur de illis, qui erant in primo ordine, quòd erant principes triginta, vt patet de Iesboam, qui erat primus in primo ordine, tamen ipse vocatur inter triginta princeps primo Paralipom. vndecimo. *Et venerant tempore messis ad Dauid in speluncam Odollam*, ideſt, isti tres venerunt ad Dauid in principio omniũ virorum, quando Dauid erat in spelunca Odollam: nam ille fuit primus locus, in quo conuenerunt ad eum aliqui viri, vt patet præceden. lib. cap. 22. scilicet, quòd quando Dauid fugit à facie regis Achis venit in speluncam Odollam, & cùm esset ibi, audiuit pater suus de eo, & venerunt ad eum pater & mater, & tota cognatio domus patris sui, & facti sunt cum eo multi alij viri constituti in angustia, & oppressi ære alieno: fueruntque cccc. viri: & de istis fuit Abisai, & alij duo viri fortes, & quando venit Abisai ad Dauid cum alijs viris de tribu Iuda, timuit Dauid, quòd venirent ad eũ in fraudem, vt ponerent eum in manu Saulis. Dixitque, si pacificè venitis ad me, ut auxiliemini mihi, cor meum iungatur uobis: si autem insidiamini mihi pro aduersarijs meis, cùm ego iniquitatem in manibus nõ habeam, uideat Deus patrum nostrorum, & iudicet. Spiritus uerò induit Abisai principem inter triginta, & ait: tui sumus ò Dauid, & tecum fili Isai, pax pax tibi, & pax adiutoribus tuis, & tunc Dauid suscepit pacificè Abisai, & socios suos, ut primo Paralipom. 12. *Castra autem Philisthini erant posita in valle gigantum.* Hic ponitur opus magnificum de portatione aquæ ad Dauid per mediam aciem Philisthinorum, & dicitur. *Castra Philisthini erant posita in valle gigantum.* Est ista quædam uallis circa Ierusalem inter ipsam & Bethlehem, & ista est, quæ uocatur uallis Raphaim, nam Raphaim in Hebræo significat gigantes, & ponitur ista uallis in termino sortis Iudæ, & Beniamin in medio utriusque sortis, ut patet Iosue decimo quinto, & decimo octauo. *Et Dauid erat in præsidio.* Aliqui putant quòd præsidium uocetur hic castrum uel locus quidam, in quo erat Dauid in terra Moab: nam præceden. lib. cap. 22. dicitur quòd Dauid iuit de spelunca Odollam in terram Moab, & ibi stetit in præsidio, & tunc accidit istud quod hic dicitur, postea uerò Propheta Gad dixit Dauid quòd recederet in terram Iuda, & inde recessit, & cùm ibi maneret Philisthini pugnauerunt, & tres uiri duxerunt aquam per medium illorũ. Sed hoc non stat, quia si acciperetur ibi præsidium pro illo castro terræ Moab, quomodo Dauid uellet aquam de Bethlehem cùm ualde distaret inde Bethlehem, quia est nimis occidẽtalis, nam tota terra Moab est ad orientalem partem terræ Israel. Bethlehem autem est circa occidentem illius terræ, scilicet, quasi per nouem leucas distans à mari mediterraneo, & ibi est occidens terræ Israel: ideo tam longe positus non desideraret Dauid aquam Bethlehem. Item dato q̃ incideret ipsi Dauid aliquod desiderium irrationabile desiderando nimis longinqua, tamen uiri isti tres non iuissent in Bethlehẽ pro aqua, si Dauid esset tunc in terra Moab, quia nimis distat, & non possent conuenienter illuc ire pro illa. Item dato quòd uellent subire hunc laborem, ut placerent Dauid, tamen non possent satisfacere ei in hoc, quia Dauid desideraret istam aquam quasi subito, dicens: ò si quis mihi daret potum aquæ de cisterna Bethlehem, quæ erat iuxta portam. Si autem nunc esset Dauid in terra Moab, & isti uiri irent pro aqua in Bethlehem, uenirent post aliquot dies, & iam non proficeret aqua ipsi Dauid, quia iam perijsset desiderium eius, iuerunt tamen & tulerunt eam tempore conuenienti, & Dauid quamquã desideraret eam noluit bibere: ergo non erat Dauid tunc in terra Moab in præsidio sed alibi. Dicendum autem q̃ Dauid erat tunc in Ierusalem in arce Sion, & dicebatur esse in præsidio, quia locus ille est fortis simus. Inde autem est prope Bethlehem, scilicet, sola per uiginti stadia, ut ait Iosephus, quæ parum continent ultra unam leucam. Et sic quasi subito potuerunt ire in Bethlehem, & reportare aquam antequam perueniret desiderium Dauid bibendi, ita ut ipse miraretur quomodo tam cito uenerant. Dicendum ergo quòd Dauid erat in Ierusalem, & ob hoc uiri uenerunt. Sic enim ponit Iosephus septimo Antiquitatum, dicens: Cùm Dauid esset in Ierusalẽ, subitò Philisthinorum aduenit exercitus, tunc Dauid ascendit in arcem, ut consuleret dominum de bello, castra uerò inimicorum erant fixa usque in Bethlehem, quæ procul est à Ierusalem stadiis uiginti.

Quo

uid ad speluncam Odollam quando Philisthini fuerant castrametati in valle Raphaim, & postea sequitur: tres isti hauserunt aquam de cisterna Bethlehem. Et tamen secundùm veritatem isti fuerũt tres primi: nam tota ista litera vsque ad illum locum. Asahel quoque, intelligitur de viris primi ordinis, & reliqua intelliguntur de viris secundi ordinis, sic enim tenet Iosephus septimo Antiquitatum, & sic refert Historia scholastica. Ad primam rationem in contrarium dicendum quòd non inceptum fuit supra dici de viris secundi ordinis tanquam enarraretur aliquid de illis, sed solùm cùm enarraretur factum Semma qui erat de primo ordine, dixit litera quòd ante hoc venerunt ad Dauid tres alij viri fortes, qui erant in secundo ordine, & tamen nihil aliud tactum est de eis. Quod patet, quia infra incepit de eis Historia, ibi: Abisai quoque. Si autem dicatur, q̃ sub eodem contextu cadent ista duo, scilicet, de portatione aquæ, & quòd descenderant tres viri, qui erant principes inter triginta ad Dauid: dicendum quòd non cadunt sub eodem contextu, quia in versu illo, scilicet, castra autem Philisthini, incipit noua historia de portatione aquæ. Ad secundam rationem, scilicet, q̃ hic tangatur factum trium virorum secundi ordinis, sicut supra ponebantur gesta virorum primi ordinis, non stat: quia gesta virorũ secundi ordinis incipiunt infra in versu: Abisai quoq;. Ad tertiam rationem de primo Paralip. 11. dicendum q̃ ibi est discontinuatio literę sicut hic, nam dicitur de descensu istorum trium uirorum ad Dauid in uersu, descenderunt autem, & in sequẽ. versu, scilicet, Quando Philisthini fuerant castrametati in valle Raphaim, incipit alia sententia de portatione aquæ. *Porro statio Philisthinorum tunc erat in Bethlehem*, ideſt, castra Philisthinorum erant in Bethlehem. Istud ponitur ad significandam difficultatem eundi pro aqua, quia cisterna erat in Bethlehem, & castra hostium in Bethlehem.

Quo tempore prædicti viri portauerunt aquam Dauid.
Quæst. XVI.

QVAERETVR, quo tempore hoc factum fuerit. Aliquis dicet, quòd fuit factum, quando Dauid cum viris suis per desertum erat profugus, quia tunc isti tres viri erant cum eo. Sed dicendum quòd non stat, quia eo tempore, quo fuit Dauid profugus à Saule nunquam introiuit in Ierusalem, vt colligitur ex processu suo. præceden. lib. ex cap. 20. vsque ad 28. & tamen nunc erat in Ierusalem, ergo non erat profugus à facie Saulis. Item dato q̃ diceremus Dauid fuisse in aliquo alio loco eo tempore, quo facta sunt ista, res viri sui non ausi fuissent recedere ab eo, & introire in Bethlehem pro aqua: quia toto tempore, quo fuit Dauid profugus latebat in desertis, & locis absconditis, vt Saul nesciret vbi esset, & quandocunque cognoscebat Saul locum eius, persequebatur illum ad capiendum. præceden. lib. ca. 23. & 24. & 26. ideo non auderent viri Dauid recedere ab eo, vt irent in Bethlehem, vel in aliquem alium locum, quia etiam cum eo existentes saluari desperabant, vt patet præceden. lib. ca. 23. scilicet, dixerunt viri Dauid ad eum, ecce nos hic in Iudæa consistentes timemus, quanto magis si iuerimus in Ceilam. Dicendum igitur, quòd istud accidit postquam Dauid factꝰ est rex Israel, quia tunc morabatur in Ierusalem, ante hoc autem non: nam septem annis, & dimidio quibus regnauit super Iudam, semper fuit in Hebron, nec ausus est ire in Ierusalem, quia pertinebat ad regnum Isboseth, & mox vt factus est rex Israel, iuit in Ierusalem ad pugnandum contra Iebusæum. Sed videtur dicendum, quòd fuerit istud in aliquo de illis duobus bellis, quæ fecit Dauid contra Philisthinos in principio regni sui super Israel. Nam in vtroque posuerunt Philisthini castra sua in valle Raphaim, supra 5. & 1. Paralip. 14. & hic etiam dicitur quòd erant castra Philisthinorum in valle Raphaim, ergo videtur quòd in aliquo de istis duobus bellis accidit hoc.

Tres viri qui portauerunt aquam Dauid qui fuerunt.
Quæst. XVII.

QVAERETVR vlterius, qui fuerunt isti tres viri, qui portauerunt aquam ad Dauid. Respõdendum, quòd aliqui putant istos fuisse tres viros primi ternarij qui erant fortissimi. Alij vero dicunt quòd erant tres viri secundi, nam Historia scholastica, & Glossa ordinaria, volunt quòd fuerint isti tres fortes de secundo ordine, & dicunt, q̃ hoc vult litera ista. Item hoc habetur in libro Hebraicarum quæstionum, qui dicitur esse beati Hiero. Item videtur hoc, quia supra incepit litera dicere de tribus fortibus secundi ordinis, & hic continuat de portatione aquæ: ideo videtur, quòd ista portatio pertineat ad tres viros secundi ordinis. Item supra enarrauerat litera quid fecerat quilibet trium virorum primi ordinis: ideo rationabile est quòd hic voluerit enarrare id, quod pertinebat ad tres viros secundi ordinis. In contrarium vult Nicolaus, scilicet, quòd tres viri primi ordinis fecerint hoc: quod patet, quia in fine istius literę dicitur, hoc fecerunt tres robustissimi, & tamen tres primi vocantur robustissimi, ergo ipsi fecerunt. Item postea sequitur commendatio virorum trium secundi ordinis, ibi: Abisai quoque, ergo omnia quæ supra sunt pertinent ad tres viros primos. Dicendum quòd aliqualiter videtur 1. Paralip. 11. quòd tres viri secundi ordinis fuerint, quia dicitur ibi, quòd descenderunt tres de triginta principibus ad petram, in qua erat Da

Castra Philisthinorum erant in valle Raphaim.
Quæst. XVIII.

QVAERETVR, quomodo potest stare litera, quia supra dicitur q̃ castra erant in valle Raphaim, & hic dicitur quòd erant in Bethlehẽ. Respondendum, q̃ uerè castra erant in valle Raphaim, ideſt, gigantum: sic enim patet primo Paralipom. 11. s. quando Philisthini fuerant castrametati in valle Raphaim, Dauid erat in præsidio. Est tamen uallis Raphaim apud Bethlehem, & castra Philisthinorum non erant intra Bethlehem, sed circa, & sic dicebantur esse in valle Raphaim, quia uerè erant in ea, & dicebantur esse in Bethlehem, quia perueniebant castra usque illam. Sic enim declarat Iosephus septimo Antiquitatum, dicens: Cùm Dauid esset in Ierusalem, subitò Philisthinorum aduenit exercitus, tunc Dauid ascendit in arcem, ut consuleret Dominum: castra uero inimicorum erant fixa in ualle usq; Bethlehem. Et sic patet q̃ erant in valle Raphaim, & extendebantur usque Bethlehem. *Desiderauit ergo Dauid, & ait: ò si quis mihi daret potum aquæ de cisterna, quæ est in Bethlehem iuxta portam.* Dauid enim erat nutritus in Bethlehem, & desiderauit bibere de aqua illius, quæ erat sibi dulcior quàm aqua Ierusalem.

Quomodo Dauid desiderauit aquam. *Quæst. XIX.*

QVAERETVR, cùm Dauid sciret hostes esse apud portam Bethlehem, & q̃ nullus permitteretur transire pro aqua, quomodo desiderauit illam. Aliqui volunt q̃ Dauid non desiderauit aquam, sed desiderauit experientiam fortitudinis

tudinis militum: Sic enim tenet Nico. sic etiam dicit Glossa ordinaria super Paralipom. & sic quia erat iste actus difficilis, voluit milites suos incitare ad illum. Sed dicendum, quòd non stat, quia verè Dauid desiderauit aquam, vt hic dicitur. Causa autem desiderij forte fuit duplex. Prima, quia nō erat tam bona aqua in Ierusalem, sicut in Bethlehem, & istud erat in aliquo puteo speciali. Quod patet, quia dixit de cisterna, quæ est iuxta portam, & sic illa erat excellentior omnibus aquis, quę erant in Bethlehem, & sic etiam erat excellentior aquis Ierusalem. Secunda causa, quia Dauid nutritus fuerat in Bethlehem in pueritia sua & adolescentia, solent autem interdum hominibus gratiora esse ea, quæ sunt in locis suarum originum, ꝙꝙ non tam bona sint sicut ea, quæ sunt in alijs locis, eo quòd magis conueniunt naturę illorum, & hoc tenet Iosephus vbi supra, dicens: Castra autem inimicorum erant in valle vsque Bethlehem, quæ est procul a Ierusalem stadiis viginti, Dauid ergo ait: bonam aquam habemus in regione mea, & præcipue laudabat eam, quæ erat in puteo iuxta portam, & mirabatur si esset, qui ei poculum præberet ex ea, & magis quàm pecuniam magnam desiderauit. Dixit autem Dauid de cisterna, quia terra illa raros habet fontes, & rarissima flumina, sed tota de cisternis alitur, & sic preciosissima aqua, quam desiderauit Dauid, erat in quadam cisterna. *Irruperunt ergo tres fortes castra Philisthinorum.* Isti sunt tres primi robustissimi, scilicet, Iesboam, Eleazar, Semma, & dicitur quòd irruperunt castra Philisthinorum, non quidem quòd pugnauerunt contra Philisthinos, & violenter irruperint per castra, sed ipsi ingredi voluerunt & Philisthini mirati eorum audaciam cesserunt eis. Sic ait Iosephus vbi supra, scilicet: Hæc cùm audissent isti tres viri irrumpentes per medios hostes, venerunt in Bethlehem & haurientes aquam per inimica castra reuersi sunt aquam portantes ad regem, obstupescentibus Philisthinis eorum fiduciam, & magnanimitatem. *Et hauserunt aquam de cisterna Bethlehem, quæ erat iuxta portam.* Erat enim ista cisterna extra urbem circa portam illius, & cùm transissent isti viri fortes per castra hostium hauserunt aquam nemine prohibente. *Et attulerunt ad Dauid.* Etiam nunc transierunt per media castra hostium, quia non erat sibi alius locus transeundi. Quod patet, quia aliàs a principio non irrupissent per castra hostium, sed tenuissent aliam viam.

An Dauid si iussisset illis viris, quòd ducerent aquam de Bethlehem peccasset. Quæst. XX.

QVAERETVR an Dauid peccauerit iubendo, quòd isti milites irent ad ducendum aquā de Bethlehem. Respondendum, quòd si Dauid iussisset eis ire pro ista aqua, quòd peccasset, quia pro parua re exponebat maximo periculo tres uiros optimos, ita vt magis suspicari posset de illis, quòd morerentur, quàm quod viuerent & portarent aquam. Item quòd interdum homines exponāt vitam suam graui periculo pro aliqua causa necessaria vel valde honesta, non est vituperabile: quòd tamen vt Dauid seruiret desiderio suo bibendo de aqua Bethlehem, poneret tres viros fortissimos in morte: erat irrationabile valde, ideo dicendum quòd quamꝙ Dauid desiderauit aquam de cisterna Bethlehem, nō iussit istis viris, vel aliquibus aliis, quòd irent pro ea. Quod patet, quia quando aqua ducta est, noluit bibere eam, quia viri isti in periculo animarum suarum duxerant illam: à fortiori ergo cognoscens periculum à principio non misisset eos pro aqua, sed solùm expressit Dauid verba desiderij sui coram viris suis, quamꝙ putaret, quòd nō posset satisfieri desiderio suo. Nam sic interdum solent homines proponere aliis desideria sua, in quibus se putant nunquàm habituros optatum: & tunc isti tres viri nihil dicentes Dauid clam iuerunt, & portauerunt aquam exponētes se ad mortem, vt complacerent Dauid, & vt ostenderent fortitudinem suam. Sic tenet Iosephus vbi supra, dicens: ait Dauid, bonam aquam habemus in regione mea, & præcipue laudabat eam, quæ erat in puteo iuxta portam, & mirabatur si esset, qui ei poculum præberet ex ea, & magis quàm pecuniam magnam desiderauit. Hæc cùm audissent isti tres viri irrumpentes per medios hostes venerunt in Bethlehem. Et sic patet, ꝙ non iussit eis aliquid Dauid, sed ipsi scientes desiderium eius iuerunt. Etiam Dauid putabat quòd nullus posset ei in hoc satisfacere, ergo nulli uideret. Sed illi, qui dicunt quòd Dauid non desiderauit aquam, sed noluit experientiam fortitudinis suorum militum, non poterunt conuenienter respondere, quia tunc Dauid iuberet illis militibus, vt irent pro aqua, & hoc vt cognosceret eorum fortitudinem, sel hoc erat illicitū. s. quòd tam duram rem eis imponeret: nam experientia fortitudinis debet inquiri in illis oneribus, in quibus verisimile sit, quòd viri fortes possint obtinere victoriam, licèt sit aliquid periculi: sed ubi tantum est periculum quòd vix de aliquo putatur, quòd superuiuet, non est experientia fortitudinis, sed inflictio mortis. ideo si Dauid talia iuberet, peccaret grauiter. Dicendum igitur est sicut prius, scilicet, quòd nihil Dauid iussit eis, sed ipsi iuerunt gratis resciente Dauid, immo potius intelligendum est, quòd si Dauid sciuisset non permisisset uiros exponere se tanto periculo, ut aquam ducerent.

An isti tres viri peccauerint exponendo se tanto periculo. Quæst. XXI.

QVAERETVR ulterius, an isti tres uiri peccauerint exponendo se tanto periculo, ut ducerent aquam ipsi Dauid. Respondendum ꝙ hic nō erat sicut supra dictum est de Eleazar, qui pugnauit contra unum exercitum Philisthinorū, & solus illum uertit in fugam, quia hoc egit Eleazar defendendo se, scilicet, quia omnes socij sui fugerant de bello ipso solo relicto, & defendere se non est tam culpabile, sicut aggredi contra multitudinem. Sed dicendum est, quòd si isti uiri egerunt hoc ad solius fortitudinis ostentationem, cùm se graui periculo opponerent, videbantur peccare, si autem facerent, ut complacerent regi suo, non erat actus tam culpabilis. Sed adhuc non est ista plena excusatio, quia aut isti uiri putabant, quòd se exponebant magno periculo, de quo uix possent exire, aut putabant sibi esse leue pugnare contra illum exercitum: si primo modo, peccabant exponendo se periculo, ut complacerent Dauid: si secundo modo, non peccabant, & sic est uerisimile, quòd isti tres uiri non putauerunt esse difficile sibi pugnare contra illum exercitum, quia quilibet eorum, eriam minus fortis, pugnauerat solus contra unum exercitum, & fugauerat eum: ut patet de Eleazaro, & de Semma supra in litera. Et isti erant duo minores in robore. Iesboam autem erat fortissimus, ideo a fortiori omnes tres possent faciliter pugnare contra exercitum Philisthinorum, ideo non putauerunt ꝙ se exponebant periculo magno faciendo hoc, & consequenter non peccarent.

An interpretatio Hebræorum circa hæc sit bona. Quæst. XXII.

QVAERETVR vlterius, an stet positio Hebræorum circa hoc. Respondendum, quòd Rab. Da. Kimhi dicit, quòd habebat Dauid malas aquas in castro, ideo concupiuit de aqua, quæ erat in cisterna Bethlehem. Istud autem est rationabiliter dictum, & tamen præsupponit, quòd Dauid erat in præsidio, quod est in terra Moab. Et hoc falsum est, quia erat in Ierusalem, vt dictum fuit. Alij autem Hebræi dicunt, quòd Dauid non misit in Bethlehem pro aquis, sed pro solutione cuiusdam quæstionis. Dicunt enim quòd erant sapientes in Bethlehem, & ipse misit illuc istos tres viros, vt inquirerent ab eis, an Dauid posset comburere quandam segetem Israelitarum, vt cremaret Philisthinos latentes in segete, vel erat quæstio, an posset Dauid comedere segetē Israelitarum, & postea soluere Dominis suis: & respō derunt sapientes Bethlehem, quòd non poterat hoc Dauid. Sed ista sunt valde ridicula tam in se quam in eis, quæ præsupponunt: ideo non oportet argui contra illa. habent autem motiuum Iudæi ad hanc quæstionem, quia supra dicitur, quòd Semma defendit agrum plenum lente à facie Philisthinorum. *At ille noluit bibere.* Ideſt, quando Dauid vidit illam aquam, quam portauerant viri per tantum periculum, noluit bibere de illa.

An Dauid peccasset bibendo illam aquam. Quæst. XXIII.

QVAERETVR, an Dauid peccasset, si bibisset de illa aqua. Respondendum, quòd non, quia si Dauid misisset illos viros, vt ducerent aquam peccabat, quia exponebat eos periculo grauissimo pro sola delectatione gustus: postquam tamen ipsi aquam sine periculo portauerunt, non erat aliquod peccatum, quòd illam biberet, & maximè quia vt dictum est Dauid non iusserat istis, vt portarent aquam, nec fuit conscius huius rei, nisi cum iam aqua portata erat: ideo non peccabat magis bibendo de illa, quàm de qualibet alia: noluit tamen Dauid bibere de illa propter tria. Primò, quia voluit sibi inferre quandam abstinentiam auferendo desiderium suum, quòd habita aqua non biberet de illa, & hoc quia aliquādo peccauerat vtendo delectabilibus illicitis: ideo nunc voluit etiam à licitis delectabilibus abstinere per modum cuiusdam satisfactionis, sic ait Greg. in Moralibus, scilicet, Cogitandum est, vt qui illicita commisit, à quibusdam etiam licitis abstineat, vt per hæc conditori suo satisfaciat, vt qui commisit prohibita, abstineat etiam à sibi concessis, & se reprehendat in minimis, qui se meminit peccasse in maximis: lex veteris testamenti vxorem alienam concupiscere prohibet, regem verò fortia iubere militibus, vel desiderare aquam non penaliter prohibet. Dauid verò vxorem alienam cōcupiuit, & abstulit, cuius culpam digna verba sunt secuta, & malum quod perpetrauit per pœnitentiæ lamenta correxit, cum longe post contra hostium cuneos sedit, aquam ex eorum cisterna desiderauit, cuius electi milites inter castras hostium irrumpentes, aquam quam desiderauerat illæsi pertulerunt, sed vir eruditus flagellis, se protinus cum periculo militum aquam desiderasse reprehendit: eamque fundens Domino libauit, in sacrificium Domini effusa aqua conuersa est, quia culpam concupiscentiæ mactauit per pœnitentiam suæ reprehensionis. Qui enim alienam concupiscere vxorem non timuit, postea aquam, quam concupiuit, ex-

pauit. Secunda cā est ad honorem Dei: voluit.n. Dauid honorare Deū, qui valde honoratur cū ea, q̄ nobis grat issima sunt ei offerimus, erat aūt gratissimum Dauid bibere aquā de Bethlehē, quā iā habebat, ideo in reuerentiā Dei voluit se priuare hoc desiderio fundendo aquā corā Deo. Tertia cā fuit, quia ēt Dauid voluit istos viros honorare: nā si ipse bibisset aquā, q̄ illi cum tanto periculo portauerunt, videretur parui-pendere corū laborē. s. ꝙ ipse biberet quasi nihil id, p quo viri illi aīas suas posuerant: voluit igitur effundere aquam istam in rem magnam. s. libando eā corā Domino. Quarta cā addi pōt. s. quia visum est quasi irrōnabile, & contra conscientiam, ꝙ biberet illam: nā si ipse misisset pro illa per tanta pericula, peccasset: ita cū tantis periculis portatam si biberet, videretur consentire, quòd ipsi iussent pro aqua illa, vt Dauid biberet, & hoc erat consentire peccato: ideo noluit, ne videretur reus sanguinis virorum, qui morti expositus est: & hoc significat litera sequens: scilicet. Propitius sit mihi Dominus, ne faciam rem hanc eum sanguinem hominum istorum, qui profecti sunt, & animarum periculum bibam, quasi dicat, illicitum est.

An Dauid peccauit desiderando aquam de cisterna Bethlehē. Quæst. XXIIII.

QVAERETVR vlterius, an Dauid peccauit desiderando aquam de cisterna Bethlehem. Aliquis dicet, ꝙ sic: quia Greg. dicit, & habetur in auctoritate supra allegata. s. vir eruditus flagellis, se protinus cum periculo militum aquā desiderasse reprehendit, si tamen non peccasset desiderando non reprehenderet se, ergo peccauit. Respondendum, quòd Dauid non peccauit desiderando istā aquam: nam desiderare solùm aquā de cisterna Bethlehem non erat peccatum, quia illa aqua non erat aliquid malum secundùm se, nec erat aliquid simpliciter prohibitum. Quòd ēt Dauid exprimeret se desiderare illam aquam, non erat peccatum, dumtamen ipse non iuberet aliquibus ire pro illa cū tanto periculo, vel ēt non diceret hoc ad innuendum, ꝙ valde desiderabat eam, & vt aliqui mouerent ad eundū p illa, ꝙ tunc parū differebat iubere alicui ire p illa, vel indirecte suadere. Dicendū igitur, ꝙ Dauid desiderabat istā aquā valde, & satis putabat esse impossibile, ꝙ illā pro tunc haberet, expressit tū desiderium suum, quia solent homines consolari exponendo desideria sua, vel angustias alijs, ēt si remediū in hoc non recipiāt, & non attendit Dauid, ꝙ aliquis iret in Bethlehem, vt compleret desiderium eius, quia satis putabat, ꝙ nullus illuc ire auderet per tanta pericula. Ad rationem ex auctoritate Gregorij dicendum quòd Dauid reprehendit se desiderasse aquam cum periculo militum, non ꝙ ipse iusserit eam duci cum periculo militum, vel desiderauit eam duci modo quo milites periclitarentur, sed postquam aqua ducta est, sciuit ꝙ ducta fuerat cum magno periculo militum, ideo tunc reprehendit se, si desideraret eam bibere cum tanto periculo militum, ideo non bibit, sed ante hoc non desiderauerat illam sic duci, nec de hoc dolet. Et patet hoc, quia Greg. nihil aliud vult dicere, nisi quòd litera ait, scilicet, propitius sit mihi Dominus, ne faciā hoc, ideſt, absit à me, quòd faciam hoc. Et ista est reprehensio, & non est de præterito, sed de futuro, vt patet immediatè. s. num sanguinem hominum istorū, & periculum animarum bibam, & sic non peccauit desiderando aquam, quia per hoc non exposuit aliquē periculo, nec exponere intendit. *Sed libauit illam Domino.* Ideſt, obtulit aquam istam in sacrificium corā Domino, istud fecit ex causis supradictis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Aqua quomodo poteſt libari Domino. Quæſt. XXV.

QVAERETVR quomodo aqua poterat libari Domino, quia ipſa non pertinet ad aliqđ genus ſacrificij, ſ. quia nec holocauſtum, nec hoſtia pacifica, nec hoſtia pro peccato iubebatur habere aquam : vt patet Leui.1.3.4. & 6. & ibi declaratum eſt. Rſidendū eſt, ꝙ aqua non imponebatur in lege tanq̄ aliquod ſacrificium, quia ſacrificia fiebant de carnibus: vt patet prælleg. c. nec etiam iubebatur poni pro libamentis. Pro quo ſciendū, ꝙ cum ſacrificijs carnium, quæ erant tanq̄ principalia offerebantur quædam velut acceſſoria, quæ vocantur in lege libamenta, & iſta erant quinque. ſ. farina delicata, q̄ vocatur ſimila, & vinum, & oleum, thus, & ſal. Prima tria ponebantur ſub certa menſura in ſacrificiis, & ſecūdū differentiam animalium quæ offerebantur, erat plus, vel minus de libamento, vt patet Nume.15. alia duo-ſ. thus, & ſal non imponebantur in menſura certa, ſed ex voluntate offerentis. De his Leui.2. In his autem non iubebatur poni aqua, & ſic ſecundùm legē non erat aqua ad aliquem vſum ſacrificiorum. Dicūt tñ aliqui Hebræi, ꝙ vinum poſitum in libamentis miſcebatur aqua, & ſic interueniebat ibi aqua tanquam libamentum, ſed iſtud non eſt ſatis veriſimile. Et de illo declaratum eſt Num.15. & 28. Hoc autē modo volunt, ꝙ Dauid iſtam aquam libauerit Domino. ſ. miſcendo eam vino, quod in libamento ſacrificij offerebat. Sed dicendum eſt, ꝙ Dauid libauit iſtam aquam, .ſ. fundendo illam coram Dño intra locum, in quo erat arca. nam erat Dauid tunc in Ieruſalem, vbi erat arca, & introiuit in domum illam: effuditque aquam coram arca in reuerentiam Dei, & iſtud erat libare aquam Domino. Simile patet præc. lib. c.7. cùm dicitur, ꝙ conuenerunt Iſraelitæ in Maſphat hauſeruntq; aquam, & effuderunt in conſpectu Domini, & illud erat ibi tanquam ſacrificium acceptabile, & in ſignū pœnitentiæ, vt patet ex litera. hoc tenet Greg. in Moralib. in auctoritate ſupra allegata. f. fundenſq; aquam libauit eam Domino, & in ſacrificium Domini aqua effuſa conuerſa eſt : ergo non fuit mixta vino. *Dicens propitius ſit mihi Dominus ne faciam hoc.* In Hebræo hr. *Abſit à me, quòd faciam hoc.* Et idem eſt : ſed manifeſtius in Hebræo. Et dr propitius ſit mihi Dñs, ne faciā hoc. i. ita ſit mihi Dñs propitius, ꝙ ego non faciā hoc, & eſt modus iurandi. Vel aliter: oro ꝙ Deus ſit mihi propitius inclinando me ad hoc, ꝙ non faciam hoc, quia malum eſt: ſed primus ſenſus eſt melior. *Num ſanguinem hominum iſtorum, qui profecti ſunt, & animarum periculum bibam?* Quaſi dicat, ſi ego biberē iſtam aquā, biberem ſanguinem iſtorum virorū. ſ. quia ipſi expoſuerunt ſanguinē ſuum, & biberē periculū aīarum. ſ. quia expoſuerunt aīas ſuas. i. vitam periculo, vt portarent aquā mihi: ſed iniuſtum eſt, & crudele, ꝙ ego rē tanri precij bibam, ſed potius Deo res tam precioſa offerenda eſt. *Noluit ergo bibere.* Iſtud ponitur hic ad laudem Dauid, quia valde fuit laudabilis, ꝙ deſideriū ſuum à ſe abdicauit, & Domino rem tam precioſam obtulit. Quidam tñ volunt, ꝙ Dauid ſolùm abſtinuit ab iſta aqua, vt nòn peccaret, quia ſi bibiſſet illam peccaſſet, eo ꝙ bibebat ex magno deſiderio: ſic.n. vr tenere Aug. ſuper Canonicam Ioan. & habetur in Decretis. 41. diſt. c. delitiæ. ſ. Delitiæ quælibet ſi abſque deſiderio percipiantur non officiunt, & viles cibi appetente accepti impediunt perfectum abſtinentiæ. Dauid enim aquam concupitam effudit, & Elias carnem comedit. Sed dicendū, ꝙ non obſtat iſta auctoritas Augn. quia illa intelligitur, qñ quis ardenter iuhiat ad aliquem cibum etiam turpē, quia iſtud vr prouenire ex deordinato deſiderio: ſed illud ſemper in culpa eſt. Duid autem deſiderauit aquam Bethlehem: quia illa erat excellens inter oēs aquas, ēt quia erat ſibi ualde grata, eo ꝙ erat de loco ſuæ originis : nec etiam Dauid omiſit illam bibere pp cauſam, quā exprimit Augu. ſ. quia deſiderauerat eam: ſed quia ducta fuerat cū periculo virorum, vt patet in litera. In Hebræo habetur. *Num ſanguinem virorum ambulantium in animabus ſuis bibam?* Quaſi dicat, non faciā, & idē eſt quod litera noſtra: ſed magis declarat litera noſtra. ſ. ſanguinē uiroū ambulantium in aīabus ſuis. i. in periculo animarum, & accipitur anima pro vita. *Hęc fecerunt tres robuſtiſſimi.* Ideſt, iſtam aquam portauerunt tres viri robuſtiſſimi, ſcilicet, tres de primo ternario, Iesboam, Eleazar, Semma. Nam alij non vocabantur robuſtiſſimi. *Abiſai quoque.* Hic ponitur ſecundus ternarius virorum fortiū, qui ſunt ſub primis tribus non peruenientes ad robur illorum. *Abiſai quoque frater Ioab filius Saruiæ princeps erat de tribus.* Iſte Abiſai erat primus in ſecundo ternario, & dicitur, quòd erat princeps de tribus, ideſt inter tres, quod patet ex robore ſuo, & tamen iſte vocatur primo Paralip. 12. Princeps inter 30. Dicendum ſicut fuit ſupra declaratum, quòd quilibet de iſtis duobus ternarijs vocatur princeps inter 30. non ꝙ eſſet de numero 30. qui erāt inferiores in gradu fortitudinis: ſed erat princeps reſpectu illorum, eo ꝙ erat fortior: ſic patet de Iesboam qui fuit primus inter omnes fortes, & ramen ipſe vocatur princeps inter 30. primo Paralipom. 11. *Ipſe eſt qui leuauit haſtam ſuam contra trecentos, quos interfecit.* Iſta eſt probitas Abiſai. ſ. ꝙ ipſe pugnauit ſemel ſolus contra trecentos uiros, & occidit omnes. Quamquam enim iſte fuerit vir robuſtus valde, tamen adhuc non ponitur in primo ordine trium, quia illorum erant opera magis fortia. *Nominatus in tribus.* Ideſt, in tribus de ſecundo ordine. alioquin nō ſtaret litera, quia dicitur immediatè, ꝙ vſque ad tres primos non peruenit. *Et inter tres nobilior.* ſ. inter tres de ſecundo ordine, quia licèt alij fecerint geſta magnifica, tamen non peruenerunt ad Abiſai, eo ꝙ ipſe occidit quendam gigantem Iesbibenob. ſup. 12, ēt pugnauit ꝺ trecentos uiros, & occidit illos, vt patet hic. Banaias autem, qui erat alius de iſtis tribus occidit gigantē, tñ non pugnauit aliqñ ſolus ꝺ trecentos uiros, ſicut Abiſai. Etiam alij duo, qui ſecundùm alios aſſignantur de iſto ſecundo ternario non peruenerūt ad Abiſai, quia illi ſolùm occiderunt gigantes. ſ. quilibet vnū gigantē. ſup. 21. & tñ nō peruenerunt ad pugnādum cum multis viris ſimul. *Eratque eorum princeps.* Ideſt, Abiſai erat princeps in iſto ſecundo ternario. *Sed vſque ad tres primos non peruenerat.* ſ. vſque ad tres de primo ternario. ſ. Iesboam, Eleazar, & Semma : quia quilibet illorum pugnauit contra plures viros, quam Abiſai: nam Iesboam occidit octingentos vno impetu, vt patet in litera, & Ioſephus dicit, quòd ſæpe in vno conflictu occidit nongentos viros. Eleazar autē ſolus fugauit totum exercitum Philiſthinorum, & occidit plurimos. Semma quoque alium exercitum Philiſthinorum ſuſtinuit, & defendit agrum, quem volebant comburere Philiſthini : fugauitque eos, ſicut patet in litera. Abiſai autem nunquam pugnauit contra tot contra unum exercitum totum, ſed ſolùm contra trecentos viros: ideo non peruenit ad tres viros primos.

Hiſtoria iſtorum virorum ſecundi ordinis quare non ponitur hic. Quæſt. XXVI.

QVAERETVR quare nō ponitur hic de viris ſecundi ordinis hiſtoria, ſicut ponitur de viris primi ternarij. Rſidendū ꝙ hic, & 1. Paral. 11. ponuntur ſolū duo uiri in iſto ordine. ſ. Abiſai, & Banaias, & de vtroque horum ponuntur geſta, ſaltem aliqua. Nam de Abiſai ponitur, ꝙ pugnauerit contra trecentos viros, & occiderit eos, ſubticetur tñ qūo occiderit Iesbibenob gigantem, de quo ſupra 21. de Banaia autem exprimuntur hic aliqua opera magnifica, ſed tertius iſtius ordinis non ponitur hic, & ille fuit Ionathan filius Semma fratris Dauid, qui interfecit gigantem 24. digitorum: uel fuit Sobochai, qui occidit gigantem nomine Saph de ſtirpe Arapha. ſup. 21. & non ponitur hic ille tertius, uel quæ fuerint opera eius, eo ꝙ ſup. 21. poſita ſunt. Simile eſt de Abiſai: nam ipſe occidit gigantem Iesbibenob, quia tamen ſupra 21. dictum fuerat de hoc, non repetitum fuit hic: ſed ſolùm dictum eſt quomodo pugnauit contra trecentos, & fortè ſi omnia geſta Abiſai tacta fuiſſent ſup. 21. non fuiſſent hic repetita. Alij dicunt, ꝙ non fuerit Banaias de his tribus, ſed ꝙ Abiſai fuerit primus, & Sobochai, & Ionathan fuerint alij duo, & illi habent geſta ſua ſupra 21. ideo non reputantur hic, ſed iam dictum eſt ſecundùm poſitionem communem, ꝙ cum hic ſint 37. in ſumma, & ponantur 30. ſimul, & duo ternarij per ſe, & in ſecundo illorum ternariorum ſolùm ponuntur duo uiri, oportet ſuppleri alios duos ſiue ponatur Banaias de ternario ſiue non, & illi ſunt Subochai, & Ionathan filius Semma fratris Dauid. Aliter autem dici poſſet, ꝙ omnes iſti 37. ponuntur in litera computando Iesboan, Eleazar, Semma de primo ternario, & Abiſai, & Banaiam, qui ſunt de ſecundo, & cum illis Aſael, qui ponitur tanquam primus de 30. & tunc manent 31. præter Aſaelem, in litera ſic colligitur ſi computemus ab Aſael uſque ad finem cap. quia non ſunt 30. ſolùm, ut aliqui putant, ſed 32. ut patet computando hic & primo Paralipom. 11. *Et Banaias filius Ioiadæ.* Iſte eſt ſecundus in ſecundo ternario. *Viri fortiſſimi magnorum operum.* Ideſt, Ioiadā pater Banaiæ erat uir fortiſſimus magnorum operū, ideſt, mirabilium, ſcilicet, ꝙ ipſe fecerat magnifica in bellis, & ſic Banaias erat vir fortis, ſicut pater ſuus, & ob hoc tangitur de fortitudine patris. *De Cabſeel.* Ideſt, pater Banaiæ erat de Cabſeel. eſt enim Cabſeel quædam ciuitas in ſorte Iudæ, & ipſa eſt, quæ ponitur prima inter omnes ciuitates eiuſdem ſortis, vt patet Ioſue. 15. Aliqui putant, quòd pater Banaiæ vocatur vir magnorum operum, ideſt, multarum diuitiarum, ſic exponunt Hebræi. Sed non ſic intelligitur, quia primo Paralipom. 11. dicitur, Banaias filius viri robuſtiſſimi, qui multa opera perpetrauerat, & tamen iſtud ſignificat geſta bellica, & nō poſſeſſionem magnam. *Ipſe percuſſit duos leones Moab.* Iſtud ponitur tanquam excellens opus Banaię, & iſti, qui uocantur hic leones, uocantur Ariel. primo Paralip. 11. Ratio huius eſt, quia hic vbi nos dicimus leones, habetur in Hebræo Arieli, cuius ſingulare eſt Ariel, & ſignificat leonem. Aliqui tamen Hebræi accipiebant pro nomine proprio: ideo tranſtulit litera noſtra ſub dubio vocans hic leones, & ibi Ariel. Dicitur autem communiter ab Hebræis, & Latinis docto ribus, quòd iſti fuerunt duo milites terræ Moab, & vocabantur leones propter fortitudinem, ſic tenet Hiſtoria ſcho. Glo. ordinaria. Andreas, & Nicolaus : ſed magis videtur dicendum, quòd Banaias occiderit duos leones in terra Moab, cùm nihil eſt, quòd cogat nos hic conuertere ſenſum literalem in metaphorā. *Et ipſe deſcendit, & percuſſit leonem in media ciſterna in die nuis.* Iſtud etiam eſt aliud opus magnificum Banaiæ, ſcilicet, quòd occidit unum leonem in quadam ciſterna tempore niuis. Aliqui dicunt, quòd nominatur hic tempus niuis ad gloriam uictoriæ Banaię: quia leones ſunt fortiores tempore niuis. Sed hoc non ſtat, quia manifeſtum eſt leones tunc non magis ui-

gere, quàm alio tempore, ſed potius è contrariò. ſed dicitur in diebus niuis ad ſignandum, quomodo potuit eſſe leo in ciſterna, quia non conſueuerunt ibi eſſe leones, propter niuem tamen erat ibi leo caſu, quia ciſterna erat operta niue, & videbatur terra plana, leo autem neſciens tranſiuit, & incidit in eam. ſic ait Ioſephus 7. antiquitatum. Scilicet. Leo fuit in profunda ciſterna tempore hyemis niuis aggere coæquata. In hac leo inſcius decidit, & concluſus grandi rugitu clamauit. Banaias verò, qui cum cæteris ad ſpectaculum venit, in ciſternam deſilijt, & leonem interfecit.

An Banaias peccauerit pugnando contra leonem: & an expoſitio Hebræorum poſſit ſtare. Quæſt. XXVII.

QVAERITVR, an peccauerit Banaias pugnando contra leonem. Aliquis dicet, quòd non, quia ſcriptura laudat hic Banaiam, ſi tamen peccaſſet pugnando contra leonē, non laudaretur: quia ſcriptura ſacra non laudat iniquos. Reſpondendum eſt, quòd aut Banaias pugnauit defendendo ſe à leone: vtpote, quia ipſe incidit in ciſternam ſicut leo, & ibi oportuit, quòd defenderet ſe ab ipſo vel moreretur, & tunc laudabilis erat valde Banaias pugnando contra beſtiam. Si autem ipſe aggreſſus eſt leonem aliàs non coactus defendere ſe ab illo, aut egit hoc propter aliquam vtilitatem, vtpote quia aliàs non poterat leo expelli de loco illo, vel quia nociturus erat, niſi ſic occideretur, vel egit hoc Banaias ad oſtentandam fortitudinem. Si primo modo non peccabat Banaias, dumtamen confideret ſibi ineſſe fortitudinem ad pugnandum cum leone, aliàs peccaret. ſic patet de Dauid, qui pugnauit ſæpe contra vrſos, & leones, occiditque eos, eo quòd capiebant aliqua pecora de gregibus ſuis. præced. lib. c.17. Si autem Banaias egit hoc ſolùm ad oſtendendum fortitudinem, peccaret: quia exponebat ſe graui periculo ſine cauſa: immo iſti pugnantes cum beſtijs ſecundùm leges humanas ſunt infames, & vocantur arenarij, & poſſunt exhæredari, ſi non iubentibus patribus ſe immiſceant huic officio. De Banaia autem non apparet in quo modo horum egerit: ideo nō poteſt conſtare, an peccauerit, & tamen ſecundùm ꝙ ponit Ioſephus, ſcilicet, quòd Banaias deſcenderit in ciſterna, in qua erat leo alijs videntibus, peccauit: quia ſolùm faciebat ad oſtentationem gloriæ. Ad rationē in contrarium dicendum, quòd quamquam ſcriptura laudet hic Banaiam, non ſequitur quòd non peccauerit in hoc facto, quia non laudatur hic tanquam bonus, ſed tanquam robuſtus, & ſic iſtud opus erat admirandum, quamquam cum peccato fieret. de omnibus autem alijs, qui laudantur hic idem eſt, quia nō laudantur vt boni, ſed vt robuſti.

Qualis ſit expoſitio Hebræorum de pugna Banaię cum leone. Quæſt. XXVIII.

QVAERETVR hic de expōne Hebræorum circa iſtū leonē, an ſit vera. Pro quo ſciendū ꝙ multi de Hebræis, & ēt de Latinis exponunt iſtud de occiſione Ioab mādato Salomonis, ſeq. li. c. 2. & dr, ꝙ iſte leo erat Ioab, qui erat in medio ciſternæ. i. in ſanctuario: nam ipſe apud cornua altaris occiſus eſt, alleg. c. vocatur aūt ſanctuarium ciſterna, quia ſicut aqua ciſternæ mundat, & abluit ſordes, ita ſanctuarium Dñi abluit peccata: iſtam expoſitionē ponit Glo. ordin. ex auctoritate Hebræorū. Idē tenet Andreas, idem ēt aliqualiter refert hiſtoria ſchola. Sed iſta expoſitio non ſtat. Primò, quia iſtud accidit

Universidad de Deusto
Biblioteca

tempore Salomonis.seq.lib. c.2. Banaias autem habitus fuit tanq̃ vnus de fortibus tpe Dauid : vt patet hic in litera,ergo oportet, ꝙ fecerit tpe Dauid id, pp qđ vocaretur fortis tpe suo.Item non ſtat, qa iſta expoſitio eſt multum methaphorica, ſcriptura tamen referens hiſtorias non vtitur his metaphoris,ideo oportet reduci ad ſenſum literalem. Itē applicatur ad propoſitum iſta metaphora:quia dr̃ hic,ꝙ occidit eum in diebus niuis, & tamen ipſi non applicant iſtam particulā ad hiſtoriam Ioab. Itē patet hoc auctoritate Ioſephi, qui vult iſtum fuiſſe uerum leonem ponens qūo occiſus fuerit, & ceciderit in ciſternam. Itē non ſtat, qa iſtud ponitur hic tanq̃ geſtum magnificū Banaiæ; & tamen ꝙ ipſe occiderit Ioab non fuit opus fortitudinis,quia Ioab inermis confugerat ad cornua altaris,& dixit ei Banaias,ꝙ exiret de tēplo, noluitq; Ioab dicēs, hic moriar.ſeq.lib.c.2.Et tunc iuſſu Salomonis Banaias occidit eum,quem faciliter occidere poterat: quia Ioab non ſe defendebat cùm eſſet inermis, ſed tenebat cornua altaris. Non ergo poneretur hic pro opere magnifico, & tamen ponitur, ergo non fuit Ioab, ſed aliquis verus leo, & iſta eſt rō efficaciſſima. *Ipſe quoque interfecit virum Aegyptium.* Iſtud eſt aliud opus magnificum Banaiæ. ſ. quia occidit quendam virum Aegyptium gigantem. *Virum dignum ſpectaculo.* i. iſte vir erat tantæ magnitudinis, ꝙ erat dignus ſpectaculo ,i.vt venirent homines ad videndum eum tanquam aliquid mirandum. Quod patet 1.Paralip. 11. cū dr̃: virum Aegyptium quinq; cubitorū. & in hoc valde excedebat alios hoīes: ſed maior erat Goliath, quem occidit Dauid.ſ.ſex cubitorum, & palmi.p̃ce. li. c.17. In Hebræo hr̃. *Virum viſus.* i. virum dignum viſu, & iſtud eſt eſſe dignum ſpectaculo.*Habentem in manu haſtam.* Dr̃ hoc ad laudem Banaiæ: quia q̃q̃ iſte eſſet gigas, & haberet lanceam in manu,Banaias habens ſolum virgam extorſit lanceam de manu illius,& occidit eum. *Itaque cùm deſcendiſſet ad eum in virga.* Ideſt, Banaias deſcendit ad virum Aegyptium ad locū ſpectaculi,quia fortè Aegyptius ſpectabat ſingulare certamen tenens lanceam in manu, & Banaias deſcendit ad eum ſolus habens vnam virgam, & iſtud fuit ad improperium Aegyptij habentis lanceam. *Vi extorſit haſtam de manu Aegyptij, & occidit eum haſta ſua.* Ideſt,præ robore extorſit Banaias lanceam de manu Aegyptij,& occidit eum haſta ſua, ſcilicet, quia non habebat Banaias aliquid, quo eum occideret: ſic Dauid occidit Goliath enſe ſuo. præceden.lib.c.17. quia Dauid non habebat gladium,ſed ſolùm fundam.

Vir Aegyptius quem occidit Banaias quis fuerit. Q. XXIX.

QVAERETVR de expoſitione Hebræorū circa hoc.In quo ſciendum, quòd quidam Hebræi,& Hiero. in lib. de quæſtionibus Hebraicis dicunt, quòd iſte uir Aegyptius fuerit Semei,qui maledixit Dauid, & hunc occidit Banaias iuſſu Salomonis.ſeq.lib.c.2.& exponunt ſic,ꝙ Semei vocatur uir Aegyptius, quia imitatus eſt uirum Aegyptium,qui maledixit Deo in caſtris. Leui.24. Vocabatur autem uir dignus ſpectaculo: quia ſemper aſpiciebatur ſuper eum an exiret de Ieruſalem : nam Salomon iuſſerat ei, ꝙ non exiret de Ieruſalem tranſiens torrentem Cedron,alioquin occideretur,ſequ.lib.c.2. Dicebatur habere haſtam in manu.i.legem. ſ. quia erat peritus in lege. Banaias aūt habebat in manu virgam.i.iuſtitiam,& uadens ad Semei extorſit de manu eius haſtam, i.legem, quia præuaricatus fuerat mandatum regis,& tamen ſi Semei bene cuſtodiuiſſet legem,& mandatum regis,non fuiſſet occiſus. Sic expo nit Hier.vbi ſup,& Gl.ord.hic & ſuper 1. Paral. ca.11.

Sed iſta expoſitio non ſtat. Primò quia iſta eſt hiſtoria de geſtis uirorum fortium,ſi tamen ſic exponatur nō eſt litera hiſtorica,ſed metaphorica. non tamen conſueuit ſcriptura ponere metaphoras, ubi agitur de hiſtoriis. Item non ſtat, quia dato,ꝙ uellemus ponere metaphoricè,non coaptantur partes iſtius metaphoræ ad ea,quæ narrantur de Semei.Item non ſtat, quia iſtud ponitur hic ad probandū,ꝙ erat Banaias de uiris fortibus Dauid, ad quod oportebat, ꝙ feciſſet aliqua opera fortia tpe Dauid. Iſtud tamen de Semei fuit tē pore Salomonis.ſeq.lib. c.2. Ideo non poteſt intelligi de Semei. Item dr̃ hic, ꝙ erat vir dignus ſpectaculo; quia iſtud neceſſariò ſignificat aliquem uirum valde excellentem,qui pp excellentiam ſuam dignus eſt uideri, & tamen non erat ſic Semei, maximè quia hoc applicatur ad eum prout ipſe obſeruabatur, ſi exiret de Ieruſalem:nam tunc non diceretur dignus ſpectaculo, ſed vir, qui ſpectabatur.Item ponitur iſtud tanq̃ magnificum geſtum. Qđ patet, quia dr̃ immediatè hęc fecit Banaias,uerum tamen uſque ad tres nō peruenerat: & tamen ſi intelligatur de Semei, non fuit opus magnificū,quia Semei non ſe defendit:nec erat uir fortis,ſed iuſſit Salomon Banaiæ, ꝙ occideret Semei tanq̃ miniſter iuſtitiæ,ſeq.lib.c.2.oportet ergo,ꝙ intelligatur de aliquo alio,ad hoc,ꝙ ſit iſtud opus magnificum.Item patet,quia 1.Paralip.11. dr̃, ꝙ Banaias occidit uirum Aegyptiū cuius ſtatura erat quinq; cubitorum, & tamen Semei non erat aliquis uir magnæ ſtaturæ nec laudandus in fortitudine, ideo oportet, ꝙ eſſet alius.Itē dr̃,ꝙ ille uir Aegyptius tenebat haſtam, quaſi liciatorium texentium. 1.Paral.11. Et iſtud erat opus magnæ fortitudinis. Semei tamen non erat uir fortis,ſed potius uir miſerabilis cordis,quia ipſe egreſſus eſt ad maledicendū Dauid fugientem à facie Abſalom,& iaciebat lapides,& puluerem ꝏ eum. iſta tamen ſunt facta puerilia, uel muliebria, ideo non erat Semei fortis,ſed miſerabilis. Patet etiam, ꝙ Abiſai uperauit eum tanq̃ uirum parui ualoris,& roboris,di cens:cur iſte canis morituras maledicit Domino noſtro regi?ſup.16.Cùm autem obiicitur, ꝙ Hieron.net hoc in libro de Hebraicis quæſtionibus.Dicendū, ꝙ ille liber non eſt Hieronymi, vt multi uolunt, ſed magis ſit cuiuſdam Hebræi : quia ibi ſunt multa alia, de quibus non eſt ueriſimile, ꝙ illa dixerit Hieron. cū ſint ualde irrationabilia: potiſſimè, quia non ponitur inter libros Hieron. in lib. illuſtrium uirorum, cùm ibi ſolùm fiat mentio eum feciſſe librum Hebraicarum quæſtionum ſuper Gen. & hoc tenet Nico. Vel aliter poteſt dici,ꝙ ille liber ſit Hieronymi, & ipſe ponat illam expobtionem,non tanq̃ ſuam,ſed tanq̃ Hebræorum,ſicut refert illā Glo. ord. Sic etiam mos eſt multis doctoribus tam Theologis, quàm Iuriſtis referre multas expoſitiones, & opiniones, & non dicere quæ eſt ſua,uel quę aliorum. Dicendum,ergo ꝙ eſt intelligenda litera,ut iacet,ſicut fuit ſupra expoſitum.

Banaias cum eſſet Sacerdos cur pollutus eſt occidendo Semei, & Ioab. Quæſt. XXX.

QVAERIT Ra.Da.Canhi de Banaia ſequ.lib. cap.2.quomodo cùm eſſet Sacerdos polluitus eſt occidendo Semei,& Ioab:quia hoc non licebat Sacerdotibus. Reſpondet, quòd illud intelligitur, quando ſponte polluebantur Sacerdotes, cùm tamen ex neceſſitate polluerentur, non imputabatur eis,& ſic fuit hic, quia Salomon mandauit ei occidere Ioab, & Semei, præceptum aūt regis inducit neceſſitatem. Sed quæſtio iſta, & reſpōſio nō ſtant. De qōne patet, qa ipſa fundat ſe ſup quodā falſo.ſ.ꝙ fuerit Banaias Sacerdos : ſed hoc non apparet, fulcimentū aūt ſuū vr̃,quia pr̃ Banaiæ erat Ioiada

Ioiada erat ſummus Sacerdos,vt patet infra 4.lib.cap. 11.& 12.Ergo etiam Banaias, quia filij Sacerdotū neceſſariò erant Sacerdotes.Sed falſum eſt hoc, quia ille Ioiada fuit poſtea p̃ multa tpa, & inter eum & iſtū Ioiadā trāſierunt fere oēs reges Iuda,cùm Ioiada fuerit tpe regis Ioas:vt patet alleg.c.Item patet,ꝙ nō fuerit Sacerdos, quia dicitur, ꝙ erat ille vir pater Banaiæ de Cabſeel, & tamen Cabſeel non erat ciuitas Sacerdotalis:ergo Ioiada, qui erat de illa nō erat Sacerdos. Patet hoc,quia inter Hebræos non vagabantur hoīes ſicut inter nos, ſed quilibet manebat in vrbe, de qua fuerant maiores ſui à principio,& nominabatur ab illa vrbe, & hoc vt maneret diſtinctio, & certitudo in tribubus, & familijs, ſicut fuerat à principio, de quo Num.vlt. Cabſeel tamen erat ciuitas in tribu Iuda. Ioſue.15. Et non fuit de illis, quæ datæ ſunt Sacerdotibus : vt patet Ioſue.21. Ergo non erat Banaias Sacerdos,ſed laicus.Item reſponſio non ſtat, quia dicit, ꝙ mandatum regis neceſſitauit Banaiam: nam tūc peccauiſſet occidendo iſtum virum Aegyptium, de quo hic cùm rex non iuſſerit ei. Item non ſtat:quia ſi non liceret Banaiæ occidere quemquā, non poſuiſſet eū Salomon in officio occidendi,fecit eum tamen ducē belli ſeq.li.c.4.Et ad ducem maxime pertinet occidere,& imperare occiſionem:ergo non erat talis, cui illicitum eſſet occidere quemquā.Itē non ſtat, quia iſta pollutio quā incurrebant Sacerdotes ſuper mortuo, non erat qñ ipſi occidebant eum, ſed ſolùm quando tangebant eum poſtquam mortuus eſſet,vel ſi irēt ad funera eius,vt patet Leu.21.c.vnde non reperitur Sacerdotibus vetitum pugnare,& occidere in toto vete ri teſtō,ſed vetatur contaminatio in cæremoniis funeris. Item patet hoc, quia Machabæi erant Sacerdotes ſummi: vt patet ex proceſſu primi Machab. & tamen oēs ipſi fuerunt fortiſſimi bellatores, vt patet ex eod. lib.Item Phinees filius Eleazari ſummi Sacerdotis occidit virum,& mulierem coeuntes, & tamen nō polluitus eſt,ſed magis fuit laudatus,& promiſſum ei ſum mum Sacerdotium. Num.25. Matathias quoque pr̃ Machabæorum occidit virum ſacrificantem ſup arā, ex hoc laudatur. 1.Mach.2. Ideo non ſtat qō, nec reſponſio Ra.Da.Kimhi. *Hæc fecit Banaias filius Ioiadæ.* Sicut:Iſta magnifica quæ ſupra narrantur. *Et ipſe nomi- natus inter tres robuſtos.* Ideſt, erat famoſus inter tres robuſtos ſecundi ternarij : nā ad primum ternarium nō peruenit,vt patet in litera. ex hoc patet quod ſupra dicebatur. ſ. ꝙ Banaias erat vnus de ſecundo ternario. *Qui erant inter triginta nobiliores.* Ideſt, iſti tres,de qbus erat Banaias erant nobiliores inter triginta,non quidē ꝙ eſſent de numero eorum, ſed quia erant excellentiores eis,& tanquam principes eorum, vt ſupra declaratum eſt, ſed 1. Paral. 11. dicitur, ꝙ Banaias erat primus inter 30.& eſt intelligendum primus. i.princeps, ſed non erat de numero eorum, alioquin non poſſet eſſe de tribus viris ſecundi ternarij, & tamen litera dicit eum eſſe vnum de tribus. *Verumtamen ad tres non peruenerat.* Iſtud intelligitur de tribus primis viris, qa ad illos non acceſſerunt viri ſecundi ternarij. *Fecitque eum ſibi Dauid auricularium à ſecreto.* i.Dauid fecit, ꝙ Banaias eſſet ſecretarius ſuus.ſ.ꝙ loqueretur ei Dauid in ſecreto ad aurē confidens illi, erat aūt Banaias vir nobilis valde, & dilexerat eū Dauid nimis,vnde fecit eū ſecretarium ſuū, & conſiliarium : qđ paucis cōmittebatur. Nā licèt alij eſſent conſiliarij Dauid : tñ non loquebatur eis ea,quæ occulta eſſe volebat,& iſta cōica bat Banaiæ:ēt quia erat Banaias vir fortis,fecit eū principē ſup Cerethi, & Phelethi. ſup. 8. & 21.Salomon quoq; mortuo Dauid dilexit eū nimis, & fecit illum principē belli,ſicut erat prius Ioab. ſeq. lib.c.4. In Hebræo hr̃. *Poſuit eum Dauid ad vocationem ſuam.* Et idem

eſt.ſ.ꝙ Dauid vocabat eum ad oīa,quæ volebat ſecretè loqui 1.Paral. 11. dr̃. Poſuit eum Dauid ad auriculam ſuam, & idem eſt. *Aſa l frater Ioab.* Hic ponitur tertius ordo virorum fortium, qui erant 30. & iſtorū non narrantur aliqua geſta ſpecialiter 1. Paral. 11. dr̃: porro fortiſſimi viri in exercitu Aſael frater Ioab. i. iſti,qui ſequuntur non ſunt viri, qui habeant aliquas probitates ſpecialiter, ſicut primi, & ſecundi viri, ſed ſolùm erant fortiſſimi in exercitu. i. pugnabant fortiter,qñ erant in exercitu plus,quàm alij viri cōes. Iſte Aſael ponitur primus inter 30. quia ipſe fuit excellentiſſimus in curſu:ita vt poſſet curſu conſequi capreas, ſup.2.Et occiſus fuit ab Abner in principio regni Dauid. *Et Elehanam filius patrui eius de Bethlehem.* Iſte erat ſecundus,& vocatur filius patrui eius.ſ.Aſael: quia Elehanam,& Aſael habebant duos patres, qui erant inter ſe fratres,& erant ambo de Bethlehem. Nā Aſael cùm eſſet de cognatione Dauid.ſ.filius ſororis ſuę Saruię,erat de Bethlehem.Elehanam autem non erat de cognatione Dauid,quia ſolùm attinebat ad Aſaelem ex parte patris. Aſael tamen attinebat ad Dauid ſolùm ex parte matris. *Semma de Harai.* Iſte eſt tertius,& differt ab illo Semma, qui ponitur in primo ternario virorum fortiſſimorum. Nam de illo dicitur, quòd eſt filius Age, & de iſto non ponitur nomen patris. Etiam differunt, quia unus vocatur Ararites, & alius Arodites.Nam hic dicitur Sama de Arari,& debet dici de Harodi,vt patet ex litera Hebraica. Iſte vocatur etiam Semoth, vt patet primo Paralipom. 11. *Elicha de Harodi.* Iſte eſt quartus de fortibus, & non vocatur hoc nomine primo Paralipom.11.*Heles de Phalthi.* Eſt Phalthi nomen loci quamquam aliquando ſit nomē uiri : ſic ille,qui accepit Michol in uxorem vocabatur Phalthi filius Lais.prec.li.c.25.Iſte vocatur Heles Phalonites. 1.Paral.11. *Hira filius Acces de Thecua.* Iſte eſt ſextus de fortibus,& vocatur 1.Paralip.11.Hiras filius Acces Thecuites.Aliqui volunt, quòd iſte ſit ille, de quo habetur ſup.20. ſ.Hiras autem Iorarithes erat Sacerdos Dauid,ſed non eſt,quia ille erat Sacerdos, iſte autem non:ſed computatur in uiris fortibus. Itē aliqs dicet,ꝙ ille vocatur Iorarithes, & iſte Thecuites, & hoc facit eos differre: quamquā Iudæi volunt, ꝙ Iorarithes non ſit nomen loci, ſed ſignificat illuminatorem.Falſum tñ eſt,quia oēs viri fortes,& Sacerdotes, & quicūque alij, quando ſic nominātur, habent ſecū noīa locorū, per quæ cognoſcantur : eſt aūt Thecua, quidam locus in ſorte Iudæ, de quo erat propheta Amos,vt patet Amos primo. *Abiezer de Anathoth.* Iſte eſt ſeptimus fortis, & vocatur in Paralipom. Abiezer Anathothites. Eſt autem Anathoh quidam locus paruus modicum diſtans à Ieruſalem. ſ.tribus milliarius: vt ait Hiero.in prologo Ieremiæ.Fuit autem Ieremias de iſto loco:vt patet Ierem. 31. Et eſt Anathoh in tribu Beniamin:vt patet Ioſue. 21. *Mobonnai de Huſathi.* Iſte vocatur alio nomine primo Paralip. 11. ſ. Sobochai Huſathites, & apparet, ꝙ ſit idem, quia ponitur ibi inter 30.viros fortes,eo loco, & ordine, quo ponitur hic Mobonnai.Etiam vocatur ille Huſathithes:& iſte de Huſathi, quod idem eſt. Aliqui volunt,ꝙ iſte ſit ille Sobochai,qui occidit Saph gigantem de genere Arapha.ſup.21.quod patet,quia ille vocatur de Huſathi, & iſte etiam. Cōiter tamen ille Sobochai ponit̃ inter viros ſecundi ternarij, q̃q̃ non exprimatur ſupra in litera. Fortè tamen iſti rectius dicunt, & tunc erūt expreſſi hic in litera omnes 37.viri fortes, & non ſupplebitur aliquis ab extra,erit tamen nunc ordo tranſmutatus.ſ.quia ille, qui eſt de ſecundo ternario nō cō putatur continuè cum alijs duobus eiuſdem ternarij. *Selmon Aboites.* Iſte vocatur primo Paralipom. 11. Ilai Achoites : & idem eſt quod Aboites : & hoc

Tertius ordo virorum fortium.

Sobochai quis eſſet.

Hiras quis fuerit.

Universidad de Deusto
Biblioteca

patet ex ordine virorum fortium. *Macharai Nethophatites.* Iste vocatur 1. Paral. 11, Marai Nethophatites: nec est hoc mirandum: quia interdum adduntur, vel diminuuntur litteræ, uel syllabæ de dictionibus, *Heled filius Baana, & ipse est Nethophatites.* Iste uocatur 1, Paral. 11, eodem nomine, & dicitur, & ipse est Nethophatites, i. etiam est de Nethophati sicut Macharai, sic erant duo fortes de eodem loco. *Itai filius Ribai de Gebeeth filiorum Beniamin.* Iste uocatur 1. Paral. 11, de Gabaa filiorum Beniamin. Hic tamen ponitur in Hebræo Gedeeth: sed non obstat ista diuersitas, quia utrunq; nomen in Hebræo significat collem, uel uallem secundùm alios. *Banaia Pharathonites.* Hic debet dici Banaia Pharathonites; siue secundùm modum loquēdi Hebraicum parathonites. Quod patet, quia 1. Paralip. 11, uocatur Banaia Pharathonites, *Heddai de torrente Gaas.* In Paralip. non ponitur iste tanquam uir fortis, sed dicitur uiri de torrente Gaas: ubi dicitur hic Heddai, sed necesse est, q̄ ponatur Heddai tamquam uir fortis: qa sic habetur in Hebræo. *Abialbon Arbathites.* Iste uocatur, 1. Paralip. 11. eodem nomine, *Azmaueth de Beromi.* Iste uocatur primo Paralip. 11. Azinaaueth Baurani-tes, *Heliaba de Salaboni.* Iste uocatur 1. Paralip. 11. Heliaba Salabonites. *Filij Iassem Ionathan.* Iste Ionathan erat unus de uiris fortibus, & dicitur, filij Iassem: quia aliqui de istis uiris fortibus erant filij Iassem: sed in Paralip. habetur aliter, scilicet, filij Asēu Iezonithe Ionathan filius Saga Ararithes. *Semma de Orodi.* Iste est alius uir fortis, qui eodem nomine nominatur sicut ille superior, qui erat tertius: & non uocatur isto nomine in 1. Paralip. *Abiam filius Sarar arothites.* Iste uocatur 1. Paralip. 11. Achian filius Sachar Ararithes: sed debet dici hic Sarad, ut patet in Hebræo. *Heliphelet filius Asbai filij Machathi.* Iste est alius fortis, & non hēt idem nomen 1. Paralip. sed uocatur Heliphal filius Vr: dicitur hic filij Machathi, s. quia multi de istis erant filij Machathi. *Eliam Achitophel Gelonites.* Iste erat alius uir fortis filius illius Achitophel qui fuit consiliarius Absalom contra Dauid. supra 16, & 17. & uocatur Gelonites, ideſt, de ciuitate Gilo, quæ erat in sorte Iudę. Iosue. 15. Iste Eliam erat pater Bethsabee, quam accepit sibi Dauid per adulterium, supra 11. Et propter hoc iratus nimis Achitophel conspirauit contra Dauid cum Absalom. Iste Eliam non uocatur sic in Paralip. sed Abia Phelonites. *Hesrai de Carmelo.* Iste uocatur primo Paralip. 11. Asrai Carmelites. *Pharai de Arbi.* Iste uocatur primo Paralip. 11. Noorax filius Adbi. *Igaal filius Nathan de Soba.* Iste vocatur primo Paralip. 11. Ioel super Nathan. *Bonni de Gadi.* Iste vocatur primo Paralipom. 11. Nabar filius Agarai. *Selec de Ammoni.* Iste uocatur primo Paralipom. 11. Selec Ammonites: quia forte erat de terra Ammon: vel erat aliquis locus in Israel, qui vocabatur Ammoni, de quo erat Iste Selec. *Naharai Berothites.* Iste vocatur eodem nomine primo Paralipom. & dicitur Berothites de urbe Beroth, qui est in sorte Beniamin: vt patet Iosue. 18. de ista ciuitate fuerunt duo viri, scilicet, Rechab, & Baana, qui occiderunt Isboseth regem Israel, & tulerunt caput eius ad Dauid, supra quarto. *Armiger Ioab filij Saruiæ.* Secundùm istam literam refertur ad solùm Naharai, de quo immediatè dicitur, quòd ipse fuerit armiger Ioab: & tamen secundùm literam hebraicam dicitur armigeri, & referri debet ad plures le immediatis, scilicet, quòd multi istorum fuerint armigeri eius, & hoc est verius: quia supra 18. dicitur, uòd decem iuuenes armigeri Ioab percutiētes Absolonem interfecerunt eum: sed forte translator noster scripsit armigeri, & vitio librariorum detracta vna litera dicitur armiger, & sic habetur primo Paralipom. 11. *Ira Ietrithes.* Iste vocatur in Paralipom. Iras Ietrehus. *Gareb, & ipse Ietrithes.* Iste etiam erat alius vir fortis de eodem loco, ideo dicitur, & ipse Ietrites, id-est, etiam erat Ietrithes sicut Iras, de quo immediatè dictum est. *Urias Cethæus.* Iste est vir Bethsabee, quā cognouit Dauid: & hunc fecit occidi supra 11. contra quem valde ingratus fuit Dauid cùm esset vir fortis, & tantæ probitatis, vt declaratum est alleg. capit. *Omnes trigintaseptem.* Ideſt, omnes viri fortes Dauid erant simul. 37. scilicet, sex viri in duobus ternariis, & deinde. 31. quasi sub vna summa, sicut supra computatum est.

An viri fortes fuerint plures his 37. qui hic enumerati sunt. Quæst. XXXI.

QVAERETVR, quomodo non ponuntur hic plures viri fortes, nam primo Paralipo. 11, vbi ponuntur isti viri fortes, ponuntur plures alij enarratis istis. Respondendum, quòd non erant plures quàm 37. fortes Dauid, & quia scriptura intendebat hic ponere solùm cathalogum fortium, non posuit plures. In Paralipom, autem non solùm intendebat scriptura enarrare fortes Dauid: sed etiam computare omnes viros, qui venerunt ad Dauid: dum erat profugus à facie Saulis, & istud habetur primo Paralipom. 11, & 12. ideo post istos 37. ponuntur ibi alij, qui non pertinent ad fortes: sed solùm erant socij Dauid. Quod patet, quia ex pleto numero horum dicitur ibi. Adina filius Segar Rubenites princeps Rubenitarum, & cum eo. 30. & isti computantur ibi saltem ex parte, & sic patet, quod ponuntur ibi viri de tribu Ruben, qui veniebant cum Adina, & non computantur viri fortes.

Quare Ioab non ponitur hic inter istos viros fortes. Quæst. XXXII.

QVAERETVR vlterius, quare Ioab non ponitur hic inter istos uiros fortes: nam ipse fuit vir fortis, & fecit opera magnifica. Vnde ipse acquisiuit principatū militiæ probitate sua, quia Dauid dixerat, quòd quicunque primus percuteret Iebusæum, & tangeret fistulas domatum fieret princeps belli, & fecit hoc Ioab, & factus est princeps supra quinto. & primo Paralipom. 11. Respondendū, quòd Ioab non fuit positus inter istos propter duo. Primò, quia erat princeps, scilicet, dux belli, & princeps non comprehenditur numero subditorum: sic enim Dauid quamquam esset vir fortis non fuit positus inter istos, quia erat rex eorum. Secunda causa est propter ignominiam, scilicet, quòd non meruit Ioab describi inter uiros fortes, eo quòd posuit crimē in gloria sua, scilicet, quia occidit proditoriè, & per excogitatas insidias duos principes Israel, scilicet, Abner, & Amasam propter quos postea occisus est, Reg. lib. cap. 2. tales autem cùm infames debeant reputari, non merentur describi in cathalogo fortium, & honorabilium virorum, vt non accedat eis decus, cum potius dedecus accedere debuisset. Tertia causa esse potest, scilicet, quòd non fuit positus inter istos, quia ipse non erat fortissimus, sed mediocriter fortis, & poneretur inter 30. qui erant in minori gradu fortitudinis, & hoc videbatur dedecus, quòd cùm ipse esset princeps belli super omnes viros fortes, qui hic ponuntur, aliqui ponerentur principes super eum in fortitudine. Nam de viris primi, & secundi ternarij dicitur, quòd ipsi erant principes 30.

CAP.

CAP. XXIIII.

ET addidit furor Domini irasci contra Israel, commouitque Dauid in eis dicentem: Vade numera Israel, & Iuda. Dixitque rex ad Ioab principem exercitus sui. Perambula omnes tribus Israel à Dan vsque Bersabee, & numera populum, vt sciam numerum eius.

DEscripta in superioribus punitione Dauid pro negligentia, hic ponitur eius punitio pro superbia. s. quia numerauit populum ex superbia, & percussus est populus. Et diuiditur in tres partes: quia primò ponitur Dauid iussio. Secundò iussionis executio, ibi. *Egressusque est Ioab.* Tertiò facti punitio. ibi. *Percussitque cor Dauid.*

An sit ordo continuatus narrationis. Quæst. I.

QVAERITVR circa primum, an ea, quæ habentur hic, habeant consequentem ordinem ad præcedentia, & an sint facta immediatè. Respondendū sicut præc. c. quòd ibi sunt duę partes. s. de futuro vaticinium, & cathalogus fortium. Quantum ad secundum non est aliqua continuatio ad præcedentia, vel subsequentia: sed poterat poni ille cathalogus in quacunque parte libri huius, vel sequ. lib. in fine historiæ Dauid: ex causis assignatis præc. c. Quantum ad primum dicendum, q̄ licèt non sit propria continuatio, eo q̄ illa sunt dicta, ista sunt facta: tamen potest considerari ordo aspiciendo ad tempus, in quo illa dicta sunt, & hæc facta fuerunt, & sicut ibi declaratum est, illa fuerunt dicta ante quam hæc fierent. Nicolaus tamen vult hic esse ordinem mutatū. s. q̄ illa fuerint dicta post hæc, eo q̄ preced. cap. dicitur: hæc sunt verba nouissima Dauid. Sed ista probatio non stat, quia illud inteligitur de dictis: istud de factis, & licèt illa fuerint vltima verba Dauid, tamen post illa fuerunt aliqua facta eius: etiam intelligendum est, quòd illa fuerint vltima dicta, scilicet, per spiritum prophēticum: nam alia multa dixit postea: sed non fuerunt prophetice dicta: vt præceden. cap. declaratū est. Ad secundum, scilicet, an fuerint immediatè ista post illa. Dicendum, quòd non constat: non potuit tamē esse magnum tempus medium: eo q̄ iam Dauid erat in senectute, quando ista facta sunt. *Et addidit furor Domini irasci contra Israel.* Ideſt, adhuc Deus iratus est contra Israel post præcedentia, & dicitur. Addidit, quod significat quendam ordinem. s. quia alia ira fuerat superius, & ista fuit, quando Deus misit famem super populum, & durauit tribus annis. supra 22. sic exponit histo. sco. & Andreas. s. factum est post famem prius immissam à Tomino, addidit furor Domini irasci cō tra Israel.

Irasci quandò Deus dicatur. Quæst. II.

QVAERETVR quid est furorem Domini irasci contra Israel. Respondendum, q̄ Deus dicitur contra aliquem irasci, q̄n vult eum punire. nunc autem Deus uolebat punire Israel, ideo dicebatur irasci contra eum, & fuit ista pœna in permittendo, q̄ Dauid peccaret, & per hoc puniretur populus. Nam cùm quis inquirit alteri modum, quo possit eum percutere, dicitur ei iratus: ita cum Deus inquireret modum quo percuteret Israelitas dicebatur irasci eis.

Furor Domini semper est ad pœnam. Quæst. III.

QVAERETVR vlterius, quomodo dicitur, quòd ex eo, q̄ furor Domini addidit irasci cōtra Israel, Dauid commotus est ad numerandum populum, quia ista vīr impertinentia: ēt quia furor Domini est ad puniendum, numerare aūt populum non est pœna, sed culpa. Respondendū, q̄ furor Domini semper est ad pœnam, & tamē pœna non est semper vniformis, sed quædam pœnæ sunt directę. s. quæ sunt in tolerando aliquod malum, quando est inuoluntarium. Pœna indirecta vocatur ipsum peccatum, quia interdum vnum peccatū est pœna alterius, & non est pœna directa, eo q̄ peccatum nō est aliq̄d malum q̄d patimur: sed q̄d agimus. Etiam non est aliquid inuoluntariū, sed spontaneum. Vocatur tamen pœna dupliciter. Vno mō inquantū nos peccamus ex quadam pęna. s. quia Deus deserit nos: uel nō sufficienter mouet nos p̄ gratiam pulsātiuā ad bonū, & tunc incurrimus in mala: quia sine ipso non possumus facere aliquod bonum. Ioan. 15. cùm dixit Christus, Sine me nihil potestis facere. i. nullum opus meritorium. Priuari ergo hac, vel non sufficienter habere illam, uidetur esse quædam pœnalitas nostra. Hanc aūt Deus infligit sæpe homini pro peccato: ut si Deus aliquos uult monere ad bonum, & ipsi nolunt, sicut dixerunt quidam Iob 21. Recede à nobis, scientiā uiarum tuarū nolumus, quid est omnipotens, ut seruiamus ei? & quid nobis prodest si orauerimus illum? his aūt interdum merito huius præuaricationis, Deus nō apponit gratiam, & quamquam possent conuerti nō conuertuntur. Est autem ista grauissima pœnarum: quia per alias pœnas nō est homo dignus morte ęterna, & per istam est. Alio modo uocatur peccatum pęna indirecta, quia pro peccato debetur pœna: ideo si pro uno peccato permittatur quis caderc in aliud, cōpetit ei iam pœna determinata pro illo peccato, & idem est, ac si pro peccato priori infligeretur pœna, quæ debetur pro secundo: & sic fuit hic, quia furor Domini fuit immediatè ad mouendum Dauid, ut peccaret, & peccatum illius fuit ad inducendum peccatum super populum.

Pœna indirecta vocatur peccatum.

Quomodò furor Domini dicitur commouere Dauid ad numerandum populum. Quæst. IIII.

QVAERETVR ulterius, qūo dr̄ hic, q̄ furor Domini commouit Dauid ad numetandū populū, & dixit ei, uade, & numera Israel, & Iudā: quia hoc dato sequereť, q̄ Deus tentaret hominē ad malū, sed hoc falsum est: quia in canonica Iacobi. c. 1. dr̄: Nemo cum tentatur dicat, quoniā à Deo tentatur, Deus. n. intentator malorum est: ipse aūt neminem tentat, unusquisq; verò tentatur à concupiscentia sua abstractus, & illectus. Item si Deus tentaret hominem, non posset homo resistere, quia sine Deo nihil boni facere possumus. Ioan. 15. & tunc incurreremus in peccatum necessariò, & pro illo peccato puniremur: quod esset ualde iniustum. Item ille qui tentat aliquem ad peccandum, & complet, malum uult, & malum efficit, hic tamen dr̄, q̄ furor Domini commouit Dauid ad numerandū Israel: ergo Deus malum agit. Item qui alteri malum suadet, peccat, quia suadens consentit, & tamē cōsentientes puniuntur eadē pœna, qua agentes, ad Rom. & qd̄ plus est persuadentes puniuntur maiori pœna q̄ agentes:

Universidad de Deusto
Biblioteca

tes:vt patet in Decretis distin.86. c.tanta, & hoc quia persuadere interdum plus est, quàm compellere: vt patet.ff.de seruo corrupto.l.j.§.persuaderem. Deus tamen persuasit hic Dauid: quia dicitur, q furor Domini commouit Dauid,dicendo: vade munera Israel, & Iudã, & postea hoc dixit Dauid ipsi Ioab: ergo Deus iniustè egit. Respondendum, q Deus non tentat hominem. Pro quo sciendum, q tentare Dei põt intelligi dupliciter: vno mõ, q Deus proponat homini aliquem actum difficilem ad agendũ, in quo homo potest mereri valde agendo illum, vel peccare non agẽdo: & tamen Deus proponit non intentione deducẽdi hominem ad perplexitatem, vel faciendi, q cadat in malo: sed magis, vt per illum actum homo mereatur valde apud Deum, & appareat gloriosus apud homines. Sic enim dicitur Gen. 22. q tentauit Deus Abraham iubens ei actum difficilem. s. q immolaret filium suum: & tñ faciebat hoc, vt Abraham obediret, & sic fuit, & tunc Deus promisit ei multa bona. eo. c. sub iuramento, & fecit eũ glorioſum coram hoĩbus. Alia tentatio est. s. q Deus moueret hominem ad peccandum, proponendo ei aliquod malum cum intentione persuadendi homini, q illud faciat, & isto modo Deus neminem tentat. Et sic intelligitur quod dicit Iacob. Nemo cùm tentatur dicat, quoniam à Deo tentatur: ipse enim neminem tentat. Sed quod maius est, si aliqua tentatio talis homini inciderit, & committat se Deo liberabit illum: sic prima ad Corin. 10. Scilicet, tentatio vos non apprehendat nisi humana: fidelis autem Deus est, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis: sed faciet cum tentatione etiã prouentum, vt possitis sustinere: cum autem aliquis tentatus non commendat se Deo, permittitur cadere. Nunc autem in Dauid fuit istud. s. quia Deus non tentauit eum primo modo, cùm ista tentatio nõ fuerit ad bonum Dauid, sed defecerit in illa: nec ẽt fuit tẽtatio secundo modo, quia illo modo Deus neminem tentat: vt supra dictum est: sed fuit ista tentatio diaboli, qui tentauit Dauid suadẽdo, q numeraret Israel, & Iudã. Vnde non dicitur in litera: Et addidit Deus irasci contra Israel: sed dicitur. Addidit furor Domini. Diabolus autem vocatur furor Dñi, eo q diabolo traditur puniendus ille, contra quẽ Deus iratus est: sic enim gentes illæ, per quas Deus exercet vindictam suam in malos, licèt ipse malę sint vocãtur furor Dei. sic patet Isa. 10. Væ Assur virga furoris mei, & baculus ipse, in manu eorum indignatio mea. Quòd autem diabolus esset iste furor Dñi, patet 1. Paral. 21. quia vbi dicitur hic, Et addidit furor Domini irasci õ Israel. dicitur ibi. consurrexit aũt Satan õ Israel, & tunc non est incõueniens aliquod, q tentaretur Dauid ad malum. Ad primam rationẽ in õrium dicendum, q Deus non tentauit Dauid inclinando eum ad malum: sed diabolus. Deus tñ hic aliquid egit permissiuè. s. quia diabolus non habuisset locũ tentandi Dauid nisi Deus pmisisset, & dato q tentasset non præualuisset, ideo ppriè dr hic, q furor Domini addidit irasci. i. diabolus, qui est furor, & est Domini. s. permissus ab eo, addidit irasci contra Israel. Et ad alias rationes eodem modo respondeti debet concedendo, q concludunt, scilicet, q Deus egisset iniustitiam, si ipse tentasset hic Dauid: quia verum est, q ipse non tentauit, sed diabolus.

Tentatio Dei potest dupliciter intelligi.

Ad primam rationem.

Ad alias.

Quomodo dicebatur Satan insurgere contra Israel. Quæst. V.

QVAERETVR vlterius quomodo, cum hic Deus vellet irasci contra totum Israel, tẽtatus est Dauid, vel quomodo dicebatur Satan insurgere contra Israel. 1. Paralip. 21. cum tẽtaret Dauid. Respondendum est q manebant aliqua peccata populi impunita, & Deus volebat illa punire. Poterat autem haberi modus cõueniens, si aliud peccatũ reperiretur in toto populo, & quia totus populus non facile cõcurreret in vnum peccatũ, permissus est peccare rex: quo peccante totus populus punitus est, quia Rex continet quasi totum populũ in virtute, iõ peccatum ipsius est velut peccatum totius populi, & sic iste modus excogitandi malum õ Israel erat valde aptus, non tñ furit à Deo: non enim induxit ipse istam circulationem, quia ipse non intendit mala agere, sed accidit q Satan mala intentione tentaret Dauid, & Deus permisit illum cadere non directè intendens malum, sed rãquam in pœnam, ideo permissus est cadere, vt populus puniretur.

Cum Deus vellet punire populum peccantem, cur ob id permisit Dauid peccare. Quæst. VI.

QVAERETVR vlterius, cùm populus peccasset, & Deus vellet punire eum: quare permissus est Dauid peccare propter populum, qui aliàs permittendus non erat. Rñdendum est, q populus & rex, vel prælatus & subditi habent inter se quandam vnitatem, ita vt peccata subditorum computentur tanquam peccata prælatorum, & peccata prælatorum tanquã subditorũ: ideo interdũ Deus punit populũ pro rege, & interdũ regẽ pro populo. Et quod amplius est non solùm in pœnis istud fit, sed ẽt in peccatis, quia interdum Deus permittit peccare reges propter peccata subditorũ, & permittit illos eẽ malos. sic patet Iob. 34. s. Qui regnare facit hominem hippocritam propter peccata populi: sic etiã interdum peccant prælati pro peccato populi: sicut Moyses, & Aaron inducti sunt ad peccãdum propter malitiam populi, ad aquas contradictionis, Numeri 20. s. quia populus erat iniquus, & commouit ad iram Moysen, & Aaron: ipsi non benedixerunt Domino ad aquas contradictionis, & in hoc fuit peccatũ: sic dixit Moyses populo Deut. 3. s. Iratus est Dominus mihi propter vos: nec exaudiuit me. De hac culpa prælatorum pro subditis, q interdum. s. permittantur cadere propter illos, dicit Gregorius in moralibus, & habetur in Glo. ordi. q pro qualitate subditorum disponitur acta regentium, vt sæpe pro malo gregis etiam vere boni delinquat vita pastoris: Dauid enim Deo reste laudatus, tumore repentinę elationis inflatus populum numerando peccauit, & populus pœnam sẽpscepit: quia secundùm merita plebium disponuntur corda rectorum.

Quare Deus nunc voluit irasci contra Israel. Quæst. VII.

QVAERETVR vlterius, quare nunc irasci volebat Deus contra Israel. Aliqui dicunt, quòd pro peccato Vriæ, scilicet, quia populus non distraxit regem, ne peccaret: vel ciuia peccauit non puniuit ipsum: sic enim tenent multi Hebræi, & dicunt, quòd ob hoc præced. c. in fine ponitur Vrias, vt videatur quædam continuatio huius cum ad illud, & quòd pœna quæ ponitur hic, sit dependẽs ex Vria, qui præced. cap. ponitur in fine: sic dicit Hiero. in lib. de Hebraicis quæstionibus. Sed istud non stat, quia populus non peccauit non distrahendo regem a peccato, quia peccatum regis fuit occultum valde, & non fuit cognitum ab aliquo de populo: quotiquidem mortuus est Vrias, & Dauid accepit Bethsabee in vxorem, vt colligitur supra 12. vnde post hæc omnia venit Nathan propheta ad proponendũ Dauid parabolã de pœna, quę ei infligenda erat pro his peccatis. e. si tñ illa peccata essent iã publica, non veniſſet Nathã ad proponendum parabolam de illis, vel si proposuisset, Dauid intellexisset eam illico, sed non intellexit, & ipse condemnauit seipsum, alle. c. ergo non erant publica. Item patet quia Nathan dixit Dauid, tu fecisti absconditè: ego verò faciam verbum istud in conspectu omnis Israel, supra 12. ergo occultum fuerat omnibus, occulta autem nullus obligatur corrigere. Item non peccauit populus non imponendo pœnam regi, & hoc propter duo. Primò quia quando peccata inceperunt publicari, iam erat pœna posita à Deo, & denunciata per Nathan, alle. cap. sed Deo puniente aliquod delictum non erat fas populo intromittere se de punitione illius. Secundò patet, quia dato, quòd Deus non puniuisset Dauid, populus nõ poterat eum punire, quia Dauid in eo, quòd erat rex, erat super populum: ipse tamen populus non erat iudex regis, poterat tamen indirectè punire regem, non tanquam iudex, sed tanquam defendẽs se, & propulsans iniuriam, vtpotè si Dauid esset in aliquo peccato publico, à quo nollet recedere, & populus nollet eum corrigere, veniret ira Dei super populum, ideo sic peccante rege tenebatur populus admonere eum humiliter, vt desisteret à peccato, quia admonitio, & charitatiua correctio ad quemlibet fieri potest, & à quolibet, nam Papa potest admoneri Euangelicè hoc modo, & increpari à quocunque fideli quantumcunque paruæ dignitatis: vt patet in Decretis. 40. dist. c. si Papa. in Glo. debebat ergo populus admonere Dauid, & si nollet desistere, debebat ei tollere obedientiam, & constituere alium regem: & tunc poterat Dauid puniri directè, quia manebat, vt persona priuata, & hoc tenebatur agere populus propulsando iniuriam suam, scilicet, inquantum per peccatum ipsius ventura esset ira Dei super populum. Quod tamen populus puniret Dauid aliqua pœna corporali, vel aliàs, manente ipso in statu regali, vel alias, illicitum erat, quia superiores nũquam sunt subditi inferioribus directè. Ideo alij dicunt, quòd non fuit ista culpa populi, sed fuit peccatum rebellionis, quia rebellauerunt contra Dauid sequẽdo Sebam filium Bochri virum pessimum supra. 20. & ista culpa manebat adhuc impunita, ideo Deus voluit eam punire nunc. Istud tenet Nico. motiuum autem suum est, quia non reperitur aliquod peccatum populi post illam præuaricationem, quæ fuit sequendo Sebam. Sed contra hoc dicetur, quòd post rebellionem illam populus fuit punitus fame trium annorum, supra. 21. & ibi dictum est, quòd illa fames venit in populo propter aliqua peccata populi, & non propter domum Saulis, licèt ibi dicatur, quòd erat propter domum Saulis, & fortè fuit illa fames propter rebellionem factam contra Dauid. Dicendum ergo videtur, quòd Sathan nunc tentauit Dauid propter aliqua peccata populi, sed illa non scripta sunt, quia multa facta sunt, quæ non scribuntur. Si tamen tenere vis cum Nicolao, non resisto. Cùm autem dicitur de expositione Hiero. in li. de Hebraicis quæstionibus, dicendum q liber ille non est suus, vt dictum est præc. c. *Mouitque Dauid in eos.* i. furor domini mouit Dauid, scilicet, diabolus, qui erat furor domini mouit Dauid persuadendo ei malum. Sic dicitur primo Paralipo. 21. & incitauit Dauid, vt numeraret Israel, & dicitur mouit Dauid in eis, idest, ad damnum ipsorũ: quia ista numeratio fuit vindicata postea in Israelitis, vt patet infra. *Dicentem vade, & numera Israel, & Iudam.* Istud refertur ad Dauid, scilicet, Satan commouit Dauid, & Dauid dixit, scilicet, ad Ioab, vade, & numera Israel, & Iudam. Aliq volunt quòd istud referatur ad Sathan, qui persuasit Dauid hoc, scilicet, vade & numera Israel, & Iudam, sed falsum est, quod patet ex illo participio dicentem, cui annectitur ista clausula, vade & numera: tamẽ hoc

non potest referri ad Satan, vel furorem Domini, quia tunc diceretur commouit in eis Dauid dicens: vade, & numera. Item quia immediatè dicitur, dixitque rex ad Ioab, perambula omnes tribus Israel, & ista est eadem sententia, ideo oportet quòd referatur vtrunque ad Dauid. *Dixitque rex ad Ioab principem exercitus sui.* Istud iussit Dauid ipsi Ioab, quia ille erat princeps exercitus. Sciendum autem, quòd non iussit ei numerare solùm, sed etiam iussit alijs principibus cum eo, vt patet primo Paralip. 21. scilicet, dixit Dauid ad Ioab, & ad principes populi, ite & numerate Israel. Item patet hic, quia dicitur, perambula omnes tribus Israel, & numerate populum, ergo multis loquebatur. Item patet infra, quia dicitur: egressusque est Ioab, & principes militum à facie regis, vt numerarent populum Israel. Sciendum etiam quòd Ioab erat nunc princeps militiæ sicut fuerat prius, nam licet Dauid constituisset Amasan principem, & abstulisset Ioab, tamen Ioab occidens Amasan vsurpauit sibi principatum, supra 20. & Dauid non abstulit ei quamdiu vixit ex causis ibi assignatis. *Perambula omnes tribus Israel.* Scilicet, vt numerentur omnes. *A Dan vsque Bersabee.* Ista sunt duo loca posita in extremitatibus terræ Israel, est enim Dan in parte maxime septemtrionali Israel, & nunc vocatur Cęsarea Philippi, vel Paneas, & apud eam Iordanis caput est. Bersabeæ est quædam ciuitas in terra Israel in extremitate Meridiana versus deserta Arabica, & Aegypti, & est in terra Philisthinorum: in qua habitauit Abraham. Gene. 21. & postea Isaac filius eius. Geneſis, 26. Vocatusque est locus ille Bersabee, idest, puteus septimus: vel puteus iuramenti, quia iurauit ibi Abraham cum rege Gerare, & etiam dedit ei septem agnas, vt patet Gen. 21. de his duobus locis declaratũ est præced. lib. c. 3. ponuntur autem ista duo loca, quando scriptura vult ponere extremitates terræ Israel: sic patet præcede. lib. c. 3. & supra 17. cùm dixit Chusi, q congregaretur omnis Israel à Dan vsque Bersabee innumerabilis, sicut arena maris. *Et numerate populum.* Scilicet, numerate omnes, qui sunt in his tribubus.

Iussit Dauid Ioab & alijs principibus numerare exercitum.

Qui numerati fuerunt nunc. Quæst. VIII.

QVAERETVR, qui numerabantur nunc. Respondendum, quòd non numerabantur aliquæ fœminæ, quia nomine populi nũquam intelliguntur fœminæ in modo loquendi sacræ scripturæ. Item numeratio earum erat inutilis, quia non reperitur aliquid ad quod aliquando proficiat numeratio fœminarum. Item nunquam in tota lege repertum est, quòd fœminæ numerarentur etiam si aliquando numerarentur paruuli, sicut patet Num. 3. dubium ergo solùm manet de masculis, an omnes numerarentur, vel in qua ætate. Aliquis dicet, quòd omnes tam paruuli quam magni numerabantur, quia sæpe inuenimus numerari paruulos, vt patet Num. 3. vbi numerati sunt omnes de tribu Leui tam magni quam parui: dum tamen essent vltra vnum mensem. Item numerati sunt ibi omnes primogeniti Israelitarum in quacunque ætate essent, ideo sic etiam debuit fieri hic. Respondendum est, quòd hic solùm fuerunt numerati viri, qui erant potentes ad bellum, vt patet infra in litera, scilicet, inuenta sunt octingenta millia virorum fortium, qui educerent gladium, ergo paruuli non computabantur. Sed tunc quæretur ex qua etate computabantur isti potentes educere gladium. Respondendum, quòd computabantur ab anno vigesimo, quia iste erat modus computandi in lege, quando assignabantur loca castrametationum cuilibet tribui. Num. ij. etiam quando colligebatur summa populi in monte Sinai antequam mouerentur castra, vt sciretur

summa

Universidad de Deusto
Biblioteca

summa: computabantur ab anno vigesimo, & vocabantur isti viri fortes potentes educere gladium. Nu. 1. Item Israelitæ incipiebant vocari viri, & habere nomen in populo ab anno 20. postquam autem excedebant illum erant in numero, & fiebat mentio de illis, vt de viris, cùm autem non peruenissent ad illum non fiebat mentio de illis, ac si non essent, vt patet Exod. 30. Sed nunc manet dubium, si forte aliqui non computabantur propter excessum ætatis, sicut alij propter defectum, vt si aliqui essent valde senes. Aliquis dicet, quòd nimis senes non computabantur. Quod patet, quia dicitur in litera, quòd inuenta sunt octingenta millia virorum fortium, qui educerent gladium, & tamen valde senes non vocantur viri fortes, nec possũt educere gladium. Posset responderi, quòd erat aliqua ætas determinata, in qua homines non computabantur, scilicet, illa, in qua secundùm legem, vel consuetudinem excusabantur à bellis, scilicet, in anno. 60. vel vltra, & tunc omnes intermedij inter 20. & 60. computarentur, quia illi erant verè fortes potentes educere gladium. Sed obijcietur, quia Num. primo declaratũ est, quòd illi computati erant ab anno. 20. vsque ad quantumcunque tempus, & quòd nullus excludebatur à numero propter magnitudinem ætatis, licèt aliqui excluderentur propter defectum, ita ergo videbitur hic. Dici potest, quòd Nume. 1. & 2. computabantur omnes viri à 20. anno, & vltra vsque ad quamcunque ætatem, eo quòd non fuit assignatus aliquis numerus in excessu ætatis, sicut in defectu, quia semper dicitur à 20. annis & supra. Item erat aliqua ratio, quare computarentur quantumcunque senes essent, quia ibi fiebat computatio, vt secundùm summam cuiuslibet tribus daretur ei locus ad castrametandum. sed senes in quacumque ætate egebant loco castrametationis, & fortè maiori quàm iuuenes, sicut est in senibus, qui habent magnas familias, ergo oportet quòd computarentur quantumcunque senes, sed infra annum. 20. non oportebat aliquem computari, eo q̃ isti erant paruuli, & computabantur in familijs patrum. Similiter autem videtur dicendum hic, q̃ Dauid volebat cõputare omnes viros populi sui, sed senes, qui habent familias in quacunque ætate sint vocantur viri, immo sunt capita virorum, ideo computarentur. Itẽ Dauid iussit computari totum populum, & non diffiniuit secundùm quam ætatem computarentur, ideo oportet, quòd fieret computatio in illa ętate, in qua cõsuetum erat aliquos computari, sed lex iubebat omnes, qui erant à 20. annis, & supra transire ad numerum. Exod. 30. ergo isti computati in quacunque ætate computarentur, dum tamen iam transissent annum. 20. Ad rationem autem in contrarium, quòd computabantur paruuli ab vno mense, & supra. Dicendum quòd illud erat speciale in Leuitis, qui computabantur ab vno mense eo quòd applicabantur Deo: alię tamen tribus ab anno. 20. computabantur, Num. 1. & 2. & 14. Sed obijcietur, quòd etiam primogeniti Israelitarum in quacunque ætate computati sunt. Nume. 3. Respondendum quòd ibi fuit speciale, eo quòd tunc dabãtur Leuitæ pro primogenitis Israel: primogeniti tamen offeruntur domino ad redemptionem secundùm legem post dies 40. a natiuitate, sicut patet de Domina nostra, quæ obtulit Christum die purificationis suæ in templo. Luc. 2. & ille est dies 40. Leui. 12. ideo tunc debuerunt computari primogeniti Israelitarum in quacunque ætate, reliquus autem populus ab anno. 20. computatus est, & quia hic iubebatur numerari populus, debebat numerari sicut generaliter erat cõsuetum numerari, scilicet, ab anno 20. vsque ad mortem, quia isto modo transibant ad nomen.

Cap. XXIIII.

Quare voluit Dauid numerare populum.
Quæst. IX.

QVAERETVR, quare Dauid desideranit numerare populum. Respondendum, quòd quadam iactãtia, scilicet, quia voluit scire quot viri erant sub potestate sua: quia gloriabatur Dauid in potestate sua, & quia quãto plures sunt subditi est maior gloria, vt patet Prouerb. 14. Scilicet: In multitudine populi dignitas regis, & in paucitate plebis ignominia est principis. Voluit computare, vt delectaretur sciens magnitudinem principatus sui ex multitudine subiectorum. sic enim ait Gregorius in moralibus. Dauid enim teste Deo laudatus tumore repentinæ elationis inflatus populum numerando peccauit. Item patet ex litera, quia dixit Dauid: vt sciam, ideſt, volo scire quantus est: scire autem quando est propter scire, dicitur esse superbia, & quia solũ Dauid allegauit, quòd volebat scire numerum eius, videtur ex superbia egisse. *Vt sciam numerum eius*, Ideſt, desidero illum scire: non enim erat aliqua vtilitas Dauid scire numerum populi sui, sed quia diabolus incitauerat eum ad computandũ, vt peccaret, desiderabat computare eum, & nesciebat cui. *Dixitque Joab regi*. Noluerat enim Ioab, quòd computaretur populus: ideo restitit regi, ne computaret, sed rex noluit. *Adaugeat Dominus Deus tuus ad populum tuum quantus nunc est*. Ideſt, noli computare, sed Deus augeat populum tuum supra id, quod nunc est. *Iterumque centuplicet*. Ideſt, postquam auxerit supra id quod nũc est, faciat centuplo maiorem, & sic significatur, q̃ Deus faceret populum maiorem, quàm centuplo supra id, quod nunc erat, & tamen 1. Paralip. 21. solùm significatur, q̃ centuplicaretur cùm dr̃, augeat Deus populum suum centuplũ q̃ sunt. *In conspectu Domini mei regis*. Ideſt, Deus augeat populũ istum centuplo viuẽte rege, & videẽte. In Hebræo hr̃. *Et oculi Domini mei videntes*. Ideſt, oculi regis videant istam multiplicationem, scilicet, q̃ fiat in diebus suis ista multiplicatio, & ipse gaudeat videndo illam. In Hebræo habetur. *Fefellit Dauid*. Vbi litera nostra dicit commouit, sed idem est. *Sed quid vult Dominus meus rex in re huiuscemodi?* Ideſt, etiã non videtur aliqua causa, quę moueat regem in re huiuscemodi, ideſt, in numeratione populi.

Quare Joab restitit Dauid, quòd non numeraretur populus.
Quæst. X.

QVAERETVR, quare Ioab restitit Dauid, ne numeraret populum. Aliqui uolunt, quòd Ioab erat superstitiosus ualde, & respiciens ad auguria: ideo timebat, quòd si populus computaretur, eueniret ei, aliquod malum: sic enim mulieres quædam superstitiosæ, & uiri habentes animalia parua, quæ nutriuntur domesticè, nolunt quòd quis numeret illa, arbitrantes quòd si numerantur minuentur: etiam putant, quòd cùm quis laudat animalia paruula tanquam bene se habentia peribunt, ideo molestè ferunt, quòd quis loquatur de illis, & similia multa superstitiosa agunt: ita de Ioab: quia fortè putauit, quòd numeratio esset malum signum. Sed istud non stat: quia arguere aliquem criminis, ubi non constat de crimine, inhumanum est: sed non constat de Ioab, q̃ ageret hoc superstitiosè, ideo peccatũ est ei arguere, potissimè cùm constet eum habuisse iustam causam. Dicendum, ergo q̃ Ioab noluerat, q̃ computaretur populus, quia putabat hoc esse peccatum, cũ nulla cã subesset: sic patet 1. Paral. 21. cùm dixit Ioab, quare hoc quærit Dñs meus, q̃d in peccatũ reputetur Israeli, ergo propter peccatum timebat. Allegauit etiã ad hoc Ioab rationem, dicens: Nonne domine mi rex omnes serui tui sunt. eo. c. q.d. si aliqui illorum essent serui tui, & aliqui non, licitum esset computare eos, vt scires quot erant serui tui, & distingueres eos à reliqs, sed omnes sunt serui tui, ideo superfluum est eos numerari. Item Ioab vidit voluntatem regis inclinatam ad aliquid quod erat penitus sine ratione, ideo timuit, quòd diabolus incitasset eum ad hoc, quòd veniret aliquod malum super populum.

Ioab an peccauerit numerando populum cùm sciret malum esse. *Quæst. XI.*

QVAERETVR vlterius, an Ioab peccauerit computando populum ex mãdato regis, cùm sciret illud malum esse. Aliquis dicet, quòd sic, quia non tenetur aliquis consentire malo propter preceptum cuiusquam, ideo etiam si rex mãdaret, tenebatur non obedire Ioab. In contrarium dicet aliquis, quòd non peccauit Ioab, quia ipse suasit Dauid, ne hoc faceret, & allegauit rationes concludẽtes: cùm ergo noluerit Dauid obedire, non erat obligatus Ioab ad aliquid vltra faciendum. Dicendum, q̃ ista ratio non stat quia illud est verum in admonitione Euangelica, quia postquam aliquis sufficienter admonuerit alium secundùm regulam traditam, nõ tenetur ad amplius: non est tamen sic in subdito respẽctu domini imperantis malum, quia si dominus malũ imperat seruo, non solùm tenetur dissuadere ei hoc, sed etiam tenetur non agere quod iubet, etiam si pœnas multas impositurus sit, quia melius est omnia mala pati quàm malo cõsentire. De Ioab autem sic erat, quòd si Dauid voluisset computare populum, & iussisset hoc alteri, & non ipsi Ioab, tenebatur Ioab admonere regem, ne hoc faceret. Si autem nollet desistere non tenebatur ad vlteriora. Dauid tamen iussit hoc ipsi Ioab, ideo nõ solùm tenebatur admonere Dauid, ne hoc iuberet, sed etiam tenebatur hoc non suscipere, ideo videretur, quòd peccaret. Respondendum secundùm communem distinctionem, quod aut dominus imperat subdito euidenter bona, aut euidenter mala, aut dubia: si primo modo, est sibi semper obediendum: si secundo nunquam etiam si mortem infligere velit: si tertio propter auctoritatẽ domini subditus debet obedire. Si autem dicatur, quòd ista numeratio populi erat simpliciter mala: nõ tenebatur illam subire Ioab, sed potius pati quæcunq; mala, quoniam ad quædam fortassis non est cogi, sed magis mori patientem durissima, vt patet 3. Ethico. Tunc dicetur, q̃ ista numeratio non erat simpliciter mala, eo quòd in aliquo casu poterat esse bona, cùm Deus permiserit populum numerari, dum tamen quilibet solueret dimidium sicl um. Exod. 30. erat ergo dubium, an malũ esset, quod iubebat Dauid, & potius videbatur malum quàm bonum, eo quòd actus erat prohibitus, & Daniid non ostendebat aliquam causam, quare hoc vellet, ideo Ioab putabat esse peccatum, vnde dixit 1. Paralipo. 21, quare hoc quærit dominus meus, quod in peccatum reputetur Israeli, 1. reputabitur. Dicendum ergo quòd si Ioab prorsus credebat istud esse peccatũ, & quòd Dauid nullam causam habebat tacitam, vel expressam, peccabat obediendo mandato regis, si autem credebat saltem leuiter, quòd Dauid haberet aliquam causam rationabilem, licèt illam non exprimeret, erat sibi dubium an bonum, vel malum ageret, ideo non peccabat obediendo mandato. *Obtinuit autem sermo regis verba Ioab, & principum exercitus*. Ideſt, preualuit sermo Dauid super sermonem Ioab, & principum. q.d, licèt illi repugnarent, regis mandatum

semper valuit, & hoc propter duo. Primò quia rex erat, & ob hoc erat maioris auctoritatis quàm ceteri. Secundò quia Deus permittebat eum incitari à diabolo, vt puniretur Israel. Dicitur autem de Ioab, & principibus exercitus: quia istud iussum fuit simul Ioab, & alijs principibus, & omnibus malum visum est, ideo omnes repugnauerunt, sed præualuit sermo regis. *Egressusque est Ioab*. Hic ponitur secundum, scilicet, iussionis executio, quia Ioab, & alij principes executi sunt mãdatum regis, licèt eis iniustum videretur, & dicitur. *Egressusque est Ioab, & principes militum à facie regis*. Ideſt, egressi sunt de Ierusalem de palatio regis volentes exequi quod rex iusserat. *Vt numerarent populum Israel*. Ideſt, omnes 12. tribus: aliquando enim nomine Israel intelligitur Iuda, & compræhenduntur 12. tribus sicut hic, aliquando autem non comprehenditur Iuda, eo quòd exprimitur, sicut supra dicitur, vade numera Israel, & Iudam, & tunc intelligunt vndecim tribus nomine Israel.

Quare alij principes præter Joab nominantur.
Quæst. XII.

QVAERETVR, quomodo nominanť principes exercitus alij præter Ioab. Aliquis dicet, quòd postquam Ioab occidit Amasam noluit Dauid restituere ei principatum exercitus integrum, sed restituit partem, ideo cum eo erant alij principes. Sed dicendum, quòd non stat, quia Ioab nominatur hic absolutè princeps exercitus, sicut solebat semper nominari antequam occideret Amasam: nã dicitur supra, dixit rex ad Ioab principẽ exercitus sui. Sed dicendum, quòd Ioab erat nunc princeps, sicut olim fuerat, & tamen sub eo erant alij principes speciales, fortè centuriones, vel tribuni, sic enim Banaias erat princeps super Cerethi, & Phelethi, quamquam esset Ioab princeps militiæ supra 8. & 21. sic etiã erant multi alij principes, secũdùm subordinationem, quæ declarata est supra 18. sic erant isti, qui nunc iuerunt cum Ioab, scilicet, principes speciales aliquarum partium exercitus. *Cumque pertransissent Iordanem, venerunt ad Aroer*. Hic ponitur principium computationis, scilicet, quòd inceperunt à parte Orientali terrę Israel, & ad hoc recedentes de Ierusalem transierunt Iordanẽ, quia Iordanis est magis Orientalis, quàm Ierusalem, & per illum venire debebant ad terrã maxime Orientalem Israel, scilicet, ad ciuitatem Aroer: nam Aroer est maxime Orientalis in terra Israel, nam ista est apud torrentem Arnon, per quem introierunt Israelitæ in terram duorum regum Amorrhæorum. Vnde quando ponitur simpliciter principium terræ Israel, ponitur Aroer, & quando nominatur tota terra duarum tribuum, & dimidiæ, quæ erat terra duorum regum Amorrhæorum, incipit nominatio ab Aroer vsq; Iaboth, vt patet Deuter. ij. est autem Aroer prima ciuitas sortis Rubem. Iosue. 13. *Ad dexteram vrbis, quę est in valle Gad*, ideſt, ciuitas Aroer est ad dexteram partẽ ciuiusdam vrbis Gad, quæ est in valle, & est sensus, q̃ sors tribus Gad, & Rubem incipiunt simul in parte Orientali, & ciuitas Aroer, quæ est de tribu Ruben habet ad sinistram suam quãdam ciuitatem tribus Gad, quæ est in valle iuxta ipsam Aroer, & est ista vallis, per quam transit fluuius Arnon, & sic Aroer est ad dexteram illius vrbis. In Hebræo habetur. *Quę est in medio torrentis Gad*. ideſt, ciuitas Aroer est in medio torrentis, ideſt, in medio fluuij, scilicet, Arnon, eo quòd illa ciuitas est tanquam insula, & circundatur à fluuio Arnon diuiso in duas partes, vocatur autem ille torrens Gad, quia magis pertinet ad sortem Gad quàm Ruben. *Et per Iazer transierunt in Galaad*. i. incipientes in vr-

Principium computationis.

be

Universidad de Deusto
Biblioteca

be Aroer venerunt ad vrbem Iazer,& inde transierũt F
in terram Galaad. Est enim Iazer quædam ciuitas, ad
quam iuerunt Israelitæ ad explorandum in terram re-
gis Og,& postea pugnauerunt cum eo,vt patet Num.
21. & Deute. 2. Est autem Galaad quædam terra cir-
cumiacens cuidam monti nomine Galaad, quæ est
ad orientem Iordanis: iste enim mons sic fuit nomi-
natus à Iacob, & Laban socero suo, eo quòd ibi inie-
runt fœdus.Gen. 31. In circuitu autem huius montis
sunt multæ vrbes,quæ vocantur terra Galaad,& ceci-
derunt partim in sorte Ruben,& partim in sorte Gad,
vt patet Deuter. 3. & Iosue. 13. & ad istum montem
venerunt principes, vt numerarent terram. *Et terram*
inferiorem Hodsi. Scilicet, post Galaad venerunt in ter-
ram Hodsi,quæ est inferior,scilicet, magis occidenta- G
lis quam terra Galaad, aliqui interprætantur terram
Hodsi,ideſt, nouorum habitatorũ, sic vult Nicolaus.
Et dicit quòd erat quædam terra,quæ nouiter habita-
ri inceperat cùm prius esset desertum, & illam etiam
computauerunt. *Et venerunt in Dan siluestria.* ideſt, de
terra Hodsi venerunt in siluestria terræ Dan, scilicet,
Dan est quædam ciuitas maximè septemtrionalis in
terra Israel,vt supra declaratum est, & ibi est terra ma-
lè habitata,ideo vocatur siluestris,sed etiam per illam
transiuit Ioab ad numerandum populum.In Hebræo
non habetur siluestria: sed ponitur quoddam nomen
proprium,scilicet,Iaan:& dicitur, quòd transierũt per
Iaan Dan, ideſt, per locum Iaan terræ Dan. Videtur
autem fuisse error literæ nostræ in translatione, quia H
ad hoc quòd transferret siluestria deberet in Hebræo
haberi Iaarim:quod significat siluestria,& potuit faci-
liter decipi accipiendo Iaarim pro Iaan. Sed non cre-
do Hieronymum fuisse deceptum his minimis, cùm
ipse summo studio, & vigilantia non semel,sed sæpius
attenderet ad libros Hebraicos, vt examinatissimam
faceret istam translationem:& specialiter in istis libris
regum, quos diligentius correxit quàm alios, vt ipse
dicit in prologo Galeato,qui præponitur his libris,sci-
licet. Lege ergo primum Samuel,& Melachim meũ,
meum,inquam, meum: quidquid enim crebrius ver-
tendo, & emendando sollicitius, & didiscimus, & te-
nemus,nostrum est.Non ergo erraret in his minimis,
sed credo,quòd ipse cùm sciret totam terrã Chanaan, I
& eam pedibus suis ambulasset,vt certificaretur de lo
cis eius, vt ipse testatur in quodam prologo super Pa-
ralip.qui incipit:Eusebius, vidit terram Dan in circui-
tu esse siluestrem,ideo dixit per siluestria Dan,non cu
rando, quòd haberetur in Hebræo Iaan,quod non si-
gnificat silua, sed est nomen proprium. Et iste locus
fortè est in siluestribus Dan.

Computatio quare incepta est in Aroer, & Gad.
Quæst. XIII.

QVAERETVR, quare Ioab, & alij principes
inceperunt computationem istam in ciuitate
Aroer,& in terra Gad. Respondet Rab. Sa. q
cœpit in sorte Gad, eo quòd ibi erant viri K
fortes,& isti fortè resisterent,& pugnarent contra Da
uid,ne numeraret illos si haberent deliberationem su
per hoc,ideo uoluit numerare à principio. Sed ista
positio friuola est: nam nullum præiudicium paraba-
tur populo, quod Dauid numeraret eos:nisi fortè in-
quantum per istam numerationem putabant, quòd
Deus irasceretur, & puniret eos: sed tunc quocunque
tempore Dauid vellet eos numerare repugnarẽt ipsi,
& totus Israel si haberent animum repugnandi, sed
noluerunt.Sed dicendum est,quòd incepta est nume-
ratio in parte ista, eo quòd Ioab voluit ordinatim nu-
merare totam terram,& ad hoc voluit incipere in ex-
tremitate maximè distanti terræ Israel:nihil autem est
magis distans, & elongatum in terra Israel quàm pars
Orientalis, in qua est ciuitas Aroer,quæ peruenit cir-
ca mare rubrum: ideo inceperunt ibi, vt sic continuo
venirent appropinquando ad Ierusalem,quæ est circa
Occidentem terræ Chanaan.Sciendum autem quòd
in tota ista litera non tanguntur nisi loca, quæ erant
in extremitatibus terræ Israel.Quod patet,quia Aroer,
quæ ponitur in principio est extremitas Orientalis,
terra Hodsi, & Dan cum siluestribus suis est extremi-
tas septemtrionalis.Deinde ponitur extremitas Occi-
dentalis, cùm dicitur, quòd transierunt iuxta Sidonẽ,
& mœnia Tyri, & tamen istæ vrbes sunt in Occidente
terræ Israel vt infra dicetur,& deinde venerunt in Ber
sabee, quæ est in extremitate meridiana Israel, vt dici-
tur in litera, & sic finita est tota computatio. Intelli-
gendum tamen quòd nõ solùm fuit facta numeratio
per ista loca,sed etiam per omnia loca intermedia ter-
ræ Chanaan, quia alioquin non computaretur totus
Israel,sed ponuntur ista loca omnium extremitatum,
vt per ea intelligatur quidquid in medio eorum con-
prælhẽditur:sic enim dicitur de exploratoribus, quòd
circuierunt terram. *Circumeunteſque iuxta Sidonem*,ideſt,
de terra Dan venerunt in circuitu per latus septem-
trionale terræ quousque venirent in Sidonem, quæ
est in Occidentali parte terræ Israel, est enim Sidon
ciuitas Phœnicæ prouinciæ,& est ciuitas antiquissima,
de qua,& de Tyro fuit Dido regina, quæ carthaginẽ
in Africa condidit, & est Sidon in parte Occidentali
terræ Israel ppe mare, vnde Christus prædicauit apud
hanc ciuitatem, ut patet Mat. 15. est enim ista ciuitas
in sorte Aser,vt patet Iosue.19. *Transierunt prope mœnia*
Tyri. Ista est ciuitas famosissima in littore maris, quæ
olim fuit maximarum negociationum inter omnes
ciuitates,de qua multa dicuntur Ezechielis.27.& 28.
sed postea deleta est,& iterum ædificata.In hac ciuita-
te inuentæ sunt literæ quædam regionis illius, & fuit
ciuitas famosissima, & florentissima in regibus. Est
enim in extremitate Occidentali terræ Israel, scilicet,
in littore maris. Ipsum tamen mare Mediterraneum
est extremitas Occidentalis terræ illius,vt patet Num.
34. Est autem ciuitas ista in sorte Aser, vt patet Iosue.
19. *Et omnem terram Heuæi, & Chananei.* Ista terra est
duorum populorum,qui relicti fuerãt de populis alie-
nigenorum.s.quædam pars Heuæorum, & alia pars
Chananeorum,& per terram istorum populorum cir
cuiuit Ioab cum alijs militibus. Sunt autem istæ duæ
terræ prope mare ad Occidentalem partem terræ Is-
rael: nam numeri.13. dicitur Chananæus verò mora-
tur iuxta mare, & circa fluenta Iordanis, & sic cùm
transierunt Sidonem, & Tyrum perambulauerunt
terram Chananei, & Heuei. *Venerunt que ad Meridiem*
Iuda in Bersabee. Scilicet,post terram Chananæi,& He-
uei: finito latere occidentali terræ Israel inceperunt
ascendere per latus Meridianum versus Orientem,&
tunc venerunt in Bersabee, & dicitur, quòd venerunt
ad Meridiem Iuda, ideſt, ad partem Meridianam sor-
tis Iuda. Est enim sors Iuda magis meridiana, quàm
omnes sortes Israelitarum,vnde vltra ipsam proceden
do versus Meridiem non est aliqua terra Israel, vt co-
ligitur Iosue. 15.& tamẽ Bersabee dicitur esse ad Me-
ridiem Iuda.s. quia est in extremitate meridiana illius
sortis, eo quòd non videtur esse aliquis locus magis
meridianus in terra Israel, quàm Bersabee, nec magis
septemtrionalis, quàm Dan:vt supra dictum est. *Et*
lustrata vniuersa terra. ideſt, circundata. Accipitur au-
tem lustrare non solùm prout dicit circuire,quia tunc
solùm considerassent terram,quæ erat in extremita-
bus Israel, & hoc ad nihil proficiebat, sed dicitur lu-
strare,ideſt,perambulare,scilicet,quia Ioab,& socij sui
per-

perambulauerunt totam terram Israel: tam per me-
dium,quam per extremitates. *Affuerunt post nouem men-*
ses, & 20. dies in Ierusalem. Hoc tempore manserunt
computando totã terram,eo quòd populus erat mul-
tus nimis secundùm quòd infra describitur. *Dedit er-*
go Ioab numerum descriptionis populi regi. Scilicet,omnes
numeratos redegerat Ioab in scriptis faciendo specia-
lem matriculam de quolibet loco, & per illam pote-
rat rex scire multitudinem numeratorum. *Et inuenta*
sunt de Israel octingenta millia virorum fortium, qui educe-
rent gladium. Fuit enim per se computatus Israel, &
per se Iuda, & de Israel, ideſt, de 11. tribubus inuenta
sunt octingenta millia virorum fortium. Sciendum
autem quòd hic computantur omnes à 20. annis su-
pra quantumcunque essent senes. Si autem obiicia- B
tur, quòd illi non deberent vocari viri fortes propter
defectum ætatis, responsum est in octaua quæstione
huius. cap. *Et de Iuda quingenta millia pugnatorum*, ideſt,
de tribu Iuda fuerunt quingenta millia pugnatorum
vocando pugnatores omnes,qui sunt à 20.anno,& vl-
tra ad quamcunq; ætatem peruenerint.In quibusdam
Bibliis nostris habetur de Iuda: quinquaginta millia
pugnatorum,sed litera est corrupta: nam in Hebræo
habentur quingenta millia.Potuit tamen faciliter cor
rumpi litera apud nos propter similitudinem huius
nominis quingenta ad quinquaginta, potuit etiã fieri
hoc ex industria à quibusdam, qui sibi sapientes vide-
rentur considerantes summã Israel,scilicet, octingen-
ta millia, & erant 11.tribus. Visum est eis inconue- C
niens,quòd vna tribus haberet quingenta millia,& sic
æquaretur octo, vel nouem tribubus,ideo posuerunt
quinquaginta,quod visum est eis satis conuenire huic
numerationi. Sed falsum est: nam ex opinione erro-
nea procedunt nescientes veritatem literæ.

Vnde prouenit diuersitas numerationis hic, & primo Pa-
ralipom. Quæst. XIIII.

QVAERETVR, circa hoc,quomodo potest
stare ista computatio,quæ habetur hic quantũ
ad Israel,quia primo Paralipo.21.dicitur,quòd
erant valde plures, scilicet, mille millia, &
centum millia virorum educẽtium gladium.Quidam D
respondent ad tollendum istam diuersitatem, q non
fuit computata tribus Leui nec tribus Beniamin: vt
patet primo Paralip.21.& istæ duæ tribus continerent
trecenta millia, & sic numerus octingentorum mil-
lium perueniret ad mille millia, & centum millia. I
Aliter etiam dicunt,quòd Ioab faciebat hoc inuitus,vt
patet supra in litera, ideo expressit minorem summã
ipsi Dauid, quæ habetur hic, & vera summa habetur
primo Paralip.21.Istę duæ solutiones sunt Nicolai,sed
non stant. De prima enim patet, quia ipse vult, quòd
in ista summa,quæ habetur hic, non computetur Le-
ui, & Beniamin, quæ continerent trecenta millia, &
quòd computentur ista trecenta millia in illa summa,
quæ habetur primo Paralip.21.sed hoc falsum est,qa E
necesse est, quòd etiam præter Beniamin,& Leui sint
mille millia,& centum millia,vt patet alle. c. cùm di-
citur, deditque Dauid numerum eorum, quos circu-
erat,& inuentus est omnis Israel numerus mille mil- K
lio. & centum millia virorum:nam sequitur,vtiq; Le-
ui,& Beniamin non numerauit, eo quòd inuitus exe-
queretur imperium regis, & sic videtur quòd adhuc
vltra mille millia, & centum millia erant plures de Is-
rael,sed nõ computauit Ioab,Beniamin,& Leui,quia
fortè cum istis peruenirent Israel ad mille millia, &
quadringenta millia. Secunda solutio eius non stat,
scilicet, quòd faciebat Ioab inuitus: ideo expresserit
hic minorẽ summam, & ibi fuit maior expressa, quæ

A vera erat. Nam iam probatum est, quòd etiam illa,
quæ habetur primo Paralip. 21. non fuerit summa to-
talis, sed solùm non computato Beniamin, & Leui,
Aliter respondet Rab. Sa.s. quòd computauit Ioab Is- Ra. Salom.
raelitas, qui non erant certi, & alios, qui iam redacti opinio.
erant in summam non computauit.Pro quo sciendũ,
quòd disposuerat Dauid sic totum Israel, quòd per
12.menses anni ministraretur sibi à 12.tribubus,& in
quolibet mense ministraret vna tribus, scilicet, vnus
princeps vnius tribus, & cum illo. 24. millia virorum
illius tribus, & isti simul peruenirent ad complendũ
numerum.s.quia duodecies.24. millia efficiunt ducẽ-
ta octoginta octo millia:& dicũt, quòd præpositi istO-
rum erant duodecim millia,scilicet,de qualibet tribu
mille præpositi,& hoc modo peruenirent ad trecenta
millia, quæ deficiunt hic. Aliter etiam dicit hoc fieri
potuisse.s.quia fecit Ioab duas copias computatorum
vnam maiorem aliam minorem, vt ostenderet regi
minorem illarum ne superbiret, subticendo aliam. Si
tamen irasceretur propter paucitatem, ostenderet ei
aliam maiorem,scilicet,quę habetur primo Paralipo.
21. & quia Dauid non iratus est ostendit ei minorem,
scilicet,quę habetur hic.Sed dicendum quòd hoc nõ
stat:nam prima positio est falsa,quia vult Ra.Sa.quòd
ista summa, quę habetur hic,perueniat ad eam, quæ
habetur primo Paralip. 21.s.scribantur in summa ista
illi,qui erant officiales regis,scilicet,trecenta millia, vt
supra computatum est:sed hoc procederet si compu
tatus fuisset Beniamin, & tamen non fuit ista tribus
computata in ista summa,nec in illa,quæ habetur pri-
mo Paralip. 21. vt supra declaratum est, ideo non po-
test reduci ista summa ad illam per suppletionem of-
ficialium,quia tunc oportebat,quòd tam in ista quam
in illa computatus esset Beniamin. Item dato quòd
diceremus, vt alij volunt, scilicet, quòd hic non fuit
computatus Beniamin:& tamen fuit computatus pri-
mo Paralip.21.non stat,quia tunc non solùm deberet
subtrahi de ista summa copia officialium, sed etiam
summa totius tribus Beniamin. Secunda solutio non
stat.s.quòd faceret duas copias Ioab: maiorem, & mi-
norem,quia si vnam semel ostendisset regi,non aude-
ret postea maiorem ostendere, eo quòd rex irascere-
tur nimis ei, putans quòd voluisset fallere eum, & sic
superfluum esset fieri illas.Item non stat,quia qui hoc
tenent volunt, quòd maior summa illarum esset ve-
ra,& plena.s.illa,quę habetur primo Paralip.21.& quę
habetur hic esset diminuta, sed falsum est, quia sum-
ma Paralip.non est completa cùm etiam ibi non fue-
rint Leui,& Beniamin computati. Dicendum ergo
secũdùm veritatem, quòd nulla istarum summarum
est plena,s.nec ista,nec illa, quæ habetur in Paralip. &
hoc est,quia Ioab non computauit totum Israel, scili-
cet, omisit tribum Beniamin. & Leui. Istud autẽ fuit
propter duo, primò quia Ioab faciebat istud inuitus,
& noluisset aliquem computare,ideo nec voluit com
putare omnes tribus. Sic patet primo Paralip.21.scili-
cet: Nam & Leui, & Beniamin non numerauit, eo
quòd inuitus exequeretur regis imperium.Secũdum
fuit,quia dato quòd proposuisset Ioab computare to-
tum Israel,tamẽ prius quam finiret computationem,
s.nondum incepta tribu Beniamin, nec Leui,incepit
plaga à Domino propter computationem istam,ideo
cessauit Ioab à computatione,& cessauisset in quocũ-
que tempore si fuisset prius incepta plaga. Sic patet
primo Paralipo. 27.s.Ioab autem filius Saruiæ cœperat
numerare, nec compleuit,quia super hoc ira irruerat
in Israel. Et intelligitur, quòd non compleuit.s. quia
non computauit Beniamin, & Leui:vt dicitur primo
Paralip.21.& sic neutra istarum summarum est perfe-
ma,est tamen maior illa,quæ habetur in Parali.Causa

huius

Universidad de Deusto
Biblioteca

huius est, quia Ioab quando vidit, ꝙ plaga egressa erat F
à Domino multos computauerat, qui nõdum scripti
erant in lib. copiarũ principalium, & isti erant trecen-
ta millia virorum, ideo tulit ad regem illos, quos iam
redegerat in librum copiarum principalium, non cu-
rando redigere alia trecenta millia, eo ꝙ iam videbat
Deum irasci super hoc. Hoc patet 1. Paralip. 27. cùm
dicitur, Ioab autem cęperat computare, nec cõpleuit,
quia super hoc ira irruerat in Israel, & idcirco nume-
rus eorum, qui recensiti fuerant non est relatus in Fa-
stos regis Dauid, vocãtur autem Fasti, siue libri Fasto-
rum libri copiarum, in quibus scribebãtur noĩa. Et sic
non fuerunt oẽs scripti, qui numerati fuerunt. Vnde
quædam tribus nec fuerunt numeratæ, nec scriptæ,
ſ. Leui, & Beniamin, vt patet 1. Paralipo. 21. ſnã Leui,
& Beniamin non numerauit, & consequenter nõ po-
tuit scribere eos si non numerauit. Aliæ tribus fuerũt,
quæ numeratæ sunt, sed non fuerunt scriptæ. Et sic dr̃
1. Paralip. 27. idcirco numerus eorum, qui fuerant re- G
censiti non est relatus in Fastos regis. Considerandum
autem, ꝙ istud factum fuit sic. ſ. ꝙ Ioab non discurre-
bat per singula loca Israel tam magna quam parua cõ
putando oẽs, quia tunc non finiuisset in tam breui tẽ-
pore. ſin nouem mensibus: immo nec in tribus annis,
cùm regnum esset valde magnum, sed habebat Ioab
secum alios adiutores, vt patet supra in litera, quia dr̃,
ꝙ egressus est Ioab & principes militiæ à facie regis,
vt numerarent populũ. Mittebat ergo Ioab istos prin-
cipes per singula loca, & habebant illi libros suos par-
ticulares, in quibus describebãt nomina, & summam
computatorum, & erant isti multi libri, cũ essent mul-
ti principes numerantes. Ioab autem habebat librum
principalem, qui vocabatur Fastus regis, & in illũ redi- H
gebantur noĩa, & summa computatorum ſm ordinẽ
prouinciarum, & locorum trãscribendo de alijs libris
particularibus, vt postea ostenderetur regi solùm iste
liber magnus Fastorum. Deinde cũ iam computasset
Ioab, & principes totũ Israel pter Beniamin, & Leui,
audiuit plagam exiuisse à Domino pp hoc, & noluit
computare istas duas tribus, sed adhuc de alijs tribu-
bus computatis supererant trecenta millia, quę scripta
fuerant in libris particularibus principum, & nondum
redacta in Fastos regis, idest, in librum principalem
Ioab, & noluit Ioab redigere illa in lib. suo, quia sicut
putauit peccatum esse si vltra procederet in comp-
tatione, ita putauit si ageret aliquid pertinẽs ad illam:
pertinebat autem ad illam redigere libros particula- I
res, ideo noluit redigere: quod clare patet in litera alle-
gata, scilicet, ira Dei irruerat in Israel, & idcirco nu-
merus eorum, qui recensiti fuerant, non est relatus in
Fastos regis: & ob hoc Ioab veniẽs illico in Ierusalem
ostendit regi solùm summam illam, quæ erat in Fastis
principalibus, & ibi solùm reperta sunt octingẽta mil-
lia, quia trecenta millia deficiebant, quæ computata
erant in libris particularibus, & non fuerant redacta
in Fastos: sed postea ille, qui scripsit Paralip. non solùm
posuit summam, quæ erat in Fastis, sed etiam totum
quod erat in libris particularibus, quia illi libri mane-
bant, licèt non fuerint ostẽsi regi, sed solùm liber prin-
cipalis Fastorum. Sed obijcietur contra hoc, quia
primo Paralip. 21. dicitur, deditque Dauid numerum
eorum, quos circuierat, & inuentus est omnis Israel K
numerus mille millia, & centum millia, ergo totus
iste numerus datus est Dauid. Respondendum quòd
illa litera debet legi per intercisionem sententiæ, scili-
cet, dedit Dauid numerum eorum, quos circuierat,
idest, numerum illorum, quos redegerat in Fastos, nõ
tamen omnes redegerat, vt supra declaratum est. Et
inuentus est omnis numerus Israel mille millia, hoc
referendum est ad aliud tempus, scilicet, tunc non in-

uentum est tantum esse numerum ex Fastis regis, &
tamen postea computando ex libris particularibus,
qui non fuerant ostensi regi, inuentus est iste nume-
rus, alioquin autem impossibile est manere sine con-
tradictione, & concordare inter se, quæ habentur hic,
& primo Paralip. 21. & 27.

Quanta fuerit summa virorum tribus Iudæ.
Quæst. XV.

QVAERETVR vlterius circa summam tri-
bus Iudæ, quæ variè habetur hic, & 1. Paralip.
21. nam hic ponuntur quingenta millia, ibi au-
tem ponuntur trecenta septuaginta millia
solùm. Et si fortè poneretur hic minor summa quàm
ibi, posset solui sicut dictum est, scilicet, quòd quędam
pars virorum Iudæ redacta esset in Fastos regis, & alia
non, licèt tota tribus Iudæ recensita fuisset, sed è ꝺrio Rab. Sa-
ponitur, quia hic habetur maior summa. Ideo Ra. Da. lomon. Hugo.
Kimhi, & alij Hebræi dicunt, quòd id, quod superabũ-
dat hic ad summam illam, peste consumptum est. Sed
istud non stat, quia in peste, quæ accidit propter istam
computationem, solùm perierunt. 70. millia virorum,
vt patet infra. Dato ergo ꝙ omnes fuissent de tribu Iu-
da, qd̃ non est verisimile, immo est ꝺ literam, quia dr̃
infra ꝙ mortui sunt ex populo à Dan vsque Berſabee,
70. millia virorum, non defecissent tot. Item non stat,
quia non potest dici, ꝙ aliqui de morientibus in peste
diminuantur in illa summa, quia 1. Paralip. 21. dicitur
ꝙ inuentus est omnis Israel mille millia, & centũ mil-
lia: De Iuda autem trecenta septuaginta millia bella-
torum, & sic refertur ad tempus illud, quo inuẽtus est
iste numerus. ſin computatione Israelitarũ, ergo non
detrahuntur inde, qui peste perierunt. Itẽ quia eodem
modo detraherentur de summa aliarum tribuũ mo-
rientes in peste, sed nemo istud allegat in excusationẽ.
Dicendum igitur, quòd scriptura posuit hic, & ibi di-
uersum numerum, quia fortè hic cõputantur omnes
viri bellatores de tribu Iuda, & 1. Paralip. 21. comput-
tantur solùm illi, qui erant præter officiales, & scriptos
in matricula regis. Pro quo sciendum, quòd Dauid
habebat semper secum multos viros vbicunque esset,
quia interdum insurgebant contra eum bella repen-
tina, sicut factum fuit tempore Abſalonis, & isti oẽs
ferè erant de tribu Iuda, quia erat rex de illa tribu. Sic
enim Isboseth habebat omnes de tribu Beniamin tan-
quam custodes corporis sui, vt ait Ipsephus. 7. Antiq.
tatum, & hoc quia erat de illa tribu, præter hoc autem
habebat Dnuid multos ascriptos militiæ de qualibet
tribu, & maximè de tribu Iuda, eo ꝙ erant viri bella-
tores, & confidebat in illis, quamquam isti nõ semper
manerent cum eo, sed veniebant ad vocationem eius,
cũ ipse iuberet, & recipiebant stipendia ab illo, & oẽs
isti perueniebant ad centum triginta millia, ideo cum
essent iam scripti in matricula regis, non fuerunt de-
scripti in Paral. & sic peruenerunt ad trecenta septua-
ginta millia: hic autem descripta fuit tota summa
tam officialium, quam non officialium, & sic peruẽ-
nit ad quingenta millia. Aliter potest dici, ꝙ variant
summa, quia hic descripti fuerunt omnes viri, qui erãt
à 20. annis & supra, siue essent boni bellatores, siue
non: & in Paralip. ponuntur solùm illi, qui erant ele-
cti bellatores, & sic fuit summa minus. ſimilis modus
reperitur aliquando in scriptura. Nam ea, quæ electa
sunt ponuntur, & non curatur de non electis, sic enim
iudicum. 4. dr̃ ꝙ Iabin rex Asor habebat nongentos
currus, & tñ Iosephus. 5. Antiquitatũ dicit, ꝙ habebat
tria millia curruum, eo ꝙ scriptura loquitur de electis.
Iosephus autem de omnibus. Sic etiam Exod. 14. dr̃ ꝙ
Pharao tulit sexcẽtos curr⁹ electos, & qdqd curruum

in Aegypto fuit, & sic nominantur ibi currus electi in
numero certo, currus autem non electi non ponũtur
sub numero, ita scriptura Paralip. noluit ponere bella-
tores Iuda non electos, & hic ponuntur omnes tam
electi quam communes.

An in tribu Iuda potuit esse tanta multitudo virorum, quòd excederet multas alias tribus. Quæst. XVI.

QVAERETVR vlterius, quomodo tãta mul
titudo potuit esse in Iuda, scilicet, quingenta
millia virorum, & quòd in omnibus alijs vn-
decim tribubus essent solùm octingenta
millia, & sic in Iuda essent tot viri sicut in septem, vel
octo tribubus. Respondet Nicol. quòd tribus Iuda
erat bellicosior, ideo habebat plures bellatores quàm
multæ de alijs tribubus simul sumptæ. Vel aliter dicit
quòd bellatores de alijs nationibus coniuncti Dauid
computantur in sorte Iudæ, eo quòd Dauid erat de
tribu Iudæ. Sic enim fuit de Ethai, qui habuit secum
ſecentos viros Gethæos, vt patet supra 15. & sic ad
tantum numerum ascenderunt. Sed non stant istæ ra-
tiones. De prima patet, quia ista ratio procederet si for
te computarentur solùm illi, qui erant assignati ad mi
litiam, quia tunc illa tribus, quę esset bellicosior habe-
ret plures computatos, tamen hic Dauid voluit com-
putare totum populum, ideo non aspiciebatur quę tri-
bus haberet plures ascriptos militiæ, vel pauciores, sed
in qua tribu essent plures viri à 20. annis, & supra. Nã
ab illo tempore fecerat Dauid, quòd computarentur
omnes, vt patet primo Paralip. 27. ſ. Noluit autem Da-
uid numerare eos à 20. annis inferius, quia dixit domi-
nus vt multiplicaret Israel sicut stellas cœli: & sic com
putauit omnes à 20. annis, & supra. Itẽ non stat secun-
da ratio, scilicet, quòd propter eos, qui applicabantur
Dauid de alienigenis excederet tantum tribus Iuda,
quia non constat an alienigenæ computarentur cum
Israelitis, eo quòd Dauid iussit solùm numerari Israel,
& Iudam, vt patet supra in litera, sed nomine istorum
non intelliguntur alienigenæ. Item dato, quòd com-
putarentur alienigenæ cum istis, pauci erant alienige-
næ manentes cum Dauid, vnde non facerent notabi-
lem quantitatem in tribu Iuda. Item quod dicitur de
Ethai, quòd ille habebat ſexcentos viros Gethæos, fal-
ſum est sicut declaratum est. e. cap. Dicendum igitur,
quòd tribus Iuda excedebat tribus alias, sed nõ in tan-
ta quantitate sicut hic apparet, nam primo Paralip. 21.
dicitur, quòd in Israel erant mille millia, & centũ mil-
lia, & insuper tribus Beniamin, & Leui non fuerunt
computatæ, vt patet ibi, in quibus fortè essent ducen-
ta, vel trecenta millia, & sic accederet totus Israel ad
mille millia & quadringenta millia, vnde haberet tri-
bus Iuda tãtum sicut tres, vel quatuor tribus de Israel.
scilicet, quòd inter Israelitas essent tribus minoris nu-
meri. Hoc autem non est mirandum, quia semper tri-
bus Iuda fuit maior quacunque alia tribu à principio,
& interdum erat maior duabus, vel tribus tribubus.
Quod patet ex duabus computationibus factis in de-
serto exeuntibus Israelitis de Aegypto, nam in prima
computatione tribus Iuda habuit 74. millia. In alijs
autem tribubus erant pauciores viri, quia in quibuſ-
dam 30. millia, in alijs 35. & 40. & sic ſecundùm varios
modos, vt patet Num. 1. Sic etiam fuit in alia compu-
tatione, quæ facta est anno. 40. ab exitu de Aegypto, in
qua tribus Iuda excessit alias. De hoc Num. 26. Nec
erat nunc mirum quòd excederet quamcunque tri-
bum, & quòd haberet tantum sicut tertia pars omniũ
tribuum Israel: nam in prima, & secunda numeratio-
ne in deserto fuit tribus Iuda quasi pars quinta omniũ
tribuum Israel, postea autem multiplicata est ista tri-

A bus plus quam aliæ & peruenit ad hoc, quòd haberet
tantum sicut tertia pars omnium tribuum. Patet, quia
dicebatur, quòd in computatione prima, & secunda
deserti peruenerunt Israelitæ ad 600. millia, & parum
plus. Num. 1. & 26. & tribus Iuda fuit tunc. 74. milliũ,
quibus detractis de totali summa, manebit summa
totius Israel, scilicet, vndecim tribuum, quingenta vi-
ginti sex millia, & horum erit tribus Iuda quinta, vel
sexta pars, postea autem quia multum creuit facta est
tertia pars totius Israel.

Percussit autem. Hic ponitur tertium huius, c. ſ. facti
punitio. Et diuiditur in tres partes, quia primò ponitur determinatio pœnæ, secundò executio iustitiæ, ibi. *Immisit Dominus*. Tertiò placatio offensæ, ibi.
B *Venit Gad*: Circa primum dicitur. *Percussit autem cor Dauid eum postquam numeratus est populus.* Idest, conscien
tia Dauid, quæ vocatur cor remordit eum postquam
populus numeratus est. Simile habetur præceden. lib.
cap. 24. ſ. post hæc percussit cor suum Dauid, eo quòd
abscidisset oram clamidis Saul, idest, remordit eum
conscientia quasi peccasset abscindendo oram vesti-
menti. Et dicitur, postquam numeratus est populus,
quia prius non doluit Dauid de peccato, immo dato
quòd Ioab, & alij principes suasissent ei, ne faceret, no-
luit assentire, vt patet hic, & primo Paralip. 21. *Et dixit ad Dominum, peccaui valde in hoc facto*. Idest, computan-
do populum, ex hoc apparet, quòd Deus elegerat Da
uid, & non poterat perire, quia quamquam peccasset
C immediatè dolebat valde, Deo incitante eum ad do-
lendum, vt per hoc satisfieret sibi. Sic enim cùm pec-
casset in facto Bethsabee, & Vriæ, & nunciasset ei hoc
Nathan propheta, dixit immediatè, peccaui: & tunc
propheta intulit, & Dominus trãstulit à te peccatum.
Sic etiam hic, cùm peccatum istud esset graue, Dauid
doluit nimis confessus se peccasse, ideo non perijt.

Punitio propter numerationem populi.

Cor pro cõscientia.

In quo fuit peccatum numerationis populi.
Quæst. XVII.

QVAERETVR, in quo fuit peccatũ huius
numerationis. Aliqui respondent quòd hoc
fuit, quia Israelitæ computati non soluerunt
D summam siclorum, sic tenet Rab. & Nic.
& Andre. nam statutum erat Exod. 30. quòd quando
tolleretur summa Israelitarum, singuli darent preciũ
pro animabus suis Domino, & non esset in eis plaga
disperdens, alioquin videtur, quòd plaga est super il-
los: hic autem non dederunt precium. ſ. dimidium si-
cli, ideo pestis secuta est. Sed dicendum quòd quam-
quam peccaret Dauid computãdo Israelitas sine pre-
cio, tamen non erat in hoc principaliter peccatũ, quia
tunc Ioab non restitisset Dauid ne computaret, dicẽs:
quid Dominus meus quærit, quod in peccatum repu-
tetur Israeli. Et iterum, nonne domine mi rex omnes
serui tui sunt? primo Paralip. 21. Si tamen Ioab putas-
set peccatum esse in non soluendo siclos, nõ dixisset,
E quòd Dauid non computaret, sed quòd fãceret, quòd
quilibet solueret dimidium siclum, ipse tamen non
institit in hoc, sed solùm, ne Dauid computaret Israe-
litas, dicens esse inutile, ſ. nonne omnes serui tui sunt?
ideo videtur, quòd peccatum consistebat in alio prin-
cipaliter, & non in non soluendo siclos, vnde quam-
quam Dauid computasset populum nunc, & daret
siclos, peccaret, & sequeretur pestis, quia irrationabi-
liter agebat. ſ. computando nullam habens causam.
Dicendum ergo quòd Dauid peccauit in duobus. Pri-
mò quia computauit Israel sine causa cùm sciret, ꝙ
poterat sequi periculum ex computatione. Etiam
quia computabat ex superbia. ſ. vt sciret quot erant
subditi eius, sed quidquid sit ex superbia iniquum est,

Prima resp. nostratium.

Secundò

Universidad de Deusto
Biblioteca

Secundò peccabat,quia cùm computaret, non faciebat quòd solueret siclos. Et dicendum adhuc quòd dato quòd licitum esset computari Israel tam cū causa quam sine causa,dum tamen soluerētur sicli,adhuc peccaret Dauid computando Israelitas non habendo causam, quia cogeret quemlibet soluere dimidium siclum inutiliter, & si non solueret sequeretur pestis.Considerandum tamen q̄ Dauid poterat licitè cōputare Israelitas si habuisset aliquam causam, vtpotè quia vellet ire ad bellum, & vellet scire quot bellatores habebat:vel ex alijs causis similibus,vtpotè si vellet constituere tributum super totum Israel,& ad hoc faceret matriculam redigendo omnes in numerum.Sic enim Romani subiecto sibi orbe toto tempore Octauiani, vt omnes homines profiterentur se subditos illis,faciebāt omnes homines orbis describi,singulos in ciuitatibus suis,& quod quilibet solueret vnum denarium profitendo se subditum Romanis,vt patet Luc. 2.si autem similem causam habuisset Dauid,& vellet facere,quòd totus Israel numeraretur,vt singuli profiterentur se subiectos, poterat iuste numerare omnes, & non fuisset secuta plaga. *Sed precor Domine, vt transferas iniquitatem serui tui.* Ideſt,vt tollas pœnam huius peccati à me nę moriar pro hoc. *Quia stultè egi nimis.* Ideſt,valde fui insipiens in peccādo,ideo dignus eram morte,sed oro vt transferas illam à me. Hoc dixit Dauid eruditus verbo Nathan, nam supra 12. quando Dauid dixit pro facto Vriæ: peccaui,subdidit Nathan, Dominus quoque transtulit peccatum tuum, non morieris: nunc ergo orauit, vt Dominus transferret peccatum.

Quæ fuerit oratio Dauid pro ira Dei auertenda.
Quæst. XVIII.

QVAERETVR, quomodo Dauid dixit,precor vt trāsferas iniquitatem.i.pœnam debitam, quia infra dixit contrarium, quando vidit Angelum percutientem, scilicet,vertatur obsecro manus tua contra me, & contra domum patris mei. Respondendum q̄ Dauid orabat hic vt transferretur iniquitas, non quidem q̄ transferretur iniquitas eius ad aliquem alium,sed quòd transferretur simpliciter,& non puniretur quisquam, & hoc ex benignitate magna Dei:postea autem vidit q̄ moriebatur totus populus subitò, & Dauid adhuc putabat maiora mala futura quàm accidissent,ideo putans hoc iniustū q̄ ipse,qui peccauerat nō puniretur, & totus populus, qui innocēs erat periret, dixit ad Angelum:ego sum, qui peccaui:ego sum qui iniquè egi,isti oues sunt, qd fecerunt? conuertatur obsecro manus tua contra me, & contra domum patris mei. Et tunc verè eligebat Dauid mori ne totus populus moreretur, & si à principio putasset pœnam suam sic transferendā in alios, non orasset quòd transferretur. Vel potest dici, quòd Dauid dixit illud non desiderans, quòd ipse occideretur, sed quia ista sunt verba spiritus contribulati, vt Deus misereretur ei, sciens quòd Deus non despicit cor contritum & humiliatum, & sic factum est: nam mox vt dixit ista verba, iussit Deus cessare Angelum à percussione, vt patet primo Paralip. 21. *Surrexit itaque Dauid mane.* Istud intelligitur de die illa, in qua propheta Gad venit ad Dauid, & illa die surrexerat mane, quia Dauid iam erat sibi conscius peccati, & affligebat seipsum,vt Deus remitteret ei culpam,vnde nō vacabat delitijs manens in thoro vsque ad magnam partem diei, sicut viris delitiosis solitum est:sed surrexit diluculo,vt inuocaret dominum. *Et sermo Domini factus est ad Gad prophetam, & videntem.* Ideſt, Deus dixit prophetæ Gad vt iret ad Dauid,& proponeret ei ista, quæ sequuntur. Et vocatur hic Gad propheta & videns: sed istud est dictum ex superabundantia:nam propheta & videns idem sunt, vt patet præced. lib. c. 9.scilicet,qui enim propheta hodie dicitur,vocabatur olim videns. Sed dicendum quòd ista dicuntur propter duas rationes, licèt realiter non differant: nam propheta dicitur inquantum cognoscit aliqua futura: videns autem appellatur inquantum videt aliqua abscondita,quæ alij non vident,vt ait Hieron.in Epistola ad Paulin. & tamen ista duo eidem conueniunt. *Dicens, vade,& loquere ad Dauid, hæc dicit Dominus.* Scilicet, non erubescas, nec timeas dicere ei ista, quæ sequuntur, quamquam sint contra eum. *Trium datur tibi optio.* Ideſt, datur tibi locus eligendi de istis tribus, quid potius pati velis.In Hebræo habetur. *Tria ego pono super te.* Ideſt,vnum de tribus,vel do tibi potestatem eligendi vnum de tribus. *Elige vnum quod volueris ex his, vt faciam tibi.* Ideſt, accipe tu quod volueris, quia oportet quòd vnum de tribus ego faciam.

Quare Deus dixit Dauid,trium datur tibi optio.
Quæst. XIX.

QVAERETVR, quare Deus dixit,trium datur tibi optio. Respondet Rab. Salom. quòd posuit ista tria propter tria, quæ dixit Dauid contra Saulem præced.lib. cap.24.scilicet, viuit dominus,quia nisi dominus percusserit eum,aut dies eius venerit, vt moriatur: aut descendens in prælium perierit, propitius sit mihi dominus,vt non mittam manum meam in Christum Domini. Sed non stat, quia Dauid non peccauit dicendo illa, sed potius meruit valde, quia per hæc professus est se nequaquā occidere velle Saulem, licèt ille esset iniquus, sed declarabat modos, quibus poterat mori Saul, quorum nullus ab ipso infligeretur. ideo debebat pro hoc allegaro quod bonum sibi retribui, & sic ipse petiuit allegando cap.& etiam Saul petiuit, dicens: Dominus reddat tibi vicissitudinem hanc pro eo quòd operatus es in me hodie: ergo non debebat proponi ei aliquid pœnale sicut ista tria sunt. Dicendum igitur, quòd Deus fecit hoc ex benignitate, quia licèt Dauid mereretur determinatè quamlibet harum, vel forte omnes tres simul, tamen clementia Dei dedit ei electionem, quia leuius est cùm datur alicui electio in malis sustinendis, quàm cum determinatè aliquod malum imponitur, & hoc propter duo. Primò quia habens optionem potest eligere minorem pœnam de propositis, vel saltem eam, quam reputat sibi tolerabiliorem. Secundò quia dato quòd omnes pœnæ sint æquales, cùm tamen datur alicui optio inter tres, vel quatuor pœnas, cùm ipse determinat se ad vnam illarum,est sibi illa minus inuoluntaria inquantum habet circa eam aliquem actum volūtatis,quem non habet circa alias: & quando aliquis actus est magis voluntarius, vel saltem minus inuoluntarius, est minus grauis ad portandum, cùm dolor sit de eis, quæ nobis nolentibus accidunt, ergo diminuta ratione inuoluntarij,diminuitur ratio doloris:vt ergo esset minor pœna, dedit Deus electionem Dauid. *Cum venisset Gad ad Dauid nuntiauit ei.* Scilicet, ista, quæ sequuntur,quæ Deus dixit. *Septem annis veniet tibi fames in terra tua.* Ista erat vna de pœnis quarum Deus dabat optionem.

Quare

Quare ponuntur hic septem anni, & primo Paralip.3. quibus esset famis. Cap. XX.

QVAERET aliquis, quomodo dicitur hic: septem annis veniet tibi fames:quia primo Paralip. 21. dicitur tribus annis. Respondet Rab. Da.Kimhi,quòd Deus solùm volebat mittere tribus annis famem:dixit tamen septem annis cōtinuando se ad præcedentem famem, scilicet, supra fuerant tres anni famis pro peccato Saulis,supra. 21. deinde cessante fame cœperat quartus annus, qui erat sterilis,& nunc proponebat Deus,quòd venturi essent tres anni famis si Dauid illos acceptaret, & sic continuando istos ad præcedentes essent septem anni quasi continuæ famis. Sed hoc non stat, quia Deus loquebatur hic de pœna, quæ ventura erat, cùm dixit: septem annis veniet tibi fames, ergo non computantur hic anni famis præteritæ. Dicendum igitur, quòd Deus proposuit Dauid de septem annis sicut hic dicitur, scriptura tamen primo Paralipom.21.subticuit quatuor annos illorum, & istud non est notum in scriptura, quòd quando aliquid narratur in duobus locis, ponatur interdum in vno loco maior numerus quàm in alio, sic fuit supra: nam computando totum Israel, ponitur maior numerus primo Paralipom. 21. quàm hic: & computando Iudam, ponitur hic maior numerus quàm ibi: non est ergo inconueniens, quòd in annis famis fiat variatio. Aliter dici potest, quòd Deus volebat mittere septem annos famis, & tamen in quatuor illorum futura erat parua fames, ita quòd non iudicaretur vera fames, & in tribus annis erat futura fames grauissima, ideo in Paralipom. facta est mentio de annis famis grauissimæ solùm, & hic tactum est de omnibus annis. Similè enim sæpe reperitur,vt cùm scriptura aliquando numerat ea, quæ electa, vel magna sunt: & subticet ea, quæ sunt parua, sicut declaratum est supra de viris Iuda in 15. quæstione de diuersitate numeri hic & in Paralipom. Aliter etiam dici potest, quòd Deus iuberet prophetæ, vt proponeret Dauid septem annos famis, & si videretur ista conditio grauissima Dauid, & non acceptaret eam, quòd proponeret ei, an vellet sustinere tres annos famis, & proponente Gad Dauid: & sic ponuntur hic septem anni, qui à principio fuerunt propositi. 2.& primo Paralip. 21. ponuntur tres anni,qui fuerunt secundariò positi.

Cùm Deus proposuerit hic tres pœnas, quare fuerunt inæquales tempore. Quæst. XXI.

QVAERETVR vlterius, cùm Deus proposuerit hic tres pœnas,scilicet,famem, hostes, & pestem,cur proposuit eas inæquales,scilicet,famem septem,vel tres annorum, & hostes trium mensium, & pestem trium dierum. Respondendum, quod Deus voluit ponere tres pœnas quasi æquales in magnitudine,vt electio inter eas esset difficilis, & quia si istas fecisset æquales in tempore, fuissent valde inæquales in magnitudine, voluit eas tantum facere inæquales in tempore, vt fierent æquales in magnitudine, sic enim in quolibet composito sunt quatuor elementa in virtute, & tamen ad hoc, quòd possit manere compositum, non sunt in æqualitate, sed in proportione: & sic secundùm inæqualitatem suam faciunt æqualitatem compositi. Ita igitur hic, nam certum est, quòd vnus annus pestis grauior est, quàm vnus annus famis, & quàm vnus annus hostiū: ideo sicut pestis excedit hostes, & hostes excedunt famem secundùm magnitudinem pœnæ:ita è contrario tempora famis debuerunt esse maiora quàm tempora belli, & tempora belli sunt maiora quàm tempora pestis. Vnde potest dici, quòd septem anni famis, & tres menses hostium, & tres dies pestis secundùm mensuram, quam Deus intendebat inducere ista, æquale malum inflictura erant. Vnde qualitercumque Dauid eligeret,æquale malum, licèt per diuersos modos, in populo secuturum erat. *Aut tribus mensibus fugies aduersarios tuos.* Ista erat secunda pœna,scilicet,q̄ hostes persequerentur Dauid.

Quare Dauid non elegit quòd hostes persequerentur eum tribus mensibus,cùm videretur parua pœna. Quæst. XXII.

QVAERETVR, quare Dauid non elegit istam pœnam,quia ista videbatur modica,nam fortè in illis tribus mensibus hostes non insurgerent contra Dauid, & sic esset liber ab omni pœna. Vel dato,quòd insurgerent,Dauid & totus populus laterent intra vrbes suas non egrediendo ad pugnandum, sed solùm defendendo se intra loca murata,& sic non posset eis infligi magnum malum. Respondendum, quòd ista pœna hostilis erat grauis, sicut quælibet aliarum,vt præceden.q.dictum est,quia nihil magis mali inducendum erat per vnam pœnam, quàm per aliam, licèt variè induceretur: & quando putatur,quòd fortè in illis tribus mensibus non insurgerent aduersarij, non est concedendum, quia Deus proponebat incitare eos contra Dauid, & certissimè persequerentur eum:quod patet in litera, scilicet, aut tribus mensibus fugies aduersarios tuos, & illi te persequētur,ideſt,sic erit quòd tu fugies à facie ipsorum, & ipsi persequentur te quocumque iueris. Cùm autem dicitur, quòd Dauid, & viri sui laterent intra vrbes muratas quamquam persequerentur eos hostes, & non possent eis nocere. Dicendum q̄ valde nocerent,scilicet,quia Deus daret hostibus Iudæorum animositatem, & vires, vt inuaderent Iudeos accerrimè pluſquam vnquam inuaserāt: sic enim fecit dominus in Chaldæis,quādo duxit eor super Israelitas, nam dedit eis fortitudinem magnam vt destruerent Iudæos. Sic patet Isa.5. scilicet. Et eleuabit signum in nationibus procul,& sibillabit ad eum de finibus terræ, & ecce festinus veniet velociter, non est deficiens, nec laborans in eo, non dormitabit, nec dormiet, nec soluetur cingulum renum eius, nec rumpetur corrigia calciamenti eius: sagittę eius acutæ, & omnes arcus eius extenti: vngulę æquorum eius vt silex, & rotæ eius quasi impetus tempestatis. In quibus omnibus significatur aptitudo pugnandi, & fortitudo, quam Deus dedit Chaldæis, quos vocauit ad destruendum Iudæos. Idem patet Habacuc primo, vbi dicitur de Nabuchodonosor: Domine in iudicium posuisti eum, & fortem vt corriperes fundasti eum: ideſt, Deus fecit Nabuchodonosor fortem, vt corriperet Iudæos per eum. Rursus autem Deus incuteret timorem Iudæis, vt non auderent resistere hostibus, quia sic Deus inducebat in pœnam super illos, quando volebat, vt patet Leuitic. vigesimosexto: Sed qui remanserint de vobis, dabo pauorem in cordibus eorum, in regionibus hostium,terrebit eos sonitus folij volantis, & ita fugient quasi gladium: cadent nullo persequente, & corruent singuli super fratres suos quasi bella fugientes: nemo vestrum inimicis audebit resistere: peribitis inter gentes, & hostilis vos terra consumet. Poterant ergo

Universidad de Deusto
Biblioteca

facere hostes malum Israelitis, si eligeret Dauid pœ- F
nam ab hostibus.

Quomodo inimici contra Dauid tam cito concitari poterant.
Quæst. XXIII.

QVAERETVR vlterius, quomodo, cùm Israelitæ nunc non haberent hostes, qui auderent insurgere contra eos, nec desiderarẽt hoc nimis, concitari poterant contra ipsos ad hoc quòd persequerentur eos tam durè in tribus mẽsibus. Respondendum ꝙ quamquam nullus de Gentilibus nunc auderet surgere contra Hebræos: immo dato, quòd nullus eorum desideraret pugnare contra illos, Deus moturus erat corda Philisthinorum, vel G
aliarum gentium, vt persequerentur valde Israelitas. Est enim cor hominis in potestate Dei, & potest illud mouere ad quamcumque affectionem, vel desideriũ. Sic patet Prouerb. 21. scilicet, Sicut diuisiones aquarum, sic cor regis in manu domini, & quocunque voluerit vertet illud: ideo potest Deus mouere hominẽ ad iram interdum, & iterum ad gaudium, vel ad timorem, vel ad audaciam. Sic enim Deus interdum mouebat corda gentilium, vt non desiderarent, nec auderent insurgere contra Iudæos, sic fiebat quolibet anno ter quando ascendebãt Iudæi in locum sanctuarij: nam dimittebant vrbes suas vacuas non manente aliquo viro in eis, & tamen hostes scientes hoc, nec desiderabant nec audebãt inuadere illas, vt patet Exo. H
34. scilicet, Cùm tulero gentes à facie tua, & dilatauero terminos tuos, nullus insidiabitur terræ tuæ ascendente te, & apparente in conspectu domini Dei tui ter in anno. Ita poterat mouere è contrario omnes gentes, vt desiderarent pugnare contra Iudæos, & sic subuerterent eos. Sic patet Iudic. 3. quòd Israelitæ addiderunt peccare in conspectu domini, qui confortauit aduersus eos Eglon regem Moab, & copulauit ei filios Ammon, & Amalec. Sic etiam Deus dicitur vocare aliquas gentes, vt veniant ad pugnandum contra Iudæos, quia ponit in cordibus eorum, quòd hoc valde desiderent. Sic patet Isai. 7. scilicet, In die illa sibillabit dominus muscæ, quæ est in extremo fluminum Aegypti, & api, quæ est in terra Asur: & I
venient & requiescent omnes in torrentibus vallium, idest, Deus vocabit istas duas gentes, quæ significantur per muscam, & apem, vt veniant ad pugnandum contra Iudæos, & impleant totam terram eorum.

Deum mouere cor hominis ad aliquid operandum.

Quòd autem Deus moueat spiritum hominis, & per hoc inducat eum, vel ad agendum aliquid, vel ad fugiendum, patet 4. Reg. 19. vbi cùm rex Ezechias timeret, quòd Senacherib, qui erat prope Ierusalẽ & minabatur Iudæis destruere illam, dixit Deus: Ecce ego immittam ei spiritum, & audiet nuntium, & reuertetur in terram suam, & deijciam eum gladio in terra sua. Et sic dicitur, immittam ei spiritum, idest, desiderium, scilicet eundi in terram suam. Patet ergo, quòd facile erat, quòd Deus commoueret quascumque gentes contra Iudæos ad magnam, vel paruam iram, sicut ipse vellet, & insuper dare eis robur, & animositatem pugnandi, sicut declaratum est in alia quæstione.

Quare Dauid non acceptauit pœnam hostilem.
Quæst. XXIIII.

QVAERETVR vlterius, quare Dauid non acceptauit istam pœnam de persecutione hostili, quia dato quòd hostes eis nocerent, magis tamen poterant cauere ab eis quàm à peste, vel à fame. Respondendum quòd sicut supra dictum est, Deus inducturus erat æquale malum Iudeis, quamcumq; istarum pœnarum eligerent: erat autem horrenda Dauid pœna hostium. i. quia cæteris paribus potius vult homo pati à quocunque extraneo quã ab hoste: immo potius vult quis pati ab amico vel extraneo aliquam pœnam grauiorem quàm ab hoste aliquam minorem, eo ꝙ subijci hosti est valde inuoluntarium, & pœnale. Item puniri ab hoste non solũ est pœna, sed etiam vindicta, quia sentit quis quòd hostis suus sumit de eo vindictam per hoc, ꝙ infert ei pœnas, & hoc facit pœnam grauiorem. Item puniri ab hoste non solùm est pœna, sed etiam ignominia, puniri autẽ à Deo, vel ab aliquo extraneo est pœna solùm, ideo tolerabilior fit. Item recusauit hoc Dauid, quia putabat quòd hostes possent facere plura mala quàm fames: nam si Deus immitteret hostes, essent grauissimi, & non auderent Israelitæ exire ad pugnandum cum eis, sed defenderent se intra vrbes suas, & hostes vastarent totam regionem, ita vt nihil omnino arborum, & vinearum, aut cæterarum plantationum maneret in terra: & in hoc redderetur terra omnino inutilis plusquam si fame premeretur. Item hostes interdum inuaderent aliquas vrbes Iudæorum quas caperent, & ibi crudeliter laniarent Hebræos, & hoc erat intolerabilius quàm ꝙ peste multi simul morerentur, iõ non fuit aliqua pœnarum, quam Dauid minus acceptaret quàm hostes, vnde dixit. melius est, vt incidam in manus domini, multæ enim misericordiæ eius sunt, quã in manus hominum. q.d. melius est incidere in manus Dei, tolerando pestem, vel famem quàm in manus hominum, scilicet, tolerando hostes: quia multæ misericordiæ Dei sunt, idest, q̃uis infligat magnas pœnas, tamen infligit eas misericorditer, homines autem puniunt crudeliter. *Et illi te persequentur.* Idest, quòd tribus mensibus semper aduersarij persequantur te, & tu semper fugias non potens resistere illis, & fugiendo multi de tuis moriantur. *Aut certè tribus diebus erit pestilentia in terra tua.* Scilicet, pestis immissa à domino. Primo Paralip. 21. dicitur: Aut tribus diebus gladium domini, & mortem versari in terra, & Angelum domini interficere in vniuersis finibus Israel. Ista pœna posita est paucorum dierum, quia in tribus diebus poterant valde multi perire de populo, immo totus populus posset perire in vna die. *Nunc ergo delibera, & vide quid respondeam ei, qui me misit.* Idest, quia dedit tibi Deus optionem, delibera quid tibi magis expedit, vt ego possim respondere Deo per hoc. Dicebat autem istud propheta, quia cùm omnia hæc dura essent, ad nullum illorum inclinaretur sponte Dauid, vnde maneret multis diebus in deliberatione, immo si permitteretur, nunquam deliberaret, vt nũquam pateretur aliquid horum, ideo propheta instituit valde, vt immediatè deliberaret. In Hebræo habetur. *Scias, & vide.* Vbi nos dicimus, delibera, & vide, sed idem est.

K *Quare Gad voluit respondere Deo, cùm omnia sibi nota sint. Quæst. XXV.*

QVAERETVR, quomodo propheta Gad debebat respondere Deo, vel ad quid rñderet. Dicendum ꝙ prophetam respõdere Deo, vel non respondere super deliberatione Dauid nihil differebat quantum ad Deum, quia per istam responsionem non certificaretur Deus de electione Dauid, quia sine hac responsione nouerat eam. voluit tamen respõdere Deo, quia fortè Deus ei iusserat, quia modo humano, vt postquam ipse responderet super electione Dauid, posset Deus dicere propheta Gad ꝙ iterum iret ad Dauid, & denuntiaret ei, ꝙ parare[t se] ad

ad pœnam, quæ infligenda erat. Cùm autem quæritur, A
quomodo respondere posset Gad Deo. Dicẽdum est ꝙ non erat sic de responsione prophetæ ad Deum sicut est de locutione Dei ad prophetam, quia Deus loquitur prophetæ quando vult, propheta tamen nõ habet Deum præsentem ad loquendum ei quandocũq; voluerit, ideo prophetæ quando à Deo petunt, vt detur sibi responsum super aliquo, orant & ieiunant ꝙtinue per aliquot dies quousq; Deus reuellet eis id, qđ petunt. Sic fuit de Ieremia, qui decem diebus ieiunauit & orauit, quousque Deus respondit ei ad qõnem propositam. Iam deberent descendere Israelitæ in Aegyptum Ier. 42. Daniel quoque interdum tribus hebdomadis ieiunabat, & orabat continuè, vt haberet solutionem propositi dubij, vt patet Daniel 10. De prophetia Gad sic fieri debuisset hic, si fortè ipse propriã causam ageret, scilicet, quòd ipse peteret aliquid, qđ pertineret ad eum, vel ad aliquem alium: nunc tamen exercebat negocium Dei, quia ipse miserat eum ad Dauid, vt eligeret in his tribus, ideo mox vt rediret inueniret paratum Angelum Dei in humana effigie, cui responderet tanquam Deo. Nam licèt Deus posset pluribus modis reuelare aliquid prophetę, vt sæpe declaratum est, & habetur Num. 12. tamen propheta non potest loqui Deo, nisi apparente sibi Angelo in humana effigie, aliàs nesciret, cui loqueretur, & an proficeret aliquid ista locutio. Vnde non oportuit, nunc morari Gad per plures dies in oratione ad hoc, quod appareret ei Angelus, sed illico apparuit siue in domo sua, siue in alio loco secreto, ne oculis hominum pateret. *Dixit autem Dauid ad Gad, Coarctor nimis.* Idest, nimis affligor proposita mihi tali electione, quia nihil istorum est, quod desiderari bonum: sit primo Paralipo. 21. dicitur, ex omni parte angustiæ me premunt, idest, quælibet istarum conditionum est grauis. In Hebræo dicitur. *Tribulor nimis.* Sed idem est. Est tamen conuenientius coarctor, eo quod significat perplexitatem, quæ est sine eunsione. *Sed melius est, vt incidam in manus Domini.* Idest, melius est sustinere pœnam immissam à Deo, quàm incidere in manus hominum sustinendo pœnam immissam ab illis.

Quomodo aliquando melius est incidere in manus Domini, aliquando è contrario. Quæst. XXVI. D

QVAERETVR, quomodo dicitur hic, melius esse incidere in manus Dei quàm hominum, quia Daniel. 13. dicitur, quòd melius est incidere in manus hominum, quàm Dei, sic enim dixit Susanna illis senibus, qui volebant eam cognoscere per adulterium. Respondendum quòd melius est incidere in manus Dei, quàm in manus hominum, cùm ab vtroq; pœna temporalis imponenda est: si tamen à Deo est imponenda pœna æterna, & ab homine pœna tẽporalis, melius est incidere in manus hominum quàm in manus Dei. Nunc autem Dauid sustinere debebat pœnam temporalem solùm, vel corporalem, s. mortem, quæ quamquam æterna sit, tamẽ corporalis est, ideo voluit potius pati à Deo quàm ab homine, eo ꝙ Deus mitius tractat, homines autẽ crudeliorem punitionem exercent. In Susanna autem erat per contrarium, quia si vellet incidere in manus Dei, peccaret mortaliter, scilicet, fornicando, & propter hoc puniretur à Deo æternaliter: si autem incideret in manus hominum, esset ista pœna tpalis. s. quia occideretur solùm, ideo securius fuit incidere in manus hominum. *Multæ enim misericordiæ eius sunt.* Idest, melius est incidere in manus Dei, quia ipse valde misereatur, homines autem non miserentur. Et hoc dicebat propter duo. Primò quia quamquam Deus infli-

Alph. Tost. in Secundum Regum.

gat tantam pœnam sicut homo, tamen infert eã cum minori atrocitate, & videtur cuiq; tolerabilior, hominis autem maximè hostes puniunt cum quadã atrocitate, quæ in se importabilior est quàm ipsa pœna. Secundum est, quia si Dauid eligeret pœnam à Deo, credebat ꝙ fortè Deus exoratus remitteret aliquid de pœna, si tamẽ incideret in manus hominum nihil exorati dimitterent. Elegit ergo potius pœnam à Deo.

Quam pœnam elegerit Dauid de tribus.
Quæst. XXVII.

QVAERETVR, cùm dixerit Dauid, quòd melius est incidere in manus Dei quàm hominum, quam pœnam elegit per hoc. s. pestẽ, vel famem, nam vtraq; à Deo ventura erat, ipse. n. cãturus erat sterilitatem terræ, vel missurus Angelum percutientem. Responderi potest dupliciter, vno modo ꝙ Dauid elegit per hoc pestẽ, quia licèt vtraq; pœna à Deo sit, tamen pestis magis est à Deo, eo ꝙ fames aliquo modo pendebat ex dispositione terræ, pestis autem solùm veniebat ab Angelo percutiente. Secũdo dici potest, quòd Dauid refugerit vnam istarum trium, scilicet, persecutionem ab hostibus inquantum dixit, quòd nolebat incidere in manus hominum, & tamen de alijs duabus nullam elegerit, sed reliquerit in dispositione Dei quid potius agere vellet: vnde dixit, quòd volebat incidere in manus domini, & Deus C
postea elegerit mittere pestem. Aliter dici potest, ꝙ Dauid elegit pestem, & quamquam per ista verba nõ appareat quid potius elegerit, tamen credendum est, quòd adiecerit aliqua alia verba, per quę pateret ipsum velle pestem: & ista positio vel prima est conueniens, secunda autem non tantum, eo quòd propheta Gad inquietabat nimis Dauid vt responderet, dicens: nunc ergo delibera, & vide quid respondeam ei, qui misit me: & sic nõ est verisimile, quòd propheta Gad desisteret à Dauid quousq; determinatè eligeret quid vellet. In Hebræo habetur. *Ponamus nos nunc in manibus Domini, & in manu hominis non me ponam.* Idest, ponamus nos ad hoc, quòd Deus puniat nos qualiter voluerit, & non ponamus nos in manibus hominum. Et idem est quòd illud, scilicet, melius est, quòd incidam in manus Dei quàm in manus hominum. *Immisitque.* Hic ponitur secundum, scilicet, executio pœnæ, quia dominus misit pœnam illam, quam elegit Dauid, scilicet, pestem, & dicitur. *Immisitque dominus pestilentiam in Israel.* Idest, in totum Israel. Ex quo patet quòd non solùm perierunt de Iuda, sed etiam de omnibus alijs tribubus mortui sunt: nam nomine Israel necesse est intelligi omnes 12. tribus, vel saltem 11. sine Iuda. Patet etiam, quia dicitur infra, quòd mortui sunt ex populo à Dan vsque Berſabee, & tamen isti sunt termini totius Israel, & non solius Iuda: ideo necesse est intelligi de omnibus tribubus perijsse aliquos.

An ista pestis venerit naturaliter, vel supernaturaliter.
Quæst. XXVIII. E

QVAERETVR de ista peste, an venerit naturaliter, vel supernaturaliter. Aliquis dicet manifestum esse, quòd venerit supernaturaliter, quia dicitur in litera, quòd immisit dominus pestilentiam in Israel, ergo a Deo solo erat, & nõ naturaliter. Respondendum, quòd ista ratio non concludit, quia nulla bona, vel mala sunt quę nobis à Deo non veniant. De bonis nemo dubitat: De malis autem patet Amos. 3. scilicet. Non est malum in ciuitate, qđ dominus non fecerit. & intelligitur de malis pœnalibus: constat tamen ꝙ aliqua mala vel bo-

na dicimus naturaliter euenire, vt hominem rectè se gubernantem sanum esse, bonum quoddam est: naturaliter tamen euenit: hominem quoque ab alio pcuti malum est, sed naturaliter euenit, ideo verum est de omnibus istis ꝙ Deus immittit illa, & tamen non dicimus esse semper naturaliter, ita potuit esse de peste.

Aliquid esse supernaturaliter quãdo dicatur, & quando naturaliter.

Pro quo considerandum, ꝙ ad hoc ꝙ aliquid dicatur esse supernaturaliter, non solùm oportet, ꝙ Deus aliquid agat, & natura aliquid, sed ꝙ Deus totũ agat. Ad hoc autem, ꝙ aliquid fiat naturaliter solum oportet ꝙ aliquid natura operata sit in ipsa re, ꝙꝙ Deus cętera ꝙ aliquid natura operata sit in ipsa re, ꝙꝙ Deus cętera contulerit. Patet ratio dr̃iæ, quia Deus est prima causa in ordine naturę, ideo necesse est, ꝙ in actione naturali Deus influat, sicut cęteræ causæ naturales, immo pl⁹ debet influere, quia vt hr̃ in prima propositione libri de causis, oĩs causa primaria plus influit in suũ effectũ quàm causa secundaria: quia tñ virtus Dei deriuat̃ hoc modo in effectum mediantibus alijs causis, quæ sunt in concathenatione naturæ, vocatur ipse effectus naturalis, quia vltima causa, quæ immediatè agit in effectũ, & qui vniuocat sibi passum est naturalis. Ad hoc aũt ꝙ aliqua operatio sit supernaturalis, oportet ꝙ non sit ibi aliqua operatio naturæ, quia causę naturales nõ ordinantur ad producẽdum effectum supernaturalem, sicut Deus ordinatur cum causis naturalibus ad pducẽdum effectum naturalem. Secundũ hoc possumus iudicare de effectu qñ sit naturalis, vel supernaturalis: nam si fames esset, eo ꝙ Deus vellet illam inducere ſm per aliquam gẽtem in pœnam, & tñ illa induceret ſm dispositionem terræ, quæ causata est à corporibus cęlestibus, vocaretur ista fames naturalis. Vnde qñcunq; astrologus potest prædicere famem, vel pestem, ꝙꝙ Deus immittat illam, non vocabitur supernaturalis, si aũt corpora superceléstia influerent super terrã tpatè ad vbertatem fructuum, & Deus induceret famẽ, vocaretur illa propriè supernaturalis. Sic etiam de peste, si.n. Deus prænuntiet alicui terræ pestem futurã, si ex corruptione aeris per actionem cęlestium corporum inficiantur homines, & moriantur, erit pestis naturaliter veniẽs: si tamen nulla existente dispõne in aere ad corruptionem sequatur pestis in hominibus, illa erit propria supernaturalis. Nunc autem secundùm hæc possumus iudicare de ista peste, an naturaliter acciderit. Et dicendum ꝙ fuit supernaturalis, quia nulla præ fuit causa dispositiua in aere, sed moriebãtur homines violenter, licèt nõ sentirent hoc, qa Angelus Domini percutiebat eos, vt patet in litera. s. ꝙ Angelus extẽdit manum suam super Ierusalem, vt disperderet eã. Patet etiam hoc clarius 1. Paralip. 21. cùm dicitur, aut tribus diebus gladium domini, & mortem versari in terra, & Angelum Domini interficere in vniuersis finibus Israel. Et iterum ibi: misit quoque Angelum in Ierusalem, vt percuteret eam. Angelus tamen non est causa purè naturalis, sed est minister effectuũ à Deo cãtorũ, ergo ista pestis erat supernaturaliter inducta.

Pestis in Israelitas supernaturaliter venit.

Quare Dauid potius elegit pestem quàm aliquam de alijs pœnis. Quæst. XXIX.

QVAERETVR vlterius, cur Dauid non elegit aliquam de alijs pœnis, sed solam pestem, Respondetur cõiter per Historiam Schol. Andream, Nicolaum, & Hebræos, ꝙ fuit hoc vt populus nõ murmuraret de ipso. s. si eligeret talem pœnam, in qua populus torqueretur, & ipse nõ. Etiam quia iustum erat ꝙ cùm ipse peccasset, pœna quoq; ei cõis fieret cum cęteris: nam si elegisset famem septẽ annorum, ipse habens multa frumenta, vel pp multitudinem pecuniarum potẽs hr̃e cibaria de alijs regionibus famem non senturet, populus aũt cruciaretur. Si verò persecutionem hostium eligeret, ipse cũ viris suis fortissimis qui nominantur pręc. c. posset euadere hostes intra fortalitia, & populus caderet gladio hostilis. elegit ergo pestem, quæ est morbus communis, & nihil minus regibus, quàm populis nocet. De hoc ẽt ait Iosephus. 7. Antiquitatum. s. Prophetis declarantibus, ꝙ Deus irasceretur, supplicauit Dauid, vt propitius esset. Gad vero prophetam misit ad eum Deus tres supplicij conditiones portantem, vtrum vellet famem. 7. annis in puincia generari, aut tribus mensibus pugnãdo vinci ab hostibus, aut morbus & languor accederet tribus diebus Hebræis. Cumq; propheta exigeret responsionem, quam Deo ferret, cogitans rex, ꝙ si famẽ eligeret, ꝺ alios facere videretur, quia cùm ipse multa frumenta haberet, inopiam sustinentibus reliquis, nulla ei inopia esset: si verò eligeret trium mensiũ victoriam hostilem, ipse habens apud se fortissimos cũstodes, nihil timeret, sed neci exercitus subiaceret: cõmunem passionem, & omnibus ęqualẽ elegit, dicens: multo melius esse in Dei, quàm in hominum manus incidere. Hæc propheta Domino renũtiauit. Qui incidere. Hæc propheta Domino renũtiauit. Qui inerat oĩbus, alius aũt super alium moriebãtur, alij superlociter ferebat interitum. Aliter potest dici ꝙ elegit Dauid potius istam pœnam, quia putauit melius esse pati à Deo quàm ab hostibus, eo ꝙ clementius agaret, hostes vero multa damna inferre possent, vt suprà declaratum est. *De mane vsque ad tempus constitutum*, id. est, durauit pestis illa de mane. i. ab aurora illius diei vsque ad tempus constitutum. i. vsque ad tres dies, nam supra dicitur, ꝙ Dauid surrexit de mane, & tunc venit ad eum propheta Gad proponens istas pœnas, & electa vna earum immediatè Deus intulit illam, & sic incepit in mane illius diei, & durauit vsque ad diem tertiam,

An pestis excessit diem vnum. Quæst. XXX.

QVAERETVR, circa hoc, qd̃ tps constituti fuit istud in quo durauit pestis. Respondẽdum ꝙ positio omnium est, ꝙ non excesserit pestis diem illum, in quo cępit, sic. n. ait Iosephus. 7. Antiquitatum, ꝙ interitus pestiferi languoris cępit ab hora matutina vsque ad horam prandij, & interfecti sunt de populo, 77. millia. Nicolaus quoq;, & Hist. Scho. & Andreas, & cæteri tenent, ꝙ eadem die cessauerit, & idem Hebræi volunt. Motiuum autem est eorum, quia dicitur infra: venit autem Gad ad Dauid in die illa, & sic videtur quòd in eadẽ die venerit ad denuntiandum sibi pœnam istam, & ad denuntiandũ cessationem. Sed tũc manet eis dubium qũo mutata fuerit pœna quam Deus imposuerat. s. ꝙ duraret pestis per tres dies. Respondet Nicolaus, ꝙ ista pœna fuit denuntiata ſm comminationem, & non secundùm firmam Dei ſnĩam, sicut dictum est Niniuitis: Adhuc 40. dies, & Niniue subuertetur: & tamen non subuersa est. Sic fuit hic vnus dies solùm per firmam Dei sententiam, & ille non mutatus est, & fuerunt duo per comminationem, & illi mutati sunt. Manet eis aliud dubium. s. quomodo durauit pestis vsque ad tempus constitutum. Et aliqui dicunt, ꝙ fuit hoc tempus prandij sicut tenet Iosephus, & Histor. Schol. Sed Nicolaus dicit, ꝙ non stat, quia in lege non reperitur, ꝙ tempus prandij sit tempus constitutum, ideo dicit ipse cum Hebræis, ꝙ durauit ista pestis à mane vsque ad horam sacrificij vespertini, incipiebat enim istud sacrificium à solis occasu, & durabat vsque ad auroram, vt patet Leui. 6. & ibi declaratum est, & dicunt, ꝙ istud est tempus cõstitutum, quia in lege constitutum erat ad sacrificandum tunc, & secundùm hoc durauit pestis à mane vsque ad solis occasum. Alij Hebræi dicunt, ꝙ Deus dedit 36. horas, per quas duraret pestis, & quia habuerũt aliquos amicos apud Deum diminutum est istud tps, scilicet, intercesserunt pro eis quinque libri Moysi, & septem dies hebdomadæ, & duę tabulæ legis, & merita trium patriarcharum, & 12. tribus Israel, & quidem alij sex amici, qui faciunt. 35. & sic mansit solùm vna hora, pro qua nullus intercessit, & in illa hora fuit tota pestis. Sed ista positio est ridicula. Primò quia præsupponit falsum, scilicet, quòd solùm positæ fuerint. 36. horæ ad pestem, nam tres dies positi sunt, qui ꝓtinent horas. 72. sed isti forte acceperunt dies pro artificialibus, & in tribus diebus æqualibus constituunt horas. 36. dando cuilibet 12. & secundùm hoc pestis deberet esse per diem, & non per noctem. Sed hoc ridiculum est, quia quando sacra scriptura, vel iura humana nominant sic aliquot dies, intelliguntur illi dies naturales, prout compræhendunt diem & noctem, ita ergo debuit esse hic. Item ridiculum est, quod dicunt. s. ꝙ libri Moysi, & dies hebdomadę, & tabulæ legis orarẽt pro eis, ideo non est in hoc arguendum. Dicendum igitur secundùm veritatem, ꝙ ista pestis durauit tribus diebus. Quod patet, quia Deus dixit, ꝙ mitteret tribus diebus pestilentiam. Et postea dr̃ ꝙ immisit illam vsq; ad tempus constitutum, ergo ad finem trium dierum durauit, & stat sic litera plana. Positio autem Iosephi, Nicolai, & cęterorum quamquam deberet præualere, eo ꝙ communis est, tamen non vr̃ rationabilis. Primò quia ipsi putant, ꝙ sit aliquod priuilegium Israelitis, ꝙ duraret pestis vno die solùm. Sed falsum est, quia non erãt plures morituri in tribus diebus, quã in vno, vel in vna hora, cùm Angelus posset quasi subito deicere omnes, sicut fuit in exercitu Senacherib, in quo in vna nocte, & quasi subitò Angelus Domini percussit 185. millia, infra 4. lib. cap. 19. Item non stat motiuum illorum, quia infra dicitur, ꝙ venit Gad illa die ad Dauid, quod illi intelligunt de die, in qua venerat Gad ad denuntiandum Dauid istas pœnas. Sed istud est falsum, & irrationabile dictum, quia relatiua semper debent referri ad ea, quæ immediata sunt, nisi aliàs constet ꝙ referri debeant ad aliquid distans, sed hic est immediatum tempus constitutum, cùm dr̃ ꝙ Deus immisit pestilentiam de mane vsque ad tempus constitutum, & tunc dr̃, ꝙ die illa venit Gad. s. die, in qua finitum est tempus constitutum, quæ erat dies tertia postquã cępit pestis. Si autem referatur ad diem, in quo denũtiata fuit ista Dauid, de quo supra dicitur, surrexit itaq; Dauid mane: refertur ad id, quod est distans, & hoc est cõtra regulam grammaticæ de relatiuis. Item non stat rationabiliter, quod dicunt de tempore constituto. s. ꝙ istud dicatur tempus sacrificij vespertini, quia istud est diuinare, & loqui per integumenta secundùm cõsuetudinem poetarum in fabulis: & si fortè non positum fuisset supra aliquod tempus determinatum, quo deberet durare ista pestis, & diceretur hic ꝙ durauit vsque ad tempus constitutum, tunc esset locus diuinationi, & posset dici, quòd istud est tempus sacrificij vespertini: quia tamẽ supra positum est tempus, quo deberet durare. s. per tres dies, & hic subditur immediatè quòd durauit vsque ad tempus constitutum, manifesta extorsio est, quòd exponatur nisi de tertia die, qua deberet cessare pestis. Item quando dicit Nicolaus, quòd quamquam positus fuit terminus trium dierum, non durauit nisi vno die, & quòd fuit hoc dictum secundùm comminationem, est irrationabiliter dictum, quia semper debet accipi scriptura secundùm ꝙ significant termini, nisi sit necessitas aliter exponẽdi propter aliquam causam. Cùm ergo dicatur hic ꝙ pestis durare deberet per tres dies, & non reperiatur aliquid, propter quod dicere debeamus, ꝙ non durauit per tres dies, debet intelligi quòd tantum duraverit. Responsio autem Nicolai est, vt si cogeremur dicere ex textu, vel aliàs quòd pestis durauit solùm vna die, deberemus dicere, quòd tres dies supra positi intelliguntur secundùm comminationem. *Et mortui sunt ex populo*. Ideſt, ex toto populo: quia nulla fuit tribus, de qua non morerentur aliqui. *A Dan vsque Bersabee*. Ista duo loca ponuntur tanquam extremitates totius Israel, quia Dan est in latere Aquilonari, & Bersabee in Meridiano. *Septuaginta millia virorum*. Isti mortui sunt in illis tribus diebus, quia erat magna pestis. An verò plures morti fuerunt, declarabitur primo Paralipom. 21.

Populus cùm non peccauerit in ista numeratione, quare sit punitus. Quæst. XXXI.

QVAERETVR, cùm peccasset Dauid numerando populum, quare punitus est populus, qui in hoc nihil peccauit. Responderi potest, ꝙ populus punitus est nunc non pro peccato Dauid, quia numerauit populum, sed pro alijs peccatis, quæ ipse populus egerat, vt vult Rab. Dauid Kimhi, scilicet, quòd erant aliqua peccata occulta in Israel, propter quæ permisit Deus tentari Dauid, & numerari populum, vt ipse populus puniretur, immo vt ait Gregorius, in moralibus, non permissus fuisset peccare Dauid, nisi propter peccata Israelitarum, quia secundùm merita populorum disponuntur acta rectorum: & tunc dicetur, quòd quamquam ista pestis dicatur missa propter computationem populi, tamen ipsa fuit principaliter missa propter alia peccata populi, sic enim fuit declaratum supra. 21. quæst. 10. de fame missa tempore Dauid, de qua dicitur, quod missa est propter peccatum Saulis, & domus eius: & tamen missa fuit propter peccatum populi: sed illud fuit tanquam insinuatiuum, scilicet, quòd famis missa est, vt puniretur peccatum illud, non tamen fuit peccatum illud promeritorium illius famis. Aliter dici potest, quòd populus peccauit in computatione ista, scilicet, quia licèt principium peccandi fuerit in Dauid, postea tamen totus populus peccauit contentiendo ei: nam debuissent resistere illi, cùm possent, sicut restitit aliquantulum Ioab, & si omnes restitissent Dauid, illico cessasset. Etiam peccauerunt, quia cùm permitterent se numerari, saltem debuisset quilibet dare dimidium siclum, cùm lex iuberet in omni numeratione dari illum, ne esset plaga in populo. Exo. 30. noluerunt tamen dare illum, ideo iustè fuit super eos plaga disperdens.

Cur Dauid non fuit ipse punitus. Quæst. XXXII.

QVAERETVR vlterius, dato, quòd peccasset populus in hoc, & punitus fuisset, quare non fuit punitus Dauid, cùm ipse principaliter peccauerit. Respondendum, quod Dauid istud volebat, nam videbatur sibi quasi iniustum, quòd ipse peccauisset, & moreretur populus eo illæso, vnde voluit conuerti super se mortem, dicens: ego sum, qui peccaui, ego, qui iniquè egi: isti oues sunt, quid fecerunt? vertatur obsecro manus tua contra me, & contra domum patris mei. Dici potest quòd Dauid peccauit, & tamẽ quia populi peccatum induxit eum ad hoc, vt ait Greg. in moralibus, ideo populus puniri debuit, & non ipse. Hoc aliqui volunt, sed non stat, quia dato, quòd inductus fuisset Dauid ad peccandum propter merita populi, ipse

Universidad de Deusto
Biblioteca

ipse tamen est, qui in hoc peccabat, & non populus, ideo ipse puniri debebat tanquam peccans, sed etiam populus puniendus erat tanquam præstans occasionem ad malum: Sic fuit de Moyse, & Aaron: quia populus induxit eos ad peccādum, scilicet, quia propter duritiem populi, ipsi exarserunt in tantum zelum, quòd, vt increparent populum, obliti sunt benedicere Deo, & tamen ipsi puniti sunt propter hoc. Sic patet Deuteron. 3. Scilicet: Iratus est mihi Dominus, propter vos, nec exaudire me voluit. Dicendum ergo, q̄ Dauid puniendus erat pro hoc peccato, tanta tamen fuit contritio eius, quòd meruit remitti sibi pœnam pro tunc, vel simpliciter. Hoc patet, quia dixit supra, peccaui valde in hoc facto, sed præcor vt transferas iniquitatem serui tui, quia stultè egi nimis. Item apparet aliqua pars satisfactionis, scilicet, quia indutus est cilicio, quando vidit angelum, vt patet infra. Item Dauid exposuit se ad hoc, quòd ipse gratis vellet mori, ne moreretur populus, & orauit in se transferri mortem, scilicet, ego sum, qui peccaui, vertatur obsecro manus tua contra me, sed iste erat actus magnæ perfectionis, ideo poterat remitti etiam satis grauis pœna pro hoc. Aliter potest dici, quòd Dauid punitus est in hoc, quia punitio erat pro peccato suo, quòd ipse pateretur, vel aliqui de coniunctis sibi sanguine, vt ipse dixit infra, scilicet, vertatur obsecro manus tua contra me, & contra domum patris mei. Ex quo apparet, quòd satis directè puniebatur delictum Dauid si occiderentur aliqui de coniunctis sibi, alioquin solùm orasset conuerti manum angeli contra se, & non contra domum patris sui, & tamen fuerunt aliqui occisi de cognatione Dauid, ideo in his potuit sufficienter puniri. Patet hoc, quia de omnibus tribubus mortui sunt aliqui, vt supra dictum est. Aliter dici potest, quòd punitio pro peccato Dauid directa erat, si puniretur ipse, quia tamen doluit, transtulit Deus ab eo pœnam. Sic enim factum est supra 12. quia cùm dixisset, Peccaui, propheta dixit, Deus quoque transtulit à te peccatum, non morieris: & hic doluit, & petiuit transferri peccatum. supra in littera. Ideo Deus transtulit in aliquos de populo, & illi propriè potuerunt puniri pro peccato Dauid, quia sicut, quòd auferatur alicui res possessa, est pœna illius, & Deus ponit istud in pœnam peccatorum, ita gloria principis est in subditis. Prouerb. 14. Ideo, quòd moriantur subditi, pœna est principis, & sic potuit Dauid puniri in morte illorum: vnde fuit pœna inflicta populo pœna duplicis peccati, scilicet, quia populus peccauit, & quia peccauit Dauid,

An populi pœna fuerit maior, quàm si solus peccasset. Quæst. XXXIII.

QVAERETVR circa hoc, an populus nunc punitus pro peccato suo, & pro peccato Dauid, fuerit grauius punitus quàm si puniretur solùm pro peccato suo. Si autem dicatur, quòd non fuit magis punitus sic, quàm si puniretur solùm pro peccato suo, nō pōt stare; quia eadē solutio non potest tollere duo debita, si vnum illorum per se illam exigat: sed peccatum Dauid per se exigebat solutionem, peccatum populi etiam exigebat solutionem, & ista pœna tota quam tolerabat populus data fuisset, etiam si non peccasset Dauid. videtur quòd adhuc exigebatur alia solutio pro peccato Dauid. Si autem dicatur, quòd populus punitus pro se, & Dauid sustulit maiorem pœnam quàm sublaturus esset, si Dauid non peccasset, erit hoc iniustum, scilicet, quòd puniatur populus vltra quàm meruit. Respondendum, quòd non punitus est populus nunc plus, quàm si ipse solus peccasset, quia alioquin non posset euitari inconueniens, & quando dicitur, quòd tūc duo debita tollerentur vnica solutione, & tamen quodlibet eorum per se, vel saltem alterum illorum exigeret illam. Dicendum, quòd propriè loquendo, populus pro se solo punitus est, & non pro peccato Dauid: sed Dauid punitus est in hoc, quòd populus periit. Vnde tota illa pœna inflicta fuit populo pro peccato suo, & illam meruit. Quia tamen populus peribat, Dauid, qui erat princeps lædebatur nimis, licèt indirectè fuit sibi pœna, quòd periret, & ista non fuit aliquid inflictum populo, sed quædam grauissima tristitia in corde Dauid intantum quòd potius uoluisset ipse mori, quàm quòd populus periret. Quod patet, quia dixit: ego sum, qui peccaui, isti oues sunt: vertatur, obsecro, manus tua in me, & sic propriè loquendo populus punitus est pro peccato suo solùm, & Dauid pro peccato suo, tamen pœna populi fuit origo pœnæ Dauid. Isto modo intelligendum est, quando dicitur, quòd Amnon filius Dauid, & Absalom mortui sunt pro peccato Dauid, scilicet, quia ipsi merebantur mortē, & dato, quòd non peccasset Dauid in facto Uriæ, & Bethsabee, isti mortui fuissent sicut perierunt, mors tamen ipsorum fuit quædam pœna Dauid inquantū ipse ægerrimè doluit pro eis, cùm essent filij sui. Sic etiam intelligendum est quandocūque dicitur, quòd filius moritur pro patre, vel aliquis pro alio, dumtamē qui moritur sit magnus: quia de valde paruulis morientibus pro parentibus secus est. Ratio autem diuersitatis assignata est supra 12. in morte paruuli filij Dauid. *(iamque extendisset manum angelus Dei super Ierusalē, vt disperderet eam.* Ideſt, extendit angelus percutiens manum suam ad percutiendum totam vrbem Ierusalem.

Quomodo Angelus extendit manum super Ierusalem, & an esset Angelus bonus, vel malus. Quæst. XXXIIII.

QVAERETVR, quomodo stat, quòd angelus extenderet nunc manum ad disperdendum Ierusalem, quia ex hoc videtur, quòd nō dum percussisset aliquem in vrbem, sed istud non esi conueniens dictum, quia in illa vrbe erant peccatores sicut in aliis, ideo morerentur ibi aliqui. Respondendum, quòd modus huius fuit, scilicet, quia angelus Domini percussit omnia loca Israel à Dan vsque Bethsabee occidendo in quolibet aliquos secundùm taxationem Dei, & in tertio die venit in Ierusalem cùm finiebatur tempus constitutum, & percussit ibi eos, quos Deus voluit percuti, & dum hæc fierent erat angelus semper latens, sed non habens assumptam corpoream effigiem. Ad extremum autem finita plaga, cū Dauid oraret Dominum ne vltra plaga extenderetur, voluit Deus ostendere ei angelum percutientem, qui apparuit in figura humana habēs ualde magnum gladium cruentatum sanguine, & extentum super vrbem Ierusalem, & erat aspectus eius terribilis nimis. Cùm autem Dauid vidit eum, timuit valde, & cecidit in terram tam timore aspectus eius horrendi, quàm putans, quòd vellet destruere totam urbem: & licèt ille angelus iam non esset percussurus aliquem in vrbe, quia iam occiderat omnes de quibus Deus iusserat, tamen ostendit aspectum quasi uolentis totam vrbem destruere, vt sic Dauid timeret, & oraret pro populo, propitiareturque Deus terræ. Vnde non dicitur, quòd angelus ille vellet percutere urbem, quia hoc signaret, quòd nullum adhuc percussisset, sed dicitur, quòd uolebat disperdere urbem, disperdere autem est totaliter eradicare, uel delere. Iste autem angelus erat eleuatus supra urbem Ierusalem in aere: nam dicitur primo Paralipom. 21. quòd vidit Dauid angelum Domini stantem inter cœlum & terram, & euaginatum gladium in manu eius, & versum contra Ierusalem: & tamen licèt videretur angelus velle percutere vrbem, nolebat quēquam percutere: sed Deus iusserat ei, quòd talem effigiem ostēderet ex causa dicta.

Pœna inflicta Israelitis potuit esse per angelos bonos, & etiam per malos. Quæst. XXXV.

QVAERETVR vlterius, de isto angelo, an esset de bonis, vel de malis. Respondendum, quòd indifferenter poterat esse de vtrisque: nam interdum mali angeli percutiunt bonos, & interdum malos, & boni angeli interdum percutiunt malos, & interdum bonos. De primo patet, quia angelus malus percussit Iob: vt patet Iob 1. & 2. Et destruxit omnia bona illius, ipse tamen erat vir iustus timens Deum, & recedens à malo, nec erat sibi similis in tota terra. Iob primo. De malis patet, q̄ angelus malus percussit Aegyptios immittendo plagas super eos, & occidit primogenita illorū Psal. 77. Misit in eos indignationem suā immissiones per angelos malos. Etiam patet. interdum arreptitij sunt boni viri, & tamen illi à Dæmonibus arripiuntur, quia omnes isti vocantur spiritus immundi à Christo: vt patet ex processu omnium Euangelistarum. Quòd autem boni angeli puniant malos apparet in subuersione Sodomorum: nam angeli duo boni subuerterunt Sodomam, & illi steterunt cum Abraham. Gen. 18. & 19. Sic etiam fuit in percussione Aegyptiorum super mare: nam ibi dicitur, quòd Deus percussit Aegyptios per columnam ignis, & nubis, & tamen ille, qui erat in columna angelus erat bonus. Vtrumque patet Exo. 14. Quòd autem angeli boni percutiant bonos patet interdum: quia si Deus vult infligere aliquam plagam bonis pro aliqua leui culpa: angeli boni percutiunt eos. Et sic fuit hic, quia populus quamquam peccasset non vocatur hic malus, sed vocantur mali illi, qui sunt obstinati, & pereunt in malo. Quòd autem iste angelus esset de bonis apparet, quia semper vocatur hic angelus Dei, & tamen Dæmones nō vocantur augeli, vt communiter in scriptura: sed Dæmones vel spiritus immundi, vel spiritus absolute. Sicut patet seq. lib. cap. vlt. vbi dicitur, quòd stetit spiritus coram Domino, & dixit quòd esset mendax in ore prophetarum Achab, & accipitur ibi spiritus pro Dæmone. Aliquando autem vocantur Dæmones angeli, sed non absolute. vt patet Mach. 25. Scilicet: Qui paratus est Diabolo, & Angelis eius. Nunquam tamen vocatur angelus simpliciter, & à fortiori non vocatur angelus Dei. Item patet hoc, quia propheta Gad iussit fieri altare, & immolari victimas in loco, in quo apparuerat ille angelus, si tamen fuisset malus nō fuisset ibi factum altare.

An pœna fuerit inflicta per vnum solum angelum, uel per plures. Quæst. XXXVI.

QVAERETVR vlterius, an iste, qui percussit Israelitas fuerit vnus angelus, vel multi. Respondendum secundùm quosdam, quòd fuit vnus. Quod patet, quia hic dicitur, quòd vidit Dauid angelum habentem gladium, & sic vnius nominatur. Alij nolunt, quòd fuerint multi angeli, quia fuerunt in populo tot percussi, quot non potuisset percutere unus solus angelus. Sed prima positio non bene probat, quia licèt solùm apparuerit vnus angelus poterant esse multi percutientes, & dato, quòd vnicus esset in ciuitate Ierusalem, fortè in aliis locis erant plures, & pro quolibet loco esset unus angelus. Secunda positio non stat, quia poterat unus angelus adhuc in minori tempore percutere plures: q̄ hic 70. millia in tribus diebus percussa sunt, & tamen infra 4. lib. 19. unus angelus percussit in una nocte 180. millia uirorum. Dicendum ergo est rationabilius esse, quòd fuerit unicus angelus, qui occidit omnes istos, & ille primò percutiebat in uno loco, & deinde in alio, & ultimò percussit in Ierusalem ubi apparuit euaginato gladio, & hoc colligitur primo Paralip. 21. quia in positione pœnarum dicitur, aut tribus diebus gladiū Domini, & mortem uersari in terra, & angelum Domini interficere in uniuersis finibus Israel, & iterum ibi dicitur, misit quoque angelū in Ierusalem, ut percuteret eam. Sed obijcietur: quia Exod. 12. Determinatum est, quòd non fuit unicus angelus percutiens Aegyptios, sed multi secundùm diuersitatem locorum, & hoc propter multitudinem percussorum. Respondendum, quòd non est simile, quia omnes quotquot in Aegypto occisi sunt, fuerūt occisi quasi in eodem tempore indiuisibili, uel in ual de paruo, scilicet, media nocte, vt patet Exod. cap. 11. & 12. ideo ad hoc, quòd in tam paruo tempore fieret occasio per omnia loca Aegypti, & per singulas domos, quia dicitur Exo. 12. Quòd non erat domus in toto Aegypto, in qua non esset aliquis mortuus. Exo. 12. Oportebat, ut essent multi angeli pro diuersis locis, nunc autem in tribus diebus perierunt 70. millia: ideo sufficiebat unicus angelus ad occidendum omnes istos.

Rōnabilius est tenere q̄ per unū angelū oēs percussi fuerint.

Quis fuerit modus percutiendi istius angeli. Quæst. XXXVII.

QVAERETVR ulterius de modo percutiēdi istius angeli. Aliquis dicet, quòd percutiebat gladio, & occidebat subito. Quod patet, quia apparuit angelus habens gladium euaginatum: sed frustra sic appareret, nisi sic percuteret. Item primo Paralipom. 21. dicitur, aut tribus diebus gladium Domini, & mortem uersari in terra, & angelum Domini interficere in uniuersis finibus Israel, & sic gladius erat ibi tanquam instrumētum ad mortem istam. Sed dicendum, quòd hoc non stat, quia ista mors uocatur pestis, si tamen angelus occideret gladio non uocaretur pestis, sed occisio gladij, uel mors bellica. Item illi, qui percutiebantur, nō sentiebant, si tamen esset gladius percutiens sensissent illum. Hoc patet per Iosephum. 7. Antiquitatum dicentem, q̄ moriebantur Israelitæ non uno modo, ut languor facile posset agnosci, sed mors quidem in omnibus, alius autem super alium moriebatur, & alij super sepeliendos cadebant, & latenter imminens malum uelociter ferebat interitum. Ergo erat alius modus percutiendi specialis. Dicēdum autem, quòd angelus percutiens nō uidebatur, quando percutiebat, unde homines securi moriebantur, licèt aliqui uiderint illum, & fugerint, sicut fuit Oman Iebusæus, & filij eius, ut patet primo Paralip. 21. & hic, & tamē nō occisi fuerunt isti. Illi uerò, qui occidebantur non uidebant angelum, nec etiam percutiebantur gladio: quia aliàs sensissent quando percutiebantur, sed non sentiebant. etiam esset magnus dolor; Deus tamen nolebat tantum dolorem in hac uindicta causare. Sed erat iste modus sicut fit in peste, quia homines attrahunt aerem corruptum, & corrumpuntur interiora, & pereunt. Ita credendum est, quòd angelus Domini applicabat aliquid corporeum in nimis peltiferum q̄d subito corrumperet uiscera, & non sentiebatur hoc,

sicut

Universidad de Deusto
Biblioteca

sicut non sentitur aer infectus,cùm attrahitur,& quia F illud,quod angelus applicabat,erat magis corruptum quàm aer,qui in peste attrahitur, velocius,& insensibilius homines cadebant tanquam nullum habuissent languorem. Ad primam rationem dicendum, quòd apparuit angelus cum gladio, non ad occidendum Dauid. Ad secundam dicendum,quòd accipitur gladius Domini metaphoricè,quia secundùm veritatem Deus nullum gladium habet. *Misertus est Dominus per afflictionem.* Ideſt,iam noluit, quòd plures perirent,quia populus erat afflictus nimis. In Hebræo dicitur. *Consolatus est Dominus malitiam.* Idem est quod litera nostra,sed est modus improprius loquendi,scilicet,consolatus est,ideſt,consolatus fuit Israelitas. Malitiam,ideſt,super malum,quod inferebat eis,quia ma G litia vocatur in Hebræo malum pœnæ. Consolatus tamen in Hebræo refertur ad ipsum Deum,scilicet,q̃ ipse consolatus est in se: ideo litera nostra exposuit cõsolari pro misereri. *Et ait angelo percutienti populum,sufficit nunc.* Ideſt,Deus locutus est illi angelo, qui apparuit euaginato gladio,quòd non percuteret amplius, & ista locutio fuit spiritualis,quia Deus non loquitur, nec potest loqui,& etiam angelus non exigit,quòd aliquis sibi loquatur ad hoc,quòd intelligat,immo dato q̃ clamemus, nihil audit, nec intelligit plus nobis loquentibus, quàm non loquentibus tanquam audiens illud,intelligit tamen quidquid loquimur,vt declaratum est latè Exo.7.Ideo Deus ad loquendum aliquid angelo solùm imprimit intellectui eius aliquam spe- H ciem,per quam intelligit, sicut nos intelligimus cùm quispiam nobis loquitur. Hebræi dicunt, quòd Deus iussit nunc angelo , vt occideret Abisai fratrem Ioab. Et mouum eorum est, quia post hoc nunquam legitur aliquid de eo.Etiã dicitur in Hebræo hic,Raph, quod significat satis, vel maiorem . & intelligunt Hebræi, q̃ Deus dixerit angelo , occide maiorem ipsorũ nunc,& iste erat Abisai, quem dicunt fuisse sapientissimum inter omnes viros de domo consilij, uel iudicij. Sed ista ridicula sunt, quia manifestum est, quòd Deus in his iubet cessationem à peste, vt patet ex præcedentibus,& sequentibus cùm dicatur, quòd misertus est super afflictionem: ergo non iussit nunc in his verbis occidi aliquem,quia aliàs non essent aliqua ver I ba , per quæ Deus iussisset cessationem. *Contine manũ tuam.* Ideſt , tene eam,ne extendas ad percutiendum sicut ante hoc extendebas , & dicitur secundùm metaphoram quasi angelus extenderet manum , & gladium ad percutiendum cùm apparuisset habens gladium in manu. *Erat autem angelus Domini iuxta aream Areuna Iebusæi.* Ideſt,quando apparuit angelus euaginato gladio erat iuxta aream cuiusdam viri nomine Areuna,qui erat de Iebusæis.Nam quando Dauid cepit castrum Sion in Ierusalem , reliquit ibi quosdam de Iebusæis habitantes sub tributo , de his erat Areuna.Iste vocatur Ornan primo Paralip.21. quia erat binomius,& multi alij sunt tales.

Quomodo apparuit Angelus iuxta aream Areuna.
Quæst. XXXVIII. K

QVAERETVR, quomodo dicitur, quòd erat hic angelus iuxta aream Areuna: quia primo Paralip.21. dicitur,quòd angelus Domini erat inter cœlum & terram habens gladium euaginatum. Respondendum,q̃ iste angelus apparuit in area Areuna Iebusæi. Q̃d patet,quia dicitur primo Paralipom.21. Quòd Areuna, & quatuor filij eius uidentes angelum iuxta aream,timuerunt, & fugientes absconderunt se,tunc enim terebant triticum in area.Sed fuit modus apparitionis,quòd angelus nõ videbatur tenere pedes super terram , sed eleuatus erat in aere,& hoc vt multi possent eum videre , & propter hoc dicitur , quòd erat inter cœlum & terram: erat tamen in directo areæ Areuna , quia non videbatur stare super aliam partem urbis, nisi super aream : ideo dicebatur esse super illam. Istud totum colligitur primo Paralipom.21.Scilicet: Porro angelus Domini stabat iuxta aream Ornan Iebusæi , leuansque Dauid oculos suos vidit angelum Domini stantem inter cœlum & terram, & sic simul erat iuxta aream, & inter cœlum & terram. *Dixitque Dauid ad Dominum, cum vidisset angelum cædentem populum:* Non vidit Dauid quòd angelus occideret aliquos de populo,sed solùm vidit eum dispositum ad percutiendum , quia habebat gladium extentum contra vrbem,vt supra patet.

Quomodo Dauid potuit hic loqui ad Dominum cum non videret eum. *Quæst. XXXIX.*

QVAERETVR, quomodo Dauid potuit hic loqui ad Dominum cùm non videret eũ. Respondeti potest , quòd locutus est per medũ orationis sicut homines orant ad Deũ, quem non vident,& putabat, quòd quamquam non videret ipse Deum,Deus exaudiret preces eius si misereri vellet vrbi.Et hoc colligitur,quia dicitur, quòd cùm vidit angelum locutus est ad Dominum. Alter potest dici , quòd Dominus vocetur hic ipse angelus, quia multotiens in veteri testamento angeli vocantur Deus. Etiam quia dicitur infra . Vertatur obsecro manus tua contra me , & contra domum patris mei. Sed manifestum est,quòd ille,qui percutiebat erat angelus,& non Deus:ergo ad angelum loquebatur.Dicendum , quòd Dauid loquebatur hic Deo per modum orationis cùm fecerit hic litera differentiã Dei, & angeli,dicens quòd locutus est ad Dominum cùm vidit angelum percutientem . Item quamquam scriptura sæpe vocet angelos Deum,tamen nunquã hoc dicitur, quando illi apparent in aliqua forma assumpta,sed cùm audiuntur voces eorum , & ipsi occulti sunt,cùm verò apparent vocantur angeli, vel viri.Ratio huius declarata est Iudi. 6. cùm autem dicitur infra,vertatur obsecro manus tua contra me , non dicitur ad angelum,sed ad Deum: quia licèt angelus percuteret, sciebat quòd ipse mandato Dei percutiebat, ideo erat ac si Deus percuteret. *Ego sum qui peccaui.* Ideſt, ego sum, qui iussi numerari populum , quod fuit peccatum pro quo est ista percussio. Sic patet primo Paralip.21.Scilicet: Nonne ego sum , qui iussi, vt numeraretur populus?ego qui peccaui? *Ego qui inique egi.* Eadem sententia est repetita,& pertinet ad passionatos cuiusmodi erat Dauid. Sciendum, quòd quando ista dicebat Dauid erat prostratus in terram , quia quando vidit angelum euaginatum gladium habentem, timore pauefactus corruit in terram primo Paralip.21. *Isti qui oues sunt quid fecerunt.* Ideſt, populus iste, qui sunt innocentes sicut oues , quid mali fecerunt? Vel isti sunt sicut subditi,& nihil imperauit ego autem,qui eram pastor imperaui hoc. primo Paralip. 21.dicitur.Iste grex quid commeruit , quasi dicat, nihil commeruit, quia ducuntur ad voluntatem meã, sicut grex. *Vertatur obsecro manus tua contra me.* Ideſt, vis pro peccato isto aliquos occidere, me occide,quia ego verè peccaui , & non isti. *Et contra domum patris mei.* Ideſt,extende gladium tuum contra filios meos, & fratres meos , & alios cognatos meos, qui sunt de domo patris mei:nam in istis rationabilius est punire peccatum quàm in plebe innocente.

An populus aliquid peccauerit in numeratione.
Quæst. XL.

QVAERETVR, quomodo Dauid dicebat, isti oues sunt quid fecerunt,& an verum esset, quòd nihil fecerant. Respondendum , quòd populus aliquid fecerat per quod mereretur istam plagam,vt declaratum est supra. Dauid tamen loquebatur hic de peccato numerationis populi,quia putabat,quòd propter istud eueniebat pœna,cùm sic denunciasset Gad propheta ei. Et quantum ad hoc non peccauerat populus, sed Dauid. Vnde ipse dixit primo Paralipom.21.Nonne ego sum,qui iussi, vt numeraretur populus?ego peccaui. Sed obijcietur, q̃ ẽt B populus peccauit in hoc : quia supra declaratum est in quadam quæstione, quòd populus peccauit in numeratione consentiens regi; quia si totus populus repugnasset, rex cessasset à numeratione. Dicendum, quòd Dauid intelligebat de principali peccato numerationis,& istud erat iubere numerationem,in quo ipse solus peccauerat,quia ipse nemine ei suadente, sed potius dissuadente populum numerauit, ideo suam putabat esse totam culpam.

An Dauid peccauerit optando manum Domini verti contra ipsum. *Quæst. XLI.*

QVAERETVR vlterius,quomodo dixit Dauid:vertatur obsecro manus tua contra me,& C an peccauit in hoc.Aliquis dicet,quòd sic : quia Dauid in hoc desiderabat mortem , nulli tamen licet eam desiderare. Respondendum, quòd potest intelligi istud vetbum Dauid dupliciter , vno modo,quòd Dauid videns populum perire , qui nihil peccauerat , se autem peccantem non puniri , iudicauit hoc tanquam aliquid iniustum, ideo visum est sibi,quòd si Deus vellet extendere puuitionem , quòd deberet ipsum occidere, & cessare à plaga populi , & hoc ipse voluit tanquam iustum . Aliter potest intelligi,q̃ Dauid non dicebat ista verba tanquam desiderans,quòd ipse occideretur , vt cessaret plaga populi: sed dixit ad placandum Deum , quia ista sunt verba D spiritus contribulati,& Deus non despicit cor contritum,& spiritum contribulatum. Si autem intelligatur isto secundo modo, quæstio est frustratoria , quia certum est,quòd nemo peccat , immo meretur cùm conteritur de peccatis. Si autem intelligatur primo modo manet dubium.Et dicendum est,quòd nõ peccabat Dauid,sed merebatur,quia uolebat se mori pro salute populi. Vnde iste erat actus magnæ iustitiæ,scilicet,quòd Dauid,qui peccauerat vellet mori: vt illi, qui non peccauerant non morerentur. Cùm autem obiicitur , quòd nemo debet desiderare mortem . Respondendum,quòd verum est absolutè,quia mori solum non considerata alia vtilitate,malum est, cùm mori dicat quandam destructionem boni . Potest tamen aliquis desiderare mortem propter aliquam cau E sam conuenientem, scilicet, propter laudem Dei , & isto modo sancti martyres desiderabant potius mori pro Christo, etiam si nullus persequeretur eos quàm viuere:& in hoc merebantur nimis. Sic etiam si quis desiderat mori, vt habeat bona alterius sæculi cum Christo,quem toto animo desiderat, non peecat: sed mereretur.Sic enim Apostolus dixit ad Philippen.1.Cupio dissolui,& esse cum Christo. Ita ergo si Dauid desiderasset mortem sine aliqua causa,peccasset , Habebat tamen causam iustissimam,scilicet, quia totus populus moriebatur pro peccato eius:melius ergo erat, quòd ipse moreretur,& cessaret pestis.Sed obijcietur,

A quòd nemo debet alios plus diligere quàm se , si tamen vellet Dauid mori , vt non moreretur populus, diligeret populum plus quàm se , ergo peccabat desiderando hoc . Respondendum , quòd minus tenetur aliquis velle mortem suam quàm mortem alterius cæteris paribus,scilicet si ipse non meretur mortem , & alius etiam non meretur:si tamẽ ipse meretur mortem,& alius est innocens,& oportet in aliquo casu,q̃ ille occidatur pro peccato istius nisi iste occidatur,tenetur iste mortem velle,vt ille non moriatur , qui innocens est. Sic etiam si alicui diceretur, quòd occideretur, nisi occideret alium : potius tenetur sustinere mortem,quàm inferre alteri, & sic magis diligeret vtam alterius quàm suam . Simile est de fama , si quis B enim infamauit alium,tenetur restituere ei famam dicendo,quòd mentitus est,& quòd falsum iurauit.Per hoc autem efficitur iste infamis, & sic renetur aliquis perdere famam suam,vt restituat famam alterius. Et hoc est,quia famam illius iniustè abstulit,& non potest iam famam suam iustè possidere perdita iniustè fama alterius , sed tenetur famam alterius quam iniustè perdidit iustè recuperare perdendo iustè famam suam quam iam iniustè possidebat. Vnde est regula generalis , quòd quandocumque potest aliquis iustè vitam suam,vel famã, vel alia bona possidere pereunte uita,uel fama,aut bonis alterius, tenetur magis diligere uitam suam , & famam quàm uitam,& famam alterius. si tamen non potest iustè uitam suam,aut famã tenere pereunte uita,uel fama.uel bonis alterius : tenetur ipse uelle mori , & famam suam pẽrdere , ne alius uitam,uel famam perdat, & idem de cæteris bonis.Sic autem de Dauid cùm ipse iudicaret populum nihil mereri,& se dignum esse morte,cùm videret totom populum pro peccato suo morientem , tenebatur ipse uelle mori,ne moreretur populus . Hoc autẽ uerum est quantum ad opinionem Dauid , qui putabat populum pro peccato eius solùm puniri . & tamẽ aliter erat in re, quia populus pro peccato suo puniebatur directè,& non pro Dauid, ut supra dictum est, ideo per istum actum perfectæ iustitiæ, quo Dauid se exposuit,ut moreretur,ne populus periret, Deus auersus est à furore,& cessauit plaga.

Regula generalis in theologia.

Dauid non peccauit orando mortem super domum patris sui.
Quæst. XLII.

QVAERETVR vlterius , quomodo dixit Dauid,quòd uerteretur manus Dei contra domum patris sui , & an peccauerit in hoc . Aliquis dicet quòd sic , quia sicut Dauid putauit iniustum esse,quòd moreretur populus pro ipso , ita iniustum erat , quòd moreretur domus patris sui:quia isti distincti erant ab eo. Respondendum , q̃ Dauid non peccauit : quia orauit mortem super domum patris sui , non absolutè , sed vt cessaret mors à populo , & quia illi , qui erant de domo patris Dauid merebantur potius istam mortem quàm illi, qui erãt de populo,iustius erat istos perire , quàm populum . Hoc autem est , quia fortè illi , qui erant de domo patris sui dabant fauorem Dauid in aliquibus malis , & ob hoc erant rei. Vel aliter,Deus percutiebat populũ , vt Dauid puniretur in hoc , quòd populus peribat ; magis autem puniretur si perirent illi,qui erãt cognati sui,ideo petiuit mortem super domum patris sui . Vel aliter, Dauid uiderat , quòd pro peccato contra Vriam,& Bethsabee Deus transtulit pœnam ipsius in filios suos supra 12. sic igitur si Deus volebat transferre pœnam ab ipso,deberet transferre in filios suos,& cognatos , qui vocantur domus patris sui , & non in populum, ad quem nihil hoc attinebat . *Venit autem,*

Hic

Universidad de Deusto
Biblioteca

Hic ponitur tertium, scilicet, diuina placatio, quia per altare factum cessauit plaga, & dicitur. *Venit autem Gad ad Dauid in die illa.* Scilicet: Deus iussit prophetæ, vt ueniret ad Dauid, & diceret ei ista, quæ sequuntur, ut cessaret plaga. Et dicitur, quòd uenit die illa, scilicet, in qua Dauid uiderat angelum percutientem, & locutus fuerat uerba supra posita, & ista erat dies tertia plagæ. Sed Nicolaus, & communiter omnes tenent, ꝙ ista erat dies prima, & quòd unica die durauit plaga, sed supra improbatum est. *Et dixit ei, ascende constitue Domino altare in area Areuna Iebusæi.* Istud dixit angelus prophetæ Gad primo Paralipom. 21. vt constituta ara in loco illo cessaret plaga.

Tertio.

Cur iussit Dominus constitui aram in area Areuna Iebusæi. Quæst. XLIII.

QVAERETVR, quare in loco illo iussum est fieri altare. Respondẽdum, quòd hoc fuit, qa angelus hñs gladiũ apparuit ī area illa, & qa angelus iste repñtabat Deũ, & ad placãdũ Deum facta est ista ara, debuit fieri in loco, ubi apparuit angelus. Item in area illa olim Abraham uoluit immolare filium suum Isaac iussu Dei, & postea immolauit ibi arietem quẽdam: unde erat illa area Deo acceptabilis. Item Deus uolebat, quòd in illa area constitueretur sibi templum tempore Salomonis, ideo ut haberetur in magna reuerentia uoluit Deus ex nunc honorare, & approbare locum illum cessando à plaga constructo ibi altari. Vnde totus populus sciret iam tempore Salomonis, quòd Deus uellet sibi fieri aram ibi & templum, cùm tempore Dauid cessasset à peste propter aram ibi constructam. *Et ascendit Dauid.* Scilicet: Ad aream Areuna Iebusæi: nam ista erat in excelsiori parte montis Sion, & ad illam iuit Dauid. *iuxta sermonem Gad, quem præceperat ei Dominus.* Idest, hoc fecit propter sermonem Gad: & hoc dixerat Deus: sed primo Paralipom. 21. dicitur, quòd

Angelus aliquando vocatur Deus.

angelus Domini locutus est ista ad Gad. Dicendum, quod uerum est hic, quòd angelus locutus est, & non Deus: nam ipse Deus nulli loquitur, nec unquam loqui potest, sed angeli uocantur aliquando Deus, ideo dicitur, quòd Deus iussit hoc, uel põt intelligi, quòd Deus iussit hoc angelo, & angelus locutus est Gad. *Conspicienſque Areuna animaduertit regem, & seruos eius transire ad se.* Erat nunc Areuna in area terendo triticum: nam ante hoc apparente angelo in area eius, ipse, & filij sui fugerunt in domum. primo Paralipo. 21. Deinde recedente angelo egressus est denuo Areuna ad terendum triticum in area, & tunc vidit Dauid venientem ad se. In Hebræo dicitur. *Et seruum suum.* Vbi nos dicimus, & seruos suos, litera tamen nostra posuit seruos, quia certum est, quòd rex non ambularet per urbem cum uno solo uiro. litera tamen Hebraica valde uariat numeros. *Et egressus adorauit regem prono vultu in terram.* Idest, Areuna egressus est de area in occursum Dauid ad honorandum eum, quia erat magna irreuerentia, quòd videns regem ad se uenire maneret immobilis, sed processit obuiam, & cùm accederet iuxta eum, humiliauit se in terram, & adorauit. *Et ait, quid causę est, vt ueniat Dominus meus rex ad seruum suum.* Quasi dicat ualde usus est indulgentia rex erga me seruum suum: quia nulla causa esse poterat, pro qua deberet ad me uenire, sed quidquid vellet poterat mittere ad vocandum me, & ego promptè iussem. *Cui Dauid ait, ut emam a te aream.* Idest, venio ad emendum aream in qua teris triticum. Si autem dicatur, an poterat emi area ista pro altari, vel si erat simonia, quia erat emptio circa rem sacram. Dicendum, quòd illa area erat tunc prophana, & sicut emi poterat ad alios usus, ita & poterat emi pro ara construenda. Si autem esset iam ara constructa, esset locus sacer, & non posset uendi. *Et ędificem altare Domino.* Idest, volo ædificare in ea altare ad honorem Dei. *Et cesset interfectio, quę grassatur in populo.* Idest, & hoc facio, vt cesset interfectio, idest, pestis, quæ grassatur, idest, ingraueſcit super populum. Est enim grassari sæuire, vel grauem fieri, scilicet, quando vulnera sine pietate infliguntur.

Quare Dauid voluit emere aream ad constituendum altare, Quæst. XLIIII.

QVAERETVR, quare Dauid dixit, quòd uolebat emere aream ad constituendum ibi altare, quia nunc poterat immolare ibi Dauid, ut cessaret pestis, & amplius non egeret area illa ad immolandum, & teneret eam sibi amplius Areuna, & tamen pro illa uice non opus erat, quòd emeret aream. Respondendum, quòd Dauid voluit emere aream, ne præiudicaret Areunæ: quia si immolaret in ea, oportebat, quòd eam emeret, vel gratis in suam acciperet: sed gratis accipiendo præiudicabat ipsi Areunæ accipiendo possessionem eius, ideo uoluit emere. Patet consequentia, quia cùm nũc Dauid semel immolaret in illa, efficiebatur area locus sacer, sed ille locus, qui semel erat sacer, nunquam poterat redire ad usus prophanos. Sic patet de fundo, in quem semel inferebatur cadauer, quia iam erat sacer, & non poterat redire ad aliquos usus priores: ideo etiam si semel tantùm Dauid immolasset in area erat sacra, & non licebat teri amplius triticum in ea. Aliter etiam potest dici, quòd cùm Deus iuberet ibi construi aram, ut cessaret pestis, quòd Dauid intendebat tenere ibi semper aram, & facere sacrificia tãquam in loco placito Deo, vt semper exaudiretur. Vel fortè intendebat iubere filio suo Salomoni, ꝙ in eodem loco construeret templum Domini: ideo uolebat emere ei locum ex nunc. *Et ait Areuna ad Dauid, Accipiat, & offerat Dominus meus rex sicut placet ei.* Obtulit enim gratis omnia Areuna regi putans uile esse, quòd ipse uellet aliquid vendere regi: potissimè cùm rex honorasset eum veniendo ad ipsum, & dixit accipiat, scilicet, aream gratis, & offerat, scilicet, constructa altare, & offerat sacrificia sicut ei placet, idest, quotcunque uoluerit, & utatur iam area tanquam sua. *Habes boues in holocaustum.* Non solùm uoluit Areuna concedere, quod rex petebat, sed etiam obtulit sibi quæ non petebat. Volebat enim Dauid offerre sacrificia, ideo Areuna obtulit boues, vt de illis faceret Dauid holocaustum. In Hebræo habetur. *Ponat rex quod placuerit ei.* Vbi nos habemus: offerat sicut ei placet, quia offerre est ponere aliquid super altare. *Et plaustrum, & iuga boum in usu lignorum.* Idest, etiam dabo plaustrum, idest, tribulam, & iuga boum in usus lignorum, idest, ut crementur ista in sacrificio. Valde liberalis fuit iste Areuna: nam obtulit regi ipsa omnia, quæ ad sacrificium necessaria erant, scilicet, locum ad immolandum. i. aream, & animalia, quæ immolarentur. s. boues triturantes, & ligna ad sacrificii, scilicet, iuga boum, & tribulam. In Hebræo habetur. *Tribulas.* Vbi nos habemus plaustrum, quamquam Hier. accepit plaustrũ, ꝙ tribula, plaustrũ tñ propriè signat currũ, vel quadrigã, hic autẽ non erat currus, sed tribula ad terendũ triticũ, sicut nos nunc triturамus, ideo boues erant iuncti iugo, & trahebant tribulam super triticum. *Omnia dedit Areuna regi.* i. omnia libenter obtulit Dauid, tamen non suscepit illa, nisi dato precio, vt infra patet. In Hebræo habetur. *Omnia dedit Areuna rex regi.* In quo innuitur, quòd Areuna erat rex. Et hoc concedunt Iudæi dicentes, quòd erat rex Iebusæorum manentium in Ierusalem. Sed non stat, quia non permitteret Dauid manere ibi aliquem regem. Etiam non est verisimile, quia si ille esset rex non triturаret, nec esset in habitu ita humili, nec vocatur aliquando Areuna rex, nisi ibi: ideo dicendum, ꝙ istud refertur ad Dauid, scilicet, quòd ipse erat rex, & uocatur bis rex per improprietatem sermonis Hebraici. *Dixitque Areuna ad regem, Dominus Deus tuus suscipiat votum tuum.* Quia dixerat Dauid, quòd uolebat offerre, vt cessaret pestis, Areuna orauit, vt Dominus susciperet votum, idest voluntatem Dauid, scilicet, faciendo id, quod Dauid orabat. *Cui respondens rex ait, nequaquam vt vis.* Idest, non faciam sicut vis accipiendo gratis omnia, quæ mihi offers. *Sed emam precio à te.* Idest, dabo iustum precium pro area. *Et non offeram Domino Deo meo holocausta gratuita.* Hic subditur causa, scilicet, quia Dauid nolebat accipere aream gratis ad offerendum sacrificium in illa, quia non placent Domino sacrificia gratuita, idest, quæ sine precio habentur, quia si sic sacrificaret Dauid, esset ac si nihil sacrificasset, eo quòd non offerebat de suis. *Emit ergo Dauid aream, & boues argenti siclis quinquaginta.* Idest, dedit precium pro area, & bobus, & fuerunt 50. sicli.

Quotis siclis emit Dauid aream. Quæst. XLV.

QVAERETVR quomodo dicitur hic, ꝙ dedit 50. siclos: quia primo Paralip. 21. dicitur, ꝙ dedit Dauid. 600. siclos auri iustissimi. Respõdet Ra. Da. Kimhi, quòd sexcenti sicli fuerunt precium areæ & boum, & tamen ponitur hic solum pars duodecima, scilicet 50. ad significandum, ꝙ omnes tribus Israel contribuerunt ad istam emptionem areæ, deditque quælibet tribus 50. siclos, & duodecies 50. faciunt sexcentos. Sed istud multum est alienum, ꝙ exprimetur hic precium, quod dabat quælibet tribus. Item non stat, quia nõ est verisimile, quòd Dauid faceret solui istud precium ab omnibus tribubus, & ipse nihil solueret: quia tũc sacrificia sua essent gratuita, idest, nihil constarent ei, ipse tamen dixit, ꝙ non debebat offerre Deo sacrificium gratuitum. Ergo non est verisimile, quòd faceret hoc solùm solui ab Israelitis, sed ꝙ ipse solueret de propriis expensis. Ideo dicendum secundùm quòd tenent omnes nostri expositores, quòd hic ponitur solùm precium boum, & non ponitur precium areæ. Pro quo sciendum, quòd Liber Paralipom. fuit principaliter scriptus ad supplendum ea, quæ deficiebant in alijs libris usque ad libros regum: & quia hic deficiebat pars precii, illic suppleta est, & tamen nec fuit hic totum precium positum, nec ibi: fuit enim precium totum sexcentos 50. siclos, quia emit boues, & aream. Boues quidem pro 50. siclis, aream autem pro 600. hic autem solùm fuit positum precium boum, & primo Paralipom. 21. solùm ponitur precium areæ. Quod patet, quia dicitur ibi: dedit Dauid Ornan pro loco siclos auri iustissimi ponderis sexcentos, & sic pro solа area dati sunt, & noluit scriptura ibi ponere totum precium, sed solùm supplere quod hic minus habebatur. Sed obijcietur, quia hic dicitur, quòd emit aream, & boues siclis argenti 50. Respondendum, ꝙ ista litera debet legi per quandam suppletionem, vt punctuetur sic, scilicet, emit ergo Dauid aream, & sit ibi punctus. & sub intelligatur precium 600. siciorũ. & sequitur, & boues argenti siclis. 50. 1. dedit pro bobus 50. siclos, ita ut referatur solùm ad boues.

Sicli an fuerint argenti, vel auri. Quæst. XLVI.

QVAERETVR vlterius, quomodo dicitur hic 50. siclis argenti, quia primo Paralipo. 21. dicitur, quòd dedit Dauid Ornan pro loco siclos auri sexcentos. Responderi potest, quòd sicli illl fuerunt de auro, sicut dicitur in Paralipom. Et tamen hic dicitur, quòd erant de argento, quia argentum aliquando accipitur pro quodam metallo speciali, aliquando autem pro omni metallo, & moneta, & hic accipitur generaliter. Vnde aurum vocatur sic argentum. sic habetur Isaiæ. 55. Scilicet: Omnes sitientes venite ad aquas, & qui non habetis argentum properate, & emite: venite & emite absq; argento, & absque vlla commutatione uinum, & lac. & sic accipitur ibi argentum pro omni pecunia. Quod patet, quia ponuntur ibi duo modi emendi, scilicet, pro argento, vel per commutationem: sed commutatio est quandocunque datur vna res venalis pro alia, ut panis pro uino, vel vestis pro pane, & non constituitur aliquod precium: ergo oportet intelligi per argentum monetam, quæ est medium commutationis. Aliter potest dici, quòd hic fuerunt dati 650. sicli pro area, & bobus, & 600. qui fuerunt pro area erant de auro, quinquaginta verò pro bobus erant de argẽto, & quia in Paralipom. fit solùm mentio de siclis datis pro area, dicitur quòd erant de auro, & hic fit mentio solùm de siclis pro bobus, & dicitur, quòd erant de argento. *Et ædificauit altare.* Scilicet: Postquam emit aream. *Et obtulit holocausta, & pacifica.* Idest, obtulit ibi duo genera sacrificiorum, scilicet, holocausta, quæ totaliter Deo proueniebant in carnibus. Leuit. primo, & pelles solùm proueniebant Sacerdoti immolanti. Leuit. sexto, hostia autem pacifica non dabatur tota Deo, sed pars cedebat Sacerdotibus, & pars laicis offerentibus. De ritu autem holocaustorum, & quare sic vocentur declaratum est Leuit. primo. De ritu autem pacificorum, & quare sic vocantur, declaratum est Leuit. 3. & 7. *Et repropitiatus est Dominus terræ.* Scilicet: Oblatis sacrificiis super altare in area ista, Dominus repropitiatus est, idest, misertus est terræ nolens, quòd amplius vexaretur peste. *Et cohibita est plaga ab Israel.* Idest, cessauit plaga: quia non fuerunt pro hoc peccato vltra percussi. Sciendum autem, quòd cùm Dauid vidit angelum habentem gladium euaginatum, tunc cessauit plaga. Quòd patet, quia Deus dixit ei tunc, sufficit nunc, contine manum tuã, & sic angelus non percussit aliquem postea contra mandatum Dei, & tamen Dauid non putauit, quòd tũc cessãbat pestis, immo quòd angelus vellet destruere totam urbem: nam sub tali effigie se ei ostenderat, vt patet supra, ideo nunquam putauit plagam cessasse, vsquequo post sacrificium factum vidit, quòd iã nullus moriebatur in vrbe.

FINIS COMMENTARIA
Alphonsi Tostati in II. Regum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

SERIES CHARTARVM.

A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y.

Omnes ſunt Quaterniones, præter Y, quæ eſt Ternio.

VENETIIS,

Ex Typographia Altobelli Salicati.

M D XCVI.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca